EPISTOLAE B. VIRGINIS MARIAE AD MESSANENSES VERITAS VINDICATA AC...

Melchior Inchofer

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
32 E
5

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

40.7.32.
40 40
A A

Digitized by Google

8.52.E.5

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA

Digitized by Google

8.52.E.5
BIBLIOT. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DANIELIS XII.

PLVRIMI PER-TRANSIBVNT. ET MVLTIPLEX ERIT SCIENTIA.

Digitized by Google

DECIVS STRIVERIVS.

PRÆPOSITVS PROVINCIALIS Societatis Ieſu in Prouincia Sicula Orientali.

CVM Librum cui titulus Epiſtolæ Beatæ Virginis ad Meſſanenſes datæ Veritas Vindicata à R.P. Melchiore Inchofer noſtræ Societatis Theologo conſcriptum, tres eiuſdem Societatis Theologi quibus id commiſſum fuit recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint, poteſtate mihi facta ab Adm.R.P. N. Mutio Vitelleſco Præpoſito Generali, facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita ijs, ad quos pertinet videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Meſſanæ 22. Februarij 1629.

Decius Striuerius.

APPROBATIO D. IACOBI CALATRO.

EGO D. Iacobus Calatro Sacræ Theologiæ primarius profeſſor in Alma Academia Meſſanenſi. Iuſſu perilluſtris ac Reuerendiſſimi Domini D. Nicolai Proto Vicarij Generalis Nobilis Vrbis huius, totiuſq; Diœceſis ipſius, deſignatus cenſor operis editi ab Admodum Reuerendo P. Melchiore Inchofer Societatis Ieſu Theologo, quod inſcribitur Epiſtolæ B. V. Mariæ ad Meſſanenſes Veritas Vindicata, fidem facio nihil in eo inueniri quod Fidei Catholicæ ſumma cum eruditione coniunctæ, vel bonis moribus aduerſetur, digniſſimumque eſſe quod typis mandetur ad communem omnium Chriſti fidelium vtilitatem, ſuauiſſimæq; Deiparæ ſingulari deuotione addictorum conſolationem. Meſſanæ VIII. Kal. Aprilis 1629.

D. Iacobus Calatro.

Digitized by Google

PERILLVSTRIS, AC REVERENDISSIME DOMINE.

VIDI tuo iuſſu Admod. Reuerendi Patris Melchioris Inchofer, Societatis IESV lucubrationes pro Virginis Epiſtola ad Meſſanenſes data. Pietatem omnia redolent, & Chriſtianam fidem, exactamque Veteris Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cognitionem, & digniſſima quæ typis mandentur. Florebit diù vigebitque politiſſimi ingenij opus, & cum vſura reddet acceptam è publico lucem. *Ita opinor, ita ſpondeo ego Albertus Piccolus I. C. & in Meſſanen. Academia Sacrorum Canonum Ordinarius Interpres.* VIII.Kal. Aprilis 1629.

PERILLVSTRIS, AC REVERENDISSIME DOMINE.

EGO Bernardus Cauatore V. I. D. vidi Opus ab Admodum Reuerendo Patre Melchiore Inchofer Societatis Ieſu Theologo conſcriptum, cui Titulus; Epiſtolæ Beatæ Virginis Mariæ ad Meſſanenſes Veritas Vindicata; in quo cum nihil inuenerim contra leges, ac bonos mores; quin verò omnia Religionem, & Pietatem promouentia, nec minus ingenio, & eruditione Auctoris digna; cenſui Typis mandandum ad publicam Fidelium vtilitatem, & noſtræ Vrbis dignitatem. Meſſanæ VIII.Kal.Aprilis 1629.

Bernardus Cauatore V. I. D.

BIBLIOTECA ... ROMA

Digitized by Google

S. AVGVSTINVS LIB. I.

DE TRINITATE CAP. II. ET III.

NEC pigebit me ſicubi hæſito quærere; nec pudebit ſicubi erro diſcere. Proindè quiſquis hæc legit, vbi pariter certus eſt, pergat mecum; vbi pariter hæſitat, quærat mecum; vbi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me; vbi meum reuocet me.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO

MESSANENSI SENATVI.

D. Ioſeph Balſamo Baroni Cattafi. D. Ioſeph Staytl.
D. Thomæ Marquet. Thomæ Succarato.
D. Franciſco Reytano. Placido Giona.

P. MELCHIOR INCHOFER
E SOCIETATE IESV. D. D.

QVOD Vobis dico (Senatus Illuſtriſsimè) opus nouum eſt, ſed vetus argumentum: Epiſtola Deiparæ Virginis, ſed vindicata: breuis ſententia, ſed multiplex Sacramentum. Hic in digito Virginis, virtus eſt Dei, mens in charactere, decretum in exemplo: quot verba, tot myſteria: quicquid Fides habet, ſummatim dictum. Nec mirum; Mater Dei eſt, quæ ſcripſit;

Digitized by Google

Magiſtra Eccleſiæ, quæ concepit: Spiritus Sanctus, qui dictauit; & qui fœtum in vtero quondam, ille ſententiam in mente formauit: quæuè DEI genitum in carne ſemel tulit, in ſpiritu, & litera ſecundò dedit; bis Mater ſui Nati, ſed ſemel in vtero mentis, hoc eſt in Epiſtola vobis ſcripta. Magna ſanè dignitas, & qui titulos Orbis humi affligat, Meſſanenſes eſſe, quos MATER DEI ſcripto, Matre Deus dignatus eſt. Quid hoc elogio ſacratius, EPISTOLA BEATAE MARIAE VIRGINIS AD MESSANENSES DATA? quid Cœlo ſplendidius? hoc coronat honóres, hoc apicem gloriæ figit, hoc quicquid adoreæ mundus habet, vobis donat. Habet annulum MARIAE pronubum Achæia Perufia; habent aliæ Ciuitates Velum, Vittam, Zonam, Veſtes, Lac, Capillos: Habet Vrbs veſtra ſigillaritiam fidei Epiſtolam, Virginei vinculum animi, gratiarum Sacramentum. Quin fructus palmæ, receſſuræ ex humanis Mariæ Cœlo miſſę, magno vobis myſterio venit, vt palmarij eſſetis, vinceretis: quid ni? theſaurus hic eſt è ſinu diuinitatis euolutus, mens MARIAE, Sanctitatis Idea ſcripto ſignata, ſalutis apprecatio ſuper Apoſtolorum, ac Patriarcharum benedictiones gratia fæta; neque ſolùm, ſed in ſūmario

Fidei

Digitized by Google

Fidei præceptio morum, Religionis atteſtatio, Veritatis agnitæ commendatio, veſtræ incunabula felicitatis: Quid plura? Magnæ Matris Inſigne, Cœleſtis arrha concordiæ, fœderis indiſtricti ſignaculum eſt EPISTOLA VIRGINIS, quam ſacramus, ad teſſeram veſtram accenſemus, recolimus. Itaque non doni exilitas, ſed ingenij exiguitas intra aleam cadat, niſi quæ animum dedit, ipſa Dei Mater eximat, auctum donet. Amanuenſes ſumus, & quæ manibus ipſa ſuis, ex manibus omnia deſcribentis excepta, vobis miſit, hic iterum deſcribimus, memoriæ damus. Commentarij ſumus, & ex ſacro folio mentem in literam digerimus; ipſa, quæ archetypum dedit, argumentum explicauit, calamum fæcundauit; ipſa, quæ domitrix hæreſum eſt, errantes quoque intra ſepta presſit opiniones: nos modò ſecundis (vt aiunt) prælijs decertamus, ſecundam vindicamus: Et iam VERITAS VINDICATA in Clypeo ſedet: Vos quibus dicatum accidit opus, vexillationem adiungite, Vindicijs regnum date. Si peregrinæ ſunt, mancipio MARIAE parent; hoc iuris ipſa fecit, quæ Meſſanam haud ſemel ab exteris vindicauit, vt exterorum pennas gloriæ veſtræ faceret vectigales. Virginis honos ſi ſcribenti anſam dedit, veritatis amor

ſtylum

Digitized by Google

ſtylum, religio ſenſum attemperauit, veſtris nominibus merita ſuper gradum, tabulam quod dicitur, & achilleum decreuerunt. Nuper, vt literas ordinaretis, noſtrum Ordinem exornaſtis; ſed habet hoc Martem alium ac Mineruam, & ſi tùm dictæ à nobis laudes in Spongiam offendiſſent: Nunc ſacrandi operis (ſi quæ alia) ratio princeps; ad quos MARIA VIRGO primigeniam dedit Epiſtolam, illis deberi vindicatam. Valete.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

LECTOR, *ſi te in veſtibulo moror, æqui boniq́; conſule: reddenda mihi mei ratio ſcripti eſt, vt tu noris quid ſentire debeas, & hoc melior euadere. Non me ad ſcribendum fama, maleſidum honoris vehiculum, ſed amor Deiparæ Virginis impulit; vt hinc animi mei bono cauerem, illinc alieni liuorem non timerem; & habent, qui ſcribunt, vt libris ſuis ſepulcra ſibi condant, ne non vixiſſe noſcantur, vocabula imponant. Sed hæc etiam inanis vanitas, in folijs perituris ſplendere nomen, quod fortaſſe liber vitæ diſpunxerit. Scribentium ac diuitum opes æqualem habent aleam, vtriſq́; etiam ſepultis, ſuæ ſunt inſidiæ, ſed has, manus duntaxat prædatrices, illas lingua lacerat ac calamus, hoc peiori conditione, quòd ſemper impunè. Eſt nihilominus ingens ſcribendi cupiditas, multis quidem vt veritati, non paucis vt nomini lucem immittant; interdum trahit & ſtudium placendi, certaturq́; ingenijs vel ex alamuſca, nec tàm virtus ad famam, quàm inuidia dirigitur ad calumniam; & amant indocti laceſſere doctos, quò vel non parum auſi iactentur à vulgo, vel eruditione preſſi, notiores magis quàm nobiliores euadant, ignominiam ad honorem traducentes. Eſt & delectus in argumentis; nam quæ Mineruam ſapiunt, multaq́; lucerna vigilantur, paucis arrident; quæ pia, quæ ſancta, pleriſq́; ſterilia, nec ad venerem animi faciunt: quæ recondita, curioſa; tametſi inſana, quæuè noxium agunt quæſtum, gratiam habent, ac præceptam neceſſitatem: quæ deniq́; de regimine formando verſantur quæſtiones, etſi ius faſq́; permiſcent, calliditatem religione ceù ſeſamo reſpergunt, hæc pleriſq́; probantur, hæc Principibus ſcribuntur, & velut ex tripode ſententiam dicunt impotentes homelli, ſine conſtantibus morum inſtitutis. Nihil horum ex noſtro prolicitur argumento. Religioni patrocinamur, pietatem tuemur, exquiſitis ad Veritatem ſemitis incedimus. Amor, vt dicebam, Virginis, ad ſcribendum impulit, haud vnus tamen ſtimulus incitauit, amicorum hortatus manum penè ad anſam reuinxit; tametſi quòd rebus Siculis peregrini ferè calami pridem inſueuiſſent, hanc ipſe mihi Prouinciam, præſcriptionis iure poteram arrogare, niſi tàm excellens argumentum, meliorum eruditio fortè redemiſſet. Verùm ad noſtras fores cæca fortuna reſedit, ab oculatis crede monita, ne fors impingeret. Itaq́; cùm oblatam ab amicis Anonymi cuiuſdam legiſſem diſceptationem, qua neſcio quid altum iſte ſapiens, vbiq́; extra ſepta obſcurè offendebat; hoc vno clarus, quòd Meſſanenſium ex hac Epiſtola religionem, ac dignitatem contenderet eleuandam, ceterà ne decemuiris quidem fatalium librorum explicabilis: ſubridere mecum ipſe cæpi, miratus (vt videbatur) Andabatam, qui ſine lege cæcis ictibus depugnans, ſuo non ſemel capiti, nemine qui hoſtis eſſet percutiente, vulnus inflixiſſet. Ac tùm pauca, temporis gratia, ſubintuli potius quàm attuli, quæ, cùm aſtantibus viſa fuiſſent decretoriè dicta, rationes ſcriptas flagitarunt, quibus ipſi cum otio neruum facturi eſſent. Exindè Georgius Gualtherius, rebus Panormi luſtrandis, vt ſcriberet, intentus, vbi & hanc Virginalem Epiſtolam in monumenta dirigere conſtituiſſet, ſententiam per literas amicè petiuit. Reſpondi quod in calamum extemporaneum inciderat; id ille in ſuis tabulis extare voluit, vt inde ius euoluendi latius & ad lucernam, quæ vix meditata prorepſerant, vel nolenti mihi irrogaret. Itaq́; diſquiſitis per omnem ferè Europam eruditorum ſcrinijs, ſi quid ad hanc rem afferri poſſet, capita quædam mente præceperam, quæ vbi cetera veniſſent, ad vmbram & otium*

in librum explicaturus eram. Sed ignoramus quid craſtina ferat dies, & non momenta-
neas cogitationes, momentum ſæpè vertit. Ex tempore quippè ad Theologiam docendam
euocatus, ſtamen abrupi, fila diſieci, alijs ſi vellent, in glomum regerenda. Quæ res, cùm
nonnulli patrio mentem fecißet ac occaſionem, omni Marte, & arte contendit, vt ſibi no-
men, patriæ voluptatem ex argumento cumulares. Et feciſſet, quemadmodum cæperat,
expectationi ſatis. At pleriſq; viſum, plus ad veritatis habitum conferre, quàm patrios,
exteros colores, quòd in illis ſemper affectus lenocinetur, in his, ſi interdum eſt fucus, ani-
morum veneficia ſemper abſunt, nec tàm hominibus quàm rebus ipſis gloria conquiritur.
Ergo non vna vice, primumq; ab amicis, deindè qui noſſent, mox à nobilioribus accenſis,
deniq; à Senatoribus ipſis in vota impellor; nec quicquam cauſatus eliſum à Theologica mole-
ſtia ſcribendi conatum, prorſus abiectam cogitationem, ſuis animum ac diem frangi labori-
bus, anguſta menſium ſpatia, quibus nedum parturire, ſed neq; liceret operis fœtum con-
cipere, quem breui partum vellent: eſſe deniq; non neminem eundemq; gentilem ac Ciuem,
qui lineas pridem indeptas egregiè produxiſſet, fraudem huic fore, ſi nominis impos ac vo-
ti, ſub extremo propemodum curſu, velut Salius apud Maronem impeditus cadat. Sed
nihilò plus obtinui, quàm vt poteſtate per ipſos Romæ facta, prælo ſubijcerem quæ nondum
chartis intuleram. Itaq; tumultuarijs ferè conatibus, horas ex horis ſuccidens, noua omnia
molior, hoc ſolùm diues, quòd quæ ſcribenda non eſſent, didiciſſem; multum quippè inte-
reſt, ſibi, an alijs ſcribere, domeſticum genium, an peregrinum vereri ingenium, ſuo de-
mum animo magis, an alienis placere oculis. Nihil tamen ſum moratus: Et iam à tabu-
la ad prælum folia ſata ibant, redibant, nec ſtatis momentis ſeciſiuæ morulæ carpebantur;
hoc ſolùm ordine, quòd nullus eſſet ordo, ſed prout accidebat, in ſingulas penè horas interpun-
ctis ſtudijs, ea cura duntaxat calamum ac manum, dimidium animi mancipabat: quando
nec opinantem exaucta moleſtia diſſipauit magis, vt qui Theologus eram, ad Mathematica
quoq; radium deſtringerer. Fecere id tranſcripti ad Vniuerſitatem noui literarum honores,
& quæ decreta triennio ante, ſed Theologico labore præpedita fuerat Mathematicæ Pro-
uincia, eadem ex alea, nec caſſis impedimentis grauior inſedit, quaſi quòd Theologus, hoc
melior Mathematicus, quemadmodum Græcus ille, quòd Philoſophus, hoc eques. Ac re-
ferebat identidem cogitanti, Maurolyci ſuo tempore Matheſeos anteſignani, cui longo
poſt interuallo primus ſucceſſeram, famam & honorem, Meſſanæq; decus, in tenuitate mea
periclitari: feci tamen quod in abrupta cytharæ Locrenſis Eunomi chorda, ſole incaleſcens
cicada. Nec tamen iccircò remiſſio data calamo; quin aſtricta mage manus, id flagitan-
te Senatus honore, qui cùm annuus eſſet, antequam vltima ſignaret, Senatorijs nomini-
bus librum inſignitum eſſe oportebat. Annuus itaq; fuit & noſter fœtus, vt hoc noris, qui
arbitraris, & continua velut quadam vigilia Senatoria creuit, atq; adeò quod illis fuit
denaſci, hoc operi noſtro naſci, lucemq; haurire, non alia obſtetricante manu, quàm quæ tot
partubus erugandis innexa eſſet. Id ſi ad animum ducas, ſenſate Lector, illud Tullij non
inficetum de Quinto fratre dictum, Frater meus dimidius maior eſt toto, de me iure ita
vſurparis, vt dimidium animi, eiuſdemq; dimidij, Deo ac Deipara fauente, maius toto
animo fuiſſe putaueris. Atq; hæc eatenus à me dicta velim intelligas, vt non dubium ipſe
mea mente præcipiam arbitrium, nec poſt tabellam, quò aliorum delectet venari ſen-
tentias, amem deliteſcere. Iam modus in ſcribendo præcipuùm arriſit ille, qui ab Eccle-
ſiaſtico non penitus abluderet; interdum ſi forenſe dicendi genus, quia diſceptandum erat,
aſciſcendum fuit, non id ſine clarorum exemplo factum. Stylus temperatus Theologum de-
cuit, quamuis nec Tullianam orationem, ſicubi res & ingenium tuliſſet, faſtidire animus
fuit; affectare tamen ſicut inopia non permiſit, ita neq; adlibuit. Scilicet enatis in area
domeſtica temerè ſedis quibuſdam incedere ſatius fuit, quàm peregrinis è topiarijs inco-

gnitos

gnitos aggerere flores: Patrum ſententias, auctorumq; phraſes, ita noſtris interdum innexuimus, vt eorum ore loqui vellemus: hinc diuerſitas orationis, quæ ſicubi nonnunquam exundat potius quàm luxuriat, excurrentis in abundanti argumento calami calor fuit; curſus tamen intra gyrum; & memini Entellum apud Maronem repoſita pridem arte, ad pugnam incaluiſſe. Si quid noui afferimus, non Africæ magis, quod prouerbium habet, quam Aſiæ debemus: & ſcito nihil ſub Sole nouum, ſi canitiem veritatis attendamus. Vbiq; res cum rebus, rationes cum rationibus, coniecturas cum coniecturis committimus, interdum verò permixtis inter ſe omnibus, haud tritis ſemitis ad principium & caput rerum, ad ſedem Veri concedimus. In putandis, vbi opus, annis, Sieulum morem aduertimus; hæ namq; Timantis lineæ, quas ſi Anonymi perpendiſſent, in tenebris haud vmbraſſent. In diſpoſitione rerum non vno loco tempori fauimus an ſeruiuimus; multa quippe tardius (vt teſtatur Appendix) ad manus acciderunt, quàm ratio argumenti poſtulaſſet: hinc nonnullæ digreſſiones & ſi non importunæ, vel coactè inſidentes, imò etiam ſuis locis neceſſariæ, quæ tamen interdum inducias ſimulare videantur magis, quàm inſtitutum ad lineam agere, quoad tandem ex ijs, velut è collectaneis aquis, impetu proruant argumenta, remque in ſuo vallo conſtitutam magis emuniant. Id verò ſemper ob oculos animumque fuit, vt in excurſu narrationis, nunquam non aliquid etiam è foro laudum mercaremur, quod dirigendæ, exornandæque menti peraptè conueniret, idquè non ita longè accerſitum, quin è re nata proficiſci videretur. Hæreticos vbique laceſſere ſi animus fuit, occaſio præ inſtituto rara ſuffecit, interdum tamen, ita ipſi inſuauiter inciderunt, vt in vnguenta muſcæ ſolent; illicò ſed immortentes eiecimus, haud vni ſemiuiuo, ne volare poſſet, alas infregimus; ſemel iterumque teſtem aliquem ad profana produximus, illud Auguſtini cogitantes, licere nobis interdum & his baculis vti. Ceterà cum ijs, quos diſceptatores habuimus, viris quidem eruditis ac fama ſuper æthera notis, ſi non doctrina, certè veritatis amore pares eſſe ſtuduimus, eaque cum moderatione dicta ſenſaque eorum tractauimus, vt eblandiri potius ab illis veritatem, quàm illos de falſitate conuincere voluiſſe videremur. Quòd verò ſpectat ad Anonymos, ipſi ſecum præceperint opinor, qua mente, qua arte & æſtu pugnæ ſe crediderint, vt ſi poſſent, immoderatione quadam extra lineam laceſſerent, à ſcrupulis ad ſaxa quod dicitur prouocarent: At quemadmodum in arena veſtigia; ſic nos in re ipſa, non in dictis animum defiximus, affectui nihil, omnia rationi concedentes: interdum ſi paria reddidimus haud tamen adeò demenſa, quin minores eſſemus; & fuit hoc arenam velut excutere, non luto ſordidare. Neminem certè ex ijs de vultu diſcreuimus. ſed nec alia quàm libellorum fama volitare accepimus, preſſis vel verſis (vt ſolet) timore an odio lucis nominibus, quòd præſertim ſi vnum alterumque excipias, plerique obſcuro quodam affectu medicata verba profunderent: ea quidem, niſi quòd interdum velut mutientes oblinere cardines oporteret, extra inſtitutum & inſuper habuimus, contempſimus. Iam in auctoribus adducendis, ita numerum ſpectauimus, vt genere potiſſimùm valeremus. Aliqui ex ijs ſi nondum denati, famam hinc accipiunt; vixiſſe tamen aliquando cum laude, poſteris credendi ſunt; ex illis ſanè plerique ſuis alis, non noſtra penna volant; dum noſtris hiſce tenuibus inſidunt folijs, id præſtare videntur, quod Troiano Duci per lucos & opaca viarum, maternæ aues.

Atque hæc ferè ſunt quibus te primùm remorari viſum eſt, ambigue Lector: ne ipſe vltrò mentem occupaueris, illud ſcito; nihil eſſe in toto hoc opere quamuis precio præcocią;, quod inoffenſo pede nequeas decurrere, ſi tamen æquo tecum animo putes, imitatione pleraq; facta meliorum, & exemplo nec arbitrium quærere, ſed lectionem & aſſenſum. Omnis demum varietas rerum, & ſi qui eſt, dubius ornatus,

eò ten-

Digitized by Google

eò tendit, vt quemadmodum ille ex lectiſſimis olim, vniuerſa Græcia formis, elegantiſſimam feminarum penicillo ſtuduit exhibere: ita Magnam Dei Matrem, omni pulchritudine pulchriorem, nos etiam vtcunq; conaremur adumbrare, Vale, & quæ hic deſiderantur, vt æquo de nobis animo ſentire velis, apud Petrarcham in prima Epiſtolarum, diligenter lege.

SYL.

SYLLEPTICVM TOTIVS OPERIS ARGVMENTVM.

NE lectorem velut in ſyluam errabundum immittam, quibus veſtigijs in hoc opere incedat, vt ad capita rerum perueniat, in veſtibulo doceo; ſimulq́; ne grauatum curis animum longiori lectione morer, totius operis argumentum edo, multiſq́; ſed neceſſarijs rationibus effluentem diſputationem in alueum reſtringo, erit enim ſicut reducto ſipario ſpectatorum oculis ſcena longè gratior, ita legentium animis, præcepta rerum, quæ tractantur cognitione lectio iucundior.

RECEPTO igitur in ſublime Chriſto, cùm Apoſtoli prouincias ſortitò peragrarent, Deiparæ Virginis famam iam ante varijs occaſionibus propagatam, prædicando nobiliorem fecerunt. CAP. I.
Ad eam viſendam cùm plures Occidentales, præſertim Hiſpani, cõfluerent, Meſſanenſes tamen primi legationem decreuerunt. Eius legationis anſa Paulus Apoſtolus, qui Romam iturus, Rhegyo Meſſanam inuitatus acceſſit, habitaq́; ad populum Meſſanenſem concione, Ciuium animos in amorem Chriſti & Virginis, magis incendit. Paulus in ea concione, ſicut olim apud Athenienſes ex Ara Ignoti Dei, ita apud Meſſanenſes, ex oraculo Sibyllæ Cumanæ, quæ & Sicula, ſumens argumentum, multa de Chriſto & Virgine admiranda, tametſi antea Meſſanenſibus viſa vel audita, ſuadet ac confirmat magis, ſed de Virgine præcipuè plurima rogantes docet

cet ; & eloquentiæ gratia præter rerum in Oriente geſtarum famam, auctoritatem ſibi, ac dignitatem conciliat.

CAP. II. CETERVM quia nonnullorum animis inſedit, Apoſtolos extra inſtitutum habuiſſe publicè de Virgine verba facere, quòd in illis initijs cauſam Crucifixi referebat agere, non prædicatione à Virginis, viam in Orbem Euãgelio munire: multis Apoſtolorum dictis & factis contrarium probatur, maximè verò à Templis & Aris viuenti adhuc inter mortales Virgini poſitis adſtruitur, idq; Paulo de more fuiſſe, nedum rogatum apud Meſſanenſes vt de Virgine diceret, ex animo præſtitiſſe; quo minus verò Templum vel Aram apud eoſdem Virgini erigeret, inter alia Neronis perſecutionem obſtitiſſe. In tanta verò Epiſtolarum abundantia, quòd ſemel tantum Virginis meminerit Paulus, idq; non alia quàm Mulieris appellatione, præcipui honoris fuiſſe, Patrum auctoritas, & exemplum Chriſti clarè oſtendunt.

CAP. III. ILLVD etiã exploratum eſt, vbicunq; de Deo homine ſermonem intulerũt Apoſtoli, neceſſariã quoq; fuiſſe de Virgine Matre prædicationẽ. Quamquã enim nihil magis eſſet diuulgatũ, vel apud Hebræos ex Prophetis, vel etiã apud Gentes ex Sibyllarum oraculis: nihil tamen ægriùs credebatur apud omnes, quã Virginẽ pariturã, imò cùm prorſus impoſſibile videretur, prouerbio locũ dedit, hoc vel illud futurũ. Quando Virgo pariet, nunquã ſcilicet. Id cauſæ fuit cur pleriq; Apoſtoli, eorumq; diſcipuli prædicandæ Virginitati Mariæ, magno pectore nauarent, & cũ reſurrectio mortuorũ difficilẽ haberet aſſenſum, quã tamẽ Plato aſſeruerat, itemq; nouiſſimi dies iudicij quam pauci ex Philoſophis acceperant, deniq; plura faciliora, quæ naturæ principijs haud licet pugnarent, minimè credebantur, certè Virginitatis in matre aſſertio longè ab humano intellectu ſeiuncta, maiorem figebat lapidem, quàm vt facile moueri poſſet.

NEQVE id mirum in Gentibus, ſi etiam multis Chriſtianorum auerſa fides peruicaciam fecit, vt à Iuliano ac Iouiniano plures qui deſcenderunt, ad hæc ferè tempora pullulent rami peſtilentes, & necdum ſopita ſit, quæ de Virginitate Mariæ diſceptatio Hieronymi ſeculum agitare cœpit. Id tamen laudi Meſſanenſibus vertitur, quòd cùm naturæ quodammodo vultu, ac manibus facti ſint ad res nouas, ſi pietatem ſapiant arripiendas, ad eam de Virginitate Mariæ prædicationem, facilem animum habuerint; quid ni ſi hanc

hanc ipſi materiam, primi Paulo propinarint, vt vel hoc propter Deiparæ protectionem ſint emeriti.

PORRO duas conciones habuit Paulus ad Meſſanenſes, alteram de Paſſione Saluatoris, de Incarnatione eiuſdem, vnaq; de Virginitate Mariæ alteram: ac ferè is communis ſtilus erat vbiq; prædicationis Apoſtolicæ, quamuis diuerſo fine & ſtilo apud diuerſos, Iudæos quidem, vt ex Scripturis ad veritatem cognoſcendam arctarentur; Gentes verò humana ſapientia turgidas, vt ex propria poſitione, quæ admiranda dicebantur, ſua, niſi deſiperent Philoſophia captiuas duceret, ne quippiam in naturam peccaſſe viderentur. Itaq; ſicut Scripturæ Iudæis, magis, & minus illuminatis, aut etiam accepto lumine obſtinatis tractandæ erant eatenus, quoad omnia de Chriſto, ac Virgine prædicta, ſuis velut lineis in punctum caderent, reddendæq; rationes ſingulorum, quæ in Prophetis, vel diuerſitatem obtendere crederentur, vel in demiſſa Chriſti humilitate in carne, Dei gloriam crederentur offendere: ita è diuerſo Gentibus euoluenda erant vel Sibyllarum oracula, vel Philoſophorum inſtituta, quæ niſi naturæ contradicerent ijs, quæ de Chriſto, ac Virgine ferebantur, obſtreticante conditoris potentia non pugnarent.

SED etiam fama Chriſti tot miraculis non in plebe ſolùm, verùm apud ſummates Orbis nobilitata, præcipuum fuit argumentum Apoſtolis, quo Deum & hominem apud ratione præditos oſtenderent, præſtigiarum calumnias ab eo longè dimouerent. Ac demum Gentiles Viri de ortu Stellæ ex Iacob ſcitum, longè pridem enuntiatum, quæ deindè nato in terris Deo, Magis, & Orbi fulſit plurimum valuit apud illos, qui ignoratis rerum cauſis, ad nouum id ſigni myſterium verti, hoc eſt ad Dei hominis in mundum aduentum facile ſuſpicerent; vt exinde concepta de Dei potentia ſententia, quæ de Virginitate Matris Dei dicerentur locum inuenirent. Ac talis quidem fuit Pauli apud Meſſanenſes, vniuerſim prædicatio de Chriſto, & Maria, tametſi ob indolem Gentis non tanta fuerit ſudata contentione, ſi præſertim Petri dudum ante viſi labore, verſatos ad Euangelij, ſementem animos habuerint.

HACTENVS verò acceptum duntaxat Paulum Meſſanæ fuiſſe, deinceps tamen Scripturę, Patrumq; auctoritate oſtenditur in Sicilia primùm fuiſſe, tùm traditioni conceditur, & Meſſanam accerſitum aduenisse, illo ſcilicet tempore, quo Syracuſis digreſſus ac Inſulam circumlegens Rhegyum deuenit, ſed hoc prima vice, CAP. X.

nam poſt Romana vincula reuerſum Meſſanam, rerum Euangelij commodius ſategiſſe ſuo loco ſtatuitur. Argumentum ſilentio Lucæ quàm parum aduerſus hæc caſtra militet, non vno exemplo, ſed etiam inſtituto ſcribentis oſtenditur. Alterum verò quod pleriſq; perplexam reddebat traditionis fidem; qui ſcilicet fieri potuerit biduo Meſſanenſibus prædicaſſe Paulum, & nihilominus poſt vnum diem, à quo Rhegyum venit flante Auſtro inde ſoluiſſe, & ſecunda die deueniſſe Puteolos, eatenus niſi fallimur, explicato ſcripturę ſenſu, multiſq; rationibus in medium adductis eliditur, vt dubitandi vel diſceptandi locum niſi proteruo non relinquat.

SED neq; immotum manet aliorum impedimentum, quaſi diſtrictum Neronis decretum ſicut cęteros locis interdicebat Chriſtianos, ita Paulum Meſſana longè arcuerit, nedum prædicantem tolerauerit. At demum annus quo Meſſanam venit Paulus per exploratos ritè calculos deducitur fuiſſe quinquageſimus à Chriſto nato, nonu, dieſq; propemodum menſis notatur, qui Meſſanenſibus illo aduentu ſacer fuit.

Atq; hæc ſecundùm communem ex hiſtorica relatione traditionem, ita cenſeri debent vera, vt tamen nihil vetet circumlegentem Paulum inter Meſſanam, ac Taurominium, decimo circiter Meſſana lapide, feciſſe exſcenſionem, habitaq; vacatione propius ad Vrbem acceſſiſſe, penetraſſe. Exſcenſionis locum hodie ſignat oratorium Paulo ſacrum, verùm Meſſanam inde acceſſiſſe aliorum poſitionibus & coniecturis conceditur.

CAP. VI.

VT verò ſemel argumento ducto à ſilentio Lucæ ſilentium imponatur, quam plurima referuntur ab ipſo prætereita, ſiuè geſta Petri, ſiuè Pauli, idq; multorum auctoritatibus euincitur: vt de miraculis in hoc genere inſolentibus, quæ afferuntur, hic nihil dicamus. Sed etiam Paulum Epheſi ad beſtias damnatum, licet quibuſdam haud arrideat, explicatis vndiq; rationibus oſtenditur; & argumenta, quæ hactenus pugnantia difficultatem præferebant, diſſoluuntur.

CAP. VII.

ARGVMENTVM Hieronymi, periodos Theclæ & Pauli, nec non baptizati Leonis fabulam ex eo damnantis, quòd indiuiduus Pauli comes Lucas in acta non retulerit; quaſi proinde quicquid Lucæ non ſignat auctoritas, Hieronymo planè ſit improbum, atq; etiam Gelaſio, qui mentem Hieronymi ſua ſacrat ſentētia

con-

contrarium:ita noſtram non offendit aſſertionem,vt ab vtroq; ſuam habeat commendationem.Hieronymus ſanè, eam inter commenta recenſet Theclæ hiſtoriam, quam Hæreticorum mendacia temerarunt,non quæ puritatem ſeruauit mendis illibatam. Quæ deinde ſit mens Gelaſij circa notas apocryphorum, latè explicatur, quàmnè ille noſtræ de Deiparæ Virginis Epiſtola Traditionis ſit patronus,cùm ex Alphonſo Villega,tùm aliundè multis deducitur.

CETERVM poſt Romana vincula Paulum Meſſanenſibus redditum,altiores Euangelio fixiſſe radices, exquiſitis rationibus oſtendimus. Neq; tamen inde voto caruit expetita in Hiſpanias profectio,ſed duntaxat dilata,quamquam ſi non longam oportuit eſſe apud Hiſpanos commorationem,etiam à vinculis adire potuerit Paulus,& nihilominus anno inſequenti,hoc eſt ſexageſimo ſecundo,commodùm in Siciliam,adeoque rurſum Meſſanam traijcere. Omnino tamen dilatam ad annos fuiſſe eius itineris curam,plura ſuadent & firmiora,quàm vt facile infirmari queant. Nouiſſima illa verba,quibus Apoſtolus Mileti allocutus eſt Epheſios (Amplius non videbit is faciem meam) ſi Mileſijs aut etiam Epheſijs, reliquo Orienti Paulum reducem non eximunt, ſacrumq; ſtabit Apoſtoli dictum,tametſi Deo aliter diſponente impedimentum intercedat. CAP. VIII.

CAVSA eius profectionis ad Hiſpanos prorogatæ, inter alias quæ vero ſimilem habent coniecturam propè certa eſt, imminens Deiparæ coronarum primus, vitæ mortalis vltimus dies. Par quippe erat Paulum cum ceteris, qui ſupereſſent Apoſtolis honeſtando funeri intereſſe. Sublimes per aera deuectos Apoſtolos, quæ Melitonis dicitur ſententia, ſi probabilem, non neceſſariam habet fidem. At enim ſi Romanis vinculis poſt biennium ſolutus Paulus Meſſanam reuertit, id non ante ſexageſimum primum Chriſti annum,factum oportet. Inde verò Hieroſolymam cum Viris Meſſana miſſis concedentem,vel ſexageſimo primo exeunte, vel ſecundo, currente,ad conſpectum Virginis veniſſe, Meſſanenſes commendaſſe,epiſtola ab eadem accepta,ceteriſq; peractis remiſiſſe ratum erit.

HINC grauis illa, quæ plures exercuit,emergit diſceptatio,quo tempore Deipara Virgo migrarit in cælū. Nobis cōſecutione certa ex hactenus dictis ſedet,ſexageſimo ſecūdo anno, poſtremū vixiſſe inter mortales. Idque ita certò ſtatuimus, vt verſis vel explicatis aliorum ſententijs, & exquiſitis ex Scriptura & CAP. IX.

vndecunque argumentis, dubitationi omni viam præcludamus.

CAP. X EX prædicta poſitione cùm certa conſecutione teneatur Deiparam Virginem, ad ſeptuageſimum ſextum ætatis annum inter homines prouixiſſe, innumeris eliſis in contrarium argumentis id firmamus, multaq; de Dionyſio Areopagita controuerſa enodamus, obſcura, in luce reponimus.

CAP. XI. QVIN etiam Petrum ſæpius Roma abfuiſſe, nec morienti ſolùm B. Virgini cum Paulo ceteriſq; Apoſtolis, ſed præterea cum eodem Dionyſio viuenti aliquando adfuiſſe, profligatis Veleni calumnijs oſtendimus.

CAP. XII. PRAETEREA B. Virginem Concilio Legali ſuperuixiſſe, contra multorum incautè receptam opinionem, nec in anno ætatis climacterico ſexageſimo tertio vita conceſſiſſe, multis euincimus, vim climactericam comparatione cum ceteris annis, & qui potiſſimum dicitur Heroicus adhibita, euertimus. In recitanda Deiparæ, quæ tribus, ac ſexaginta granis texitur corona, non vt vulgus putat, ætatis Virgineæ ſignari annos, ſed longè aliud myſterium docemus, ſeptuageſimum verò ſextum annum in Scripturis ante præſignatum, ſuo non carere myſterio comprobamus.

CAP. XIII. DENIQ; inter alia, quæ noſtram morari videbantur ſententiam, Mariam Magdalenam ante obitũ B. Virginis Hieroſolymis, ipſaq; Iudæa cõceſſiſſe: ex vltimo præterea Dionyſij ad Virginẽ aduentu, rectè hactenus aſſertam eiuſdẽ ætatem oſtendimus; inanem multorum interpretationem de Dionyſij dictis, circa contuendum corpus, quod auctorem vitæ, Deumq; receperat, euertimus, Sed etiam reuelationem illam, ſecundùm quam Paulus ad Galatas ſecũdo, Hieroſolymam ſe aſcendiſſe fatetur, non rectè ad ſignificatam Virginis migrationem verti, aduertimus.

CAP. XIV. HIS conſtitutis vt ad lineam res ducatur, quo tempore Deipara Virgo Sacram ad Meſſanenſes exararit Epiſtolam oſtendimus. De anno dubium non eſt, ſexageſimum ſecundum certius eſſe quàm primum. Dies qui Meſſanenſibus ſolennis eſt Tertio nonas Iunij, non datam, ſed receptam colit Epiſtolam, idq; non ex fide characterum ſubfixorum, ſed ex Traditione, ad quam, qui notas

illas

illas temporum ſubſignauit conatus eſt alludere.

Paucis ab exarata Epiſtola menſibus aut etiam diebus Virgo in cælum conceſſit,hoc velut codicillo Meſſanenſibus benedictionum ac gratiarum hæredibus inſtitutis. Ab ea memoria Templum Diuæ Aſſumptæ Meſſanæ dicatum, Sanctæ Mariæ nomen tulit, deinde poſt tempora Cathedralem ſedem,vt ſplendidior eſſet admiſit. In eâ ſacellum ex nuncupatione Epiſtolæ, vulgò Litterium, Deiparæ item Sacrum,poſt longam vetuſtatis religionem,hoc anno, ipſo die ſolennijs Epiſtolæ dato,lapidem nouum accepit,quo poſteris,maiorum in colenda Virgine cum eximia operis ſtructura ſanctitatem tranſmitteret.

Eandem religionem, inducto quotannis benedicentis Virginis ſimulacro per Vrbem,in Aſſumptæ peruigilio, vulgus ſacram habet. Sed quod maximè commendandum, conſuetudinem celebrandi eiuſce feſti antiquiſſimam fuiſſe Meſſanenſibus,& fortaſſe primùm apud ipſos quàm alibi cæpiſſe,ex ea Virginis ob exaratam Epiſtolam paulùm ſuperſtitis memoria,nemo temerè crediderit.

Poſt funeratam Virginem, Apoſtolos,ſi ante etiam,iterum in prouincias receſſiſſe dubitari non poteſt, ac tum demum, Paulum Hiſpanias diu voto expetitas adiuiſſe,multis conficitur, & argumenta quæ aduerſum militant,vel eliduntur,vel explicantur.

AFFERTVR tandem exemplum Epiſtolæ Deiparæ ad Meſſanenſes,ſecundùm vulgatam Traditionem,ponuntur variæ lectiones,vt nihil lateat quod vel mendum, vel myſterium præ ſe ferat. Verſio, ex Græco Conſtantini Laſcaris eſt, cui alteram ex Franciſco Biuario,ſubiungimus,ex epiſtola Hiſpanis loquente redditam. Teſtatur ille exemplar Hiſpanum in Bibliotheca Cænobij Deſpinæ ſe reperiſſe, quàm antiquùm,non explicat: ſed ex quibuſdam coniecturis perantiquum videri poteſt. CAP. XV.

PROPONVNTVR deindè argumenta, quæ vel eruditiores veritatis indagandæ gratia, vel ceteri calumniarum fabri quoquo tandem animo obuerterunt. Ex his aliqua iam pridem editis circumferuntur libris; aliqua ſcripta tantum, ſed cùm folijs paſſim volitantia, ad noſtras quoq; manus peruenerunt; copioſa ſane, vndecunq; inſtructa, ſed celatis nominibus auctorum, plures fuiſſe, & ſtylus,& modus arguendi,& diuerſa eruditio ſatis oſtendit. Singulis reſpõdemus,plurima tamẽ argumenta,ad pauciora capita re- CAP. XVI.

digi-

digimus. Ignoti cum ſint liberius deerrant, mordent acrius, verba iactant interdum nimis virulenta, leuiter, ſcurriliter. Ea nos recidimus, in rem intenti, non in verba, animum excuſamus: quòd ſi interdum in reſponſionibus aliqua à nobis quoq; dicta videntur acrius, in calumniam volumus eſſe contorta, non in animos hominum, quos de cetero ſi merentur religioſè cultos volumus.

Primum argumentum eſt Baronij, qui non adeò obſcurè hâc Deiparæ ad Meſſanenſes Epiſtolam, quòd auctoritate careat, inter apocrypha cenſet. Secundum Chriſtophori de Caſtro, qui erudite à temporum notis oppugnat. Et hi quidem in luce verſantur. Ex claſſe Anonymorum tertium accedit, à diſcrepantibus exemplis. Quartum à comparatione huius Epiſtolæ cum alijs, quæ vulgò datæ feruntur à Virgine. Quintum à Suffragio Sapientum, qui omnes Epiſtolas Mariæ Virginis nomine vulgatas, inter apocrypha cenſent. Sextum à ſilentio Lucæ. Septimum ab inſcriptione. Octauum à contrario quàm tempora moreſq; gentis ferrent ſcribendi inſtituto. Nonum à pugnantibus quæ Epiſtola continet. Decimum à credulitate Scriptorum, qui de illa tradiderunt. Vndecimum ab infirmitate Traditionis. Duodecimum à non neceſſaria Epiſtolæ ex Hebræa in Græcam conuerſione, Deniq; decimum tertium, à deſtructa Sedis Meſſanenſis dignitate, ſi vera ſit ea de Epiſtola Traditio, quæ eùm Paulum tardius acceſſiſſe ferat, quàm ceteræ Siculæ Vrbes fidem acceperint, primatu quoq; deijciat neceſſe eſt.

Hæc ferè capita. Sed plurima vel pro re nata, vel aliundè acceſſita intercedunt, quibus diſſoluendis, ſicut pleraq; illuſtrantur à multis obſcurè tradita; ſic religioni Epiſtolæ robur, ac firmamentum ſufficitur.

CAP. XVII.

AC in primis Baronio, Flauius Dexter opponitur, quem ſi ille toties deploratum vidiſſet, ad auctoritatem haud prouocaſſet. Opponitur & Petrus Caniſius ab eodem Baronio in Summis recenſitus. Sed neq; Conſtantinum Laſcarim, hauci hominem putaris, qui Procoro mortalium mendaciſſimo, in non paucis religionem Sanctam habuit. Ac demum Traditionem in partem duxerit, qui pro ea diuerſo licet argumēto, non ſemel depugnauit: nec rectè inter apocrypha, ceù fide minus digna cenſuerit Virginis Epiſtolam, qui interdum ex apocryphis ſat profligatis, hiſtoriæ ſuæ fidem ſuffecit. Quamquam ſi de apocryphis cum Gelaſio ſentiat, in noſtram ſententiam pedarius Senator eat.

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTOPHORVS de Caſtro, temporum notas vrget in Epiſtola ſubſignatas: Anno quadrageſimo CHRISTI ſecundo, nondum à Paulo ſuſcepta in Italiam Nauigatio. Nonæ & Indictiones Romanorum inuenta. Indictiones in Orbem intromiſſæ longè ſecundùm CHRISTVM, vel ſi ante, prima Indictio vitiat Epiſtolam. Sed nec Virginis inſtitutum fuit Scribendo nauare, idque exemplo Nati, qui ſcripto nihil poſt ſe reliquit. CAP. XVIII.

AD hoc argumentum haud pauci trepidarunt. Ioſephum Bonfilium ad ſtationem reuocamus; quoſdam alios à diuerticulis arcemus: operoſos aliorum conatus, qui Paulo rimam temporis, qua ex Oriente in Siciliam euadere, anno quadrageſimo ſecundo potuerit, diligenter inquirunt, extra inſtitutum habemus; plures denique Epiſtolam eam, contra vocem Traditionis, ante Pauli in Siciliam aduentum miſſam cogitantes, ad conſtantiam reducimus.

QVID igitur? vt eiuſcemodi characteres extra inſtitutum habeamus, pro veritate aſcititios reputamus, nec ab animo fingendi, ſed ab errore ſcribentium in exemplis propagatos: Diſputandi nihilominus gratia, quicquid aduerſum militat, vel eludimus, vel elidimus. Itaque ſi pro quadrageſimo ſecundo, ſexageſimo ſecundus reponatur annus, quo nobis ſedet eam eſſe exaratam Epiſtolam, cetera quo ad annum in vado ſunt: nihil ſanè in elementis Hebraicis procliuius quàm alterum pro altero figi.

QVOD attinet ad notas Nonarum & Indictionum: illæ quamuis à Romanis inuentæ, antiquiſſimæ ſunt, nec ab vſu Hebræorum pro illo tempore alienæ, proinde citra temeratos mores, à Virginæ adſcitæ oſtenduntur. De Indictionibus ipſe ſecum tranſigit Caſtro, ſi originem à Conſtantino remittat ad Auguſtum, & à tertio ante Chriſtum anno caput figat. Nos de Indictionibus aliorum opiniones, aut vertimus, aut conciliamus, nonnihil ab alijs prætermiſſum aduertimus; quæ conſiderata, expendimus; fallentes demum licet Indictionis annos, Epiſtolæ veritati vitium haud afferre oſtendimus. Atque hæc contra Caſtrum neruis non adeo contentis, ſuo namque loco ceteros Anonymos in hac ipſa arena ventilantes, decretorijs armis inceſſimus. CAP. XIX.

CAP. XX.

VLTERIVS tamen contra Caſtrum adſtruimus, non eſſe pugnans moribus Virginis, aliquid ſua vel aliena manu ſcripſiſſe, idq; tum exemplo Chriſti, tum auctoritate ſapientum, alijſq; rationibus exquiſitis demonſtramus, ac præſertim in ſcribenda ad Meſſanenſes Epiſtola B. Virginem, non exemplum modo nati, ſed Ideam prorſus, ac mentem expreſſiſſe, ex data ad Abagarum Epiſtola, multis euincimus, vnaque neceſſitatem quæ Virginem ad ſcribendum Meſſanenſibus, miſſis etiam alijs cauſis, inflexerit explicamus.

CAP. XXI.

SED etiam ad Ignatium, quæ vulgò fertur Virginis Epiſtola, quin genuina ſit, non niſi inconſultè negari adſtruimus. Ad Florentinos datam, laudamus, non improbamus, ciuium ingenijs vt tueantur, ac religioni vt venerentur remittimus. Ignatianam certè multis vndique & rationibus, & auctorum fide propugnamus, ac quod demum à Caſtro in momentum ducitur neceſſarium non fuiſſe ſcripto Deiparæ Virginis erudiri Eccleſiam, quia latam aperit ad grauiores & ſcrupoloſas diſceptationes viam, reſtrictè quidem ſi rei dignitatem, ſi inſtitutum ſpectes, cum robore conuellimus.

CAP. XXII.

EXPEDITIS Baronio, ac Caſtro Viris literarum, in pugnam ſuccedunt Anonymi. Primum argumentum in noxam vocat Epiſtolæ corruptores, inde fidem damnat. Inconſultè ſanè: Sed reſpondet oſcitantia eorum, qui præter crimen ex autographo digeſſerunt in literam. Hinc ſi grauetur veritas, multa in omni Scriptorum etiam Sacrorum genere, mutent religionem, neceſſe eſt, diſcrimen quippe eſt inter verſiones, difficultas inter ſenſa in ſpecie pugnantia, quid inde? ad limam ſanioris conſilij reuocanda omnia, prudenter & cum ratione intelligenda. Sed verò quid cauſæ ſit tot mendis ſcatere Virginis Epiſtolam, ſi nihil aliud, (plura tamen afferimus) vel ſufficit vnum ſcribentis errorem, nunquam ſine fætu in exemplis propagari: neque tamen inde veritatem affligi aduertimus.

CAP. XXIII.

IAM, quod huius Epiſtolæ facies alia ſit, quã illius ad Ignatiũ, & alterius ad Florẽtinos datæ, ridiculã ſanè vertit diſceptationẽ: quid enim ſi

ſi diuerſum argumentum? at ſtylus non idem: mirum ſanè, ſi diuerſa argumenta, diuerſam poſcunt elocutionem; quin ipſa verſio interdum diſcrimen facit, certè Hieronymi latinitas, & ſtylus Scripturam non ſapiet; ſed etiam Epiſtola ad Hebræos non erit Pauli, nec Lucæ Euangelium ſuum nouerit auctorem, quia ſtylo differt ab Actis Apoſtolorum. At non eadem diuiſio in hac, & illis Epiſtolis; admirabilis Rhetorica.

In Ignatij Epiſtola ſalutatio modeſtior, ad Florentinos nulla: hoc poſtremum falſum, ſi intelligas ingreſſum Florentinæ. Cur ſalutatio in Epiſtola Virginis minus temperata? forſitan quia titulis exaggerata? ergo redũdant Epiſtolæ Pauli, quarum ferè initia, multis verborum flexuris in commendando munere Apoſtolico circumſcribuntur. Ceterùm pro re nata reſtrictè fuiſſe ſcribendum Ignatio, explicatis verò de Virgine titulis ad Meſſanenſes, pluribus oſtendimus.

SED neq; in eo ſcribendi genere Deipara Virgo deſciuit à ritu patrio, quamuis poſſet, cùm vellet, abſq; nota mores ſuos componere cum inſtitutis aliorum. Ad id firmandum multa ſuppetunt exempla Scripturarum, & vetuſtiora ſuper ſeculum Chriſti, & recentiora ſecundùm ipſum ab Apoſtolis edita, pauca à nobis afferuntur. Hoc ſi conſtet de initijs Epiſtolæ, de clauſula quoq; contrarium non euincitur, quæcunq; tandem notæ in ea contentæ in quæſtionem adducantur; nec ſecus de ſubſignatione Virginei nominis accipiendum. Singula ex Scripturis teſtata facimus, ſi quid coniecturæ datur, in lucro reponimus. CAP. XXIV.

QVI Virginis Epiſtolam ad Ignatium inter apocrypha recenſent, nobis fidem non faciunt; pugnamus, re ratione, auctoritate. Hieronymum vindicamus; inſulſum quippè argumentum, Hieronymus non meminit, ergo nulla eiuſmodi Epiſtola: multas enimuero Hieronymus tranſmiſit, quas inter germanas Ignatij, viri docti & cordati recenſent. Quod plures velit eſſe Anonymus, qui hanc Virginis Epiſtolam reijciant quam recipiant; timidè & inconſultè arguit, neq; enim numero, ſed genere teſtium ſtat arbitrium veritatis. Verùm eſto. Nos binos ac vicenos ſcriptores producimus, miſſis etiam illis quos ille, ſed prauè, conatur auertere, prorſus enim in noſtras eunt partes. Itaq; ex acie aduerſa, qui Baronio & Caſtro ſuccedat, hactenus viſus eſt nemo, Anonymi dũtaxat dubijs CAP. XXV.

 voli-

volitant libellis: cum his modò decernimus. Caſtrum ſicut non diſſimulauimus, ita ſedauimus. Baronium ex ſua de apocryphis ſententia, rurſum flectimus.

CAP. XXVI.

ITERVM verò ſilentium Lucæ, quo aduerſum ſtrepit argumentum, excuſamus, quo verò fato factum ſit, vt nemo veterum Scriptorum tam ingens Meſſanæ bonum commemorarit, non rectè controuerti aſſerimus. Adeſt recens inuentus Lucius Dexter, qui ſe antiquum huius Epiſtolæ vadatur narratorem. Si illo per ſecula ſepulto, Laſcaris famam ſuſcitauit non tam ciuibus: apud quos ſopitus cultus, non memoria mortua fuit, quàm exteris conſuluit; Græcum exemplar quod ipſe Latinè reddidit, non Pauli argumentum, ſed Bizantinæ Bibliothecæ monimentum fuit. Caniſius ſi Meſſanenſes in ſuis ſcrinijs reuerenter aſſeruare Virginis Epiſtolam audijt, de imagine illius, non de primitiuo exemplo, quod iniuria temporum dudum perdiderat, locutus eſt.

Illa admirabilitas, qui Paulus vna atq; altera concione, nulla concertatione, tot millia capitum, ad Chriſtum vertit, cita Spiritus Sācti neſcit molimina. Sed etiam inanis eſt quæſtio, cur nemo Hiſtoricorum Legationem adeò nobilem ad Matrem Dei literis conſignarit, & communem habet cum multis præclarè in Orbe geſtis calamitatem. Fecit hoc penuria Scriptorum, fecit & iniuria temporum, vt in alijs ſolet, nec tamen fama deſes fuit, quæ non inuentis Scriptoribus, in ore auribuſq; populi domum fixit: nec tamen nego chartis illam inſediſſe, redarguit quippe Lucius Dexter, ſed ſi non alio, Romano certè illo rogo, qui Diocletiani flammis, Chriſtianæ religionis codices vbiq; depaſtus eſt, hanc quoq; hiſtoriam, arſiſſe, non eſt cur ambigam.

De Epiſtola idem cogitari poſſet, niſi poſt Diocletianum, ſecretis Maiorum conſilijs ſeruata, rurſus emerſiſſet. Ac fuit ab illo tempore, magno apud omnes pretio, vt credibile ſit Meſſana à Legatis Pontificijs abductam ad Synodum Epheſinam, eiuſq; ſingulari auctoritate preſſos Neſtorij ſequaces, qui Deiparam Virginem in appellatione Matris Dei vafrè circumſcribebant. Certè quam Theodoretus enuntiauit ſententiam, ex ipſa videtur Epiſtola deſumpſiſſe, callidè licet vt probus videretur. Epheſo deindè Conſtantinopolim delatam ad Pulcheriam Auguſtam, ac demum in Sacrarijs hæſiſſe Bizantinis, quin credamus nihil vetat, vt inde Bibliothecis quoq; ibidem propagata, inter manus Laſcaris verſari potuerit, ac

tan-

Digitized by Google

tandem ab eodem Meſſanam delata ſit. Ceterùm niſi adhuc lateat, melioribus vt antea temporibus in lucem reuerſura, quo fato & quando conceſſerit, oſtendimus.

IAM quòd plures alioqui non nihili homines, obſcurè ferant hanc Epiſtolam, quaſi à Spiritu, ac modeſtia Virginis alienam: multas, ſi ita eſt, cauſas habere poteſt. At ſi cordati ſint, nec ſtomacho imbecilli, non nauſeabunt. Maximi ſunt Viri, quibus ſedet pietas, ac religio Epiſtolæ, nec quippiam ingerit in mentem ſanam quod cum ſumma, ac neceſſaria Virginis modeſtia non conſentiat. Sed præterea ſi myſterium attendatur, ita nihil redundare in illis titulorum illigaturis, euincitur, vt ſine illis manca & mutila videri queat, quæ Meſſanēſibus pro re, & tempore neceſſaria fuit religionis inſtitutio. Ceterùm ſi paucorum affectibus ſeruiendum foret in rebus, vel probandis, vel improbandis, abſona ſanè conſecutione multa, quæ in Eccleſia, ſacra cenſentur, extra doctrinæ, & morum cancellos habenda eſſent. CAP. XXVII.

ITERVM verò multis implexum rationibus vndecunq; conquiſitis argumentum, minutatim diſpicimus, diſpeſcimus. Rectè Mariam Virginem à Patre nominari Ioachim filiam aſſerimus, nec quippiam contra mores gentis, aut vſum Scripturæ, in eo peccari. Non redundare titulos ab Auis, Atauiſq; inſcriptos, nec rectè id impugnari, ex Epiſtolis Apoſtolorum datis ad Eccleſias, quorum, ſicut perſonæ & munera, ita diuerſum fuit ſcribendi inſtitutum: cur verò Deipara Virgo, non ſicut diſcipuli nominati ſunt Apoſtoli, ita à Filio Matris aliquando nomen tulit, explicamus. CAP. XXVIII

In ſalutationem Epiſtolæ præfixam. Salutem & Dei Patris omnipotentis benedictionem: offendit non parum Anonymus: non miror quia ſine luce. Falsò credit ex formulis literarum Pontificiarum deſumptam, vt inde fidem infringat: Quis vnquam Romanorum Pontificum eam præciſè formam adhibuit in literis Apoſtolicis? Itaq; ſicut ſinguli in ſalutando variant Apoſtoli, ita Virgo ſi verba ſpectes; ſi ſenſum, præponderat apprecatio Virginis, gratiæ copia, non ſententia, præſtatq; magis Apoſtolicis adſalutationibus, quàm iſtæ Patriarcharum benedictionibus.

At demus eam ſalutationem aliquam præ ſe ferre cum Pontificijs ſimilitudinem, quid vetat Pontifices à Virgine didiciſſe, pro munere duntaxat paulùm immutaſſe. Cletus, primus, Salutem & Apoſtoli-

cam

cam benedictionem impertiuit: at iſte, ſicut etiam Apoſtoli ex Virgine potuerunt addiſcere, & Virgo morem in Ecclesia inducendum anteuertere. Multa verò quæ hoc loco, quidam alius Anonymus inſcitè, niſi iocabundus, ſed cuius leuitatem alicubi ſpreuimus, obuertit, grauiori fronte ita perſtringimus, vt hominem, ſi ſapit, lusiſſe pæniteat.

Quod attinet ad temporum notas in Epiſtola ſubſignatas, patentiorem illæ quidem diſputationi campum aperiunt, ſed quo ipſe primùm fatigatus in ſeipſo tandem dehiſcat Anonymus. In primis enim oſtendimus nihil in illis notis in more gentis, ac temporum redundare. Deindè Chriſti æram, vſumq; annorum ab eius natiuitate putandorum, à Dionyſio Exiguo reſtitutum, ſed longè antea fuiſſe inuentum, Virgini verò etiam abſq; aliorum hominum inuentis mentè præceptum: ac deniq; longè quàm ante eſſet Dionyſius, ſicut in Iudæa pro re nata, ita Romæ & alibi gentium ex ritu profano, Chriſtianos ſanctioris ferre potuiſſe Natalis ſeruandæ inſtitutum.

De Indictionis Nota cum Chriſtophoro Caſtro tranſegimus, ea ſi perfunctoria fuit velitatio, hic contenta diſputatio, ſed quæ illic dicta, rata ponit. De Indictionum ortu facile enuntiare Anonymum, vt qui ad pauca reſpexerit, nec rectè ſentire, oſtendimus. Hic ſi quid erratum in numero Indictionis, iuxta vſitatas poſitiones, aliunde correximus, error quippe in Indictione ſi de anno cõſtet, apud ſapientes, ſcriptum non inceſtat. Rectè nihilominus in Epiſtola decimam quintam Indictionem figi, ſi non à Nato in mundum, ſed à Cõcepto in vtero Virginis filio Dei, ſalutis anni cenſeantur, commonſtramus.

Exinde nota Lunæ vigeſimæ ſeptimæ, ſi multis, eruditis certè reijcula non habetur. Ritus Hebræorum à numeranda Luna, diebuſq; à Luna cenſendis, qui, niſi dicendi cauſa, neget, periculum ſibi fecerit in pleriſq;, nec tutam veritatem offenderit. Ac quamuis ponatur, gratis ſcilicet, vſum putandæ Lunæ cum Martyrologijs in Eccleſiam ingreſſum, non ante tamen alibi gentium conſtitiſſe, fruſtra certabitur.

Sed etiam feriarum nomenclaturam, qui à Syluestro primùm ad dies hebdomadæ ſignandos inductam cenſeat, ad pauca reſpiciens de facili pronuntiet. Ita verò vetuſtiores ſunt in Eccleſia feriarum cærimoniæ, vt cùm longè antea Romanis præceptæ, exteris etiam fuerint haud ignotæ, ſed à Deipara Virgine fecundùm mores, ac decorem ſcribendo adſcitæ.

Iam Lunæ vigeſimæ ſeptimæ cum feria quinta dieq; tertio Nonarum

narum

narum conſenſus in illo ipſo anno quadrageſimo ſecundo, qui Deiparæ ſignat Epiſtolam, ſi rationibus aduerſantibus illuſit, noſtris adluſit. Hinc illis præcipuus Aries, qui totius Arcem Traditionis arietabat, vt putabatur etiam euerterat. Oſtendimus caſſas rationes plus quàm Plauti nuces: nobis non creditam, ſed acceptam veritatem ſuis conſtare numeris ac ſignis, hoc magis egregijs putatoribus infenſam, quòd ex poſitis à ſe principijs, verſum habeant calculum, in ſeipſos fabam cuſam.

RVRSVM verò ſilentium Lucæ à ſtrepitu vendicamus. Occidit pene toties crambe repetita, ſed obſecundamus vt doceamus. Nihil pugnat ſcripturis Canonicis præteritam à Luca Meſſanam, non Syracuſas & Rhegyum: alioqui pugnet etiam Syracuſis Paulum excendiſſe: in inſulam penetraſſe, quod tamen arripit Anonymus; pugnet Neapoli fuiſſe, plura alia feciſſe, quæ miſſa fecit Lucas, loca duntaxat quibus ſtatio naui facta; nec fortaſſe ſingula penſi ducens. Si legationem ad Virginem inſtitutam neſciuit, res ipſa fecit: Lucas ſiquidem ante ſoluta Romana vincula manum ſcribendo amouit, Paulus poſt, Meſſanam redux, ad Legationem animum admonit. CAP. XXIX.

SED verò Meſſanenſes Scriptores in noxam vocati, quaſi multa abhorrentia à Vero in Epiſtolæ fucum intulerint, Dicam à ſe, ſuiſq; auertunt, ludicram ſanè diſceptationem, & quaſi acutis calamis, & leui (quod aiunt) brachio res geratur, irrident. Negant Meſſanenſes Patres aliquando protuliſſe, in ſuis ſcrinijs aſſeruari à tempore Laſcaris, niſi in exemplaria propagatam Virginis Epiſtolam. Nec ſecus ſcripſiſſe externos, qui res Meſſanenſes calluiſſent, nec ipſos Anonymos in Tabularia Meſſanenſium, quacunque gratia obtecti irrepſiſſent, aliud ſapere potuiſſe, niſi deſipere voluiſſent, oſtendunt. Principi demum Quillacij tum Vrbis Stratego, Iuratos patres, non vſquequaq; negaſſe Virginis Epiſtolam ſe habere, ſed Hebraicum exemplum vel Græcè à Paulo conuerſum ſanctè ferunt. CAP. XXX.

QVARE & nomen Laſcaris delatum, à crimine peculatus, aſſerendum venit, & ridiculum argumentum quaſi Virginis Epiſtola nullo vnquam caſu perire potuerit, multis & rationibus, & inſignibus exemplis irretitur, qua verò occaſione tam ingens Meſſanenſium theſaurus interciderit, ſicut non pauca alia monumenta verſa ſunt,

va-

varijs pro ſe nata coniecturis adſtruitur.

CAP. XXXI.

HIC ſed enim nouus ex tempore pugnæ intercedit miles, & ab extremis arma obuertit. Quale illud. Nos Maria. Et rurſum, ex Hieroſolymis. Non diſſimulo. Si primum irrepſit, totum non vitiauit, qui ſecus ſentit, in multis impingit. Sed nec myſterium quæro. Subſignationes tamen locorum, niſi etiam præfixa Epiſtolis Vrbiũ nomina, ſi cui videntur inſolentia, ipſe fortaſſe Sacræ Scripturæ, ne alia monumenta proferam, ſit inſolentior, neque tutum a moribus Apoſtolorum ſcutum prætendat. Qui demum Laſcarim ſugillet, quaſi Græcus homo commẽtus ſit ac mentitus, Paulum quo tempore Romam iturus Rhegyo Meſſanam appulit, Legatum ad Virginem profectum: quid Laſcaris dixerit non intelligit, linguam habet non limam, procul mentem, alioqui pœnam talionis ferat.

CAP. XXXII

EXCESSIT è pugna Tyro, niſi miles tumultuarius: in arenam reuertit Veteranus, meditatam machinam in Traditionem intorquet, vndiq; oppugnat, ac vt ſibi perſuadet, labefactat. Nihil proficit. Verſamus omnia argumenta, ex Scripturis non rectè petita explicamus, ſigna verè Traditionis non aptè deſignari oſtendimus, Patrum ſententias obſcurè ductas in luce reponimus, noſtras aſſertiones rationibus, exemplis, auctoritatibus firmamus: neque tamen pro Traditione ex inſtituto, ſed ad infringenda duntaxat obiecta velitamur.

CAP. XXXIII.

QVI Deiparam Virginem dono linguarum præditam, Meſſanenſium Legatis patrio ſermone dicere potuiſſe velit ac ſcribere; non ideo conficit facere debuiſſe, nec contendet niſi mores ignoret. Paulus Latinè callens, Romanis Græcè ſcripſit. Sed Virginem decuit vernaculam ſibi linguam, religione quoque Gentium magis ſacrare. Legem ab Auguſto de Romani Græciq; ſermonis vſu, Claudius ad forum reſtrinxit, vulgò liberum permiſit. Quin Paulus Græcè doctus, vel non longè à Tribuno Romano Hebraicè perorauit. Quo verò ſenſu Chryſoſtomus Hebrææ duntaxat loquelæ peritiam Paulo concedat, ipſe verò Paulus Græci ſermonis imperitiam ſibi imputet; ne hinc quoque fallat Græcè ab eo conuerſa Virginis Epiſtola, multis explicamus, Paulumque Deo gratias agentem quod omnium linguis loquatur, ſibi conciliamus.

Digitized by Google

SED demum ſi palmare ſit argumentum, ex tardato Pauli ad Meſſanenſes acceſſu, infringi ius primatus ex antiquitate religionis accerſitum, cadere dignitate Metropolim, vix ſecundas ferre poſt Siculas Vrbes, pridem ante à Diſcipulis Petri Antiochia miſſis ſacratas, Meſſanenſem Ciuitatem: hic enimuerò ne quid tragicum edamus, ita gradum facimus vt duntaxat veſtigijs ſignaſſe arenam non ſparſiſſe videamur; ex quibus tamen iri queat ad capita rerum, vnde primatus adrogetur. CAP. XXXIV.

Itaq; cùm inprimis multis euincimus, Petrum prius quàm Paulum Meſſanenſibus adfuiſſe, diſceptationi modum ponimus: tùm deindè condonata etiam eà victrice ſententia, ius primatus alio loco quàm in religionis antiquitate, iure & exemplis figimus, ſuamq; Meſſanæ dignitatem eatenus aſſerimus, vt tamen quæ immenſis voluminibus exaggerari potuiſſent, ne actum agamus, ſuis auctoribus cōcedamus.

PRofligatis aduerſariorum argumentis, amicas in parte ſententias affligimus. Sunt enim qui vt aſcitios characteres ad numerum temporum ritè accidentes, ſacros ac Sanctos habeant, Paulum ante quinquageſimum nonum CHRISTI annum in Sicilia fuiſſe, Meſſanam veniſſe, multis & operoſis affectant rationibus. At enim ſicut circumſcriptis Pauli peregrinationibus, interualla temporum omnium & laborum velut ſpiramenta, quibus in Siciliam euadere potuit præcludimus; ita illius aſſerti auctoribus, quo minus à regia via deflectant, diuerſicula obſepimus. CAP. XXXV.

TAndem verò Traditionem antiquam ex ſingulari nota nobiliorem facimus, Meſſanenſium primum Antiſtitem docemus, inſignimus. Omnes hunc Barchyrium varijſq; alijs nominibus corruptè afficiunt: Bacchylum fuiſſe oſtendimus; ſed enim cuius originis, muneris, dignitatis, permultis explicamus, ac demum hunc non alium eſſe ab Eleutherio, quem Martyrologium Romanum cum Anthia Matre Meſſanæ paſſum recolit, affirmamus. Hic verò non vnam Hiſtoriam, nec vnius narratione implexam, atq; adeò in pluribus nominibus deerrantes Scriptorum ſententias, viciſſimq; in vnius appellatione, confuſas plurium res geſtas, digerimus, ſecernimus, veriſſimæ Traditioni velut inſertam per Hiſtoriarum penè latentes rimas lucem affundimus. CAP. XXXVI.

Digitized by Google

CAP. xxxvij. ADiuerſitate narrationis non vno modo periclitari fidem Epiſtolæ, iactant non pauci, & hoc ipſis præcipuum argumentum ad vexandam veritatem. Ceterùm ſi ipſi pro re & tempore diuerſa vel deiungere, vel interdum connectere norint, moleſtiam hanc animis ſuis facile exemerint. Vna nonnunquam Veritas, ſi manifeſtas in hiſtorijs non habet cauſas, coniecturis viam aperit; quæ ſi meditatè, diuerſæ ſint licet, non vna ex parte rem fulciunt. Quin rerum Scriptores vel citimi temporibus, quç geſta pariebant, in immenſum interdum euariant; quid de ijs cogitandum, qui longè remoti, ad rimanda retroacta ſecula dioptram non habent.

Ceterùm permultis Sacrorum exemplis oſtendimus, ſi veritati periculum inceſſat ex diuerſitate narrantium; non de Hiſtoriarum fide duntaxat, ſed penè de Pōtificium decretis, ac Religionis ſanctitate, magna ex parte actum eſſe. Inde rem noſtram, non à comparatione ſolùm, ſed à ratione propugnamus, & cauſas diuerſitatum velut aſpectuum in Cælo, per ſuas lineas, angulos, & argumenta, demonſtramus: noſtraq; cum aliorum dictis, ac præſertim (vnde præcipuè nutare poterant) cum poſitione Tabularij Meſſanenſis, aſſerta, ſic committimus, vt ex mendo in vim rationum vocumq; ſimilitudinem illapſo, fidem faciamus.

CAP. xxxviij. SED etiam illam à falſis temporum characteribus, Epiſtolæ Virginis immiſſam notam, ſi ſancienda ſit, eatenus vindicamus, vt qui in poſterum inde ſibi robur ad rem vertendam faceſſat, nō oleum duntaxat ac operam, ſed mentem luſerit. Quippè cum errantibus annis, ſi cum multis exploratè ſapere volumus, ita non errant rerum veritates, vt ex illis ſæpè, dum cetera proba ſint, fulcra ſibi ſufficiant. Anni certè, ſi interdum indices ſunt rerum, non ſemper ſecuri veritatis pararij; ac vt ſunt ipſi fugaces, ità memoriam fugant, nec ſtabilem rerum cognitionem ingenerant.

CAP. XXXIX. IAM Traditionem, quæ pro hac re militat, haud paucis auctoramus, nec temerè congeſtis velut in ſpatioſo prato virentibus herbis, ſed lectis ex topiariorum horto floribus. Ac in primis à Theologorum Theſeo (Suarius eſt) filum mutuati, quas ipſe in perſimili diſceptatione, pro Hiſpanorum Iacobo rationes ducit, ijſdem hanc noſtram pro Virginis Epiſtola telam elaboramus, pertexĭmus.

Digitized by Google

ITaq; Suarius, ſi Traditio conſtans admilitet, nec vlla ex parte religioni, ſanctionibuſq; pugnet, hiſtoriam humanam inſuper habet: Inopiam deinde Scriptorum, ceteris paribus, innoxiam eſſe veritati cenſet: multa prætereà ſcribentium calamos effugiſſe, nec niſi Traditione defluxiſſe ad poſteros, eadem ſuper aleam certiſſima probat: Deniq; à ſigno Templi Cæſaurauguſtani planè Capitalem pro Iacobo figit ſententiam. Quæ omnia noſtris ad numerum inſidere magis fortaſſe rebus an euincimus, ipſæ rationes, haud paruis excuſſæ neruis, eloquuntur. CAP. XL.

MVltis deinde naturam Traditionum venati præſidijs, noſtriſq; de Virginis Epiſtola rationibus vndequaq; emunitis: hanc, quam aſſerimus Traditionem, eo certitudinis loco reponimus; vt poſitionem contrariam, non modò de gradu firmitatis nequicquam pugnare, ſed ex omni etiam opinionis ordine ſtatuamus eximendam. Siquid amplius ex argumentis enaſcitur, lectori condonamus. CAP. XLI.

TRaditioni auctoritatem accenſemus; non hinc quidem neceſſarium ad adſtruendam fidem, cùm ſola ſufficiat Traditio, munimentum, ſed vt honorum habeat veritas comitatum. CAP. XLII.

AC in primis Flauium Lucium Dextrum, ita laudamus, vt anteſignanum in multis & paucis eſſe velimus, nec exceptione ſolùm, ſed opinione dubitantium maiorem, quibus in probando Lucio non vnius Viri cordati conſtantiam opponimus. CAP. XLIII.

QVin noua quædam circa variantem inuēti in Germania Chronici narrationem aſſerimus, excuſſiſq; latebris vniuerſis, CAP. XLIV. non tantùm in medio foro ſiſtimus veritatem; ſed etiam ex XLV. ipſis Chronici viſceribus, calorem & vitam argumētis, ex ipſis frag- XLVI. mentis non vni hiſtoriæ ſufficimus integritatem: ac tandem omni- *f.* 278. bus, quæ vndecunq; in aduerſum exaggerata ſunt, demolitis, planam XLVI. incedenti Lucio viam per multa capita munimus, varijſq; eluctatum periculis, nec non Hiſpaniæ poſtliminio reſtitutum, libero ſpirare cælo permittimus. *f.* 281. *alias* XLVII.

Digitized by Google

CAP. XLVII. XLVIII XLIX. *fol.* 311 *alias* 48 49. 50.

POST Flauium Lucium Dextrum, in Coronam multos accenſemus. Tricenos ſuperant, qui vel ad album decernere queas: plures exteri quàm patrij ſunt, ne laruata veritas incederet, pleriq; tamen Prytanæo digni, nec vllus improbus adeò quicum digitis micare vel in tenebris defugias. Ex ijs vt aliqui ſuffragentur ſolùm, hiſtoriam narrent, Traditionem commendent, deniq; Meſſanenſem ex ea religione vel pro concione gloriam extollant; pleriq; tamen decretorijs agunt argumentis, idq; ponderis addant veritati, quod nullis machinis facilè queat eleuari.

CAP. LI.

VBI rem teſtibus vallauimus, huc quoq; ſigna reuocamus & indicia, quibus velut indubitatis veſtigijs itur ad caput eius gratiæ, quæ non aliundè magis, quàm ex conteſtata per Epiſtolam Deiparæ voluntate certò venit, ad quam antiquæ Meſſanēſium prærogatiuæ, Romana poteſtate conceſſæ, præludia quædam arcano ſuperum diſpoſitu fuiſſe non immeritò dici poſſunt.

CAP. LII.

HVius modi inter alia eſt incomparabilis illa ex Archadio liberato parta Meſſanenſi nomini gloria: ſcilicet Imperium illi, illum Imperio reddiderunt, eoq; non vſurpato facinore titulos ſuos, in honorum faſtigia, nullo ceteris apice relicto ſuſtulerunt. Eam hiſtoriam pleniori manu, ſi cui liceat, exterendam, ne dum gloria teritur, chartæ ignotæ ob ſoleſcant, hic iterum inuulgamus, & expenſa per ſummos gradus Meſſanenſium dignitate, Deiparæ Virginis gratiam, his quoq; ſemitis ad famam dirigimus.

CAP. LIII.

SED etiam illa Mamucæ immanis pyratæ, medio in freto cum claſſe demerſio, non immeritò Virginis tutelæ decernitur: Eam barbarus occiſi cum ſocijs Placidi pœnam dedit. Hic Romano purpuratam ſanguine Meſſanam, longè quàm olim Conſules, effecit clariorem: ac inter Diuos aſcriptus, vicariam haud temerè credas à Virgine Ciuitatis obtinuit Prouinciam, dignus qui ſcriptam quondam Epiſtolæ fidem, ſanguine ſubſignaſſet. Quin verò, cetera quoq; Meſſanenſium in bello ac pace felicitas, ex eodem gratiæ fonte promanarit; inſolentis ſit animi qui pernegarit.

CAP. LIV.

HAEC ſi remotiora ſunt, quia minus ab alijs cogitata; certè illuſtris illa rariq; exempli, nec vna vice, Virginis apparitio, quæ obſeſſæ Ciuitati militauit, magnum vel tardis ac ſopitis animis

eſt

eſt argumentom; eximiam fuiſſe Virgini cauſam, cur tàm ratis adeſſet auxilijs, opportunè periculis abſolueret. Scilicet manus illa fidelis, quæ protectionis gratiam in Epiſtola quondam ſtipulata fuerat, vt pro re vrgente, fortiſſimè propugnaret, decens fuit. Traxit ea gratia plura ſecum prodigia, quæ Scriptores alij nec omnia, nec ordinatis ſucceſſibus tradiderunt. Pleraq; nos, gloriæ Deiparæ velificantes, ex manuſcriptis nondum editis, hiſtoricæ vtilitati, lectorum voluptati, præceptis aliorum cogitationibus, renarramus.

AT ne bellorum magis, quàm pacis occaſione ſignatam Virginis opem in argumentum adducamus, vbi digreſſo aliquantùm, opportunè calamo, naualem ad Echinadas Victoriam, quam Ioannes Auſtriacus, alijq; belli Duces, ex ipſa Deiparæ protectione Meſſanæ ſunt auſpicati, recolimus: quales deindè, longè ante Meſſana, totius Orbis calamitate, cum peſtilentia conflictata, gratia Deiparæ Ciues offenderit; inductis ex aliarum Gentium afflictione miſerijs, beneficium penſitamus. Stetit verò ſalus Meſſanæ, in luſtrata cum Imagine Magnæ Matris Ciuitate, quam ſola (putes) ſuſcepti religio per Epiſtolam Patrocinij, ratis in vota flexit, habuitq; propitiam inſtitutis. C A P. LV.

Hic verò ingratam quorundam incuſationem, qua Siciliam Deo peroſam, non pœnis duntaxat ab alto irrogatis, verùm inſitis in natura loci, populiq; malis in dies exerceri muginantur, collatis per exempla bonorum Cælitus inditorum præſidijs, euertimus. Ac tandem in nupera peſtilentia, quæ cum felicitate Panormitana, Magnam Inſulæ partem fœdè vaſtauit, Meſſanam haud affectam, vel eò ſolùm, Virginalis Epiſtolæ Sacramento deferimus, quòd non pauci in media peſte verſati, ſed è collo Sacrum exemplar habentes, indèſtricti permanſerunt, & vt ille ait ad plures haud penetrârunt.

ACcedit, in aduecta Deiparæ, (de qua modò dictum) Sacra Imagine, (de Scala vocant) renouata vel potiùs aggeſta diuinæ potentiæ miracula, talia prorſus eſſe, quæ non aliam mage ſingularem habere queant anſam, quàm receptum in Epiſtola fidele patrocinium: Modus ſcilicet appellendi, manendi occaſio, religio præter exempla, fugata ſæpè contagio, deleti ſemper vel ſuperati hoſtes, reuectæ inſignes victoriæ, profligata pericula, deniq; mala omnia priuatim publicæq; propulſata, nihil vt in omni genere dici queat, C A P. LVI.

Digitized by Google

queat, Meſſanenſibus ex ea religione, gratiæ non obueniſſe.

Vnde verò, quauè occaſione Meſſanam ea conceſſerit Imago, quem agnoſcit archetypum, vndè characterem aſciuit, quid ea religio Scalæ cum Hodegetria Virgine, viciſſimq; cum ea, quæ ab Epiſtola vulgò Literij nomen tulit, commune habet, cur deniq; Meſſanenſibus in vota vocari Diua de Scala, non de Literio, pridem cõſueuit, haud paucis è re nata rationibus & coniecturis, euoluimus.

CAP. LVII. alias LVIII. fol. 371

QVIN etiam inter alia penè extremè laborantem fame Ciuitatem, ea Diuæ de Scalæ pietas, admirandò prorſus euentu, quemadmodum liberarit, vno duntaxat exemplo, miſſis innumeris, adſtruimus. Id nempè ad famam dirigere, pro gloria Deiparæ fuit inſtitutum, quòd inſignem hiſtoriam, vnus inter Scriptores, qui poſteritati ad religionem commendaret, hucuſq; non extitit.

At non nemo, ſedatum quoq; in Vrbe exitioſum tumultum, quo Ciues in perniciem ardere viſi, vnicæ Virginis ab Epiſtola conteſtatæ gratiæ, ſic adſcripſit, vt nobis quoq; materiem incidenter adijceret.

CAP. LVIII. al LIX. pag. 375.

SED enim ad argumentum planè ſingulare accidit, inuicta illa Meſſanenſium fides ac conſtantia, qua ipſi primùm aduocato in Regnum Rogerio, ſuſceptum pro Cruce bellum, adeò contra Sarracenos geſſerunt fortiter; vt Regno libertatem, ſocijs ſalutem ac religionem, ſibi verò non quacunq; ratione gloriæ immortalitatem, ſed quæ non vſurpato à nationibus exemplo, quadam inuidia virtutis affundere queat vniuerſas, vno illo facinore peperiſſe videantur. Id verò quin à Virginis concepta religione & gratia profectum ſit, qui rectè cogitare nouit, minimè dubitabit; ac illam etiam vnius Meſſanenſis acerbiſſimo lethi genere tentatam fortitudinem, quòd in partes Mahumetanas abire præſertim nollet, ita ex hoc gratiarum fonte deriuabit, vt ex vno de pluribus arbitratus, explicatam ad omnes ab Epiſtolæ fide benedictionem tutò credat.

CAP. LIX. alias LX. pag. 379.

IAM & domicilium Alti collis, ab ipſa Deipara lectum, ſed volatu columbæ Cælo venientis in Templum deſignatum, ſi cetera quoq; ſpectentur, eximiam Epiſtolæ Virginali faciunt fidem. Enimuerò qui rerum, locorum, ac temporum circumſtantijs animaduerſis, à templo quoq; Cæſarauguſtano rationem inducat, ita niſi expers

ſit

Digitized by Google

ſit animi, ſecum ipſe decreturus eſt opinor, vt alijs quoq; certum fieri velit argumentum, pugnetq; ſi detrectent.

Quæ demum, aliaq; id genus hucuſq; deducta, ſi cuipiam ad pauca reſpicienti, longè petita videantur; illa certè manifeſtis ex Epiſtolæ virtute ſignis, exaggerata non minus ad mortalium admirabilitatem, quàm vltra naturæ ſolùm vires patrata miracula, nulli non homini, ſi Catholicè ſapit, aſtrictam ingenerare ſententiam, ac ad emendatæ rationis gyrum, cogitatus ambiguos inflectere planè debent. Ex his verò pauca duntaxat & ad meridiem explorata delibamus, ne vel hoc ſolùm agere videremur, vel præcepta iam alijs argumenta delumbare: ſatis nimirum eſſe pro inſtituto rati, quod ædificationem fidei concerneret, pietatem cum religione commendaret, magiſq; ſi neceſſe foret, promoueret; neq; de cetero cum generatione, quæ ſignum quærit, diſceptationem ſuſceptam eſſe cogitantes.

Epilogus Operis.

PERACTO demum inſtituti curriculo, ſparſa colligimus argumenta, ſed ad eminentia quædam capita reducimus eatenus, vt in breuitate orationis, & nexus rerum ab vniuerſis fortiſſimus appareat, & in ſpectatis ſingulatim rationibus, etiamſi reliqua nihil ad robur allatura eſſent, Traditione ſola, iuxta illud Cyrilli, Traditio eſt nihil amplius quæras; huius Epiſtolæ religionem in vado eſſe, ſtatuamus.

Parænesis.

CONVERSA deindè ad Meſſanenſes oratione, laxato per omnia quæ ſuggerebat affectus, in fine, veloci calamo: tantùm id intendimus, vt Meſſanenſes ex aſſe rerum & animorum, vltra mancipij iura MARIÆ Virgini obſtrictos, ad eam quæ Mater eſt pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei, perfectè imitandam, diligendo, reuerendo, gratiam agnoſcendo, deniq; non temerè ſperando cohortaremur; idq; hac vna velut teſſera ſæpius ederemus: Imitamini MARIAM ò Meſſanenſes: quod demum lectis hinc inde ex Paulo Apoſtolo, Meſſanenſium Prædicatore, verbis ac ſententijs, explicatè perorāmus.

Appendix Operis.

IN Appendice nonnihil in titulo Epiſtolæ, quod Myſterium habet, & obſcurum videri poteſt, iterum explicamus. Accedentes ſerius auctoritates addimus, ac demum de Imagine Diuæ MARIÆ de Scala, rurſumq; de altera, quæ in Oratorio Virginalis Epi-

ſtolæ,

Digitized by Google

Γοργυπήκοος. ſtolæ, Gorgoepecoos dicta religioſiſſimè colitur, plura dum ſcriberemus è mente labentia, nec iucunda minus quàm digna, ſcituq; pro re nata neceſſaria, quantum ſatis, reponimus; illud iterum monentes lectorem, quò inoffenſo cuncta pede percurat, diligenter ad animum ducenda eſſe ea, quæ cùm initio præmiſimus, tùm identidem in toto operis flexu præcepimus, vt nihil eſſet quod oculum incenderet magis ad auidè contuendum, quàm mentem ad temperatè iudicandum, atq; adeò non prius decernendum, quàm cuncta ſuo gradu ſtare eatenus perſpicerentur, quà deijci non facilè poſſent; ſi quemadmodum Philoſophus ille, ſiuè Dux Thebanus dictitauit, minimè corrugato ſupercilio legerentur. Hanc equidem gratiam, vt emeriti videamur, res ipſa prima quoq; fronte conteſtatur, ſed penitius introſpecta nec vadem nec argumentum requirit: imò nihil vt eblandiamur quemadmodum Anacharſidem calamus ipſe monet. Nos tamen nobiſcum ipſi prius conuenimus, vt lectorem non tàm arbitrum, quàm teſtem habeamus, & quem in operis veſtibulo ſtatim aciem direxiſſe non dubitamus, quam probè etiam ac propè collimare velimus, niſi ipſe mentem preuertat, ſatis liquet.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM.

CAP. I. *Qua occaſione Beata Virgo Scripſerit ad Meſſanenſes.* Pag. 1. vſq; ad 6.
CAP. II. *Apoſtolos ſæpè de B. M. Virgine verba feciſſe.* à Pag. 6. vſq; ad 11.
CAP. III. *Cur Paulus apud Meſſanenſes de Virginitate MARIAE præcipuè prædicauerit.* pag. 12. vſq; ad 16.
CAP. IV. *Qualis fuerit in genere prædicatio Pauli apud Meſſanenſes.* A 16. ad 24.
CAP. V. *Quo tempore Paulus primùm venerit Meſſanam.* A 24. ad 33.
CAP. VI. *Referuntur multa omiſſa à Luca in Actis Apoſtolorum.* A. 33. ad 39
CAP. VII. *Reſpondetur argumento deſumpto ex S. Hieronymo.* A. 39. ad 44.
CAP. VIII. *Quo alio tempore Paulus fuerit ſana.* A. 44. ad 51.
CAP. IX. *Quo tẽpore Virgo Deipara aſſumpta eſt in Cælum.* A. 51. ad 57.
CAP. X. *Soluuntur argumenta quæ pugnant cum ſeptuageſimo ſexto, ætatis Deiparæ Virginis anno.* A. p. 57. ad 60.
CAP. XI. *Petrum ſæpius Roma abfuiſſe, nec morienti ſolùm B. Virgini, cum Paulo cæteriſq; Apoſtolis, ſed præterea cum Dionyſio Areopagita aliquando viuenti adfuiſſe.* A. p. 60. ad 65.
CAP. XII. *B. Virginem Concilio Legali ſuperuixiſſe, nec in anno ætatis Climacterico, ſexageſimo tertio, vita conceſſiſſe.* A. p. 65. ad 69.
CAP. XII. *Mariam Magdalenam, ante obitum B. Virginis, Hieroſolymis, ipſaq; Iudæa diſceſſiſſe: Ex vltimo Dionyſij acceſſu, recte iterum aſſertam Virginis ætatem definiri.* A. 65. ad 75.
CAP. XIV. *Quo tempore B. Virgo Scripſerit ad Meſſanenſes.* A. 75. ad 82.
CAP. XV. *Affertur exẽplum Epiſtolæ Deiparæ ad Meſſanenſes datæ.* A. 83. ad 86.
CAP. XVI. *Afferuntur argumenta directè militantia cõtra B. Virginis Epiſtolam ad Meſſanenſes datam.* A. 86. ad 91.
CAP. XVII. *Reſpondetur argumento Cardinalis Baronij.* A. 91. ad 94.
CAP. XVIII. *Reſpondetur argumento P. Chriſtophori de Caſtro, pro Nota anni quadrageſimi ſecundi.* A. 94. ad 98.
CAP. XIX. *Reſpondetur ſecundæ parti Argumenti P. Chriſtophori de Caſtro, pro Nota Nonarum, & Indictionum.* A. 98. ad 103.
CAP. XX. *Reſpondetur tertiæ parti Argumenti P. Chriſtophori de Caſtro, non eſſe contra morem B. Virginis aliquid ſcripſiſſe.* A. 103. ad 110.
CAP. XXI. *B. Virginem ad Ignatium quoq; Martyrem ſcripſiſſe.* A. 110. ad 115.
CAP. XXII. *Reſpondetur tertio ex ordine principi Argumento, quod eſt primum Anonymi.* A. 115. ad 118.
CAP. XXIII. *Reſpondetur quarto Argumento, quod eſt ſecundum Anonymi.* A. 119. ad 124.
CAP. XXIV. *Reſpondetur ad reliquas præcedentis quarti Argumenti partes.* A. 124. ad 130.
CAP. XXV. *Reſpondetur quinto Argumento quod eſt tertium Anonymi.* A. 130. ad 135.
CAP. XXVI. *Reſpondetur ſexto Argumento eſt quartum Anonymi.* A. 136. ad 146.
CAP. XXVII. *Reſpondetur ſeptimo Argumento quod eſt quintum Anonymi.* A. 146. ad 154.
CAP. XXVIII. *Reſpondetur Octauo Argumento quod eſt Sextum Anonymi.* A. 154. ad 158.
De ſalutatione præfixa in Epiſtola Deiparæ. A. 158. ad 163.
De Notis temporum quibus ſignatur Epiſtola

Digitized by Google

Index Capitum:

Dei Para. a.163.ad 165.

De Aera Chriſti ſeu numeratione anni ab eius Natiuitate. a.165.ad 168.

De Nota Indictionis. a.168.ad 171.

De Nota Lunæ Vigeſimæ ſeptimæ. a.171.ad 175.

De Nota Feriæ quintæ. a.175.ad 178.

De conſenſu Lunæ vigeſimæ ſeptimæ, cum feria quinta, anno Chriſti quadrageſimo ſecundo. a.179.ad 189.

CAP.XXIX. Reſpondetur Nono Argumento quod eſt Septimum Anonymi. a.189.ad 190.

CAP.XXX. Reſpondetur Decimo Argumento, quod eſt Octauum Anonymi. a.191.ad 199.

CAP.XXXI. Reſpondetur intercurrenti cuiuſdam recentioris Argumento. a.199.ad 203.

CAP.XXXII. Reſpondetur Vndecimo Argumento, quod eſt Nonum Anonymi. a.203.ad 208.

CAP.XXXIII. Reſpondetur Duodecimo Argumento, quod eſt cuiuſdam alterius Anonymi. a.209.ad 212.

CAP.XXXIV. Reſpondetur Decimo Tertio ac poſtremo Argumento. a.213.ad 219.

CAP.XXXV. Paulum Apoſtolum ante Quinquageſimum nonum Chriſti annum, Meſſanæ aut in Sicilia non fuiſſe. a.220.ad 224.

CAP.XXXVI. Quis fuerit primus Epiſcopus Meſſanenſis, & à quo inſtitutus. a.224.ad 231.

CAP.XXXVII. Diuerſitas narrationis non officit Epiſtolæ Deiparæ. a.231.ad 239.

CAP.XXXVIII. Falſos temporum characteres, Epiſtolæ Virginis veritati non derogare. a.239.ad 245.

CAP.XXXIX. Traditio militat pro Epiſtola Virginis. a.245.ad 247.

CAP.XL. Afferūtur rationes P.Frācisci Suarij pro Traditione. a.247.ad 254.

CAP.XLI. Quo gradu ſit certitudo Traditionis de Epiſtola Virginis. a.254.ad 259.

CAP.XLII. Affertur pro Epiſtola Virginis Flauij Lucij Dextri auctoritas. a.260.ad 262.

CAP.XLI. Defenditur Auctoritas Flauij Lucij Dextri. a.262.ad 267.

CAP.XLIV. Afferuntur nonnulla recentiora de inuento Chronico Flauij Lucij Dextri. a.267.ad 275.

CAP.XLV. Expenduntur nonnulla pro aſſerendo Flauio Lucio Dextro. a.275.ad 278.

CAP.XLVI. Expenduntur nonnulla circa Tempus quo Chronicon conſcripſit Flauius Lucius Dexter. a.278.ad 280.

CAP.XLVII. Afferuntur quædam aliæ rationes pro Flauio Lucio Dextro. a.281.ad 285.

CAP.XLVIII. Afferuntur Auctores de Epiſtola B. MARIÆ Virginis ad Meſſanenſes data loquentes. a.285.ad 294.

CAP.XLIX. Afferuntur Patrij Scriptores de Epiſtola B. MARIÆ Virginis, vbi & concio P. Bartholomæi Petracij habita in Aede Cathedrali ipſa die Epiſtolæ ſacro. a.294.ad 311.

CAP.L. Afferuntur auctoritates generatim pro Epiſtola Virginis, vbi nonnulla ex Concione P. Ludouici Alberteij habita in Aede Cathedrali. a.311.ad 319.

CAP.LI. A multis protectionis ſignis & exemplis oſtenditur veritas Epiſtolæ. a.319.ad 322.

CAP.LII. Oſtenditur ſingularis protectio Deiparæ Virginis erga Meſſanenſes ex Archadij Hiſtoria. a.323.ad 338.

CAP.LIII. Oſtenditur repromiſſa per Epiſtolam protectio Virginis ex alijs euentibus. a.338.ad 342.

CAP.LIV. Oſtenditur protectio Deiparæ Virginis ex eiuſdem inſigni Apparitione. a.343.ad 350.

CAP.LV. Oſtēditur protectio Virginis ex liberata à Peſte Meſſana. a.350.ad 363.

CAP.LVI. Oſtēditur Virginis protectio ex adiecta eiuſdem Sacra Imagine. a.363.ad 370.

CAP.LVII. Oſtēditur protectio Deiparæ ex liberata à fame Meſſana, & ex ſedato periculoſo tumultu. a.371.ad 374.

CAP.LVIII. Oſtēditur protectio Deiparæ Virginis à fidei defenſione, & conſtantia Meſſanenſium. a.375.ad 378.

CAP.LIX. Oſtēditur protectio Virginis ex delecto Meſſanæ Templo, & nonnullis ex Epiſtola deſcripta miraculis. a.379.ad 384.

ELEN-

ELENCHVS AVCTORVM.

QVI PRÆTER VNIVERSAM SACRAM Scripturam, variaſq; eius verſiones, & gloſſam, nec non vaticinia Sibyllarum, & corpus vtriuſq; Iuris paſſim, vel ſubinde in hoc opere citantur.

A

ABdias Babylonicus.
Abrahamus Orthelius.
Abercius Hieropolitanus.
Acta Sylueſtri.
Acta Pontij Martyris.
Acta Lini.
Ado Truirenſis.
Aelianus.
Alanus Copus.
Albertus Piccolus.
Alphonſus Salmeron.
Alphonſus Villegas.
Alphonſus Paleotus.
S. Ambroſius.
Ambroſius Catherinus.
Anaſtaſius Nicænus.
Andreas Cretenſis.
Andreas Tiraquellus.
Andronicus Imperator.
Annales Indici.
S. Anſelmus.
Antiſthenes.
S. Antoninus.
Antonius Beuterus.
Antonius Poſſeuinus.
Arator Diaconus.
Aratus.
Ariſtoteles.
Aeſchylus.
Auctor imperfecti.
F. Auguſtinus de IESV.
Auſonius.
Azo.

B

BAldus Vbaldus.
S. Baſilius Magnus.
Bartholomæus de Neocaſtro.
Bartholomæus Caſſanæus.
Bartholomæus Fanenſis.
Beda.
Benedictus Iuſtinianus.
S. Bernardus.
Bernardus Lutzemburg.
S. Bonauentura.
Breuiarium Romanum.

C

CAecilius.
Cæſar Baronius.
Cæſarius Monachus.
Cæſar Campana.
C. Sueton. Tranquillus.
Calliſtus Papa.
Campanus.
Carolus Sigonius.
Carolus Guaguinus.
Cedrenus.
Chæremon Stoicus.

Chriſtianus Adrichomius.
Chriſtophorus Clauius.
Chriſtophorus de Caſtro.
Chronica S.Franciſci.
Claudius Ptolomæus.
S.Clemens Alexandrinus.
S.Clemens Romanus.
Codex Baſilianus.
Concilium Nicænum.
Concil. Epheſin.
Concil. Chalcedon.
Concil. Conſtantinop. III.
Concil. Lateran.
Concil. Trident.
Conſtantinus Porphyrogen.
Cornelius Tacitus.
Cornelius Ianſenius.
Cornelius à Lapide.
Coſmas Magalianus.
S.Cteſiphon.
S.Cyrillus Alexand.
S.Cyrillus Hieroſol.

D

Daniel Mallonius.
Darius Comes.
Didacus Morillo.
Dinus Mugellanus.
Dio Caſſius.
Diodorus Siculus.
S.Dionyſius Areopagita.
Dionyſius Exiguus.
Dionyſius Richel.
Dionyſius Petauius.
Dominicus à Soto.

E

Egeſippus.
Emmanuel de Magijs.
S.Epiphanius.
S.Ephrem.
Euagrius.
Euodius Antiochen.
Euſebius Papa.
Euſebius Emeſenus.
Euſebius Cæſarien.
Euſebius Pamphili.
Euthrandus.
Euthymius.

F

Fabianus Papa.
Felinus Sandeus.
Ferdinandus Salazar.
Flauius Lucius Dexter.
Flauius Blondus.
Franciſcus Petrarcha.
Franciſcus Picus Mirand.
Franciſcus Maurolycus.
Franciſcus Suarius.
Franciſcus Biuarius.
Franciſcus Bencius.
Franciſcus Piſanus.
Franciſcus Salazar.

G

Gabriel Pennottus.
Gaſpar Eſculanus.
S.Gaudentius.
Gelaſius Papa.
Georgius Nicomedienſis.
S. Germanus.
Gilbertus Genebrardus.
Gorionides.
S. Gregorius Papa.
S.Gregorius Turon.
Guglielmus Durantes.
Guglielmus Morelius.
Guido Pancirolus.

H

Hali.
Heleca.
Heribertus Roſuueidus.
Heſychius Hieroſolym.
S. Hieronymus.
Hieronymus Sauanarola.
Hieronymus Vida.
Hieronymus Manduca.
S.Hilarius.
S. Hildephonſus.
S.Hippolytus Portuenſis.
Hugo Cardinalis.
Hugo Falcandus.

I

Iacobus Bergomenſis.
Iacobus Maior.
Iacobus de Voragine.
Iacobus Gretſerus.
Iacobus Billius.

Digitized by Google

Iacobus Gordonus.
S. Ignatius Mart.
S. Ioannes Chryſoſtomus.
S. Ioannes Damaſcenus.
Ioannes Caſſianus.
Ioannes Eſchiud.
Ioannes Bornemiſſa.
Ioannes Bocatius.
Ioannes Trithemius.
Ioannes Viguerius.
Ioannes Gerſon.
Ioannes Stoflerinus.
Ioannes Roffenſis.
Ioannes Stadius.
Ioannes Magnus.
Ioannes Lucidus.
Ioannes Molanus.
Ioannes Vaſæus.
Ioannes Mariana.
Ioannes Bolognettus.
Ioannes Deckerius.
Ioannes Capgrauius.
Ioannes Salazar.
Ioannes Anton. Galbutius.
Ioannes Calderon.
Innocentius Papa.
Ioſephus Hebræus.
Ioſephus Bonfilius.
S. Irenæus.
R. Iſaach Arama.
Iulianus Archipresb.
S. Iuſtinus Martyr.
Iuſtus Lypſius.

L

Lactantius Firmianus.
Laurentius Surius.
S. Leo Papa.
Leuinus.
Lucianus.
Lucius Annæus Seneca.
Lucius Portius Galbetus. al. Alb. Pic.
Ludouicus de Caſanacte.
Luitprandus Ticinenſis.

M

Macrobius.
Manuſcrip. Marquett.
Manuſcrip. Leontin.
Manuſcript. Hiſpan.
Marcellinus Comes.
M. Tullius Cicero.
Marcus Maximus.
M. Anton. Sabellicus.
M. Anton. Politus.
M. Michael Carnotenſis.
Marianus Scotus.
Marianus Victorius.
Martinus Polonus.
Martinus Delrio.
Martinus de Ayula.
S. Maximus Martyr.
Maximus Monachus.
Maximus Braulio.
Martialis Meſtræus.
Martyrologium Romanum.
Matthæus Galenus.
Matthæus Rubinus.
Melito Sardicenſis.
Menologium Græcorum.
F. Michael de Placea.
Minutius Felix.

N

Nicephorus Calliſtus.
Nicephorus Gregoras.
Nicodemi Euang.
Nicolaus Harpsfeldius.
Nicolaus Serrarius.

O

Oecumenius.
Octauius Caetanus.
Onuphrius Panuin.
Origenes.

P

Palladius.
S. Paulinus.
Paulus Oroſius.
Paulus Foroſempronien.
Paulus Middelburgen.
Pelbartus Temeſuari.
Petrus Damianus.
Petrus Bleſdenſis.
Petrus Equilinus.
Petrus de Natalibus.
Petrus Galatinus.
Petrus Galeſinus.
Petrus Caniſius.
Petrus Gregorius.

Pe-

Petrus Mani.
Petrus Maffæus.
Petrus Ribadeneira.
Petrus Anton. Spinellus.
Philippus Fantinus.
Philippus Cluuerius.
Philo Iudæus.
Pindarus.
Phlegon.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Polydorus Virgilius.
Procopius.
S. Proſper Aquit.
Publius Virgilius.

R

Rabanus.
Raphael Volaterran.
Relatio rerum in German. geſtarum edita Auguſtæ.
Richardus Frumentinus.
Richardus de S. Victore.
Robertus Bellarminus Card.
Rodericus Ximenius Toletan.
Rufus.
Ruffinus.
Rupertus Tuitienſis.

S

Sanctus Pagninus.
Sebaſtianus Barradas.
Serinus Sammoniacus.
Seuerus Sulpitius.
Sidonius Apollinaris.
Sigebertus.
Simeon Metaphraſtes.
Simon Maiolus.
Siricius Papa.
Sixtus Senenſis.
Socrates.
Solinus.
Sophronius.
Sophocles.
Sozimus.
Sozomenus.
Statius Papinius.
Stephanus Coſmog.
Stephanus Forcatulus.
Strabo.
Syluester Maurolycus.
Symphorianus Champerius.
Suidas.

T

Talmud.
Tertullianus.
Theano Pythag.
Theodoretus.
Theodorus Studita.
Theodorus Balſamon.
Theodorus Lector.
Theophilactus.
S. Thomas Aquinas.
F. Thomas de Monaco.
Thomas Caetan. Card.
Thomas Fazellus.
Thomas Bozius.
Thomas Tamaius.
Thucydides.
Titus Liuius.
Triſmegiſtus.

V

Vailermus Siluius.
Valentinus Pacæcus.
Varro Roman.
Vatablus.
Vincentius Beluacen.
Vſuardus Monach.

X

Xenocrates.
Xenophon.
Xiphilinus.

Digitized by Google

AVCTORES

QVI DE HAC B. V. EPISTOLA EGERVNT, vel mentionem fecerunt.

A

ALbertus Piccolus.
Alexander Calamatus.
Alphonſus Villegas.
Antonius Viperanus.
Archangelus Ruſſus. In manuſcrip.

C

CHriſtophorus Verucchinus.
Conſtantinus Laſcaris.
Cornelius Muſſus.

F

FElix Aſtolphus.
Ferreolus Locrius.
Flauius Lucius Dexter.
Franciſcus Maurolycus.
Franciſcus Arias.
Franciſcus Faſanus.

G

Georgius Gualtherus.

I

IOannes Bonifacius.
Ioannes maria Tarſia.
Ioannes Carthagena.
Ioannes Pet. Odeſcalcus.
Ioannes Paulus Ferella.
Ioan. Bapt. Laurus.
Ioannes Camerota. m. ſ.
Ioſephus Bonfilius.

L

Laurentius Maſellus.

M

MAN. ſ. Marquett.
Man. ſ. Leontin.
Martinus Nauarrus.
Mutius Iuſtinopolitanus.

O

Octauius Gloritius.

P

PEtrus Caniſius.
Petrus Anton. Spinellus.
Præconius Archiep. Panor.

S

Syluester Maurolycus.

T

Thomas Tamaius.

Qui demum ad hoc opus aliquid contulerunt ſuo loco nominantur, & in Indice pleriq; recitantur.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLAE
B. V. MARIAE
AD MESSANENSES
Veritas Vindicata,

AC PLVRIMIS GRAVISSIMORVM SCRIPTORVM TESTIMONIIS, ET RATIONIBVS
eruditè illuſtrata.

QVA OCCASIONE BEATA VIRGO SCRIPSERIT ad Meſſanenſes.

CAPVT PRIMVM.

POST glorioſum Saluatoris noſtri ad dexteram Patris in cœlo conſeſſum, ſtatim ac propagandæ cura ſalutis Apoſtolis incumbere cœpit, ſuas quiſq; partes, induti virtute ex alto, necquicquam Apoſtolica fortitudine implere, peragratiſque varijs Orbis prouincijs, lumen Euangelij non inferre modo, verùm etiam animos hominum prædicando vehementius ad pietatem chriſtianam cœperunt inflammare. Sed enim illis inter cetera prædicationis myſteria, materies non poſtrema fuit. *cœleſte illud* [a] *prodigium Virgo Chriſtifera* mater Dei, cuius inter mortales adhuc degentis auctoritas, quemadmodum non parum fidei, Apoſtolicæ prædicationi faciebat; ita ſupra humanam auguſtioris vitæ ſublimitas, quàm plurimos è longinquis etiam terrarum, ac præſertim [b] Hiſpaniarum partibus ad ſpectandum propius alliciebat. Ac vt omittam Ignatium, Dionyſium, alioſq; permultos, quibus è Iudæa, Græcia, ceteriſque longè propè regnis, *Sacratiſſimi* huius, vt cum Ignatio dicam, [c] *monſtri*, viſendi copia cum ſalute facta eſt, [d] *Quem enim non delectaret videre eam, & alloqui, quæ verum Deum de ſe peperit, vniuerſis admirandam, cunctis deſiderabilem?* primos vt olim in Oriente Magos, ita quod ſciam in Occidente Meſſaneñſes ea gloria concernit, qua publico Senatus decreto Le-

a S. Ignatius Ep. ad Ioannem. S. Bernar. Serm. 7. in Pſalm. 90.
b Lucius Dexter ad ann. 35. Biuar. ibidem
c Epiſt. ad Ioannem.
d Ignat. Epiſt. 2. ad Ioann.

gatione ad Virginem inſtituta, ſuæ fidei initia Chriſto Dei filio in matre Virgine conſecrarent, piumq́ue Virginis patrocinium deprecarentur. Quamquã enim frequens multorum, ſed præſertim [e] Hiſpanorum ad eandem Virginem fuerit peregrinatio, nimirum ob acceptam primum à C. Oppio Centurione famam, deinde ab exulibus, quos Chriſti cauſa extorres à Iudæa in Carthaginem Hiſpaniæ appulerat; quãquam etiam Legati ab ijſdem Hiſpanis, ac præſertim Iudæis illic degentibus, ad ipſos venerint Apoſtolos, accerſitum quantocyus, qui recenſita de morte, & reſurrectione Chriſti verius, ac vberius edoceret, id, quod poſtea præclarè præſtitit Iacobus Maior Hiſpaniarum dictus Apoſtolus, publicam tamen ad ipſam Deiparam Virginem, ex ordine Legationem Meſſanenſes primos gentium decreuiſſe, neſcio an aliquiſpiam iure inficias ire queat. Sed verò tam recens à gentilitate pietas, honoſq́ue habitus Virgini haud ſine pretio ſtetit, ac dignitate poſterorum, quando ex eo tempore Meſſanenſium res domi, foriſq́ue ſteterunt, ipſa Vrbe vel in ſexcentis viciſſitudinibus caput ſemper extollente, vt quæ antiquitate penè cæteris Europæ vrbibus præſtaret, nobilitate tot priuilegijs aucta nulli cederet; hodie religione quoque, ac Deiparæ Virginis cultu, par ſummis, ſecunda certè videri poſſit nulli.

e Dexter ann. 36.

Porrò Legationis eiuſcemodi adornandæ occaſionem, eam apud pleroſq́ue inuenio, quam Alphonſus [f] Villegas ex Mutio [g] Iuſtinopolitano Scriptore non indigno refert. Pauli videlicet Apoſtoli Rhegij Calabrum prædicantis fama excitos Meſſanenſes, continuò miſiſſe, qui rogatum, Euangelij gratia Meſſanam adducerent; veniſſe illum facile exoratum, quippè cui nihil erat antiquius, quàm ſedulò quærere, nedum arripere libenter oblatam diſſeminandi Verbi occaſionem, atque inter alia de Incarnationis myſterio verba facientem, crebra Mariæ Virginis Hieroſolymis commorantis appellatione, eò procliues ad religionem permouiſſe animos, vt ardenti ſtudio prouinciam tantæ Virginis adeundæ, lectis ex præcipuo gradu viris demandarent, Vrbiſq́ue ſuæ, ac Ciuium tutelam ſingulari Patronæ demiſſa imploratione commendarent; Annuiſſe Virginem, animo ſtatim ad Meſſanenſes inflexam, exaratiſq́ue propria manu lingua Hebræa literis, ſuam in eos propenſionem, ac voluntatem benignè teſtatam feciſſe. Hæc ferè Villegas, ſed ipſe vulgari idiomate.

f Tom. 2. cap. 20.
g l. 1. Hiſt. Sac. c. 13.

Decuit autem Meſſanenſes audita Principis Apoſtoli prædicatione, Legationem decernere, non vtique ad Apoſtolos, verùm ad Apoſtolorum Magiſtram, ac directricem, idipſum opinor admonente Paulo, vel quòd pridem Apoſtoli receſſiſſent in prouincias, vel quòd prædicatum à ſe Chriſtum Deum in dignitate tantæ Virginis adumbraret, quò velut ex aſpectu Matris didiciſſent non ſolùm quam præſidem cœleſtium gratiarum in terris reliquiſſet, qui cœlis in aſſumpto corpore illatus, ſuæ carnis principium, ſuæ exemplar ſubſtantiæ, pignus dediſſet; niſi etiam illud veriſſimè dixeris, eò Paulum prædicantem, crebrò Mariæ Virginis nomen vſurpaſſe, quòd dictorum fidem, non alio magis miraculo fieri poſſe teſtatam noſſet, quàm ſi miraculorum maximum micantibus auribus intuliſſet, Virginem ſcilicet Chriſti Dei hominis parentem, adhuc inter mortales agentem, eandemq́ue veritatis Euangelicæ Sacrarium, præcipuum Diuini Spiritus oraculum, ex quo ipſi etiam Apoſtoli de rebus fidei ſciſſe conſueuiſſent, vtpote, quæ *Sacra* [h] *Virgo conſilio, luce doctrinæ, & mirabili vita exemplo, Collegio præſediſſet Apoſtolico, nihilq́ue graue geſſiſſent Apoſtoli, quod non eius conſilio, ductuque geſtum fuiſſet.*

h Dexter ad ann. 34.

Eadem, quæ Villegas, ſed reſtrictioribus recitat Chriſtophorus [i] de Caſtro. *Dum* (inquit) *Paulus Romam proficiſcens eſſet Rhegij rogatus à Meſſanenſibus, duas habuit conciones, vnam de Incarnatione Verbi, & Mariæ Virginitate adhuc viuentis, qua excitati duos miſerunt Nuntios Hieroſolymam, protectionem illius depoſcentes, per*

i Hiſt. Deipara c. 25.

qu.s

quos illa miſit vnam epiſtolam Hebraicè ſcriptam manu ſua. Hæc ille, qui tamen, vt ſuo loco videbimus, huic Hiſtoriæ fidem ſuam non credit.

Paulò aliter lego in manuſcripto, quod ab Illuſtri Patritio D. Iacobo Leontino, huius Vrbis, dum hæc ſcribere incœpiſſem, ſexuiro accepi. *Cum Beatus* (inquit) *Paulus Apoſtolus eſſet in Calabria, Rhegij feruenter euangelizans, fuit à populo Meſſanenſi mirabili deuotione vocatus. Vnde venit, & prædicauit prima die de Chriſti Saluatoris Paſſione, ſecunda verò de Beata Maria Virginitate, & Incarnati Verbi myſterio; quibus auditis ipſa Vniuerſitas Meſſana, vbi hæc Deifera Virgo reſideret, inſtanter interrogauit. Cui B. Paulus reſpondens, dixit Hieroſolymis morari, & adhuc viuere. Repleti itaq; gaudio magno Meſſanēſes, inſtituerunt Legatos, qui vna cum ipſo Apoſtolo Hieroſolymam tandem nauigio ſe contulerunt. Vbi facta prius oratione B. Virginem in Dominam ſuſceperunt, quæ ſanctiſſimis manibus proprijs, Hebraicis literis reſcripſit in quodam Chyrographo.* Hæc in eo manuſcripto, quod tametſi videatur vetuſtate penè corroſum, Conſtantini tamen Laſcaris, à quo in Latinum conuerſa traditur Epiſtola, tempora non ſuperat, quibus etiam poſterior eſt Mutius Iuſtinopolitanus. Niſi fortè candor, & ſimplicitas ſtyli, canitiem arguat ſeculi maioris, quando hoc ipſum exemplar, vt notauit Scriptor ex Codice vetuſtiore ſit tranſcriptum, ex quo ſuam deinde Laſcaris accommodare potuit verſionem; quod fortaſſe nonnullis non videbitur inuerisimile, attenta præſertim Laſcaris eruditione, quæ tamen in ea verſione non elucefcit. Verùm, quæ quæ ſit hæc coniectura, ideo dixerim, Laſcaris ætatem haud anteire, vt oſtendam, non magnoperè eſſe curandum, ſi aliquam prima fronte obijciat difficultatem recentiorum Scriptorum inter ſe diuerſitas; hæc enim non illicò ſi ſe offert, rem de qua agitur, falſitatis arguit, ſed latentem veritatem velut in vena aurum, accuratiùs inquirere, atque adeò in clariorem lucem hortatur eruere. Quin verò ſæpius ex diſcrimine narrationis, vbi de improbitate narrantium nihil præſumitur, argumentum veri non infirmum enaſcitur, quod ferè diuerſitas exemplarium antiquitatem commendet rerum geſtarum, cùm ſicut rectè pro Lucio Dextro contra Pennottum arguit [K] Biuarius, recentioris cuiuſpiam commentum haud ita varias pati potuiſſet expoſitiones, & mendacem iuxta commune prouerbium memorem eſſe oporteat, ne, ſi ſemel abludat, in poſterum fide mulctetur. Atque hoc in veſtibulo operis pro re nata, ſic ſemel dictum eſſe conuenit, vt deinceps quoque contra id genus argumenti, ſi fortè occurrat, peractum cenſeatur; ſecus nedum in profanis, ſed multò maximè in ſacris hiſtorijs, periculoſam aleam ſubibit veritas, in tanta varietate Scriptorum, etiam tempore ſupparium, quò proinde in re noſtra excuſatione digni ſint recentiores, qui in tot retroacta ſecula diligentius inſpicere non potuerunt, vel certè citra diſcrimen veri de negligentia tantum arguendi.

K In Appendice §. 5.

Sed etiam illud monuiſſe refert hoc loco, Meſſanenſibus non primùm à prædicatione Pauli Deiparam innotuiſſe Virginem, ſed duntaxat eo prædicante inclaruiſſe magis, amarique cœpiſſe ardentius, atque ad deſtinandam Legationem Meſſanenſes permoueri. Neque enim facilè quis adducatur, vt credat exactis è Iudæa [l] pluſquam quindecim mille viris, qui prædicantibus Apoſtolis in Chriſtum crediderant, ijſdemque alijs, atque alijs in Aſiam, atque Europam commigrantibus non aliquos extitiſſe, qui Meſſanam conceſſerint, famamque Chriſto, & Virgini fecerint, quando non minima pars exulum in Cyprum prius adducti, indè verò plures quingentis Carthaginem Hiſpaniæ mittentes, dubio procul Siciliam Orbe claram, Vrbemque Meſſanam portu, & extenſione celeberrimam, antea tenuerunt, vt deinde regia nauigatione ceteras Occidentis partes appeterent. Et quidem frequentem ab antiquo fuiſſe ex Palæſtina, atque Aſia, totiuſque Orientis tractu nauigationem in

l Dext. ad a. n. 35.

regiones Occidentis penè vltimas, celebre eſt nedum in profanis, verum etiam in Sacris Hiſtorijs, immo ex ipſo Sacræ Scripturæ contextu, quod inter alios non minus fusè, quàm eruditè oſtendit recens commentator [m] Lucij Dextri; in ea verò rarò præteritam fuiſſe Siciliam, argumento ſunt Phœnices, qui cùm teſte Thucydide [n] *Circa omnē habitarent Siciliam, occupatis extremis ad mare partibus paruiſq; inſulis,* (quarum prima Diod. [o] Sic. Melita eſt) *ei obiacentibus negotiandi cum Siculis gratia.* [p] Hinc demum negotiationes ſuas vſque ad Oceanum occidentalem extendentes, Coloniam in Sardiniam quoque, & Hiſpaniam deduxerunt. Neque enim Sicilia nauibus tempeſtate iactatis minus tutos receptus præbebat, quàm Melita in alto mari ſita, vt proinde ipſa quoque ob portuum commoditatem nauigantium in Occidentem refugium eſſet, imò Hoſpitium. Deinde verò ab inita Iudæorum cum Romanis ſocietate, iterumque poſt aliquot annos rebus turbatis in prouinciam redacta Iudæa, ſæpiuſque ob rebellionem conflictata, ac tandem euerſa, Claſſi Romanæ Sicilia, ipſaque Regni caput Meſſana viam militarem præbuit, non minus quàm ceteræ Vrbes Italæ nauium receptrices, ac planè ſtatio facta eſt.

Liquet igitur, antequam ſeceſſione facta, in omnem terram ſonus Apoſtolicæ prædicationis exiret, non paucas Vrbes, ac Prouincias fama Chriſti, ac Matris Virginis impletas fuiſſe ab iis, qui vltrò citroque nauigabant. Mitto quæ Ioſephus Iudæus [q] de Chriſto duntaxat tradidit, aliquantò nimirū ſerius, hoc eſt, quadraginta annis à Cruce peracta, quàm, vt ad rem faciat. Nec repeto libros Sibyllinos [r] longè quidem antea toti orbi proditos, ſed quod diuinitùs factum eſt, circa ipſa mortis tempora, occaſione quorundam carminum recens in lucem emergentium, diligenter Romæ, tum in Senatu, tum apud Quindecimuiros, diſcuſſos, atque examinatos; iſ ſanè non pauca de Chriſto, ac Maria Virgine citra inuolucra, & ambages prælocuti ſunt, quæ quantumuis ab Ethnicis Scriptoribus de induſtria præterirentur, in auribus tamen, animiſque gentium dudum inſederant, vt veriſimile quoque ſit Sicilienſes natura curioſos, ſed præcipuè Meſſanenſes eorundē carminum notitiam haud latuiſſe, apud quos eandē habitaſſe Sibyllam, quæ Romę Cæſari [ſ] Auguſto ſublimem in aëre Virginem, Deumq; in vlnis Infantem fertur oſtendiſſe, propius eſt vero, quàm vt negari debeat; non quòd illa ſuperſtes adhuc eſſet, quæ multis ante ſeculis ex humanis exceſſerat, ſed quia, Deo faciente; vel imago defunctę in ſpeciem viuentis obiecta, reipſa perdoceret, quę Auguſtus ex eiuſdem carminibus de Chriſto, & Maria cum voluptate legere, ac diſcere conſueuiſſet: vel ſi mauis, cupientem ſcilicet multa noſſe, lectio vaticinij frequens ad ſublimiores cogitatus erigeret, vt quod legendo concepiſſet, hoc Sibylla monente, ac penè indigitante didiciſſe putaretur. Ea verò fuit Sibylla Cumæa Romanis non ignota, quippe [t] Tarquinij Regis tempeſtate Romæ ſat diù verſata, ſed Siculis etiam perfamiliaris, apud quos [u] Sepulchrum ſuum eſſe voluit, planè puta, cum ſepulchro, carminum quoque theſaurum, vt inde poſtmodum ab Auguſto [x] diligentia non minus impenſa, quàm multis expenſis conquirerentur.

Quorſum hæc? niſi vt probè conijcias, tametſi nomen Chriſti, & Virginis in magnam Orbis partem iam introiuiſſet, diuulgatum ſcilicet ab exortu ſtellæ in natiuitate, à conticeſcentibus [z] oraculis ab adoratione Magorum, à perturbatis Hieroſolymis, ab infantum cæde, ab interitu Herodis, à miraculis Chriſti, à deliquio ſolis in morte, à monumentis publicis, quæ iudicato ad necem Domino in tabulis [a] deſcripta, Romamque perlata Vrbem, & Orbem impleuerant, denique à peculiari præſidis Pontij Pilati [b] relatione ad Tiberium miſſa, in qua non modo Chriſti, ac Virginis inducitur mentio, verùm etiam vitę, miraculorum, inuidię Iudęorum, iudicij,

mortis

[m] In diſp. de Tharſ. & Ophir.
[n] lib. 6.
[o] lib. 5.
[p] Diodor. Sic. lib. 5. Cluuer. in Melita. & Meſſana.
[q] Lib. 18. Antiq. c. 4.
[r] Tacitus lib. 5. Baron. ad ann. 34.
[ſ] Barō. to. 1. in appar.
[t] Solin. Polihiſt. c. 8.
[u] Solin. c. 11.
[x] Tacitus lib. 3.
[z] Niceph. l. 1. c. 17.
[a] Barō ad ann 34. Iuſtin. in Apol. ad Antonin.
[b] Egeſipp. in Annacephalæoſi.

Digitized by Google

mortis denique, ac reſurrectionis cataſtrophe perſpicuè ob oculos ponitur: tametſi tot (inquam) argumentis, ac tot penè omnium gentium linguis, fama per totum Orbem Chriſti, ac Mariç nomen loqueretur; ipſis tamen Sicilienſibus, ac multò magis ipſis Meſſanenſibus, argumento pręterea fuiſſe, traditionem ex ore Sibyllç per tot ętates deductam, illa ipſa carmina penè in triuijs decantata, nec tamen ſuis, qui iam alibi inciderant euentibus, animo attento comparata, & in quotidiano loquentium vſu, non percepta potiùs, quàm neglecta. Vt hic quoque quemadmodũ apud Athenienſes, locum inuenerit artificioſum quoddam Oratoris ad animos rapiendos intenti exordium: Viri Meſſanenſes, qui ſcilicet ad nihil aliud vacatis libentius, quã hoc tempore aut dicere, aut audire aliquid noui, per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video. Accedens enim ad vos, à vobis acceerſitus, & agnoſcens ſimulacra animorum veſtrorum, & in medio pectoris veſtri velut aram Sibyllinis notis inſcriptam, VIRGINIS FILIO. Quod ergo à multis audiuiſtis, ſed nondum ſuſcepta fide probaſtis, quod taciti, ac ſuſpenſi admiramini, quod curioſa quadam voluptate veneramini, hoc vobis annuntio. Quin etiam illud identidem inculcaſſe pro re nata crediderim, quod aliquando pro concione ſiue ad Iudęos, ſiue ad Gentes, *Libros* [c] *Græcos ſumite, Sibyllam agnoſcite*; Sibyllam veſtram, ò Meſſanenſes. Et quod dixiſſe potuit, veſtros ciues inquirite, qui dubio procul pendentem in Cruce natum, ſiſtentem iuxta Virginem Matrem, Solis in meridie moleſtias, ac labores, telluris concuſſiones, ſepulchrorum conuulſiones aſpexerunt. Hæc, & id genus dici potuiſſe à Paulo, non facilè quiſpiam dubitabit, ſi eruditos pro re, & tempore Pauli à prædicando mores attendat, vnaq; intelligat, à ſæuiente poſt aſcenſionem [d] Chriſti perſecutione, quàm plurimos, vt periculo ſeſe eximerent ad propria remeaſſe, qui præſertim à die Pentecoſtes nomen Euangelio dederant, & diuturniorem in Iudæa commorationem detrimentum fecerant. Ex ijs verò, cùm non pauci aduenæ Romani eſſent, hoc eſt [e] Itali, & qui Romana lingua vterentur, nihil vetat aliquos etiam Sicilienſes, atq; adeò Meſſanenſes fuiſſe, qui magnalia Dei Hieroſolymis viſa, auditaq; ſuis poſtea renarrarent, niſi etiam, eorundem aliquos ab ipſis Apoſtolis miſſos aliquis autumet, quando ſi [f] Iuſtino, & [g] Oecumenio credimus in vniuerſas Orbis Prouincias illi præmiſerunt, qui prędicationem Apoſtolicam præuenirent.

[c] Clemen. Alex. l. 6. Strom.

[d] Actor. 8.

[e] Bar. ad ann 72. ex Ioſepho.

[f] Lib. de Veritate.

[g] cap. vlt. Actor. Ap.

Quare, quæ hoc loco ex eo manuſcripto exemplari circa aduentum Pauli Meſſanam dicta ſunt, eò demum referenda erunt, veniſſe illum aduocatum, non quò primùm Meſſanenſes de Chriſto, ac Maria inſtrueret, ſed quò de lectis, & auditis ſacratiùs erudiret. Commendabat quippe eum magnitudo rerum in Orbe geſtarum, & præſertim à laude linguç, qua (vt Chryſoſtomi verbis vtar) *ſupra ipſum Solem illuxit; cæteros omnes verbi doctrinæ exuperans, vt ſicubi concionandi locus ſe offerret, ei paſſim concederent omnes, quo nomine, & Mercurius eſſe credebatur ab ijs, qui in Chriſti verba nondum iuraſſent, quod videlicet orationis, eloquentiæque præſes eſſet.* Vt hinc, quod obiter dixerim non abs re quiſpiam conijciat, Meſſanenſes audito ſemel Paulo, id poſteris etiam ſuis ingeneraſſe, vt eloquentiam in ſuis Prędicatoribus curioſè nimis affectent, eoſdemque pro dignitate ſuæ Metropolitanæ, magnis vndique ſumptibus non aduocent modò, ſed multis etiam annis ante certatim procurent, idque præſtitiſſe non in poſtremis laudibus ducat Senatus. Verùm ad inſtitutum. Commendabant præterea Paulum, ſuperata recentis naufragij pericula, ſed pręcipuè recentiſſima Publij Principis Inſulæ Melitæ conuerſio, ibidemque patratę virtutes, quibus opinione vulgi iterum velut Deus aliquis efferebatur, denique Rhegij ferùenter Euangelizantis, ad miraculum vſque columnę ardentis prędicatio, quò proinde libenter vel aſpectu tanti viri velut è cœlo delapſi frui peroptarent, libenter ex eius

In Præf. in Epiſt. ad Rom.

Digitized by Google

eius ore pendere, ad eius nutum aras, & focos in poſterum ordinare, ſed præſertim pleraque lecta, & audita de Chriſto, ac Virgine perauidè ſciſcitari, vt vel hinc, ſi non aliàs de more, anſam arripere debuerit Paulus, in eloquentię campo longiùs circa Virginitatem Marię excurrere, eamque adhuc ſuperſtitem, rogantes præſertim docere, nec non Hieroſolymis commorari, rerum Diuinarum cognitione omnibus retro Patriarchis, ac Prophetis excellere, vt quę doctrinę [b] luce collegio præſediſſet Apoſtolico, admirabili vitę ſanctitate omnes in ſtuporem vertere, eamque ob cauſam à pleriſque etiam longè exiſtentibus, cœleſtem eius aſpectum expeti, eoſdemque certatim confluere, benignè haberi, de via ſalutis, de Filij myſterijs pleniſſimè edoceri, benedictione tandē impertita ſanctiores, & velut Deo afflatos recedere, ac planè ita ſecum ſtatuere, niſi fides ſecus doceret, quaſi non hominem vidiſſent, non hominem loquentem audiuiſſent: quippe cuius organa vocis Spiritu ſancto moderante ſonum efformarent, quemadmodum cum Deum infantem vtero tuliſſet, eo intus agente, ac loquente verba proferebant. Quò proinde Meſſanenſium animi ſponté in admiranda quæque inclinati, tot ſtupendis de Virgine altius hauſtis, non excitarentur modò, verùm etiam inflammarentur ardentius, eamque Legationem, de qua agimus decernerent, Paulo etiam vltrò ſtimulante exemplo credas, inter alias Hiſpanæ gentis, quæ dudum ad Apoſtolos ante receſſionem Euphraſium [i] ac Indalecium Legatos deſtinarat. Verùm plura, quæ huc ſpectant deinceps videbimus.

b Dexter ad an. 34.

i Dexter ad an 35. Biuar. ib. ex Iuliano Archip. S. Iuſta.

APOSTOLOS SAEPE DE B. M. VIRGINE *Verba feciſſe.*

CAPVT SECVNDVM.

INter alia, quæ fidem Epiſtolæ, de qua agimus infirmare videbantur, paucorum adhuc auctoritate, & ſola potius traditione ſubnixam, illud memini non poſtremum fuiſſe, Apoſtolos prædicationi in Orbem deſtinatos, Chriſtum duntaxat ſecum extuliſſe, eiuſdemque nomine myſteria fidei gentibus indidiſſe, B. Virginis religionem ſaltem de publico more, extra inſtitutum habuiſſe: quid enim ea faceret ad inferenda Sacramenta nouæ legis, quid ad fidem capeſſendam? Habet hoc genus argumenti aliquam ſpeciem ex eo, quòd in Veteri Scripturæ inſtrumento, ſi figurarum, ac typorum inuolucra prætereas, Mariæ nomen vix alicubi inducatur, Virginis duntaxat concepturæ ſat obſcura interdum libata memoria. At verò ſi ad Nouum Teſtamentum animum aduertamus, Euangeliſtæ quidem haud vna vice, quod ad hiſtoriam referret, Mariæ Matris, Virginiſque nomen intulerunt, Acta tamen Apoſtolorum, quibus præſertim Euangelici labores, habitæque paſſim ad populum conciones penè ipſis verbis exprimuntur, ita Virginem prætereunt, quaſi ne tenuis quidem, & hiſtorica cognitio, quippiam feciſſet ad prædicationem, nihiloque magis actum in epiſtolis, in quibus vel de induſtria cautum videtur, tametſi cùm ſæpiſſimè de Chriſto dictum eſſe oportuit, ex occaſione ſaltem Virginis quoque nomen incidere potuiſſet, ac debuiſſet. Atqui id maximoperè quis in Paulo miretur, in ea ſcriptionis abundantia, CHRISTI, AC IESV, AC IESV CHRISTI nomen quadragies, & amplius vſurpaſſe, neque tamen in appellationem Virginis, vel verbo effluxiſſe, niſi quod ſemel in Epi-

ſtola

Digitized by Google

ſtola ad Galatas [k] velut per tranſennam vocabulo mulieris eã notaſſe potiùs, quàm adnotaſſe putes: *Vbi venit plenitudo temporis miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege.* Vt vel hinc pro inſtituto colligere liceat, alienum fuiſſe à more Pauli, nedum prædicando de Virgine verba facere, ſed vel inſigniorem appellationem ſcribendo ei apponere, idque obiter duntaxat, quaſi aliud agenti inter labra excidiſſet. Quis ergo dixerit diem apud Meſſanenſes de Virginitate Mariæ dicendo extraxiſſe? Quin verò certiùs eſt Paulum Apoſtolum Chriſti Domini vſque ad ſtigmata ſectatorem, in eo quoque nuncupandi modo morem eiuſdem expreſſiſſe, quando is non alio Virginem titulo magis ſpecioſo inſigniuit, quàm mulieris interdum, vix matris.

Atque hæc quidem & alia in eiuſce argumenti vim adduci potuiſſent, multiſque exaggerari, quæ tamen nihilo magis valent ad eneruandum propoſitum, quàm ad confirmandum, ſi rem penitius inſpiciamus. Et quidem ad omnia verbo reſpondiſſe pro inſtituto ſatis foret: tametſi Paulus de Virgine prædicare minimè conſueuiſſet, quòd in illis initijs pro Eccleſia fundanda magis è re eſſet Crucifixi cauſſam, & Reſurgentis gloriam in Orbem immittere, vnde ſalus humani generis vnicè penderet: rogatum tamen eum, ac vt de MARIA quoque inſtrueret, admonitum, facere minimè debuiſſe, quin pro foro, multiſque differeret, niſi Euangelium fidei in gentibus Prædicator erubeſceret, niſi Chriſtum ex Virgine natum in corde ſuo ſanctificare nollet, vt potè minimè paratus [l] ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea, quæ in ipſo erat ſpe, ac fide.

Ceterùm pleroſque Apoſtolorum, inuecta in prouincias Chriſti prædicatione, nomini quoque Deiparæ Virginis, ac cultui præcipuè ſtuduiſſe, certiùs eſt, quàm vt fidem recentem requirat. Sanè Andreas inter [m] primos Apoſtolus, ex ipſa Cruce, penè Orbi conſpicuus, & iam morti proximus, ita Chriſtum, vnaque Virginem prædicauit, vt alterum ab altero ſeiungendum minimè putaret, ſed velut in vtriuſque nuncupatione ſacratius fidei myſterium indiuiſim ineſſet, vtriuſque ſignificatione confeſſionem ederet Apoſtolicam, his nimirum aureis verbis *Sicut primus Adamus formatus eſt ex terra antequam eſſet maledicta, ita ſecundus Adamus formatus ex terra Virginea nunquam maledicta.* Quibus etiam S. Dominicus Patriarcha, ſuum de Sacramento Corporis Chriſti libellum inaurauit, ac planè Apoſtolico ore de immaculata eiuſdem Virginis conceptione, vt quibuſdam videtur, pronunciauit.

Sequitur Bartholomæus, qui poſt multas Prouincias Euangelica luce affuſas, Albani [n] tandem minoris Armeniæ paſſus, in cœleſtem ipſe lucem transfuſus eſt. Is verò cùm aduentum Chriſti iuxta Matthæi Euangelium gentibus inſtanter prædicaret, nihil videtur habuiſſe antiquius, quàm MARIAE quoque nomen, ac virtutum prærogatiuam velut prædicationis ſuæ coronam intexere, nec duntaxat Virginitatem in matre, ſed quòd ipſa prima Virginitatis Sacerdos eſſet, altius commendare. Atque inter alia diſputanti, ac docenti peræquè ſimilis. *Hæc* (inquit [o]) *Virgo quum execraretur omnem virum, prima Deo omnipotenti vouit. Primam autem dixi, quia ex quo homo factus eſt ab initio ſeculi, nulla hoc votum Deo obtulit. Hæc ergo inter fœminas prima conſtituit in corde ſuo, vt diceret, Domine offero tibi Virginitatem meam, quum hoc à nullo homine verbo didiciſſet, nec exemplo ad imitationem videlicet in vita conſtituiſſet, vt Virgo pro amore Dei ſpecialiter permaneret.*

Non me latet, apud nonnullos vacillare fidem Abdiæ Babilonici, cuius ea de Virgine eſt hiſtoria, quòd quemadmodum Bellarminus [p] ait, vitæ Apoſtolorum, quæ eius nomine circumferuntur fabulis ſimiliores ſunt, quàm veræ narrationi. Verùm cùm apud multos pios, ac doctos [q] Scriptores locum mereatur, ceu vnus ex Diſci-

pulis

[k] cap. 4.

[l] 1 Pet. Ep. 1. v. 3.

[m] Abdias Bab. lib. 4. de reb. geſt. Andreæ. Salaz. cap. 42. ſeculo primo.

[n] Breuiar Roman.

[o] Abdias Bab. lib. 8. de vita Barth.

[p] De ſcrip. Eccleſ. in Abdia.

[q] Pet. Riuad in vita Barth.

e In Serm. 2 de S. Andrea.
f lib. 2. de Deip. c. 14.

pulis Domini,& vt phraſi [e] Petri Damiani in ſimili vtar,quàm plura,ex eius hiſtorijs in ſingularem auctoritatis arcem ſuſcepta ſint, libenter etiam aſſentiar, ne multa in alijs quoque hiſtorijs cogar inuoluere. Rectè verò [f] Caniſius hæc eadem de Virgine ex illo referens: *Sit verò iſthac* (inquit) *cuiuſcunque vel Apoſtoli, vel Apoſtolici viri Oratio, quæ ſi à nobis recipiatur, & legitimè ponderetur (nam de toto Abdiæ opere nunc iudicare neceſſe non eſt) quid, quæſo habet abſurdi, quod Apoſtolica vel doctrina, vel hiſtoria indignum, ac meritò reprehendendum cenſeatur?* Hæc ille. Huc verò ſpectare poteſt inter vetitos à [t] Gelaſio Pontifice libros, Abdiam minimè recenſeri, quod argumentum licet ab auctoritate, vt dici ſolet, negatiua ductum, vbi de doctrina, ac moribus præcipitur, momentum habet.

t Diſt. 15. cap. Sancta Romana.

De Ioanne quem IESVS diligebat nemo dubitabit, ſi cogitet transfuſa in eum à Filio matris cura, illud etiam recepiſſe, vt quemadmodum teſtimonium perhibuit de Filio, ſic etiam perhiberet de Matre, & *ſcimus, quia verùm eſt teſtimonium eius.* Quippè vel dulcis illa appellatio, qua ſatagentis in nuptijs Canæ Virginis mentionem inducit [u] *Et erat Mater Ieſu ibi.* amplam ei præbuit Theologicæ per orationis materiam, ſi præſertim ſimilis aquilæ in ſublimiora Solis aciem defigenti, quo pacto ex hac matre *Verbum caro factum eſt* explicaret, quod dubio procul fieri oportuit, non in Aſiatica ſolùm, ac Hiſpanica peregrinatione, ſed vbicunque de Verbo incarnato, atque adeò ſemper, è genio Ioannis verba facere neceſſe eſſet, idque eo putes ardentius, quò præ ceteris, vt [x] Hildephonſus ait, *MARIAM coleret, ac veneraretur, eidemque commendatione Magiſtri ſui ad finem vſque vitæ, quaſi Filius Matri aſſiſteret.*

u Ioan. 2.
x Serm. 6. de Aſſump.

Iam verò de Iacobo fratre Domini, qui neſciat, Solem videtur ignorare, quantus enim hic cultor, ac Prædicator Virginis extiterit, teſtatur illa celeberrima ædes Cæſarauguſtana, quam ipſius Deiparæ in columna apparentis monitu, Iacobus [y] iam apud Hiſpanos per menſes quindecim occupatus, excitauit; teſtatur ipſa illibatæ conceptionis, qua ſcilicet ipſa Deum vtero ſuſcepit ab eiuſdem Iacobi prædicatione celebris, ac feſta memoria; denique teſtatur ipſa ſacrificandi forma, quæ vetuſtiore vocabulo Iacobi Liturgia, nec à Græcis ſolùm Theologis probata, verùm etiã Sextæ [z] Synodi Generalis Patribus in Trullo ſub Iuſtiniano agnita, & laudata. In ea quia nonnulla ſunt, neſcio quam arcanam vim habentia ad trahendos in Deum affectus, amoremque B. Matris commendandum, placet hoc loco ea adſcribere, ſicut etiam placuit Sanctis Baſilio, & Chryſoſtomo, aliqua in ſuas Liturgias transferre, eademque Grecis recitanda tradere, quoties & ipſi Sacris operarentur. Sic igitur habent. *Commemorationem agamus Sanctiſſimæ, Immaculatæ, Glorioſiſſimæ, Benedictæ Dominæ noſtræ Matris Dei, & ſemper Virginis MARIAE.* Et paulò poſt. *Dignum eſt, vt te verè beatam dicamus Deiparam, ſemper Beatam & omnibus modis irreprehenſam, & Matrem Dei noſtri, honorabiliorem quàm Cherubim, & glorioſiorem, quàm Seraphim, quæ ſine corruptione Deum peperiſti, te reuera Deiparam magnificamus.* Et iterum. *Tibi, ò plena gratia vniuerſa creatura gratulatur, Angelorum cœtus, & hominum genus, quæ es Templum ſanctificatum, Paradiſus ſpiritualis, Virginum gloria, ex qua Deus carnem aſſumpſit, & puer factus eſt Deus noſter, qui eſt ante ſecula. Tuum enim vterum thronum fecit, & tuum ventrem latiorem, & ampliorem cœlis ipſis reddidit. Tibi, ò gloria plena, vniuerſa creatura gratulatur. Gloria tibi, &c.*

y Dexter ad ann. 37.
z Can. 32. De conſec. diſt. 2. Iacobus.

Quàm verò ſunt iſta dilucida, (exclamat [a] Caniſius) *præclara, fortia, nec aliunde, quàm ex Apoſtolico Spiritu deprompta, quæ & primo Eccleſiæ ſeculo congruunt, & ſingularem noſtræ Virginis arguunt maieſtatem. Cur enim Apoſtoli Deiparæ dignitatem*

a lib. 5. de Deipar. c. 11.

non

non agnoſcerent, ſimulq́; primò Chriſtianos docerent, vt ſummum Deum in eius matre, omnium præſtantiſſima creatura glorificarent, vtq́; & ipſi in tremendis illis myſterijs peculiarem eius quæ maximè gratioſa & glorioſa eſt memoriam celebrarent. Hæc ille.

Ex qua tanti viri ſententia liquidum euadit, quàm ceteris quoq́; Apoſtolis curæ fuerit in primis ipſis Eccleſiæ veſtigijs prædicatio MARIAE Virginis, quam etiam adhuc viuentem inter mortales plerią; Templis honorarent, & publica gratiarũ commemoratione beatam ſuper Angelorum Choros in conſpectum Dei efferrent. Eã quippe liturgiam, adhuc in terris degente Virgine concinnatam eſſe oportet, ſi Iacobus quadrageſimo ſecundo Chriſti anno quod multorum cum [b] Dextro tenet opinio Hieroſolymis gladio Herodiano percuſſus prædicandi finem fecit, poſtquam ſcilicet ex Aſia reuerſus eſt, quò Virginis Iudæa excedentis ad tempus, [c] vnà cum Lazaro, Martha, ac Magdalena Epheſum vſq́; comes iuerat; quamquam non deſint, [d] qui inde accerſitum à Petro in Hiſpaniam conceſſiſſe, hinc vero in Iudæam moriendi cauſa fuiſſe reuerſum exiſtiment; Alijs contra, [e] opinantibus, ab Hiſpanijs Epheſo migraſſe Hieroſolymam. Alijs [f] deniq́; ſuſpicantibus non vna vice Epheſum reuiſiſſe.

Sed enim ſi MARIAE viuenti Petrum quoq́; Apoſtolorum Principem, ædem Sacram aliquando, & ſaltem oratorium excitaſſe ſciamus, illud facilè conſequetur, neminem fuiſſe Apoſtolorum, qui eiuſdem exemplo in ſua quiſq; prouincia pro Virginis honore non ſatageret. Atq; id feciſſe Petrum teſtis inter alios laudatur [g] Raphael Volaterranus, Antaradi ſcilicet, olim Aradi, hodie Tortoſæ (Tripoleos oppidum putat in Inſula ſitum) primumq́; omnium id honoris Virgini habuiſſe, eodemq́; loco primum ipſum ſacrificaſſe. Id verò ne Templo Iacobæo vetuſtate præſcribat, famæ ac veriori traditioni permittendum. Certè ædem Cæſarauguſtanam primam omnium totius orbis fuiſſe auctor eſt [h] Dexter, & poſt ipſum alij, [i] *qui ita ſe rem habere, varijs modis* inquit Caniſius, [k] *& tabulis, & teſtimonijs, & miraculis perpetuiſq́; eius gentis fama ſimul, & celebri traditione confirmant* niſi cum ea certare poſſit [l] Mēphiticum illud templum, veteribus ex honore Virginis magno in pretio habitum, quòd in eadem Aegypti parte Virgo Mater, vnà cum infante Chriſto Herodianam ſæuitiam fugiens latuiſſe, ac Aphrodiſi cuiuſdam hoſpitio vſa fuiſſe credatur. Nam templum [m] Hermopolitanum, ob ſingularem eius miraculi memoriam, quòd Chriſto vnà cum Maria Matre ac Ioſeph nutritio illuc ingreſſo, ſimulacra omnia iuxta Prophetiam [o] Eſaię corruerint, fortaſſe aliquanto ſit poſterius. An verò ſacellum Romę ad tres Fontes non longè à Baſilica Pauli, ſecundum ſit Deiparę conſecratum, quemadmodum habet inſcriptio, penes Volaterrani ſit fidem vulgiq́; religionem in ea inſcriptione fundatam; ſecundum fortaſſe dixeris Romæ, ſicut ibidem vel in Italia primum, quod Petrus excitauit.

Atque hæc omnia eò tendunt, quò ſemel ſtatuamus B. Virginem in omni Apoſtolica prædicatione ſpecimen dediſſe dicentibus, nec ſolum in auribus vulgi domicilium famæ, ſed in foris quoq́; templa vendicaſſe auguſti nominis ſacraria: Eandem autem religionem Apoſtolico exemplo in alios quoq́; dimanaſſe, illis ipſis temporibus, conſtans eſt piorum, ſi monumenta ſcripta deſint, traditio, [p] Maternus ſanè ille à morte mirabiliter ad vitam reuocatus, idemq́; diſcipulus Petri ex primis, poſt ſpiritum ſecundò acceptum, eam apud Tungaros Deiparæ ædem conſecrauit, quam inter Alpes primam veteres Eccleſiarum teſtantur annales, quidni enim id honoris haberet Dei Matri, ſi etiam magiſtrum ſuum templo apud Germanos honeſtauit, non ſecus ac apud Alexandriam Marcus, apud Gallos Sauinianus, quod etiam [q] Epheſij præſtiterunt Ioanni adhuc in viuis agenti. Sed præclaro planè exem-

[b] Ad an. 42.
[c] Dexter. ad an. 41.
[d] Iulian. Archiep. S. Iuſti. ad an. 36.
[e] Helcca in addit. ad Chronicō Dextri.
[f] Biuar. ī com ad an. 41.
[g] Lib. 11. Geograph.
[h] Ad an. 38.
[i] Anton. Beut. Ioā. Vaſeus in Chron. rer. Hiſp.
[k] Lib. 5. c. 23.
[l] Dauid Chytræus ī 2. l. Herodoti, & in orat. de Stat. Eccl.
[m] Palladius ī Lauſan. Sozō. l. 5. c. 21. Niceph. l. 10. c. 1.
[o] Cap. 19.
[p] Caniſ. l. 5. c. 14.
[q] Abdias de vita Ioan. Ap.

Digitized by Google

exemplo, nec tam fœmineo quàm Apoſtolico pectore [r] Martha Chriſti in terris hoſpes, eidem, Virginiq; Matri ſingula apud Maſſilienſes templa excitauit, vt quos in terris tecto non ſemel excepiſſet, eorundem religionem templis quoq; includeret. Narrant eas ædes dedicatas fuiſſe decimo ſexto Kal. Ianuarij, præſentibus tum Epiſcopis Maximo Aquenſi, & Trophimo Arelatenſi, Eutropioq; Auracenſi, qui & primi Gallicanam vineam excoluerunt.

r Vinc. in ſpecul. hiſt. l. 8. c. 92.

Conſtat igitur in ipſis fidei naſcentis exordijs cum Chriſti nomine, nomenquoq; MARIAE in Eccleſiam fuiſſe ingreſſum, idq; non nuda duntaxat vocis appellatione, ſed myſteriorum fidei pernéceſſaria explicatione, quò proinde Paulo in primis prædicatori gentium minimè committendum fuerit, prætetire quòd è re foret ad Regnum Religionis fundandum, ac propagandum, idq; cum maximè rogatus fuiſſet ad Virginitatem MARIAE prædicandam, & idoneum animorum ſolum, iam diuina quodammodo manu præuerſatum, inueniſſet ad Euangelij ſemen cum fœnore ſuſcipiendum. Et quamuis ab ea prædicatione fortaſſe non continuò templa quoq; & Aræ ſurrexerint apud Meſſanenſes, (qua de re ſuo loco videndum erit,) non inde conficitur, Paulum illis nunquam viſum auditumue, vel ex eo nihilo magis profeciſſe in virtutibus heroicis, ſed duntaxat iniuria temporum indemnes voti, publicis ſacris ſuperſediſſe, quòd maximè Nerone furente vix alicubi prouinciarum haud longè ab Vrbe religio ſpirare liberius poſſet, tametſi multorum animis altius inſediſſet, id quod Meſſanenſibus, vel præcipuè cautum eſſe debuit, qui multo tempore Romanos Quæſtores ſingularius experti, voluntatem quoq; nomini Romano peculiariter obſtrictam circumferebant. Quamquam vero ſimile ſit, Apoſtolos etiam, non vbicunq; prædicaſſent, illicò templis extruendis animum intendiſſe, ſed vbi vel ſedem ipſi fixiſſent, vel diutius docendo inhæſiſſent, vel deniq; vbi res & tempus tuliſſent. Ceterùm illos prædicationi, prouincijſq; obeundis occupatos, hanc quoq; curam, vt olim miniſtrationem menſæ, alijs demandaſſe qui probare velit, nimis ſit otioſus.

Iam verò, vocabulum mulieris, B. Virgini à Paulo probrò datum qui fingat, næ non ſolum Angelo qui MARIAM benedictam inter mulieres adſalutauit, verùm etiam multoq; maximè Chriſto imponat, & cùm [t] Luthero, [s] Oecolampadio, [u] Melanchtone alijſq; ſuperioris præſertim ſeculi Hæreticis apprimè cōſentiat, ac perinde etiam quod Ioannes dixit Verbum caro factum eſt, ad calumniam apponat. Ceterum aduertere debet eiuſmodi, ex vſu ſcripturæ commune id ſexus eſſe vocabulum, neq; minus ad Virginem, quam ad nuptam ac defloratam pertinere. Probat id [x] Auguſtinus ex [y] Moyſi teſtimonio & Hebraicæ linguæ proprietate. Probat etiam Origenes [z] ex vulgari vſu loquendi *ſi rectè* (inquit) *dicitur vir ille pro ſola temporis ætate, qui nullius admixtionem fœminæ nouerit, quomodo non eadem conſequentia etiam Virgo, quæ intemerata permanſit pro ſola ætatis maturitate mulier nominetur.* In quem etiam ſenſum illud Chriſti in nuptijs Canę ad Matrem *Quid mihi & tibi eſt mulier*, ita accommodat [a] Gaudentius, vt Mariam vocari velit mulierem, *veritate ſexus non detrimento integritatis, quoniam diuino partu ſit capere eſſe Mater, vt Virgo ſacratior permaneret.* Quamquam fortaſſe dicere liceat mulierem dictam, ne non verè mater quibuſdam putaretur, cùm non defuturi erant, qui Virginem non propriè peperiſſe [b] dicturi eſſent, Chriſtumq; cum Manichęis [c] phantaſma credituri, vel certè cum Valentinianis, [d] nihil ex ea corporis aſſumpſiſſe, ſed cælo delapſum per eam velut laticem per fiſtulam tranſiuiſſe.

ſ In cap. 4. ep. ad Gal.
t In cap. 2. Ioan.
u In annot. circa Euan. Ioã.
c.2. Mar. 7
x De fide cont. Manich. c. 22. & de verbis Domini ſer 63.
y Gen. 3.
z in Leuit. hom. 8.
a Tr. 2. de lect. Euãg.
b Gotfred. q. l. 7. q. 0.
c P. Aug. de hæreſ c. 82. & l. 1. citta iul.
d Bern Luxemb. i Cutal. hæret.

Sed

Sed enim cùm bis dũtaxat in Euangelio MARIA Virgo mulier à Chriſto dicatur, octies verò poſt partum Mater IESV ab alijs appelletur, vt etiam [e] Metaphaſtes adnotauit, id ſingulari myſterio vacare credendum non eſt. Et meo quidem ſenſu ſi abundare licet, mulierem primum vocauit Chriſtus Matrem Virginem, quando eius rogatu initium ſignorum fecit, iterumq; cùm pendens in Cruce miraculis finem facturus erat, vt oſtenderet miraculorum maximum, quod eſt ſalus humani generis, quam ipſe in Cruce peregit, ex iſta muliere cæpiſſe, in eademq; fuiſſe conſummatum, quando [f] *nullus eſt qui ſaluus fiat, vel cui miſereatur gratia niſi per ipſam;* [g] *quæ eſt redemptio captiuorum & omnium ſalus, vniuerſi terrarum orbis conciliatrix:* [h] *per quam, cum qua, & in qua tantum reſtauratio Angelorum, & redemptio hominum decernitur, vt ſicut ſine Deo nihil factum eſt, ita ſine illa nihil ſit refectum;* [i] *vtpote quæ eſt vitæ ſuppeditatrix, vita viuentium, cauſa vitæ, deniq; vt ſemel dicam,* [k] *per quam omnia facta ſunt, vnde & mundi ſalus dicta eſt.* Quò proinde illa Chriſti diuinitatis plena reſponſio. *Quid tibi & mihi eſt mulier*, haud peregrina explicatione hoc quodammodò ſenſu efferri queat; Quid tibi & mihi in reparanda hominum ſalute non commune ò mulier! quaſi admirantis, & ad voluntatem tantæ Matris, ſponte inclinantis, imò ſe dedentis & offerentis Dei hominis exprimat affectum, qui proinde facere iure non poſſit, quin ea petente vel ſaltem indicante, tardas horarum moras præcoci obſequio flecteret ad vſum miraculi, quidni enim in carne exiſtens Matris conniueret caritati, qui in cælis regnans ad vocem ſerui diem extendit, Solis curſu in medio Cæli refrænato.

[e] *In orat. de vita, & dorm. Dei.*
[f] *Ger. ſer. de Zona Domini.*
[g] *Ephrem. in orat. ad Virg.*
[h] *Petr. Da. ſerm de Annunc.*
[i] *And Cret. ſerm. de Aſſumpt.*
[k] *Ric. vic. c. 20. i cãt.*

Iterum verò iam peracturus in Cruce operum extremum, quid aliud voluit ſuprema illa velut conteſtantis voce [l] *Mulier ecce filius tuus*, quàm vt in figura eius quem diligebat, vniuerſum hominum genus matri in terris, ipſo in cælis acturo, commendaret? vt proindè quàm rectiſſimè ſentire videantur, [m] qui præcipuum Marianę laudis, & priuilegij eſſe volunt, nunquam à Filio niſi vocabulo mulieris appellatum, idq; præſtantius longe eſſe putent, quàm ſi titulo Virginis (quippe quod apud Iudæos eo tempore non expediebat,) fuiſſet inſignita. Quemadmodum enim Chriſtus inter viros primatum tenet, ac viri nomen maximè promeretur: ſic MARIA inter mulieres omnes principatum vendicans, mulieris nomine iure meritò nuncupatur, quippè quæ ſit perrara illa, imò & vnica mulier, quam Salomon ardenti in Spiritu deſiderio inquirebat cùm diceret [n] *Mulierem fortem quis inueniet procul & de vltimis finibus* hoc eſt ex abyſſo ſapiētiæ diuinæ *pretium eius* Fortē ſcilicet, quæ quēadmodum ſecundus Adam primo, ita mulieri primæ, à qua peccati omnis initium & quaſi ſcaturigo malorum defluxit, opponeretur; neq; ſolum ſed quæ contrito capite ſerpentis, certum antidotum ægris adeoq perditis mortalibus eſſet, eademq; foret gratiæ, & æternæ ſalutis principium, ex qua proinde Muliere Paulus, Summi poſt Deum honoris cauſa dixit, *factum eſſe Deum, factumq; ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret*, cui deniq; cùm vt dicebam octies in Euangelio Matris nomen imponatur, data eſt omnis virtutum plenitudo, per quam in octo beatitudinibus, non ſolùm ſimillima filio eſſet, verum [o] etiam *quæ poſt filium curam humani generis gereret*, homines per eoſdem gradus ad Ieſum perduceret.

[l] *Ioan. 19.*
[m] *Caniſ. l. 4. de Deip. c. 20.*
[n] *Prouer. 3.*
[o] *Germ de Zona Vir.*

CVR PAVLVS APVD MESSANENSES
De Virginitate Mariæ præcipuè prædicauerit.

CAPVT TERTIVM.

SEMPER quidem prædicato Chriſto, Mariam quoq; Virginem ab Apoſtolis prædicatam fuiſſe, niſi fallor, ſatis hactenus oſtenſum eſt: neq; tamen arbitrandum nihil ſuperfuiſſe prædicationi ex ea meritorum copia, quæ Virgini in Theſauro diuinitatis, vt cum [p] Damiano loquar, exaggerata ſeruabatur, ſed ea duntaxat in vſum concionum veniſſe, quæ ad euoluendum præcipuè Chriſtum pro tempore ac more gentium eſſent appoſita. Ea vero neceſſariam de Virginitate MARIAE diſputationem poſtulabant, quæ Filium Dei non ex conſuetudine humana, in carne genitum, ſed Spiritu Sancto in Virginis vtero nauante, prodiiſſe in communem lucis vſuram adſtruerent. Nihil quippè adeò diuulgatum erat, vel apud Hebræos ex pronunciato Iſaiæ, vel apud Gentes orbis terrarum ex oraculo Sibyllarum, quàm Virginem concepturam, & Filium parituram, [q] *Qui unus* ferre ſalutem lapſis *ritè poſſet*, neq; tamen ægrius aliquid humano cogitatu tenebatur, quemadmodum alia ex illis canebat. [r] *Virginea conceptus ab aluo Prodibit ſine contactu maris, omnia vincit. Hoc natura opera*. Et iterum alia. [ſ] *Puer inde creatus Virgineo partu, mira eſt mortalibus hæc res*. Quo factum, vt pleriq́ue myſterium vel cum riſu acciperent; vel abſq; fide ſuſpicerent, pauci argutiores, errore quodam religioſo ad ſua ſacra Deorumq; figmenta apponerent, in ſuperſtitioſa pietate, veritatem quam neſciebant adumbrantes. Satis vulgatum [t] eſt priſcos illos Argonautas, poſt captam principe Iaſone Cyzicum, celeberrimam ea tempeſtate Vrbem, templum in primis [u] magnificum, idemq; in arce Athenienſi primum excitaſſe, rogantesq; Apollinem cui conſecratum oporteret, reſponſum tuliſſe [y] *Virgini ſimplici nominis MARIAE, in qua Verbum Dei ab interitu alienum conceptum foret*, tantiq́ id oraculi feciſſe poſteros, vt paſſim ad fores marmoribus ære inciſis proſtare vellent, neq; tamen in media luce rectè aciem direxiſſe, Rheæ Deorum, imò Dæmoniorum matri, quam etiam ipſi deſignauerant Argonautæ, honorem habentes. Manauit hic error conſequentibus ſeculis, manauit & tenuis quædam ſuſpicio veri, ſed tantum curioſos egit diſputatores, vel pertinaces oppugnatores: vt non immeritò pleriq; Scriptorum cenſuerint, Ethnicis, ſicut impoſſibile, ſic incredibile ſemper viſum eſſe, quicquid de partu Virginis vel legerent, vel audirent. Legerant enimverò vaticinia Sibyllarum, legerant geſta Argonautarum; audiuerant & viderant multi ſtatuam Romuli palatio cum hac inſcriptione impoſitam. [x] *Non cadet donec Virgo pariat*, cecidiſſe aliquando; nempè quo tempore, ac cùm primùm Virgo MARIA Emmanuelem enixa eſt, id tamen ſanctiore caſſi lumine perquirere negligebant. [a] Audiuerāt præterea Romulum Vrbis conditorem conſtructa regia domo, cuius parietes ſemiruti licet multis poſt ſeculis viſebantur, quaſi de firmitate operis confiſum, in hanc vocem erupiſſe: *Certum & immobiliter fixum, quia niſi Virgo pepererit, domus iſta non corruet*: cecidiſſe verò qua nocte Saluator ex Virginali aluo proceſſit. Et nihilominus receptum manſit vulgatum illud. *Cum Virgo pepererit*; ad rem ſcilicet deſignandam quæ nullo vnquam tempore fieri poſſe crederetur.

Hinc factum, vt non modò palmaris eſſet Apoſtolis, Apoſtoliciſq; diſcipulis prædicatio

[p] Serm. de Annũciat.

[q] Sib. Perſica.

[r] Sib. Delphica.

[ſ] Sib. Erythræa.

[t] Cedrenus Hiſt.

[u] Plinius l. 36. c. 1.

[y] Metaph. in vita Procopij mart. to. 4. Surij.

[x] Martin. Polon lib. 4 Chron.

[a] Pet. Damian. ...

dicatio Virginitatis MARIAE, ſed quò operoſior, hòc magis contentas poſceret diſceptationes, quemadmodum fidem faciunt ea, quæ ſuperiore capite de Andrea ex Abdia recitauimus, & multò maximè cenſoria illa Diui [b] Cteſiphontis diſcipuli S. Iacobi ſententia, quam aliqui ex Arabico ita Latinis dederunt. *Illa Virgo, illa MARIA, illa Sancta, præſeruata fuit a peccato originali in primo inſtanti ſuæ conceptionis, & libera ab omni culpa, & qui ita non ſentit non conſequetur vitam æternam.* Quo tamen loco rectè [c] quibuſdam animaduerſum, à malo primæ originis potiùs fuiſſe vertendum, quàm peccato originali, & in momento potiùs, aut quippiam ſimile, quàm in primo inſtanti, quæ verba Scholaſticam magis ſapiũt reſtrictionem, quàm antiquam Patrum elocutionem. Nempè MARIA Virgo immunis fuit à peccato, non ea immunitate, quam ipſa in vterum Annæ primum infuſa ſecum attulit, atq; adeò ſicut Nazianzenus [d] loquitur, *præpurgata fuit*, ſed qua ipſa Deum caſtis viſceribus ſuſcepit, ſuſceptumq; citra Virgineæ integritatis detrimentum mundo expoſuit, Rectè verò, *quia quæ* [e] *mater ſanantis corruptionem erat, ipſa corruptioni ſubiacere non debebat.* Proindè libera dicitur à culpa, quatenus immunis fuit ab effectu culpæ, matrumq; aliarum vſu caruit pariendo. [f] *Neq; enim* (inquit Auguſtinus) *dignum erat vt vnigenitus Dei, non propter ſe, ſed propter hominem naſcens, more naſceretur humano, dignum verò vt Virgo naturæ noſtræ ornamentum, gloria luti noſtri, quæ Euam pudore, Adamum commmatione liberauit, audaciam dæmonis contriuit, ſine vitio corporis pareret, quam concupiſcentiæ fumus non attigit, vermis voluptatis non læſit.*

Sed enim haud magnoperè mirandum videri debet, difficilem fuiſſe Virginitatis MARIAE prædicationem apud Gentes, quando vel ad faciliora perſpicienda, nictantes mentis oculos circumferebant. Certè Paulo apud [g] Athenienſes prædicante *cùm audiſſent Reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt, Audiemus te de hoc iterum*, vt inde facto ſilentio Paulus exiret de medio eorum; Et tamen maiores eorum à [h] Platone pridem didicerant. *Opificem mundi dixiſſe quibuſdam Dijs Deorum, quòd immortales quidem non ſint, neq; incorruptibiles omnino, neq; corrumpendi ipſo volente; præterea Heroum quendam, qui in Armenia morte occubuerat, reuixiſſe. Videbatur enim* (vt inquit Cyrillus) *& ipſi, hoc eſt Platoni ſermonem de Reſurrectione mortuorum, vt pote verum & bene habentem admittendum, & quòd is qui ab initio produxit hominem ex nihilo, etiam refecturus ſit facilè eum, qui ſolutionem moriendo paſſus ſit.* Aegrè à Paulo accipiebant. *Deum eſſe qui feciſſet mundum & omnia quæ in eo ſunt, cæliq; & terræ eſſe Dominum.* Et tamen hoc ipſum ex [i] Platone audire conſueuerant, *Deum ſcilicet ipſum omnium rerum eſſe cauſam, circa quem ſunt omnia, & illius cauſa omnia*, per quem & iurare ipſe Plato voluit diſcipulos, eundemq; ſi rectè philoſophati fuiſſent intelligere. Non ſuſtinebant Paulum prædicantem, *Deum, cæli & terræ Dominus cum ſit, non in manu factis templis habitare, nec manibus humanis coli.* Et tamen Sophoclem apud Hecatæum multis cecinisse nouerant. *In veritate eſt vnus, eſt vnus Deus, Cælumq; terramq; Spatioſam is condidit, Ponti truceſq; fluctus, vimq; flaminum. Sed certè multi aberrantes mortaliũ, Nos poſuimus malorum pro ſolatio, Imagines Deum factas ex lapidibus; Ex ære, vel auro, vel ex ebore typos. Iiſq; immolantes & celebrantes dies feſtos, pios pieq; agere nos credimus* Adhuc verò haud æquo ferebant animo à Paulo moneri *quærere Deum ſi fortè attrectent eum, quamuis non longè ſit ab vnoquoq; noſtrum.* Et tamen eius doctrinæ teſtem habebant Aratum, longe ante ſibi probatum, quàm à Paulo pro re nata laudaretur: habebant & Ciuem ſuum Xenophontem in hac verba effluentem. *Qui omnia concutit & facit quieſcere, manifeſtus quidem eſt, vt qui ſit magnus & potens, quali autem ſit forma præditus, non apparet*, nempè quem oculis videre non poſſent, ſi tamen rectè, vt dicebat

[b] In lib. 3 Fundam. Eccleſiæ.
[c] Biuar. 7 c8. Dextri ad an. 308.
[d] Orat. 4.
[e] Auguſt. ſer. 21. de Natiuit.
[f] Auctor i. perſ. hom. 1
[g] Act. 17.
[h] Lib. 10. de Repub. Cyrill. Alex. l. 2. cont. Iulian. Clem. Alex lib. 5 Strom.
[i] in ep. ad Eraſtũ & Coriſcum.

bat

bat Plato, philoſophati fuiſſent, intellexiſſent. Sed præterea inſenſum ſibi videbantur habere Paulum, quòd diceret. *Non debemus æſtimare auro aut argento, aut lapidi, ſculpturæ artis Diuinum eſſe ſimile*; & tamen id erroris ac dementiæ dudum eis probrò verterat Sophocles, vt vidimus, & dedocuerat etiam errantes Antiſthenes ille Socraticus *cum diceret Deum nulli eſſe ſimilem quoniam nemo eum poteſt diſcere ex ſimilitudine & imagine*. Deniq; exulceratis propemodum animis reijciebant quòd adſtrueret Paulus *Deum ſtatuiſſe diem, in quo iudicaturus eſſet Orbem, in æquitate in viro in quo ſtatuit*. Et tamen nihil frequẽtius vel Poëtis vel Philoſophis audierant,[k] *Quàm mortem non eſſe a toto liberationem, quia non ab ijs, quæ deinceps ſequuntur*.[l] *Quòd tempore item reſplenderent facta in æthere illuſtrata*. [m] *Quòd laborem, qui perpetitur, debere huic laboris natum gloriam, quia maiori morti maiores partes obtingunt*. Quę omnia non reſurrectionem dũtaxat mortuorum, quę immortalitatis animorum eſt comes, verùm etiam iudicium, & iudicantis ęquitatem ita luculẽter adſtruunt, vt nihil propius ad meridiem videatur accedere: & alioqui eſſet quemadmodum [n] Theano Pythagorica Athenienſibus, imò Gentium Orbi haud ignota dixerat, *reuera pulchris vita conuiuium, ijs qui ſe ſceleratè geſſerunt, deinde moriuntur, ſi non eſſet anima immortalis, mors eſſet lucrum*.

k Plato in Phædone.
l Pindar.
m Aeſchyl.
n Clo. Alex. l. 4. Strom.

Hęc & id genus permulta cùm agitarent Apoſtoli, tametſi Gentilibus ipſis, caſu an Diuino conſilio multò ante explorata, eoquè ſaltem extra ſtuporem poſita, nihilominus adeò vinctos tenebant caligantium animos, vt non facilè laxarentur in ſenſum veritatis; quid mirum ſi Virginitas Matris, nullo vnquam vſurpata exemplo, verbis duntaxat, nec adeò euolutis inducta in opinionem, inſenſas teneret gentium aures, menteſque ad capiendum impeditas.

At enim in Gentibus à luce remotis id quiſquiam iure tolerandum putet, ſi qui Chriſto aliquando nomen dederunt, eoſdem abiuratis ſacris in priorem abijſſe inſaniam conſideret. Certè Iulianus Apoſtata Imperij ac Fidei macula, ex pręcipuis videri poteſt, qui non ſolùm aperto Marte, ſed virulento etiam calamo Virginitatem MARIAE ſit inſectatus, cuius tamen amentiam doctiſſimis libris inter alios repreſſit Cyrillus Alexandrinus, vir Sanctiſſimus, ac pręſertim circa myſterium [o] Incarnationis à Deo doctus, neq; tamen eo profligato pugnam poſteris ademit; quippè circa ea tempora extitit etiam [p] Iouinianus planè peruerſus ex Monacho Hęreticus, qui cùm multis Deo ſacratis Virginibus nuptias perſuaderet, teterrimum etiam hunc proſeminauit errorem, vt Mariam in partu Virginitatis detrimentum feciſſe blateraret, habuitq; tum nefarij ſceleris diſcipulos, ſiue ſocios non paucos, nouæ hæreſis, & blaſphemiæ vt [q] Siricius loquitur accentores, hodie verò plures innouatores, ac Iouiniani ex inferis excitati diſcipulos, quos tamen cum Magiſtro ſuo non ſublimis quædam ac tortuoſa ſpeculatio, ſed craſſa tranſuerſum agit ignorantia, vt quod carnis iudicio viuentes cogitant, indomita iaculentur lingua, fieri ſcilicet non poſſe, vt ſine aperto matris vtero, tanta moles, totq; menſium fætus egrederetur. Extitit pręterea Heluidius, (niſi ante ipſum Apollinarius quidam, ſi ex [r] Origene & [ſ] Hilario rectè deprehendimus) eò ſolùm melior Ebionitis, Iudæis, & Iouinianiſtis, quòd Mariam in conceptu, & partu Virginem agnouit, ceterę turbulentus, & ad ferendos errores ſponte ſua procliuis, ſed à paucis literis paratior, quippè qui neſcio an maiore inſcitia quàm dementia, eandem Virginem poſt partum, viri admiſiſſe congreſſum ac Sacratæ Virginitatis florem eliſiſſe deblaterauit. Reſtitit egregiè eluuioni quæ in Hiſpaniam poſt annos inundauerat, Hildephonſus Toletanus pro ſingulari in Mariam ſtudio, ac amore, idq; ibi tum magna cum laude præſtitit, quò retenta hæreſis, ac velut in proprio alueo reſtincta vltrò ſe ſe non effunderet. Alibi tamen haud

o Bellar. de Scrip. Eccl. in Cyrill.
p Aug. l. 3. de pec. mor. & rem. c. 7
q Epiſt. aduerſ. Iouinian.
r Hom. 7. in Luc.
ſ In c. cap. Matth.

pau-

paucos pridem abripuerat dogmatis inſolentia; præſertim cùm è Scripturæ locis fraus multiplex ad errorem tegendum obtenderetur. Itaq; illa tunc Epiphanij ac Hieronymi ſeculo nata diſputatio, An Mater Dei poſt partum Virgo permanſerit, omniq; viri ſuſpicione liberanda ſit, conſequentibus etiam ætatibus locum habuit, nunquam ita ſopitis Heluidij cineribus, quin interdum contradicendi libidine, pectora quorundam recaleſcerent; id quod non ſine dolore preterito ſeculo pij omnes ſpectarunt, quando ne quid noui deeſſet ad impietatem, iterum multi canes (vt cùm [s] Siricio loquar) *Eccleſiæ myſterium latratibus fatigauerunt*, eoq; moleſtius, quòd nonnullis alioqui bonæ mentis viris ſuſpicionem ingenerarent, minimè lædi Chriſtianam pietatem, ſi MARIA poſt Chriſtum editum, cui duntaxat edendo Sacrum Virginitate exhibuerat vterum, mariti conſuetudinē admiſiſſe crederetur, aduocato in eam cauſam patrono [u] Magno Baſilio, qui poſtquam de Ioſepho dixiſſet, *Non cognouit eam, donec peperit filium ſuum primogenitum. Hoc vero* (inquit) *nunc ſuſpicionem generat, ne forſan poſteaquam puritate ſua generationi Diuinæ, per ſpiritum Sanctum adminiſtrata ſeruiuit, tum demum nuptialia opera Viro Maria non negauerit. Nos verò, licet nihil hoc doctrina pietatis officeret, nam donec diſpenſabatur Chriſti generatio neceſſaria erat Virginitas, quid verò poſtea ſit factum ad myſterij huius doctrinam non anxiè contingendum eſt, veruntamen ne hoc eorum qui Chriſtum amant ferre cogantur aures, quod genitrix Dei aliquando deſierit eſſe Virgo, has rationes ſufficere putamus.* Hæc Baſilius, qui deinde multis decertat pro Virginitate nunquam delibata Mariæ, quò fit vt ex eius dictis non magis contrarium colligi queat, quàm ſi ex eo quis arguat Solem non inſeruire ad videndum, nec illuſtrare omnia, quia cæcutit qui aciem in ipſum Orbem intendat, aut etiam vt Xenophon ait *priuatur oculis*, neq; enim eò detorquenda ſunt Baſilij verba, quaſi non ſeruata Mariæ Virginitas, pietati chriſtianæ haud quaquam officiat, cum (vt inquit [x] Auguſtinus,) *firma fide credendū ſit nec blaſphemia Heluidij acquieſcendum*, Mariam videlicet perpetui floris Virginei honore lætatam; ſed duntaxat miraculoſæ conceptioni, & natiuitati Chriſti aperientis vterum matris vt loquitur [y] Epiphanius, non eſſe [z] directè ac quod dici ſolet è diametro pugnantem errorem illum, tametſi aliunde reuera Fidei contrarius ſit Eccleſiæq; traditioni, vt proinde ſicut verum non eſt Solem obeſſe videnti, tametſi hebetet aciē illū intuentis, ita falſum ſit ex Baſilij ſententia, non offendi pietatē, Mariam perpetuò Virginem inficiando, quantumuis id myſterio conceptionis & partus diuini non aduerſetur. Ceterùm de mente Baſilij luculentum edunt teſtimonium, rationes eæ quibus cauet piorum auribus, ipſe maximè pius, in eamq; demum concedit ſententiam, vt argumentis ſuis à traditione petat fidem. *Quod autem* (inquit) *Maria perpetuò Virgo remanſerit, etiam Zacharia declarat hiſtoria quadam, quæ ex traditione ad nos vſq; peruenit, Zacharias enim MARIAM poſt Domini Conceptionem in Virginum loco conſtituens, à Iudæis inter templum & altare interfectus eſt: à populo namq; accuſatus, quòd rem prodigioſam & inauditam prædicaret, Virginem videlicet parientem citra Virginitatis corruptionem.* Hæc ille. Non quæro hoc loco de veritate [a] hiſtoriæ, ſolum de mente Baſilij ago.

At quorſum hęc tam multis exaggerata, niſi vt oſtendamus, quàm varijs cuniculis & itineribus antiquus ille ſerpens prorepſerit, eoq; ſemper contenderit, quò Virginitatem MARIAE, quæ caput eius contriuit, etiam poſt editum Chriſtum macula reſpergeret, eiuſdemq; Virginitatis diuitias quemadmodum loquitur [b] Ambroſius imminueret, ratus haud dubiè ſe multum de honore Chriſti filij detracturum, ſi matris pudicitiam in altera Eua, ſuſpectam reddere, vel vllo ſaltem falſi dogmatis puluere aſpergere & inquinare poſſet. Quò proinde palam quoq; fit, Apoſtolis ſicut

per-

[s] in epiſt. cō. Iouin.

[u] Homil. de hum. Chriſti generat.

[x] L. de Eccleſ. dogm. c. 69.

[y] Hæreſ. 78 circa fin.

[z] Suarius tom. 2. in 3. par. diſp. 5. ſect. 2.

[a] Orig. hom. 26 in Matth.

[b] De inſt. Virg. c. 13.

perneceſſariam, ita perarduam fuiſſe prędicationem Virginitatis MARIAE filium in carne generantis; operis verè admirandi verèq; ſuſcipiendi, quod (vt rectè [c] Damianus) *miracula cuncta praecellit* de quo etiam ſicut de diuina generatione ſuo modo Propheticum illud dici queat, [d] Generationem eius quis enarrabit, *neq; enim* [e] *Ambroſio alijſq; Patribus ſola admirabilis ex Patre generatio Chriſti, ſed etiam admirabilis generatio ipſius ex Virgine.*

Sed enim Meſſanenſes neſcio qua indole prę ceteris Gentibus, ad noua ſublimiaq; veſtiganda propenſiores; Chriſti pręterea, MARIAE, ipſius Pauli, rerumq; mirabilium, quę paſſim ex Iudæa perferebantur tempeſtiuo nuntio permoti, geſtiebāt audire Paulum, occaſione prę ſertim nauigationis Romanæ ceteroquin prętereūtem, qua qua tandem mente eſſent ad prędicationem in intima animorum admittendam, vt enim admitterent, eius erat facere, [f] *qui in inclinandis cordibus, quò voluerit habet omnipotentiſſimam poteſtatem.*

c In vita Dom. lor.

d Iſaia 53

e Lib. 1. de Fide cap. 1 Aug. ſerm. 8. & 9. in nat. Dom. Max. hom. 2. in nat. Dom.

f Aug. de corr. & gr. c. 14.

QVALIS FVERIT IN GENERE PRAEDICATIO Pauli apud Meſſanenſes.

CAPVT QVARTVM.

DVAS in plerisq; manuſcriptis inuenio Paulum habuiſſe Meſſanæ conciones, tametſi varient ceteri ſcriptores de ordine, & ſubiecto prædicationis. Quin verò Alphonſus Villegas vt vidimus [g] initio, de ſolo myſterio Incarnationis videtur velle verba feciſſe Paulum, eiuſdemq; occaſione crebrò duntaxat meminiſſe MARIAE: Chriſtophorus tamen de Caſtro ex duabus concionibus, (niſi mendum ſit,) primam inſinuat fuiſſe de Incarnatione, poſtremam de Virginitate MARIAE. Manuſcriptum ſat vetuſtum, quo vſus ſum, indicat priorem habitam de paſſione Chriſti Saluatoris, poſteriorem de myſterio Incarnationis, vnaq; de Virginitate Matris Dei, cui conſentit Ioannes [h] Maria Tarſia, videturq: id longè vero ſimilius, & Apoſtolico mori conſentaneum. Sic enimverò Petrus vbi laxatis in Magnalia Dei diſcipulorum vocibus, diuerſitatem linguarum dum alij ſtuperent, alij ad ebrietatem verterent, hos primùm redarguiſſet, conuerſo deinde ſermone, [i] ab interempto per manus impiorum Chriſto exorſus eſt, ſed continuò eundem à mortuis ſuſcitatum induxit, vt omnipotentis virtutem teſtaretur. [k] Iterum verò quando ad portam ſpecioſam, claudum ex vtero matris, conſolidatis baſibus, ac plantis, verbo erexiſſet, ſtupētibus cunctis, & ad inſolens factum confluentibus, Ieſum à patre glorificatum, eiuſdemq; virtutem in ea poteſtate mirificè comprobauit, quem ſcilicet authorem vitæ ipſi interfeciſſent, Deus verò à mortuis reuocaſſet; neq; ſolùm, ſed mox ad cauſam vna cum Ioanne dicendam in medio conſtitutus, in qua ſcilicet virtute, quoue nomine, hominem ſanum feciſſet, exundans Spiritu Sancto, Ieſum Chriſtum Nazarenum ingenti animo publicauit; *Quem vos* (inquit) *crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus.* Sic etiam Paulus, primùm Saulus, vbi poſtquàm luce ac voce Domini eliſus in terram, ſpirantem minarum ac cædis animum poſuiſſet, accepto Spiritu Sancto, continuò ingreſſus in Synagogas prædicabat Ieſum, *quoniam hic eſt filius Dei*; neq; id duntaxat, ſed ſtupentibus illis, & exprobrantibus, quòd in Hieruſalem expugnaſſet eos, *qui inuocabant nomen iſtud, & Damaſcum ad hoc veniſſet, vt vinctos illos duceret ad Principes Sacerdotum*, ille

mul-

g Supra c. 1.

h Lib. 4. de Monarch. Virginis c. 38.

i Act. 2.

k Act. 3.

l Act. 4.

multò magis conualeſcebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damaſci, affirmans, quoniam hic eſt Chriſtus. Quin etiam (vt multa prætercam (Antiochiæ [m] Piſidiæ, *ſurgens in Synagoga, & manu ſilentium indicens*, longa oratione per retroacta myſteriorum ſecula Chriſtum euoluit, eundemq; Hieroſolymis nulla cauſa mortis inuenta interfectum, ſed iterum rediuiuum extitiſſe, non amplius moriturum proclamauit. At verò ne id ſolùm commune ſit Apoſtolis [n] Stephanus quoque plenus Spiritu Sancto, repetitis Patriarcharum temporibus, aculeata oratione Chriſtum deducens, ac demum eius mortem proditoriè à Iudæis meditatam accuſans, ſuam quoque cauſam morte perorauit.

[m] *Act. 13.*

[n] *Act. c. 7.*

Huiuſmodi porrò prædicationis cauſam apud Iudæos quidē fuiſſe præcipuè [o] Pœnitentiam, apud Gentiles verò aſſecutionem veri, vt ſcilicet [p] cognoſcerent *Patrem ſolum Deum verum, & quem miſit Ieſum Chriſtum*, non eſt cur dubitemus. Mitto quæ cōtinuata narrat Actorū hiſtoria, quæuè aliundè addiſcere licet ex rebus geſtis Apoſtolorum, his duntaxat contentus ad coniecturā de Apoſtolico prędicandi more faciendam. Enimuerò hoc primū iacto fundamento mortis Chriſti, quę à recentioribus prodigijs, famę vbiq; viam patefecerat, extemplò neceſſariū fuit MARIAE nomen altius explicare, quò morientis in Cruce Dei, hoc eſt Chriſti in carne geniti myſterium, dilùcidè magis ex MARIA retegeretur, vt nihil certius dici queat, quàm Paulum apud Meſſanenſes de Incarnatione Chriſti, vnaq; de Virginitate MARIAE diſputaſſe, quando alias diſertè affirmare, quemadmodum ſolitus erat minimè potuiſſet (*Quoniam hic eſt filius Dei, quoniam hic eſt Chriſtus*) niſi ex MARIAE nomine retectis veſtigijs, iter faceret ad ardua myſteriorum.

[o] *Act. c. 2. & 3.*

[p] *Ioan. 17.*

Quanquam ſi Iudæos ſpectemus, non vnius generis fuiſſe prędicationem Apoſtolorum ad ipſos, de Virgine Deipara rectè dixerimus, ſed quatenus pro affectu animorum inſinuari oportebat inſolens nomen Virginis, ac Matris, quam vulgari conceptu ac partu reliquis fœminis ęquandam, nec aliud ſanctius plerique cogitabant. Sed etiā traductus de Chriſto rumor apud impios, quòd ſeductor eſſet, quòd euerſo Moiſe, nouas leges inueheret, noua myſteria prędicaret, temperare interdū ſuaſit à nomine MARIAE, ne odiū in Filium conceptum, acerbius fortaſſe in Matrē redundaret.

Itaq; apud obſtinatos, & ad oēm veritatis ſenſum magis obduratos, Crucifixi duntaxat nomen, ac virtus Dei ſuſcitantis argumento valuit, quò ſic infuſo velut oleo, ac vino tabes inuidiæ exederetur; ac paulatim vigore cordiū ad ſanitatem reparato, nomini tandē MARIAE, ceu demulcenti vnguento locus eſſet, quod alioqui vel audito Crucifixi vocabulo, cuius ipſa mater erat, longè capitalius auerſaretur furor impius in fœmina, eiūſmodi filiū generaſſe, qui inter latrones Concilio deputari meruiſſet.

Illis porrò, quos inuidia non penitus obcęcauerat, ſed dubia quadā luce ad credēdum animauerant, vel rationes accōmodatæ, vel prodigioſi rerum euentus, & ob id variæ in populis animorū mutationes; in mediū afferenda erant Scripturarū arcana, quibus explicatis illa Virgo de vultu inclareſceret, quā Prophetarū oracula velatam in figuris loquebātur, ita tamen vt Virgo ipſa ſui argumentū eſſet, quā & Sacerdotes dudū in Templo ob ſublimē ſupra hominū mores cōuerſationē venerari didiciſſent, & inde prodeuntē ad ædes parentū Nazarethanas, tota Iudæa tacita quadā admiratione adoraret, quippe quę cùm paruula placuiſſet altiſſimo, proceſſuq; temporis in Templo non [q] humanis adoleuiſſet alimentis, Dei ſcilicet verbum inexplicabili modo altura in vtero, dubio procul in cōſpectu hominū poſita, diuinū quippiā præ ſe tuliſſet, ac vel obiter intuentes ſpecie ſanctitatis immutare cōſueuiſſet, hinc enimuerò illa Dionisij vox plena ſtuporis, vbi ad contuitum Virginis auguſtæ corruiſſet. [r] *Niſi ex ratione naturali, & fide nouiſſem aliam Deitatem, præter hanc aliā eſſe non putaſſem.*

[q] *Georgius Nicomed. Ho. de oblat. Virg. in Templ.*

[r] *Dioniſ. Carth. in cap. tert. Dioniſ. de diu. nom. art. 16.*

Sed

Digitized by Google

Sed enim hæc tam admiranda MARIAE maieſtas, non ante magis perſpecta fuit, quàm cũ nato Chriſto ipſa velut ex aduerſo radiantem diuinitatis in humanitate Filij ſplendorem exciperet, totiq; Orbi lumen nouum, nouum ſine macula ſpeculum reflecteret. Vt rectè dictum aliquando fuerit de [s] *Fideliſſimo illo in terris Magni Conſilij coadiutore.* [t] *Et non cognoſcebat eam, donec peperit Filium ſuum vnigenitum*: quia ſicut ille ait, [u] *Verè non cognouit ante, cuius fuerat dignitatis, quæ vnigeniti Dei facta fuerat Mater, ſed poſtquam peperit, tunc cognouit eam, quia ſpecioſior, & dignior facta fuerat, quàm totus mundus*) niſi fortaſſe cuipiam placeat, poſt partũ, non ante cognouiſſe eam, liberatam ſcilicet (vt Aſtrologi loquuntur) à radijs Solis ſtellam, in quam mentis aciem prius figere ob ſplendorẽ diuinitatis in vtero clauſæ non valebat, cùm animi pendens de dimittenda coniuge cogitabat; quidni enim de MARIA Deo plena id liceat affirmare, quando [x] Moyſis faciem propter gloriã vultus eius, quæ euacuatur, nemo poterat intueri, Deo duntaxat exterius loquente radiantem?

s Bern hõ. 2. ſuper Miſſus eſt.
t Matth. 1
u Author imperf. hõ. 1. in Mat.
x Exod. 34 2. ad Corinth. 3.
y Lib. 4. cõtra Celſ.

Denique ſi quibus inſuetæ iam eſſent aures ad Euangelium, ac (vt [y] Origenes loquitur) promptiores habebant animos ad allegoriam, illis demum explicanda erant myſteria, temporum viciſſitudinibus diſpenſata, cur videlicet diù multumq; exoptatus Saluator, ea mundi ætate aduenerit, qua iam laſſo deſiderio bonorum corda penè elanguiſſent, impiorum animi ſceleribus inſenuiſſent. Cur Rex Iſrael, vniuerſorumq; Dominus conſtitutus, Regnum temporale non obtinuit, mundum imperio non frænauit, exercitus non duxit, ſed è paupere Matre progenitus, abiectam in plebe, & tantum non ſordidam vitam duxit, poteſtatis omnis expers, Iudæam duntaxat paucis iiſdemq; pannoſis comitatus obiuit, & vbique Doctoris potius, & nouæ cuiuſdam philoſophiæ proſeminatoris, quàm Regis maieſtatem, maiorumq; ſpeciem præ ſe tulit, nihil ſcilicet commune habens cum Ductoribus, ac Iudicibus, nihil cum Regibus, ac Pontificibus Iudæorum, per quos eò vſq; Regium ſceptrum in Iuda ſtetit; Regnique, ac Sacerdotij dignitas in pretio fuit. Cur ſicut mundũ Verbo fecit, ita hominem perditum dicto non refecit, aut ſicut miſit, qui ſeruitute Aegyptiaca populum ſuum eximeret, ita non deſtinauit, qui inferni vinculis eundem exolueret; ipſe ſed Deum diſſimulans humana carne ſe texit, ac velut pauidus ex inſidijs rem egit, nec vno ſtratagemate id tandem adeptus, vt qui Regnum affectabat, in patibulo demoreretur; quid enim ſi vitare non oportuit Crucem, tanto opus erat artificio, quò vel pericula declinaret, quibus tandem obijciendus erat, vel virtutes oſtentaret mortalitate ſuperiores, qui aliquando moriendum ſibi ſtatuiſſet. Matrem elegit, quæ Virgo pareret, eam tamen viro deſpondit: de Spiritu ſancto concipi voluit, Matrem tamen coniugem eſſe ſtatuit, eandemq; ne Matrem ſe læta miraretur adulterij ſuſpicioni obiecit, mox liberatam ad profitendum nomen longius ire ſiuit, ſed itinerantẽ à diuerſorio excludi permiſit; exinde parientem, ſed in ſtabulo cantu ſolatus eſt Angelico, [z] *Huic tamen gaudio*, inquit Chryſoſtomus, *periculum grande ſucceſſit, cùm tota ciuitas Hieroſolymorum turbaretur, ipſe Rex Herodes fureret, & puerum ad necem quæreret: ſed & hunc mœrorem alia rurſus lætitia ſubſecuta, videlicet apparitio ſtellæ, Magorum adoratio: poſt hanc quoque iucunditatem iterum periculum, iterumque formide, quærebat Herodes animam pueri, & fugere neceſſe erat, & in longinqua tranſire.* Inde reuertenti poſt annos, breuem voluptatem longior excepit mœſtitudo, quia cùm regnante Archelao timeret ire in Iudæam, quaſi profugus in Galilæa, hoc eſt, in ipſa patria latitauit. Quid multa, nulla non dies ſine viciſſitudine, nulla non anceps inter gaudium, & mœrorem, quoad promiſcuus velut aleæ ludus in vltimum vitæ tempus extraheretur, vbi demum quem paulo ante Hieroſolymorum Ciuitas penè ſedibus conuulſa triumphantem inuexit, ignominiæ cauſa

z Hom. 8. in Matth.

toti

toti Orbi ſpectandum patibulo ſuffigeret, atque hoc modo gentium expectationem, piorum omnium maximè ſpem excitatam, ac tot per ſecula promiſſionibus exaggeratam, multis, rariſque ſignis exhibitam, tot denique admirandis, & inexploratis modis procuratam, velut fabulam, mortis orchæſtra proponeret.

Atqui hæc & id genus permulta, Iudæis quidem enucleanda erant, ſi qui oculos mentis, non ad crepuſculum duntaxat, ſed ad exorientem veritatis ſolem aduertere ſtatuiſſent. Ceterùm gentibus humana ſapientia plerunque turgidis, ac ob eam cauſam Euangelij prædicationẽ ſtultitiam reputantibus, radij tantum velut ex aduerſis montium culminibus Sole adhuc ſub terris latente erant commonſtrandi. Enimuerò iſtis Prophetarum vaticinia de CHRISTO, ac MARIA, fabulæ videbantur aniles, & ſomnia delirantium, niſi quatenus cum Platonis, Orphei, Hermetis, aliorumque vel figmentis, vel verè quidem abſque animo veri dictis congruebant, neſcientibus vtique multa iſtos ex Prophetis accepiſſe, ſuiſque nugis adaptaſſe, quæ tamen in illis ceu derediculis calumniabantur. Quin verò Sibyllas, quòd nimis apertè loquerentur, non pauci fanaticas, ac deliras vocitabant, ſomnia narrare ipſi ſomniabant, tametſi quia eadem interdum ab Apolline Delphico reſponſa fuiſſent, ſuſpicere tantum cœperunt, ac potius ſuſpicari, non etiam intelligere & amplecti valuerunt obſcuram veritatem. Itaque quemadmodum pro ſuo more Paulus Ethnicis Arati [a] Aſtronomi, & [b] Epimenidis Cretenſis teſtimonia oppoſuit, vt illos non alijs quàm domeſticis telis peteret, ac ſuperaret, Procopius item martyr Flauiano Iudici repetijt hiſtoriam Argonautarum, [c] Delphicumque de MARIA Virgine oraculum: denique vt alios mittam [d] Secundianus, Verianus, ac Marcellianus, perſecutores primùm deinde martyres Virgilianum de Virgine carmen ad ſuam inprimis ſalutem, proximè ad alios conuincendos conuerterunt.

[a] *Actor. 17.*
[b] *Ad Tit. 3.*
[c] *Caniſ. l. 1. cap. 2.*
[d] *Surius 8 Auguſt.*

Sed iam Deum in terras deſcendiſſe, vt morte ſua genus hominum in vitam aſſereret, vel illud ratione præditis inter Gentes ſuadere potuit, quòd cùm inſigniores quaſdam virtutes Deo conuenire maximè putarent, illas tamen ſuis etiam priſcis Heroibus affingere non dubitarunt, qui quemadmodum ratiocinatur [e] Origenes, *Vel vt patriam ab hoſtibus liberarent, vel luem aliquam exercitum depaſcentem reſtinguerent, vel vt terræ infæcunditatem auerterent, vel nauigandi difficulatem, vltrò mortem oppetiere. Eſt enim* (vt ipſe idem ait) *ex opinione gentium non indecens ex arcanis quibuſdam, & captu difficillimis rationibus, talem ineſſe rebus humanis naturam, vt iuſtus aliquis vnus, dum pro Republica ſe obtulerit, prauos dæmones abigat, qui aut morbos peſtiferos operentur, aut terras vitient, ac ſteriles reddant, & nauigationes impediant, aut alia huiuſmodi fecerint.* Enimuerò, qui fidem præſtare nollet dicenti Deum in carne humana, hominum gratia mortem obijſſe, reſpondere cogeretur, vtrumne Græcas quidem ſuſcipiat vel Barbaras tam operosè conſcriptas Hiſtorias, nec ſemel adſtruentes, quoſdam etiam extitiſſe, qui pro communi commodo mala patriæ imminentia morte ſua præoccupauerunt; aut fortè cùm ſint haud dubiè geſta, ſicut Hiſtoriæ produnt, nihil credulitatis ſit ab hominibus habiturus, qui homo eſt creditus, quòd idcirco mortem ſubierit, vt Dæmonem, magnum illum Dæmoniorum Principem, qui mortalium animas ad terram (vt Gentes aiebant) delapſas ſuæ ſubiecerat ditioni, expugnaret, in vincula conijceret, prædam eriperet.

[e] *Lib. 1. contra Celſum.*

At enim Deum alioqui immortalem, ſicut naſci potuit in carne aſſumpta, ita mori potuiſſe, indubitatum erit illi, qui temporariam mortem nihil æternitati, quam Gentes aſſerebant obeſſe potuiſſe cogitauerit, quando & cetera Platonici redire in priſtinum ſtatum poſt certa annorum curricula crediderunt, & ipſe [d] Plato reſurrectionem ex Armeni Herois in vitam reditu aſſeuerauit, iniquum arbitratus nulla

[d] *Vide ſupra c. 3.*

ſecundùm virtutem viuentes poſt mortem præmia manere, quod tamen conſequi neceſſe foret, ſi Chriſti mortem reſurrectio comitata non fuiſſet, cui in vita ad virtutem gradienti, aliiſque eandem viam commonſtranti, vix aliquando aliquid iucundi accidit in vita mortali. Eius verò reſurrectionem, ſicut & aliorum, qui ex virtute viuunt, glorioſam fuiſſe, & eſſe oportere, vel Metrodorus cæterà Epicureus cenſuiſſe videtur, dum ſic [e] Meneſtratem alloquitur; *Memento quoniam es mortalis, & vitam accepiſti terminatam animâ aſcendere, donec ſeculum, & rerum videris infinitatem, tam quæ futuræ ſunt, quàm quæ fuerunt, quando cum beato Choro ex Platonis ſententia felicem viſionem, ſpectaculumque contemplabimur, & beatiſſima (ſi fas eſt dicere) myſteria peragemus ac celebrabimus, ipſi quidem integri, & nulli malorum perpeſſioni obnoxij, quæ in poſteriori tempore nos manſerunt, integra autem, & quieta viſa aſpicientes, & contemplantes in luce pura puri, & nequaquam hoc obſignati, quod nunc corpus circumferentes* (intellige corruptibile) *nominamus, & inſtar oſtrei alligati.* Hæc ille.

[e] Clemen. Alex lib. 3. Strom.

Ceterùm hunc eundem in Cruce tametſi demortuum, nihilominus fuiſſe etiam verum Deum, ſi vnquam admirabilia, quæ in vita geſſit oſtendunt, vt locum habeat, quod aliquando quæſitus [f] ab Alexandro Gymnoſophiſta; quomodo ex hominibus fieret Deus aliquis, reſpondit; *Si ea fecerit, quæ fieri non poteſt. vt homo faciat:* multò magis, quæ mortem eius, & quidem ignominioſam conſecuta ſunt ad meridianam vſque lucem declarant. Vt enim taceamus, nihil illi ad adipiſcendam gloriam non fuiſſe in vita aduerſatum, ipſum verò per ea, quæ ad ignominiam tendunt vniuerſa gradum feciſſe ad virtutem, ſequaceſque ſuos anteiuiſſe, neque tamen quempiam mortalium tantum gloriæ tam breui conſequi potuiſſe, idque non præſtigijs, aut tyrannide, aut fuco ſectatores illiciendo effeciſſe: cuiuſmodi eſt illud, quod poſt mortem relata ad Tiberium ſententia Romæ præ admiratione trepidatum eſt, & de eo in diuos referendo coram Orbis Senatu diſceptatum? de eo dico, quem ſcirent omnes morte turpiſſima affectum, inter latrones numerum expleuiſſe; neque ſolùm, ſed Diſcipulis, hanc ipſam mortem, hunc (inquam) ipſum Crucifixum, cuius nomen paulò ante infame erat, paulò poſt in Orbem efferentibus, quid non vbique terrarum geſtum? quæ non mutationes rerum conſecutæ? & tamen mors ipſa, vt turpis, & ignominioſa, ſatis valere poterat ad delendam gloriam antea partam, nedum exinde comparandam; imò ad cogendos Diſcipulos, alioſque non paucos, qui pro auerſantium opinione circumuenti fuiſſent, vt iam ab errore deſciſcerent, & ſeductorem damnarent, quid dicam, vt periculo vitæ doctrinam tuerentur, pro ea multis affecti cruciatibus morerentur?

[f] Clemen. Alex. lib. 6 Strom.

Illa porrò vulgata de præſtigijs calumnia, quibus Chriſtus populos dementaſſe, ad ſuamque traduxiſſe ſectam iactabatur, pondus habere nequit apud ſenſatos, ſi cum moribus Chriſti, ſuorumque conferatur. Præſtigijs certè humilitas nec quæritur, nec occultatur, non capiuntur animi, vt aſpera vitæ nullo huius vitæ lucro eligant, ſed duntaxat oculi faſcinantur, vt honores ambiant, ac vſque ad dementiam diuina interdum affectent, nunquam ſancto fine, ſed qui ſtipendium ſceleris ferat, laudis, ac nominis deinde expers; denique præſtigijs cœlum ad miracula non flectitur, ſed ad votum ſui factoris, qui lucis & aſtrorum, rerumque omnium naturam in virtute ſua implicauit. Ac talem fuiſſe Chriſtum, qui ex vtero Virginis homo Deus exiſtens, mirabilium fuit operum patrator; quem & naſcentem ſtella in Oriente ſignauit, & denaſcentem in Cruce Sol atratus deplanxit. Narrat [g] Chæromon Stoicus; *Crinitam ſtellam nonnunquam futuris, ac proſperis rebus præfulſiſſe*, cuiuſmodi fuit illa, quæ nato Domino in Oriente ſe exhibuit; obſeruatum quoque

[g] In lib de Cometis. Orig. lib. 1. contra Celſum.

ingentes

Digitized by Google

ingentes terrenarum rerum varietates, bellorum originem, Regnorum euerſiones, Imperij mutationes, & alia id genus, quę mortalibus accidere poſſint, & terrena iſta concutere, eo ſigno portendi ſolita; quod ſi verum eſt, nihil ſanè mirum, ſi cùm is naſceretur, qui eſſet ad hominum genus noua quædam, & inſolentia perlaturus, aſtrum quoque cœlis inſuetum adduceret. Ac, vt quiſpiam affirmare auſit, nullas vnquam de Cometis extare prædictiones, vt ſub huius, illiusuè Regis Imperio futurum eſſet Cometen ſic exoriri; auſit etiam inducere iudiciariorum iactatam de conuerſione cœli ſententiam, quoties excentricitas Solis, vt ipſi aiunt, longis annorum interuallis ad aliquem angulorum perueniſſet, toties Monarchiarum ſtatum demutatum, Imperia cum ſceptris tranſiuiſſe, quod an aliqua certa ex cauſa deprehendatur, an potius, qui ita præmonent ex occulta quadam præſenſione ariolentur, ad aſtrologica, quæ de iudicijs molimur, reijcimus, diſputaturi cum magnis alioqui viris, qui prædictam excentricitatem, cùm labentibus iam ſeculis vltimo cardini immineat, vltimam quoque Monarchiam vel finire, vel inſtare volunt; & vt velint iuxta fixas hypotheſes neceſſe eſt. Quod huc ſpectat, illam profectò ſtellam, quæ naſcente IESV fulſit, longè antea pręmonuit Balaam Gentilis, omnemque fingendi occaſionem ademit poſteris, cum diceret [h] *Orietur Stella ex Iacob, & conſurget Virga de Iſrael.* vt alia verſio. *Incedet Stella ex Iacob, & ſurget ſceptrum ex Iſrael.* vt legit [i] Origenes. *Surget homo de Iſrael*: qua quidem recens conſpecta Magi, cùm animaduertiſſent, neque ab inerratica cœli Sphera producere, neque per volubilē agi, ſed deſtinatò aëream recto inceſſu ſignare plagā, extemplò intellexerunt, diuinum ineſſe argumentum, ac tandem apparuiſſe in terris, quem natum, ea Stella dudum prædicta prodidiſſet, quemque in poſterum abiecto Dęmonum cultu, ſibi adorari, atque auro, myrrha, ac thure, ceu Regem, hominemque, Deumque honorari conueniſſet.

h num. 24

i lib. 1. cōtra Celſ.

At enim ſi in Magis, Eccleſiæ quemadmodum Chryſoſtomus [k] loquitur progenitoribus, exploratum quòque reliquis gentibus fuit ab ea ſtella Dei hominis argumentum: quo loco habebitur defectus ille Solis Orbi terrarum horrentibus die medio tenebris affuſus, qui non iam homines, ſed res ſenſus expertes exciuit, naturę ordinem rebus interitum minantibus inuertit. Prędixerat hoc Hieremias [l] illis verbis: *Occubuit Sol, cùm adhuc media dies eſſet.* Et Amos [m] *Occumbet Sol meridie, & contenebrabitur ſuper terram lux.* Pręſenſerat & illa Sibyllarum [n] quæ dixit: *Scindetur Templi velum, mediumque dies, Nox tenebroſa tribus premet admirabilis horis.* Sed neceſſe non fuerit tam remotos rogare teſtes, ipſo terrarum Orbe illo ipſo tempore, cùm Flius Dei moribundus penderet adſtipulante, quo etiam argumento luculentum aduerſus gentes ediderunt teſtimonium, qui conſequentibus temporibus Chriſti cauſam dixerunt, & inter alios Lucianus [o] ſectator Chriſti eximius. *Perquirite* (inquit ad Gentes) *in Annalibus veſtris, & inuenietis temporibus Pilati fugato Sole interruptum tenebris diem.* Tertullianus item illi tempeſtati vicinior, non ex Euangelio, ſed ex ipſis Gentium ſcriptis argumenta in ipſos intorquet, cum ait [p] *Eodem quidem momento dies medium Orbem ſignante Sole ſubducta eſt, deliquium vtique putauerunt, qui id ſupra Chriſtum prædicatum neſciuerunt.* Adhuc verò Origenes [q] medius inter iſtos, ſed antiquiori vſus Phlegontis patrocinio, Celſum Epicureum, Chriſtianique nominis hoſtem infenſiſſimum ita conuincit, vt luce media cæcutientem arguat, à ratione depellat. Denique ſi res ad teſtes trahenda exceptione maiores, qui oculis viderunt, vnus inter omnes abundè numerum explebit Dionyſius Areopagita, idemque Gentilis, ac tum humana ſcientia præcellens, cui etiam illa Solis defectio è tenebris gentilitatis acceſſionem fecit ad lucem, Paulo

k Hom. 8. in Matth.

l Cap. 15.

m Cap. 8.

n Libr. 8. Carm.

o In Act. ſui mart.

p In Apologet.

q Lib. 2. cōtra Celſ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

deinde

Digitized by Google

deinde Athenis caliginem detergente, & veri Solis radiis ad intima cordis viam aperiente. Quid verò ipſe Dionyſius erectus ad id ſpectaculi tunc cogitarit, ſcriptum deinde reliquit Polycarpo ſibi tempore, ac moribus coniuncto, vbi mentionem inducens Apollophanis Philoſophi [s] ad quem epiſtolam direxerat, inter alia; *Tu* (inquit) *penè mihi coæuus, & ego quinque & viginti ferè annorum tempus euoluens, vnà morantes conſtiteramus, cùm feria quadam ſexta, & hora etiam penè ſexta Sol horribilibus eſt ſubitò obſitus tenebris, luna ipſum intercurrente, quia non Deus, ſed creatura Dei in ipſius vera lucis occubitu lucere non potuit.* Et paulò poſt. *Offuſi tenebris ipſi eramus, Orbem Solis vndequaq; & ex æquo occupante caligine, & poſteaquā repurgatio, reſtitutioque facta eſt, Luna ad Solis diametrum conuerſa aufugit. Et tunc quoque regulam Philippi Aridæi aſſumpſimus, cumque reperiſſemus (quod erat notiſſimum) eo tempore Solem eclipſis moleſtias, laboreſque minimè perpeti debuiſſe, ac nihilominus Lunam ab Oriente Solarem ſplendorem pullis, nigrantibuſque velis obduxiſſe, cùm ſoleat ex occidua parte ſolem ingredi. Tunc autem opifices lucis theſauros caliginibus, quas ipſa genuerat, ad occiduos vſque Solis fines peruagata (vt ipſi putauimus) occultauit, cùm tamen & luna id tempus deeſſet, neque coitus tempus vicinum eſſe cognoſceretur.* Subdit tandem verſus finem; *Adnotatum diligenter feriæ diem, & annuntiationi, quam Sacer Paulus noſtris attentis auribus infudit, conſentientibus ſignis conſpirare, & concordari expertus, manus veritati dedi, & falſitatis nexibus ſum abſolutus.* Hæc Dioniſ.

[s] *Epiſt. 11. ad Appollo phan. ex verſ. Ambroſ. Cam.*

[s] *Tract. 35 in Matth.*
[t] *Lib. 10. in Lucam.*
[u] *Ad ann. 35.*

Non facit autem ad inſtitutum hoc loco, vtrum ea defectio diem toti Orbi ademerit, quanquam nec contrarium ex [s] Origenis, [t] Ambroſij aliorumque ſententia facilè quis adſtruxerit, aut ſi Hiſtorijs arguendum eſt, ex eo, quòd Caius Oppius Centurio Chriſti mortem, & Eclipſim admirabilem primus omnium Hiſpanis Genti ſuæ cum audientium ſtupore narraſſe dicatur à [u] Dextro, cùm id referri queat, non quaſi antea latuiſſet Hiſpanos, ſed ad peculiarem defectionis cauſam, ac modum, aliaque adiuncta, quæ miraculum apud audientes augebant, quemamodum idem fieri potuiſſe, imò & fuiſſe apud Meſſanenſes. multis vltrò citroque commeantibus antequam Paulus aduenifſet, minimè videtur dubitandū. Sed ſuper hac re alio loco.

Quod huc ſpectat illud tandem eſt, tot argumentis pro Deo homine in medium adductis, nihil fuiſſe facilius, quàm ſuadere, eundem ex intacta Matre ſeruata integritate prodijſſe, ac ſanctificaſſe potius Virginitatis florem, quàm temeraſſe. Non eſt cur hac in re, ſi ſcriptis, ac dictis maiorum agendum ſit, Ethnicis potius, quàm Hebræis ſcriptoribus, ijſdemque Prophetis adhibenda ſit fides, ſed quia cum Gentibus diſceptatum fuit, Sibyllæ, quanquam in ceteris reſtrictius, in hoc certè haud dubiè amore Virginitatis explicatiſſimè locutæ, appellandæ erant, quando nihil adeo efficax interdum viſum eſt ad compeſcendos Gentiles, quàm controuerſa fidei myſteria, diſſimulatis Prophetis, quos ipſi dementer contemnebant, ad Sibyllarum velut ſacrum forum reuocare, quibus & tantum tribuit [x] Heraclitus, vt eas non humanitus, ſed diuinitus apparuiſſe putarit, ob quam cauſam primis illis temporibus, Chriſtianis, quos Sibylliſtas nominabant, pœna mortis earum lectione [y] interdictum erat, quòd intolerabile videretur Gentilibus, magnam ex ijs libris ad eos conuincendos vim & authoritatem Chriſtianos ſibi comparare.

[x] *Clemen. Alex. l. 1. Strom.*
[y] *Iuſtinus mart. Orat ad Anton. Pium.*

Sed ne fortaſſe arcana diuinæ potentiæ proferantur, quæ humanos ſenſus in terrena defixos hebetent potius quàm exacuant, ipſa hominum philoſophia rationes adinuenit, vel potius extempore protulit, quibus conficeretur IESVM ex Virgine generari potuiſſe [z] Conditorem ſcilicet omnium Deum in diuerſorum animantium creatione præ ſe tuliſſe, quod in vno aliquo animantium feciſſet, poſſe ſe in cæteris facere, vel in ipſis hominibus ſi modo id lubeat; reperiuntur enim animalia quędam ſexu

[z] *Orig. cōtra Celſum lib. 1.*

fœmineo.

fœmineo congreſſus maris expertia, quemadmodum qui de animantium natura ſcripſere, de vulture idipſum affirmant, & quod animal aliquod, ſine aliquo maſculi coitu ſui generis ſeruet ſucceſſionem: quid igitur mirum, cùm vellet Deus, diuinum aliquem ad homines legare præceptorem, ſi pro illa naturalis ſeminis ratione, qua homines ex maris, & fœminæ congreſſu gignuntur, rationem aliam quandam effecerit, qua IESVS Dominus naſceretur, præſertim, cùm (vt Græci tenent) non omnes homines ſint ex mare, & fœmina progeniti. Nam ſi creatus eſt mundus, vt multis Græcorum placuit, neceſſe eſt, & priores illos mortales non ex humano fuiſſe conatu, ſed ex terra progenitos, cùm vel terræ ineſſet (vt putant illi) vis procreandi, quod ſanè videtur mirabilius, quàm quòd ex parte dimidia, non ſecus ac ceteri homines natus ſit IESVS. Sic ferè totidem verbis Origenes.

At enim ſi philoſophiam præterire lubet, fabuliſque res transigenda ſit apud eos, qui fabulas myſteria eſſe volunt, quid adeò diuulgatum, quàm [a] Iouis filiam Mineruam, hoc eſt, Dei ſapientiam, ex patris cerebro ſine matre, Bacchum præterea ex eiuſdem crure, ſed & Vulcanum ex ſola Iunone ſine patre natum eſſe, neque ſolùm, ſed Venerem Aphroditen ex ſpuma maris, ex ouo Caſtorem, & Pollucem, ex formica Myrmidones, ex lapidibus à Deucalione & Pyrrha iactis hominum extitiſſe ſegetem, & ſexcenta alia? *Quid verò magis ad credendum difficilè* (vt Ruffinus ait) *quid magis contra naturam, quàm Mineruam de cerebro Iouis naſci, vt cetera portenta ſileamus, hoc fingi poſſibile, nec adduci ad credendum, fieri potuiſſe, vt adoleſcens fœmina, diuinum germen non hominis vitio, ſed Deo inſpirante conceperit, Deo faciente integra pepererit? Hic fœmina eſt, hic conceptus, & partus temporibus ſuis editus, ibi nuſquam fœmineus ſexus, ſed vir ſolus, & partus, qui illa credit, cur iſta miretur?* Hæc Ruffinus.

a *Cyrillus Hieroſol. Catecheſ. 12.*

b *In Expoſit. Symb. Apoſt.*

Verùm enimuerò, ſi ex huiuſcemodi ſeminibus argumenta naſcuntur ad permouendos Gentilium animos, quantumuis à veritatis ſenſu alienos; apud Meſſanenſes tamen, quorum indolem ſatiua Dei manus quoquo modo iam præuerterat, non tanta contentione (opinor) fuiſſe agendum, vt ſatis liquet ex eo, quòd cupiditas audiendi Pauli, quæ animis omnium inceſſerat, haud parum laboris videatur ademiſſe, ſegetemque Euangelij velut ſpontaneam promiſiſſe. Quod præſertim vero ſimile ſit, ſi annis aliquot ante aduentum Pauli, Petrum quoque Romam eodem itinere adeuntem, Meſſanam haud inuiſam prçterijſſe credamus, vt periculo iam ex illius prædicatione facto, ſed nondum animis ad veri agnitionem firmatis, Paulum deinde fama clarum, videre, ac audire peroptarent, eodemque perſuadente, quæ pridem ſemina conceperant, velut præfocata ſuſcitarent, latentemque verbi vim in adoleſcentiam fidei elicerent, vt dici quodammodo queat Petrum plantaſſe, Paulum præterea rigaſſe, Deum autem incrementum dediſſe.

Atqui vtinam fuiſſet eo tempore, qui manantem ex ore Pauli de Chriſto, ac MARIA Virgine orationem excepiſſet, dubio procul non minorem, quàm ex alijs eiuſdem ſcriptis vtilitatem in Eccleſiam deriuaſſemus; ſed non potuit flumen illud eloquentiæ calamo coarctari, & alioqui ſi omnes Pauli ſignatæ extarent conciones, omnium aliorum ſcripta vnum volumen eſſent, nec mundus habere poſſet quid præter Pauli dicta volueret, ac legeret. Hinc factum, vt niſi quæ ipſe vel propria manu exarauit, vel conſcribenda alijs concredidit, imò dictauit, quàm plurima induſtriam audientium effugerint, tametſi ipſe non pauca traditione ad poſteros, quod etiam ceteri Apoſtoli factitarunt, peruenire voluerit, nonnulla etiam inter prædicandum aptè cadentia animis accipientium vltrò inhæſerint, id quod notauit Baronius [c] ex Clemente [d] Alexandrino, quç tamen comparatione aliorum adeò pauca

c *In Apparat. ad Annal.*

d *Lib. 6. Strom.*

pauca ſunt, vt vix à multis ſciantur, nec mirum ſit perſcribi non potuiſſe, quæ memoria teneri non potuerunt, quis enim perſcribat omnia dicta, factauè illius, quando nec loca ſingula, quæ prædicando obiuit, notarij ſint aſſecuti, magni (vt cum Apollophane [e] loquar) mundi circuitoris.

[e] Dion. in Epiſt. ad Apollophan.

QVO TEMPORE PAVLVS VENERIT MESSANAM.

CAPVT QVINTVM.

ID modo agendum, in quo ferè cardo rei verſatur. Et quidem veniſſe Paulum ſemel in Siciliam nemini non qui Acta Apoſtolorum legit pro comperto eſt, ſi quæ hucuſque diximus, aſſumere potius, quàm probare id contendat. Veniſſe verò iterum, & fortè ſæpius, ex eo ſuaderi poteſt, quod poſt vincula Neroniana peragratis Hiſpanijs in Orientem, quod verò ſimile eſt, hinc verò conuerſo itinere per Siciliam in Hiſpanias nauigarit. Scio nonnullis difficilem videri hanc coniecturam, quòd olim Paulus Mileti nouiſſimè allocutus Epheſios, non ſine cœleſti inſtinctu prædixerit, ſuam illis faciem videndi non amplius futuram copiam, quod fieri vix potuiſſet, ſi in Orientem Paulus, atque adeò in Aſiam, quemadmodum ad Philemonem ſcribens in ſe receperat, Roma aut ex Hiſpanijs reuertiſſet, qui enim Epheſinam Aſiæ totius principem Eccleſiam tanto ſuo labore excultam prætermiſiſſet?

Verùm ego ſicut decretam in Hiſpanias profectionem, dilatam fortaſſe, minimè tamen vel obiecto cùm biennij carcere plurimorum annorum ſpatio impeditam fuiſſe mihi perſuadeo; ita prorſus inſtitutam in Orientem reuerſionem contigiſſe, certè non negarim, ſi cogitem Apoſtolici pectoris conſtantiam, haud vlla re potuiſſe dimoueri à propoſito, quo non ſine numinis afflatu, reditum ſuum [f] ſemel atque iterum conſtituerat, ac penè deuouerat. Id verò potuiſſe facere quin Epheſum reuiſeret, aut Miletum, planum erit ei qui conſideret, alibi melius impenſam fuiſſe præſentiam Apoſtoli, quàm ijs locis, quibus iacta iam pridem ſacra anchora res religionis in tuto collocatæ erant. Quanquam ſi Epheſum etiam aut Miletum reuiſiſſe credamus, nihil inde redundet in fide Apoſtoli, qui Deo aliter decernente, lacrymis ac deſiderio multorum ad tempus ſit condonatus; Et profectò minus videbitur etiam in opinione hominum, Pauli de non videnda ſua facie, quàm Ionæ de ſubuerſione Niniuæ ſententiam, diuino conſilio fuiſſe impeditam, vel potius in melius commutatam.

[f] Epiſt. 2. ad Cor. 1.

Atqui Paulum aliquando in Sicilia prædicaſſe, facilè ſuadebit Theodoretus [g] cùm dicat; ***Paulum & in Italiam, & in Hiſpaniam perueniſſe, & Inſulis quoque in Mari iacentibus vtilitatem attuliſſe:*** neque enim aut Siciliam ex Inſulis exemerit, aut alia ratione vtilitatem ei Inſulæ à Paulo allatam dixerit, niſi vel ſcribendo, vel prædicando, quorum alterum cùm eueniſſe nuſquam traditione accepimus, alterum factum fuiſſe opinione certius teneamus neceſſe eſt: cùm præſertim haud facilè dictu ſit alium miſiſſe, ipſum non acceſſiſſe, niſi non iam Theodoreti verbis, ſed Pauli ipſius gloriç plerunque commendatæ velimus non parum decerptum. Quod ſi figurata quadam locutione verum ſit Theodoreti dictum, ſi vnam alteramuè, aut etiam plures in hiſtoria Lucç expreſſas Paulus adierit Inſulas, haud penitius acceſſa

[g] Sup pſal. 116. & Ep. 2. ad Tim. cap. vlt.

Sicilia

Digitized by Google

Sicilia, ſed duntaxat partem circumlegenti viſa: non ſanè patietur Chryſoſtomus eam in laudibus Pauli deſiderari gloriam, vt cuius peregrinatione, totum Orbem credat illuſtratum, ei Siciliam tanta Euangelicæ meſſis vbertate profuturam, velit fuiſſe præteritam. Quin verò prædicationem Pauli non ſolum aſſerit vſque in Siciliam [h] perueniſſe, ſed tabernaculorum texendorum artificem (quo nomine in gratijs compellat Paulum) non Siciliam [i] modò atque Italiam, verùm vniuerſum terrarum Orbem, verbum Dei prædicantem peragraſſe. A Chryſoſtomo nunquam niſi maiora dicat diſſentiet Hieronymus: [k] *Quando Paulus* (inquit) *Apoſtolus vocatus à Domino, effuſus ſuper faciem vniuerſæ terræ, vt prædicaret Euangelium, & à mari Auſtro, imò ab Oceano vſq; ad Oceanum curreret, imitans vtique Dominum Deum ſuum, & Solem iuſtitiæ de quo legimus.* [l] *A ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummũ eius; & ante Paulũ terra deficeret, quã ſtudium prædicandi Euangeliũ.* Hæc ille.

h Hom. 54 in Act. Ap. cap. 28.
i Hom. 2. in Epiſt. ad Rom. c. 1.
k In 5. cap. Amos.
l Pſal. 18.

Quæ cùm ita ſe habeant, aliquando in Sicilia p̃dicaſſe Paulũ, certius eſt, quã vt facilè negari queat. Id verò niſi alio tempore contigiſſe planũ fiat, credendũ eſt ijs, qui quo tempore narrante Luca, poſt hyberna Melita profectũ Syracuſas primũ veniſſe, hinc verò circumlegentem Rhegyum appuliſſe: inde accerſitum Meſſanam quoque acceſſiſſe traditione perhibent, ibidemq́ue bidui prædicatione conuerſæ Ciuitati Bacchylũ (ita malim legere, quàm Bachilium, aut Bachirium, vt alij) reliquiſſe Paſtorem, & Doctorem; non q̃ fortè Syracuſas, vbi triduò ſuſtinuit, immunis à prædicãdo tranſiuerit, ſed quòd Meſſanenſibus, ſeu tũc primũ ad fidẽ adductis, ſeu prius iã concepta religione in melius ordinatis, illuſtrius à notis famæ ſpecimen reliquerit.

Habet verò eas hæc traditio difficultates, quę (vt putatur) non facilè queant explicari: Silentium Lucæ inprimis, qui Syracuſis Rhegyoque memoratis, tam inſignis Vrbis Pauli acceſſione ſacratę, dubio procul meminiſſet, multoq́ue maximè qui minora interdum Pauli geſta indiuiduus itineris comes hiſtoriæ tradidit, tam ingens Meſſana conuerſa ſuſceptum facinus, ad Euangelij gloriam, & poſterorum memoriam, famæ fideiq́ue còmmendare non neglexiſſet. Huc accedit Paulum non multô ante in noxam ſectæ ſeditioniſq́ue vocatum, appellatione Cæſaris vincula prorogaſſe, vinctumq́ue Centurioni traditum, quò Romæ ſiſteretur, haud fuiſſe voluntati ſuæ permiſſum, vt vbi liberet, naui exſcenderet, vetitamq́ue circa ea tempora Neronis edicto, ſectatorum etiam ab Vrbe proſcriptione, Chriſti religionem prædicaret; ea pręſertim in Ciuitate, in qua ſocietate Romanorum, ſtudioq́ue Cæſaris maiora erant omnia. Et verò ſicut non facilè credatur arbitrio Pauli ſtetiſſe, nauigaſſeq́ue Centurionem, ita nunquam ſuadebitur amicitiæ vincti, Cæſaris metum ab eodem poſthabitum, vt Meſſanam abire, biduiq́ue prædicationi vacantem miſcere omnia ſuperſtitionis religioniſq́ue calore permitteret, idq́ue tum præcipuè, quando poſt diuturnam Melitæ cõmorationem, alibi quàm Rhegij vix anchoris firmata naui, opportunam in horas opperiebatur nauigationem, Meſſana de induſtria declinata, ne eo portu recepta nauis, plures (vt fieri ſolet) dies extrahere cogeretur. Nam quòd Syracuſis triduum egiſſe legamus in Actis, id fortaſſe iniuriæ temporum, nondum poſt hyberna ſtatim æquatæ, aptandæq; naui, & parandis commodis concedi poteſt, neq; tamen ibidem Paulum toto illo triduo de Euangelio conſeruiſſe accepimus: & potuiſſet ſibi temperare Paulus à verbo non alligato, niſi ipſe vinctus in naui hęrere coactus fuiſſet? Denique quàm non implicatam reddit fidem, Paulum Rhegyo accitũ biduò Meſſanenſibus vacaſſe, quem poſt vnum ab appulſu diem flante Auſtro, Rhegyo ſoluiſſe, rectaq́ue curſum Dicæarchum, hoc eſt Puteolos intendiſſe, teſtatior eſt veritas, quàm vt à quopiam hactenus in dubium vocari potuerit.

Hæc ſanè ſumma quædam ſunt capita, quæ tamen mediam ingredientibus viam, hoc eſt alia occaſione, quàm cùm Rhegij fuit, Meſſanam acceſſiſſe Paulum tueri vo-

lentibus facilè obteruntur, quemadmodum poſtea videbimus, ſed ne à recepta traditione, per multorum etiam ſcripta deducta recedamus, eadem hoc quoq; loco pro rei argumento ſunt decutienda, quò exciſis velut fontiũ venis, aliæ fortaſſe rationes eiuſcemodi deſinant ſcaturire. Itaq; ſicut ex ſilentio Lucę non aptè conſequitur, illa ipſa nauigatione Paulum nihil per tres menſes Melitę prędicando egiſſe, Inſulam cũ ſuo principe Publio minimè ad fidem adduxiſſe, Melitenſibuſque Paſtorem, & Epiſcopum non dediſſe, quę tamen Lucas non narrat, ſed præter veterũ Martyrologiorum fidem, quorũ meminit [e] Baronius, conſtans omnium Inſulanorum traditione accepta vox eſt, eademq; nobis antequã hęc ſcriberemus, Melitę non exiguo tempore cõmorantibus explorata, cui etiam pręter Baronium, & alios atteſtatur, eruditus recens Scriptor [f] Hieronymus Manduca, Publium ſcilicet ex Principe primum Melitenſium fuiſſe Epiſcopũ, & Apoſtolicis virtutibus ac doctrina tam eximium, vt poſt Dionyſium Areopagitam doctiſſimum Apoſtoli Pauli Diſcipulum, etiam Athenienſium Eccleſiam regeret, & martyrio ſub Adriano Imperatore illuſtraret, Anno Domini iuxta Baroniũ (vt ipſe ait) centeſimo vigeſimo quinto, conuerſionis ſuæ ſexageſimo ſeptimo, quamuis de genere martyrij mentionem in ſuo manuſcripto haud faciat ſicut neq; [g] Hieronymus in Quadrato Publij Athenis ſucceſſore, neq; alij, quod ſciã quos ipſe citat: opinari tamen licet ex ijs, quæ ſcribit Lucius Dexter [h] Serenum ſcilicet Granium, Legatum, virũ doctum, & apprimè nobilem, literas miſiſſe ad Adrianum, quibus oſtendit indignum eſſe populi clamoribus Chriſtianos feris obijci ſine probatione criminis: ob quã cauſam [i] Quadratus ipſe & Ariſtides Athenienſis Philoſophus eloquentiſſimus, libros Imperatori obtulerunt, quibus pro Chriſtianis exciperent. Verùm ad rem noſtram, ſicut (inquam) ea, quę diximus non aptè cõſequuntur ex ſilentio Lucæ, ita nunquam euincitur Rhegyo Meſſanam accitum Paulum non acceſſiſſe. Quis verò credat antequã Melitam eiecti euaſiſſent, cùm tranſpoſiti in nauim Alexandrinã, Lyſtris multis diebus tardè nauigarent contra Gnidũ, otio tabuiſſe Paulũ, vt non docendo, prædicando, monendoq; ſocijs nauigationis prodeſſet, vt nullum ex tanto numero, furori maris ereptũ, animæ quoq; periculis liberaret, ea præſertim occaſione, qua cunctis trementibus, ſolus ipſe fluctus iratos frenare, ſpe dejectos erigere, fortunã velut manu ferret, quæ ventura erant ꝓdicere, de vita deniq; omniũ ſeruanda, ceu poteſtatẽ haberet, cũ morte tranſigere; an potuit nihil conari tã grandis Apoſtolici pectoris fortitudo? an ſi conata fuit, fraudari potuit fructu quaſi Numini minus placituro. Quis etiã ſibi perſuadeat toto illo triduo, Syracuſano portu detentum, aut nunquã terris expoſitũ, aut in duriora vincula cõpactũ, nunquã à fratribus inuiſum, quẽ præſertim perbenignè habitũ Iulius Centurio ad amicos etiã permiſit ire, & curã ſui agere; niſi continuò conficiat, nullos adhuc Syracuſis fuiſſe Chriſti cultores, nec aduentu Petri lumen Euangelij iam ante in Siciliã, ipſaſq; Syracuſas illatum, ꝙ neſcio quo animo laturi ſint Syracuſani, qui nõ minimã excellentiæ cuiuſdã ſingularis prærogatiuã, eius rei traditione ſibi videntur cõparaſſe. Deniq; vt innumera mittã, nunquã verũ erit, eadẽ nauigatione facto ad Puteolos appulſu, Paulũ Neapolim viſiſſe, cuius rei cõſtantior eſt memoria ſeculorũ, ꝙ̃ vt obliuione deleri queat.

Sed enim hæc omnia ſiluit Lucas non alio crediderim conſilio, quã ꝙ itineri ſcribendo intentus, ea maximè ad rem ſuam referre iudicabat; quæ ad nauigationis moras nectendas agendaſuè ſpectabant, cetera verò cũ his coniuncta, nonnulla quidem reſtrictim narrare, minuta penitus omittere, maiora denique cuius generis eſſe debuit Meſſanæ conuerſio, illis ipſis apud quos facta erant ſcribenda relinquere. Nihil hoc loco gratis dici facilè intelliget, qui exactum illud biennij ſpatium, quo Paulus Rom. manſit in ſuo conducto, tam paucis à Luca circumſcriptum animaduertat, vt penè cogitare queat ipſum Romæ nedum geſtis Pauli interfuiſſe, verùm

vix

e Ad ann. 59.

f In officio de S. Publio.

g De ſcrip. Eccleſ. de Quadrato.

h Ad ann. 130.

i Dext. ad Ann. 125. Hieron. de ſcrip. Eccl. in Quadrato & Ariſtide.

Digitized by Google

vix tenui fama, certoque rumore breuibus accepiſſe,quæ poſteris futura erant ſeries immenſa ſcribendorum: quòd nempe tranſacta nauigationis materia, quam præcipuè, ſicut dixi, narrare decreuerat, quæ deinceps Romani labores Paulo peperere, ſuæ curæ non addebat.

Video quibus in ſalebris hærere poſſit argumentum. Potuiſſe nimirum Paulum tam breui tractu Puteolis adire Neapolim, cui ſeptem dierum ibi mora, longioris etiam itineris conficiendi ſufficiebat: ſed enim Rhegyo, quo primùm venerat, Meſſanam appetiuiſſe, ibidemque biduò prædicationi vacaſſe, & nihilominus poſt vnum ab appulſu diem Rhegyo ſoluiſſe, id verò nedum creditu eſt facilè, ſed intellectu per quam difficilè. Fateor equidem, perplexam eius rei videri fidem, ſi non ſuus hiſtoriæ ſenſus reddatur, idque ſcripturæ ſacræ perfrequens eſſe, vt momentis temporum non ritè acceptis, ambiguæ gignantur interpretum narrationes, quò iam non hæc modò de aduentu Pauli Meſſanam traditio fallere queat, ſed quàm plura in ipſo ſacræ paginæ contextu, vel variam, nec propriam admittant ſignificationem, vel certè minus aptè videantur cohærere. Itaque vt quàm plurima miſſa faciam, ſi quod Matthæus [k] Euangeliſta narrat; *Veſpere Sabbati, quæ luceſcit prima Sabbati, veniſſe Mariam Magdalenam, & alteram Mariam videre ſepulchrum Domini*: ita exponas, vt vel ſolum crepuſculum Sabbati veſpertinum, vel totius abſque vlla figurata locutione ſpatium noctis, vel denique extremum præcedentis Sabbati, quod galli cantum, ortiuumque ſequentis diei artificioſi (vt ſic loquar) candorem ſignet, intelligas: extemplò tot in vna peruerſa acceptione ſententiarum nodos inuoluas, quot ne quindecim quidem fatalium librorum Viri queant euoluere; ſtatim enim ex prima interpretatione conficias neceſſe eſt, ab occaſu Solis præcedentis, diem eluceſcere ſequentem, quòd niſi de die naturali, qui tamen eo puncto verè non illuceſcit, nullo gentium vſu rectè dici poteſt: Alteram verò interpretationem ſi fundare velis, Hebrææ voci, quam aſſumpſit Matthæus, vim feceris oportet, quod ea genuinum haud alium edit ſenſum, niſi quem latinis crepuſculi veſpertini, aut propius veſperi reddit ſignificatio. Denique ex poſtrema, illud in morem Hebrææ gentis abſoni recidit, vt non modò terminus Sabbati redundet in crepuſculum diei conſequentis, verùm etiam nox tota labens in partem euadat diei præcedentis. At quis vnquam ignoret, Sabbata Hebræorum Solis occaſu claudi, nec vnquam illis ab ortu in ortum dies computari, tametſi diſcretos à noctibus obſeruent dies, nec diem appellent niſi ſpatium luce ſua ſignatum, & hoc ipſo tenebris procul fugatis conſpicuum, [l] iuxta quod *vidit Deus lucem, quod eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris, appellauitque lucem diem, & tenebras noctem.* Verùm enim, ſi veſperum latina quidem ſignificatione cùm Solis occaſu diei lapſi notet extremum, græcanicæ tamen vocis vbertate, ad intempeſtam noctem, atque adeò à media deinceps quoque extendatur, aut etiam latinè per Synecdochen (vt aiunt) pro tota nocte vſurpetur, quod ferè placet [m] Hieronymo [n] Auguſtino, nec diſplicere poteſt [o] Euthymio, ac [p] Cyrillo; tam certò prædictæ vitantur difficultates, quàm citrà verioris ſententiæ periculum planiſſima fiunt in re maximè obſcura, ſenſa Euangeliſtarum.

k Cap. 28.

l Gen. 1.

m Epiſt. ad Hedib. q. 4.

n Lib. 3. de conſ. Euan. cap. quart.

o In Mat. cap. 28.

p Lib. 12. in Ioann.

Quorſum hæc, niſi vt in re noſtra clarum euadat, ſi quod dicitur Paulum poſt vnum diem flante Auſtro, ſecunda die veniſſe Puteolos, in ambiguo ſenſu, quem prima facie præ ſe ferre poteſt, capiatur, non ſolùm perplexam effici orationem, verùm etiam hiſtoriæ fidem implicatam. Enimuerò ſi dies vnus more Hebræorum, quem fortaſſe (licet græcè ſcribendo) ſecutus eſt Lucas, pro lucis duntaxat vſura ſumatur; conſequens eſt poſt Solis occaſum Rhegyo ſoluiſſe Paulum, vniuſque noctis nauigatione tolerata, ſecunda die nondum peracta, ſed intra medium, occi-

duumque cardinem, viuis adhuc radijs meante Sole Puteolos appuliſſe, quod vt fieri directo curſu poſſit, an tamen ea nauigatio proſpera dici queat potius, qualem habuiſſe putatur Paulus, quàm validæ tempeſtatis iactatio, quæ rurſum ad iactum faciendum coëgiſſet, amplamque Lucæ materiam ſcribendi effeciſſet, iudicent experientes, & qui furente Auſtro norunt inſenſi pericula maris. Vt mittam, cùm medio propè, ſi nó exeunte Iunio contigerit inde ſoluere, quemadmodum colligi videtur ex [q] Beda, & Vſuardo, qui pridie Nonas, hoc eſt, Sexta Iulij Paulum Romam ingreſſum affirmant, Fauonio potius ſpirante quàm Auſtro impellente, vel certè leniter afflante (vt fides ſeruetur Sacræ Hiſtoriæ) in exortu Orionis, ſi rectè Aſtrologiam callemus, fuiſſe peractam nauigationem, adeoque non potuiſſe tam vehementi impulſu, ſiue per æquabiles vndas, ſiue per exaggeratos fluctus, ingentem cieri carinam, vt poſtridiè poſtquam ferri cępiſſet, Puteolis conſiſteret, vel certè ne in ſcyrpo nodum quæramus, ſi hinc argumentari licet, non menſe Quintili, ſed Maio, quemadmodum arridet [r] Baronio, moliri cœpiſſe Rhegyo Paulum, quo tempore videlicet occidentibus hyadibus, veris fit conuerſio, flare quidem conſueuit Auſter [ſ] Ptolomæo, ſed Ariſtoteli [t] vndabundus (vt ipſe loquitur) & contortuoſus, eamque ab cauſam vix nauigantibus proſper, ac ſecundus, vt citra periculi aleam eueniat.

[q] In Martyrologijs.

[r] Ad ann. 59.

[ſ] Stadius, & Origan. in Ephem. Et lib. 3. Iſag. c. 10.

[t] ſect. 26. prob. 13.

Iterum verò ſi dies ille, quo Puteolos peruentum eſt, ſecundus ſit ab illo vno, qui Rhegij ſtationi datus, niſi ille cum nocte coniugatur, vno tantum die tam longam nauigationem confectam eſſe oportuit, quod quis non videat præter omnem eſſe fidem, eo maximè tempore, quo cœli conſtitutio pacatiores reddebat ventorum, mariſque procellas. Et verò exemptam fuiſſe noctem illam nauigationi, nec niſi mane profectionem inchoatam, ſatis ſuadet ardens illa columna, quæ Rhegynis nocte, (vt Athenis quoque, & alibi facere conſueuerat) prædicanti Paulo lumen ſuffecit, vnde enim aliàs eius miraculi patrandi ſumpta occaſio, niſi à candela ei columnæ impoſita, cuius deficientis vices ſubiuit marmor. Eſt verò hæc traditio adeò certa Rhegynis, vt dubitantem ipſa Columna, propter quam hodie Rhegyum viſitur, redarguat, niſi iam ſuis quiſpiam oculis minimè credat, quia Lucas eius miraculi non meminit, & non potius ex eo omiſſo plura quoque Lucam quoquo tandem conſilio intacta reliquiſſe conijciat. Quòd ſi columnam arſiſſe non ea nocte velis, quam proximè ſecuta eſt nauigatio matutina, ſed quæ præceſſit vnum illum diem nauigantium quieti datum, continuò etiam conficies pridie appellenti Rhegyum Paulo, eademque nocte Rhegynis prædicanti, reſiduum fuiſſe diei vnius ſpatium, quo mane Meſſanam accedens, bis eodem die (ſic enim aliqui legendum putant pro eo, quod dicitur biduò) concionem habere potuit, mane nimirum, & à meridie, rurſumque imminente veſpere naui reſtitui, ac paulò poſt flante Auſtro nauigare. Quin verò ſi pridie eius diei Rhegyum venit, non iam nocte concubia id eueniſſe putandum eſt, quomodo enim extemplò excenſione data altum dormientibus Rhegynis conuentum habere potuit, vt prædicaret? quomodo coram Senatu collecto, quemadmodum ea traditio habet, forum (vt ſic dicam) agere, verba facere? Itaque die ſummo, aut primum exorto Rhegyum appulerit oportet, quo & Meſſanæ reſciri aduentus fama breui in horam traiectu potuit, eodemque die acciri, ac Meſſanam concedere, humanitate præſertim fretus Iulij Centurionis, qui fortè iam Chriſto crediderat, ac Meſſanenſibus libenter id officij præſtabat, vel etiam ipſe vnà cum Paulo ad eam Vrbem acceſſit, in qua Viro in dignitate militari conſtituto negotia deeſſe non poterant, niſi ſponte etiam viſum veniſſet. Id verò ſi factum, quod ſanè fieri potuit, vno die propemodum Meſſanæ exacto, credibile etiam erit veſpere appetente Centurionem,

Digitized by Google

turionem, qui à naui ſua, nocte abeſſe non debebat, Rhegyum Paulo ſecum reducto, conceſſiſſe etiam, quo Rhegynis prædicaret ſub noctis initium, petentibus pręſertim id nonnullis ex Senatu, quibus Pauli apud Meſſanenſes geſta iam innotuerant, niſi etiam aliqui ex ciuibus prędicanti adfuerint, quò proinde vel in ciuitatem ſub fide publica receptum, vel etiam extra muros eò loci, vbi nunc Eccleſia Paulo in eius rei memoriam, in qua etiam pars Columnę, quę arſit, honorificè aſſeruatur, dicata viſitur, prędicantem audirent. Nam quòd nonnulli eſſent duriores ad audiendum, quorum occaſione miraculum illud ardentis Columnę fieri oportuit, non ſanè conuenit in omnes, ſed quorum mores tunc minus vrbani ad genium Pauli appoſiti non erant, à quo tamen vitio permultos animo tractabiliores abfuiſſe credi poteſt. Itaque illa nocte magna ex parte Rhegynis impenſa, potuit die ſequenti eadem qua prius occaſione Paulus Meſſanam iterum abire, commotoſque pridie animos prædicatione rurſum flectere, rebuſque religionis pro modo & tempore conſulere, iterumque inclinato die, ſuæ naui reddi, quò poſtridie commodùm ſolueret inſtitutæ nauigationi finem facturus. An verò hoc dato, Paulum Meſſanenſibus biduò prędicaſſe dubium erit, ſi nihilominus poſt vnum diem flante Auſtro, ſecunda die peruenit Puteolos? Nam qui pridie veſpere Rhegyum appulit, diemque alterum Meſſanæ extraxit, & nocte conſequente, vel die proximè appetente Rhegyo ſoluit, verè poſt vnum ab appulſu diem receſſiſſe comprobatur: aut etiam qui pridie Sole nondum culminante Rhegyum tenuit, eiuſdemque diei partem penè cum toto ſequenti quemadmodum diximus Meſſanenſibus dedit, poſt vnum ſanè diem integrum, qui partem prioris pro integro minimè computatum, ſecum trahit, Rhegyo diſceſſiſſe certius dici poteſt, quàm vt amplius niſi tricando dubitetur, habebitque locum, non tantum eo die bis repetita, verùm etiam biduò continuata prædicatio. Vſque adeò nihil eſt, quod in hac traditione reprehendi queat, ſi re penitius introſpecta, iudicium feratur, vt ridiculi ſint, qui in tanta opinandi latitudine, malint hebeſcere, quàm aciem intendere.

Video me fortaſſe Rhegynis minus placiturum, quòd prius quàm illis Paulum Meſſanenſibus prædicaſſe videar velle, quem tamen cœli ſuffragio prius illi hoſpitem acceperunt. Eſt enimuerò hac in re alteros alteris gloria præſtare, quæ inuidiam quodammodo poſſit prouocare. Verùm ego, ſi huius etiam ſententię ſim, cum vtriſque inuicem pacatis, facilè tertius conueniam, vbi Rhegynos primùm in accepto Paulo honoratos, Meſſanenſes in eodem audito minimè dignitate ſecundos, vtroſque verò felicitate (ſi tunc primùm Meſſanenſes Euangelij lucem aſpexerunt) ſibi inuicem, dixero, non impares; eò tamen Meſſanenſes præcipua laude dignos, q; & ſponte Virum accerſiuiſſent, & accerſitum nemo audire detrectaſſet, imò omnes pro geniorum voluptate audire appetiuiſſent. Quamquã nõ deſint, qui Gloſſæ interlineari nixi, circumlegentem Paulum prius quàm Rhegij, non quidem in ipſo portu Meſſanenſi, ſed non longè in finibus Meſſanenſium propter pagum, cui vulgo nomen Itala, excendiſſe velint, eiuſque rei memoriam, hodieque Sacellum illud, quod Meſſana decimo lapide Tauromenium commeantibus obuium eſt, honori Pauli Meſſanenſium fines ſuo exſcenſu primum conſecrantis dicatum referre. Narrat hocipſum Cornelius à Lapide iam ſuper æthera notus (niſi fallor) ex Octauio Caetano non indiligenti rerum Sicularum Scriptore, ſed in operis penè partu præmortuo, his verbis: *Paulina nauis poſteaquam Siracuſis ſoluit, oram Siciliæ maritimam prætervecta, rurſum è curſu ſuo deflexit in littus intra Tauromenium & Meſſanam, vbi nunc ædes eſt Paulo Apoſtolo ſacra. Antiqua ea fama eſt apud loci accolas, Diuum Paulum, cùm Siciliæ oram legeret, in ſinum illum appulisse, cui Monaſterium D. Placidi in edito* In 28. cap. Act. Apoſt. verſ. 11.

colle

colle incumbit, in eoque commoratum littore, quod decem paſſuum millibus ab vrbe Meſſana diſtat: ipſo in littore, locoque Apoſtoli pedibus calcato, Chriſtiani deinde vbi fides adoleuit, paruam ſed magnæ pietatis indicem Eccleſiam D. Paulo ſacram conſtruxerunt, quæ Apoſtoli in illud littus deſcenſum teſtificaretur, reique memoriam ad poſteros deriuaret. Hæc Cornelius ex Octauio. Vidi ego locum non ſemel, & religione accolarum notatum obſeruaui. Sed ſi verum eſt eo in littore commoratum Paulum, nemo iure dubitabit, præterea vel pedes acceſſiſſe Meſſanam priuſquam Rhegyum inde dimoueret, itinere præſertim expedito ſimul ac amęno, quo vel lenti gradu, laſſique corpore omnem cum voluptate deuorent moleſtiam. Quin, ſi (quemadmodum narrat Octauius Caetanus, & ex eo Cornelius à Lpaide) *lenta fuit nauigatio Pauli per oram Siciliæ, non ſine magna Dei prouidentia, quo Siciliam colluſtraret, & quos poſſet prædicatione ad Chriſtum perduceret*, id quod non parum promouit humanitas Iulij Centurionis Apoſtolo plurimum deferentis: ſi etiam antequam naui vectus in Syracuſanum portum, appelleret in oram cis Pachynum promontorium deſcendiſſe exiſtimatur ab eodem, & vicina loca colluſtraſſe, imò ad milliaria quatuor in agrum Elorinum penetraſſe, cuius rei famam Eccleſia primùm iuxta fluuium Elorum Paulo dicata, non procul deinde puteus eiuſdem religione ſacer, aliuſque in agro Biliſcalis latice morbis ſalutifero inſignis hodieque teſtantur: Neque ſolùm, ſed iam Syracuſano portu acceptum, inde etiam in agrum, cui Salarino nomen eſt, octo paſſuum millibus excurriſſe, quod ipſum Eccleſia item Paulo ſacra, quæ à vetuſtate, puteoq; alio ſalubris vndæ religionem contraxit, ſi quæ fides traditioni, rectè monet; Si (inquam) tarda nauigatio Pauli tot monumentis eam Siciliæ oram ſacrauit, cùm tamen ſi Lucæ dictis inhærendum, nullo viarum flexu Melita ſoluens Syracuſas tenuit, ibique duntaxat nec alibi tridui moras traxit; quanto magis ſi inde circumlegenti naui, & intra Tauromenium, ac Meſſanam ad littus appellenti ſtatio data eſt, eodemque loco (vt ex Octauio narrat Cornelius) commoratus ſit Paulus, credendum eſt ipſum ad Meſſanenſes quoque rebus ſuper vota fluentibus acceſſiſſe, ibidemque in tam ampla ſegete religioni ſtuduiſſe, nec biduò duntaxat animum Chriſto, ac MARIAE prędicandæ aduertiſſe, verùm etiam alijs ſacrorum meditamentis ciues prolatata cura coluiſſe, firmaſſe. Ac tum verum erit, quod idem Octauius Caetanus contra Conſtantinum Laſcarim contendit, Paulum freto Siculo nauigantem *conſpexiſſe Meſſanam non etiam adijſſe*, qui enim adiret, cùm iam Apoſtolatu ibidem pro tempore perfunctus, aditum ex freto aliunde præceperat? verùm mihi non videtur facilè vertenda traditio, quæ Paulum Rhegyo Meſſanam acceſſiſſe pro religione habet, eademque facie hactenus à ſeculis inceſſit apud ciues, & quamquã alijs etiam coniecturæ veniant in partem, quia tamen laxata opinandi licentia rem mutant potius quàm firmant, ideò rationibus, quæ pro traditione pugnant, non eſt intercedendum. Sed hoc ſuo loco eluctandum. Interim quæ hactenus obiter dicta occurrere, eò tendunt, vt oſtendant non tantum ineſſe roboris argumento ex Lucæ verbis petito, quo hæc de acceſſu Pauli ad Meſſanenſes, biduique prædicatione, eo ipſo tempore, quo primùm in Italiam nauigauit, credita fama queat infirmari, idque pluribus etiam confici poſſe ex conſequentibus euadet manifeſtum.

In Iſag. c. 20. & 21.

Iſag. c. 22.

Ergo ſi poſt vnum diem, ſecunda die Paulus Puteolos contigit, aut vna die tantũ itineris emenſus eſt, aut inter hunc ſecundum diem, & illum vnum, poſt quem flante Auſtro nauigare cępit medium incidiſſe diem, à quo ſecundus hic dies numeraretur credendum planè, vt iuxta communem [a] Baronij cum ceteris ſententiam bidui ſpatio, nec ante proſpero ſanè pro tempore vento Puteolos tenuerit. Id verò ſi ſemel admittatur, fortaſſe ſit, qui ante eundem vnum diem, poſtquam Rhegyo ſoluit, alios

[a] *Ad an. 56.*

præceſ-

Digitized by Google

præceſſiſſe, quibus ibidem ſubſtiterit, non neget, vt iam non vna duntaxat, aut altera vice, verùm ſæpe Meſſanenſibus Paulus adeſſe potuerit; is ſanè adeò nihil abſoni proferet in coronam, vt facilem explicatu ferat ſententiam, omneſque contradicentium elidat argutias, quid enim obſtet dicenti, inter dies quibus opportunum cœlum Paulus opperiebatur, vnum aliquem illuxiſſe diem, quo die inuitante Auſtro nauigationem Rhegyo ſit molitus? Sanè ſi tempus, quo ex Melite Inſula receſſit Paulus, atque dies in nauigatione inſumpti conſiderentur, vnus videlicet aut alter vſque Syracuſas, hic verò tres, iterumque bini circumlegendo Siciliam quouſque Rhegyum deueniret, ac totidem vt Puteolos, ibidemque ſeptem, ac denique itinere ſatis explicato quaterni quiniue vſque Romam; cùm vicenos dies vix ſuperent, plurium dierum ſpatium Rhegij Meſſanæque agenti (niſi etiam alibi) relinquunt, non ſolum ſi menſe Maio Romam ingreſſum credamus, vt videtur placere Baronio, ſed multò maximè ſi ſexta menſis Iulij, quod volunt Beda, & Vſuardus, præſertim ſi lentam fuiſſe velificationem Octauio Caetano concedamus, dieſq; ob id interiectos. Quamquam fortaſſe tutius credatur Baronio, qui hyeme ſoluta, cùm nauigãdi tempus redditum eſt opportunum, nauim Alexandrinam, quæ Melite hyemauerat, conſcendiſſe velit Paulum: quæ enim nauis ibi egerat in hybernis, abſque dubio poſt ortum Pleiadum, cùm opportuna ſolet eſſe nauigatio Melita ſoluiſſe putanda eſt, idemque ſenſiſſe videtur [x] Arator Diaconus, qui Veris tempore eam nauigationem fuiſſe inſtitutam verſibus notat. Et quamuis daretur Melita non receſſiſſe ante initia Maij, iuxta prædictam numerationem, tam Baronij ſententia, quàm noſtra coniectura citra fallaciam ſtare poteſt. Ex ea verò vlterius collimare licet, ſi non in ipſum diem, non longè ſanè ab illo, qui tam auſpicatò Meſſanenſibus illuxit, vt Paulum primùm ipſis viſendum exhiberet, clarior vtique dies aduentu Pauli, quàm dixerim luce Solis: ille nempe dies, qui vel apud Hebræos initium Pentecoſtis, ſeu feſti primitiarum dare conſueuit, hoc eſt, Sextus menſis Maij, vel vnus aliquis ex illis, qui hunc inter ac decimum tertium, hoc eſt interuallo octauæ defixus eſt: vtique non ſine myſterio, quod Meſſanenſibus diuino nutu bene vertit, quando eo menſe & in Aegypto [y] meſſis peragi ſolita eſt, [z] & apud Hebræos die ſexta Maij, hoc eſt in principio celebritatis, panis è nouis frugibus offerri debuit, vt illo fortaſſe die commutata cum Iudæis ſorte, quibus primùm oportebat prædicari Regnum Dei, Meſſanenſes inter gentium occidentalium primitias, nouus panis, è nouis Euangelij frugibus Deo offerrentur, paulò poſt etiam voto Virginis Matris delibandi. Ex quo demum fortaſſe non erret, qui diem diſceſſus Pauli Rhegyo, nonum Maij deſignet, quando illo ipſo die ſi qua Aſtrologis fides, Pleiades occidere incipiunt veſpere, qui (vt Ptolomæus dicere amat) Auſtrum commouere ſolent, tandem in Fauonium deuoluendum, Auſtro autem aſſlante vela feciſſe Paulum, hactenus dictum eſt.

x In c. 28. Actor.

y Plin. lib. 18. cap. 18.

z Geneb. initio pſalt. Sigon. lib. 3 de Repub. Heb. c. 10. Leuit. 23. Num. 28.

Iam ſi de anno quæratur, ſententia vertitur inter quinquageſimum octauum à Chriſto nato, vel nonum: [a] Baronius ſanè recenſitis ſingulis annis, exploratum eſſe putat, Paulum poſtremo hoc anno Romam conceſſiſſe, idque cum [b] Euſebij, & qui Euſebium ſequutus eſt [c] Hieronymi calculo congruere. Non paucis tamen alijs placet quinquageſimum octauum ſignare. Facilè verò hæc controuerſia componitur, ſi quinquageſimo octauo miſſum quidem à Porcio Feſto ſucceſſore Felicis, quinquageſimo autem nono Romam perueniſſe Paulum teneamus; id quod diligentius expendenti narrationem Lucæ procliuè eſt intelligere, Ceterùm partem illius nauigationis anno quinquageſimo octauo fuiſſe confectam, illud ſatis euincit; *Quod* (vt inquit [d] Lucas) *multo tempore peracto, & cùm iam non eſſet tuta nauigatio, eò quòd ieiunium præteriiſſet conſilium fuit Pauli, ne amplius nauigaretur*, ſiue tandem id intelligatur

a Ad ann. 59.

b In Chrõ

c De ſcrip. Eccleſ. in Paul.

d Act. cap. 27.

telligatur de ieiunio Septimi menſis, quod dicebatur expiationis, & tabernaculorum, ſiue de ieiunio decimi, quod varium erat, ſiue præterea de ieiunio decimi [e] Ianuarij, quod mæſtitiæ fuit ob acceptam in captiuitate Babylonica templi deſtructi famam, ſiue denique de ieiunio Chriſtianorum ob ordinationes ſacras (vt placet [f] Bellarmino) certè de ieiunio Iudæorum intelligunt, Syrus, Chryſtomus, Oecumenius in hunc locum, idque de ieiunio ſacro, & religioſo, non de profano, ac de neceſſaria quadam ob nauſeam vel mærorem inedia; alioqui minus aptè adſtrueret Lucas, non fuiſſe tutam nauigationem, quia præterijſſet ieiunium, quid enim ad hoc profana illa abſtinentia?

[e] Gloſ. in 27. Act.
[f] Lib 2. de bonis oper. cap. 19.

Et ſi verò ea, quę Cæſareæ de Paulo agebantur ſub Feſto Præſide & Agrippa Rege, æſtiuo tempore contigerint anno quinquageſimo octauo ad votum [g] Baronij, non tamen ſtatim ac decreta fuit miſſio ad Cæſarem, nauigatio illa cœpit, ſed longè poſt (opinor) tranſacto etiam ieiunio Septimi, vt verum ſit, quod Chryſoſtomus: *Poſt Pentecoſten* (inquit) *exierant illinc poſt multum tempus, ita, vt ipſa ferè hyeme peruenirent in partes Cretæ:* iuxta ea ſcilicet, quæ ſcribit Lucas [h] *Et cum multis diebus tardè nauigaremus, & vix deueniſſemus contra Gnidum* (Ciuitas eſt peninſulæ Doridis) *prohibente nos vento, adnauigauimus Cretæ iuxta Salmonem*: Vbi quod ſubdit, *Multo autem tempore peracto* (intellige ab incæpta nauigatione) *cùm iam non eſſet tuta nauigatio, eò quòd ieiunium iam præterijſſet*: non rectè quis accipiat, niſi de ieiunio menſis decimi, cùm non niſi hyberno tempore ceſſare conſueuerit nauigatio, ac menſe præſertim Decembri poſt halcyonia. Ex quo etiam colligas licet, ieiunium ſignari, non tam quòd die decima ob mortem [i] Heli, & captam fœderis Arcam, quàm quod vigeſima nona ob defunctum [k] Samuelem, quem totus planxit Iſraël, ſolemne fuit: à quo etiam numeranda erit, decimaquarta nox, quæ ſuperuenit nauigantibus, poſt quam tandem, iactu facto Meliten tenuerunt, & inde exactis hybernis poſt tres menſes naui Alexandrina, quę in Inſula hyemauerat, reliquũ iter ſunt proſecuti. Quo loco illud monuerim, quemadmodum quod dicit Lucas [l] *Poſt menſes autem tres nauigauimus in naui Alexandrina*, non adeò mathematicè accipiendum eſt, quaſi dies, momentauè dierum redundare nequeant; ita quod ait *Poſt vnum diem flante Auſtro, ſecunda die venimus Puteolos*, aliter expendi poſſe, quàm quòd poſt illum vnũ diem, nihil diei fuerit interceptum, pręſertim ſi ſecũda dies nõ ab illo vno die, ſed à flante Auſtro, qui poſt illum diem cœpit commodùm numeretur.

[g] Ad ann. 58.
[h] Cap. 27.
[i] Reg. 4.
[k] Reg. cap. 25. & 28.
[l] Actor. c. 28.

Sed etiam illud ad rem accidit, ſi quemadmodum ſcribit Lucas [m] biennio expleto accepit ſucceſſorem Felix Porcium Feſtum, Nero autem anno quinquageſimo octauo, ſub Coſſ. Quinto Voluſio, & Publio Cepione (vel vt alij Scipione) Pridie Idus Octob. exacto ſui imperij biennio tertium inchoauit (vt Baronio [n] placet ex Tacito) [o] non poſſe biennium illud completum intelligi de annis Felicis ſub Nerone exactis, ne alioqui Porcium Feſtum menſe Octobris prouinciam aſſumpſiſſe ſit conſequens, quando nec adeſſe potuit, illudque iudicium de Paulo coram Agrippa non æſtiuo tempore, ſed hyberno agitatum: id verò quam inuolutam reddat hiſtoriam Lucæ, legenti obuium eſt, quando tempus nauigationi, ſiue ante ieiunium decimi, ſiue poſt inchoatæ, trimeſtribuſque apud Meliten hybernis, quantumuis aduentus Pauli Romam extrahatur in menſem Quintilem, minimè relinquit. Quomodo enim intra tam reſtrictum temporis ſpatium ab aduentu Feſti ad indeptam nauigationem, tam multa quæ narrat Lucas [p] coarctari queant? de tridui ſcilicet mora Feſti Cæſareæ antequam Hieroſolymam aſcenderet, de aſcenſu poſt triduum eòdem, bidui; [q] vt minus itinere, de commoratione ibidem per octo, aut decem dies, de foro altera die, & tribunali habito, de reditu iterum Cæſaream, ac poſt aliquot dies de deſcenſu

[m] Actor. cap. 28.
[n] Ad ann. 58.
[o] Lib. 13. Annal.
[p] Cap. 25.
[q] Abrahā Ortel.

Digitized by Google

ſcenſu Agrippę cum Berenice ad ſalutandum Feſtum, nec non horum per plures dies ibidem demoratione, antequam à Feſto Regi indicaretur de Paulo, iterumque de iudicio altera die coram ipſis acto, denique de diebus intercurrentibus à lata ſententia, ſcilicet antequam commodo cœlo, rebuſque, iudicatum eſt eum nauigare in Italiam. Quæ omnia, niſi caligamus, apertè oſtendunt biennium illud completum non de præfectura Felicis, ſed de mora Pauli apud Cęſaream certius, niſi etiam de tempore à delatione Felicis apud Neronem, quam multis perſequitur Ioſephus, eſſe intelligendum. Sed hæc alijs.

Vt autem ad argumentũ redeamus, illud certò conſtare debet nihil obſtitiſſe vincula Paulo, quò minus ſi tempora ferebant, ſicut Puteolis Neapolim, ita Rhegyo Meſſanam adiuerit. Nam quæ terriculamenta à quibuſdam anonymis in nonnullis manuſcriptis obiectantur, de edicto Neronis, & proſcriptione Chriſtianorum, quæ in Iudæos lata, Chriſtianos quoque, quaſi Iudæi Chriſtiani eſſent, inuoluit, vereor ne ex oſcitantia quadam proficiſcantur. Qui enim eiuſmodi argumento vtuntur, meminiſſe debent, Neronis imperium non ante quinquageſimum ſextum vel ſeptimum Chriſti cœpiſſe annum, ipſoque imperij ſui exordio erga Iudæos fuiſſe propenſiorem, vt inter alios tradit [e] Baronius ex Ioſepho, nec prius cępiſſe perſequi Chriſtianos, quàm decimo ſui imperij, ſeptimoq; poſt aduentũ Pauli in Vrbẽ anno, de incendio ſcilicet Vrbis in calumniã vocatos, nec perinde in crimine incendij, quàm odio Chriſtiani generis conuictos, quod Deos conſtantiſſimè deteſtarentur, eaq; ratione impij haberentur. Ac tũ ſanè in Chriſtianos clades ſecuta eſt, *Omnibus* (vt verbis [f] Taciti vtar) *quæ Vrbi per violentiam ignium acciderant grauior, atq; atrocior*, quando non ſolùm noxæ poſtulatũ fuiſſet nomen Chriſtianum, ſed quòd nomine Chriſtiano complures vagarentur hæretici turpia quæq; perpetrantes, infame haberetur, ac prorſus inuiſum, ac tum etiam quæ conficta de Iudæis erant ab Apione vel alijs, in Chriſtianos quoq; ꝙ ex Iudæis progeniti eſſent calumnioſè admodũ redundabant.

[e] *Ad ann. 56.*

[f] *Lib. 15.*

Atqui de tẽpore aduentus Pauli Meſſanã ſi quiſpiã iuxta hactenus dicta ſentiat, nõ video cur admodum obtrectantiũ tela reformidet, aut me iudice à cõmuni traditione, in aliam ſententiã deflectere debeat. Quia tamen contradicentiũ ſtudia pluribus eleuare poſſe modis, non minima pars eſt veritatis, ſubductũ licet huic itineri Paulũ, alia etiam via Meſſanenſibus reddituri ſumus, ſi prius argumentũ illud à ſilentio Lucæ, quo ſe velut arce continẽt nouatores, quale ſit, q̃ debile atq; infirmũ, iterũ oſtenderimus non noſtræ duntaxat cauſæ, ſed aliorum etiam ſtudijs adiumento futuri.

REFERVNTVR MVLTA OMISSA A LVCA in Actis Apoſtolorum.

CAPVT SEXTVM.

ETſi iam conſtitutum ſit, quo tempore Paulus Meſſanenſibus adfuerit: ne tamen vel ego citò me rationibus expediam, aut extemplò ſe regno ſuo ſi quæ eſt, abdicet calumnia, illud inprimis hoc loco agendũ, Paulũ Meſſanę fuiſſe quamuis minimè liqueret, eo tamen ſuffragio negari haud rectè poſſe, quia Lucas eius rei famam hiſtorię ſuæ minimè cõmendauit. At ne eodem clauiculo innixus quiſpiam, ad Garamanthas etiam, & Indos Pauli curſum proferat; id reapſe quidem eueniſſe non conficiet, fieri verò potuiſſe, nemo, cui pectus ſapit, abnuet, ſi cogitet octennij

ſpatium, aut circiter quo Paulus Romanis vinculis exemptus ſuperuixit, ſatis fuiſſe
prædicationi ad eas etiam Orbis regiones extendendæ, quibus Solis curſus terminis
continetur. Sed verò ad Meſſanenſes non tā immenſo traiectu plus ſemel venire po-
tuiſſe, propius eſt vero, quàm vt ſuſpicionē falſi conſtantibus animis queat ingerere.

At enim neſcio an profiteri auſim plura, ac maiora miſſa feciſſe Lucam, quàm pa-
trata ſint Petro, vel Paulo: minora certè vel pauciora ſi dixero, fide propria prorſus
implicabor. Legimus conſtituta Eccleſiæ primitiuæ pace, Petrum Hieroſolymis
egreſſum, regiones circumſitas peragraſſe, Eccleſias luſtraſſe, pro Apoſtolico mu-
nere vbique proſpexiſſe; at hæc & alia permulta, dum inſigniora duntaxat quædam
miracula intendit Lucas, quàm paucis perſtringit, vnaque eo tempore inſtitutam
Eccleſiam Antiochenam penitus ſilentio premit. Mitto quàm plurima; ſed Romam
t Ser. 1. in Natal. Apo. aliquando veniſſe Petrum, & quidem (vt cum Leone [t] loquar) *conſtantius, quàm*
cùm ſupra mare graderetur ingreſſum; nemo vel impius præter vnum, [u] quem ſciam,
u Vlricus Velenus apud Roffenſem. infra ſuo loco reprimendum, auſus eſt cauillari: congreſſum deinde cum Simone
Mago, fregiſſe hominis temulenti inſaniam, & ex alto præcipitantis eliſiſſe ſpiritum,
nemo eſt qui non audiuit: Roma aliquando egreſſum quo ſe multorum ſaluti ſerua-
ret, ſed Chriſti obuiam facti voce illa, *Venio iterum crucifigi*, vt reuerteret quodāmo-
do compulſum, toti penè Orbi ſtatim ab initio fuit diuulgatum. Deniq; vt ſexcenta
mittā, Paulo Romæ vinculis Neronianis per biennium exercito, multa, pro libertate
animi vinciri neſcia, eundē geſſiſſe, quis eſt qui dubitare queat? & tamen hæc omnia
Lucas Hiſtoriæ ſuæ minimè credita, memoriæ quoq; poſterorum abripuit, tametſi
x Oecumē. in Lucam. & Romæ cum Paulo adfuiſſet, & ibidem ſcripſiſſet, [x] vltimamque manum ad Orien-
tem, vel aliò conceſſurus impoſuiſſet.

Si de Paulo agamus, omiſerit quamuis Lucas profectionem eiuſdē in Hiſpanias,
res ibidē pro inſtituto geſtas, reuerſionē ad Vrbē, diſceſſionē in Oriētē, perplura alia
à vinculorū ſolutione, vſq; ad diſſolutionē corporis peracta, nec vnquā ſcriptis datā,
ipſum deniq; eundē qui Petro, martyrij & coronę datū diē: hæc omnia ſemigrationi
iam factæ à ſocietate Pauli condonari poterunt: At verò quanta ſunt ea, quæ reſidua
fecit Paulo in reliquo vitæ meritorumque curſu? Nemo neſcit Epheſi ſediſſe Ioannē,
vbi deprecantibus Aſianis Epiſcopis, admirandi Euangelij ſeriē pertexuit paucis ac-
y Roffenſ. contra Velen. ceſſam, [y] verūtamē cùm ſæpius Epheſū veniſſet Paulus, ibiq; curriculū propè trien-
nij confeciſſet, nihil vnquā ne ad nutū quidē meminit Lucas, an vel toto eo tempore
Ioānes Paulū aliquando ſuo alloquio dignatus fuerit, vel quid rerū ipſe Ioānes Ephe
ſi geſſerit, nequicquam interea Paulo Chriſtum ardentiſſimè deprædicante: cer-
z Act. 19. tè [z] trimeſtrem illam in Synagoga diſceptationem, & biennem in ſchola Tyranni
a Act. 14. velitationem, ipſe vix vno aut altero verbo circumſcripſit. Quid etiam quòd [a] Ico-
nij cōmorantē cū Barnaba penitus præterijt? & tamen quis non turbo? quæ non com
motio Ciuitatis, Virum ad pericula natum accepit? ciuium animis adeò in diuerſa
ſtudia, factioneſque ſciſſis, vt non miſceri modò, verùm agi, ferri, ſuſque deque vide-
rentur omnia, quibus nihilominus ſcribendis Lucas ſibi valdè temperauit

b Act. 20. Non cōmemoro diſceſſionē [b] Epheſo, cōmorationē in Macedonia, profectionem
in Græciam, nauigationem ad Troadem, quæ omnia cùm propè biennij ſpatium eri-
puerint, verbo citius à Luca tranſacta ſunt, vt minimè mirandum ſit, ſi quæ Rhegyj
Meſſanæq; in freto Siculo breui tempore geſſerit, penitus omiſerit. Neq; etiam in
mediū afferam, quæ à Gentilibus Demetrio inſtigante ſuſtinuit, quæ vel ipſe Paulus
dū ſilet, Apoſtolici pectoris fortitudine ceu leuia videtur contēnere: profectò longè
c Epiſt. 2. ad Cor. 11. maiora ſunt, q̄ à Iudæis illata, toties penè perditum in capitis diſcrimen acceſſiuere,
q̄ ne à quopiā præterirentur ab eodē ipſo Paulo [c] velut in publicā receſſionis tabulā

ſunt

Digitized by Google

ſunt illata: ex ijs tamen omnibus quàm pauca putauit Lucas ad ſuam hiſtoriam pertinere, tametſi alia recenſuerit interdum, etiam à Paulo recenſita? certè ſeruili illa quadragenarum animaduerſione quinquies ſe affectum gloriatur Paulus, de qua tamen, niſi quod ſemel Philippis [d] virgis cæſum referat, altum ſilentium eſt apud Lucam. Quin etiam multa Paulus ipſe quę pro concione docuit, ſuis epiſtolis minimè, vel reſtrictim inſeruit, neque tamen ideò quis credat non plura dixiſſe Paulum, quàm ſcripſerit, quanto minus non plura & dixiſſe, & feciſſe, quàm Lucas breui compendio tradiderit? niſi etiam affirmare auſit complures tum Romæ, tum alibi ſcriptas à Paulo epiſtolas, quarum doctrina tota imbuitur Eccleſia, non eſſe eiuſdem germanus, quia Lucas indiuiduus Pauli comes earum haud meminit. Sunt verò vna vel altera excepta eius temporis ſpatio conſcriptæ omnes, quo Lucas Troadi (vt putat Baronius [e]) in comitem Paulo adſcitus, ad finem biennij Romæ exacti adhæſit, idemque videre eſt apud alios [f] qui quibus annis Paulus ſingulas exarauit epiſtolas diligenter adnotarunt, vt mirum quidem ſit hæc adeò ſingularia, dubio procul ſciuiſſe Lucam, neque tamen verbo ad memoriam finemque poſterorum conſignaſſe, minimè verò inſolens plura alia minoris fortaſſe penſi intacta reliquiſſe. Ceterùm permulta Paulũ pro concione dixiſſe, quæ ad poſteros haud peruenere, vnico exẽplo memoria ſanè digno, ſatis oſtendit [g] Clemens Alexandrinus, quod iam alibi inſinuatum non pigebit hoc loco de integro referre. *Quomodo* (inquit) *Deus Iudæos ſaluos eſſe voluit, dans eis Prophetas, ita etiam Græcorum ſpectatiſſimos propria ſua linguæ exercitatos, prout poterant capere Dei beneficentiam, à vulgo ſecreuit; præter Petri prædicationem, declarabit Paulus Apoſtolus dicens, libros quoque Græcos ſumite, agnoſcite Sibyllam, quomodo vnum Deum ſignificet, & ea, quæ ſunt futura, Hydaſpen ſumite, & legite, & inuenietis Dei filium multò clarius, & apertius eſſe ſcriptum, & quemadmodum aduerſus Chriſtum multi Reges inſtruerent aciem, qui eum habent odio, & eos qui nomen eius geſtant, & eius fideles & aduentum, & tolerantiam.* Hæc ille. *Quæ cùm* (inquit) [h] *Baronius recitet antiquus Theologus, ex Paulo, non vtique ex epiſtolis eius, ſed ex concionibus ad populos habitis, quarum nonnulla verba in audientium aures ſic eſſe illapſa putandum eſt, vt nunquam ea deleret obliuio.* Et hoc meo iudicio ſatis erit, ad eam quorundam calumniam reijciendam, qui ex eo ſolùm quòd conciones Pauli Meſſanæ, ſicut quæ Athenis alibique habitę, à Luca minimè notatæ ſint, vanam eſſe hanc de Pauli aduentu traditionem iuratis penè verbis affirmant.

Sed neque abs re fuerit Baronij ſententiam quæ apprime huc facit eiuſdem penè verbis referre. Hic vbi de Eccleſia Antiochena fusè diſſerit, inter alia [i] *Diſſimulare* (inquit) *non poſſumus, quod ex recentioribus quidam* [k] *nullam prorſus habens rationem antiquorum Patrum, & Eccleſiaſticæ antiquæ traditionis, quæ ſunt omnium ſtabilita conſenſu inuertens, & inaudita hactenus & noua ſtatuens, affirmare conatus eſt Antiochenam Eccleſiam poſt Romanam fuiſſe à Petro inſtitutam, ea tantum ratione perſuaſus, quòd tam ex Actis Apoſtolicis, quam ex epiſtola Pauli ad Galatas* [l] *conſtare ait Petrum numquam ex Iudæa exceſſiſſe. Sed vbi hæc Lucas, & quo in loco Paulus affirmat? certè nullibi prorſus, niſi fortè dicere velit, quòd iam neuter prædictorum de acceſſu Petri Antiochiam meminiſſet, idcirco Iudæa non receſſiſſe probari: leuis admodum & nullius ponderis argumentum, ſed peculiaris noſtrorũ temporum Nouatoribus, qui in promptu habent, vt negent quicquid in ſcripturis non reperitur expreſſum: Sed quis eſt qui dubitet de rebus geſtis Apoſtolorum, permulta à Luca eſſe prætermiſſa, quod cùm ex multis alijs, tum etiam ex Pauli epiſtolis, vt ſuis locis videbimus, ſæpè monſtrabitur. Certè quidem, ſi quis hiſtoriæ Actorum à Luca ſcriptorum aſſueuit, atque ea omnia recta temporis ratione digeſſit, inueniſſe certum eſt ipſum in ſcribendis Actis Apoſtolorum illud*

d *Act. 16.*
e *Ad ann. 51.*
f *Corn. à Lap. in arg in epiſtol. S. Pauli.*
g *Libr. 6. Strom.*
h *In Appar. ad An*
i *Ad ann. 39.*
k *In addit ad Platin.*
l *Cap. 2.*

iniuiſſe conſilium, vt res quibus præſens minus fuit, vel omnium ſilentio obuolutas relinqueret, vel plurium annorum ſpatia vnius ferè periodi ſententia perſtringeret, quibus verò interfuit cuncta ſigillatim atque exactè conſcriberet. Hæc Baronius, cui tamen addi poteſt, multa, quibus etiam præſens adfuit omiſiſſe Lucam, quemadmodum ex dictis à nobis ſuperius manifeſtum euadit.

Sed quorſum hæc omnia tam altè repetita, niſi quemadmodum initio teſtatus ſum, vt oſtendam ſilentium Lucæ non officere traditioni de ſeipſa loquenti, potuiſſeque Paulum & Meſſanæ adeſſe, & Meſſanenſibus Chriſtum cum MARIA Virgine annuntiaſſe, & legatos Meſſanenſium deducere, & deductos ſi opus fuiſſet reducere, & plura alia ſiue vno ſiue alio tempore apud eoſdem actitare, quia vt Suarij
[m] Tom. 2. de Relig. l. 2. cap. 6. num. 15. Viri per ſecula doctiſſimi verbis in ſimili vtar, [m] id neque cum hiſtoria Canonica, neque cum alijs dogmatibus receptis pugnat; quæ omnia cum ſuis locis diſputanda ſunt, allatis etiam pro re noſtra eiuſdẽ Suarij rationibus, maiorem hic lucem non requirunt, ſed pergendum ad alia quæ Lucas miſſa fecit explicanda. Quo loco etſi ſatis eſſet oſtendiſſe duntaxat, non paucas Pauli peregrinationes in Actis fuiſſe prætermiſſas, vt inde conficeretur, nedum in Hiſpaniam, qua de re iam tranſactum eſt apud Sapientes, verùm etiam Meſſanam veniſſe Paulum, quod non ita eſt in promptu, ijs præſertim, qui omnia ſcriptis teſtata volunt, tanquam fide maiora ſi ſolùm audiantur: haud aliter ac idiotæ in imaginibus ſpectare auent ea, quorum rationes paulùm à ſenſu remotas ipſi non valent penetrare. Hanc ob rem ex multis afferam pauca quædam, non quò perſuadeam Meſſanenſium religionem à miraculis ortum habuiſſe, quibus pro genio, ſicut Athenienſibus ſatis fuit ardens prædicatio Pauli de re ipſis deſiderata verba facientis: Sed ſi non aliud, quò maiori firmamento nitatur illud toties conteſtatum, Traditionibus Maiorum non rectè non credi, ſi cetera conſtent, tametſi à nullo ab initio, vel à paucis poſtea ſcripta reperiantur.

[n] Act. 19. Atque inprimis narrat quidem Lucas, [n] virtutes non quaslibet feciſſe Deum per manum Pauli, inter eas tamen, mortuorum ad vmbram eiuſdem reſuſcitationes, non recenſet; compendio fortaſſe ſtudens, vel quia cùm dixit *non quaslibet virtutes*, argumentum reliquit poſteris, diuinæ virtutis in Paulo commendandæ. Neque ſtudio, & affectu in Paulum, Rhetorum more exaggeraſſe (vt quidam volunt) exiſtimandus eſt [o] Chryſoſtomus, dum ad vmbram & contactum veſtium eiuſdem, mortuos ad vitam reuocatos laudat, ac probat, quando ex eo genere quæſita laus non adeò ſingularis eſt Paulo, quin etiam extra ordinem Apoſtolorum communis ſit alijs, ſi Gregorio [p] credimus, & alioqui ſi ea amplificatione fidem, vel admirationem quæſiſſe putemus Chryſoſtomum, ceteros etiam vbi maiora narrant, promptum erit dubiæ fidei, imò falſi inſimulare, & non ſine damno religionis, veritati paſſim imponere. Neque enim fidem habebo Ambroſio, [q] ſi narret: *Paulum Baptiſmi gratia in ipſa cæde extitiſſe ſplendidum magis quàm cruentum, & de ceruice pro ſanguine lac manaſſe*: Quin verò ipſum Chryſoſtomum iam ſemel notatum penitus deſpiciam, ſi præterea ceu fabulam [r] adſtruat, *eo lacte conſperſum percuſſoris Pauli animum, melle dulciorem effectum, ipſumque cum alijs triginta quinque ad fidem traductum, & ſumma ad ſeruiendum Deo alacritate fuiſſe mancipatum.*

[o] Hom. 6. in 1. Epiſt. ad Cor. & Hom. 8. in Ep. ad Rõ.
[p] In Hiſt. S. Honorat.
[q] Serm. 68
[r] Tom. 5. in Princip. Apoſt.

Narrat Lucas res à Paulo geſtas Athenis, ſed quæ ipſi cũ Dionyſio interceſſerunt, ſi huius conuerſionem excipias, ne verbo quidem tradit: pluribus tamen perſequitur Hilduinus [s] laudatus auctor, eaque recipit ab antiquioribus quos recenſet, Scriptoribus: eademque ne quid ſubtraxiſſe videatur ab auidis legentium animis, fusè deſcribit Baronius, [t] qui licet dictorum fidem penes Hilduinum duntaxat relinquat, non video cur alijs etiam commendare non auſit, quæ enim in ijs tam præter

[s] In Areop apud Sur. 9. Aug.
[t] Ad ann. 52.

rerum

rerum ordinem dicta, factauè, quæ vel immitti in animos fidelium, vel in Pauli nomina reponi haud debeant? nempe Religioſa magis, quàm curioſa cum Dionyſio de ignoto Deo diſceptatio: cæco deinde nato lucis vſura per ſignum crucis oculis impreſſum condonata, eoque miraculo Dionyſij iam antea diſputatione commoti, nec non Damaris vxoris, ac totius domus, ad fidem conuerſio: denique eiuſdem Dionyſij indiuiſa per annos cum Paulo ſocietas, ſuſceptaque eodem Magiſtro triennis de ſacrorum arcanis inſtitutio, longiorem poſtulabant narrationem, quæ tamen omnia ſic verbo prodit Lucas, quaſi audita tantum Pauli concione crediderint, quòd fortaſſe Athenis, hoc eſt, in oculis Græciæ geſta, non neſciret perennitate celebrioris famæ ad poſteros eſſe traducenda.

Epheſi damnatum ad beſtias Paulum, vt primùm immiſſus ingenti magnitudine, ac intolerando robore Leo conſpexit, proruit ille quidem in arenam arrectis iubis, trucibuſque minacior oculis, ſed extemplò ad pedes Apoſtoli, poſita ferocia immanis beſtia conſedit. Nihil ea de re tam cedrò digna Lucas attexuit: at pluribus conſignatum reliquit [u] Nicephorus, habetque ea fama præcones, ſuſpiciendos magis, quàm vt fumo (quod aiunt) plecti queant, [x] Ambroſium, Theodoretum, & alios. Quamquam non deſint viri minimè vulgares, qui à commentitijs disiungendam haud putent, quibus tamen non prorſus ita meam trado fidem, vt Sacramento implicatum animum feram. Nam vt ea verba, quibus ſe ad beſtias pugnaſſe teſtatur Apoſtolus, ad feroces ac indomitos hominum mores, quibuſcum ei non rarò nec modica res erat, accommodari queant; nihilum tamen vetat, quo minus de pugna cum veris beſtijs, non dimicatione gladij, ſed capitis, ſuique corporis obiectu, vitæque periculo intelligere debeamus. Video quid remoretur iſtorum ſapientiam. Nempe eiuſcemodi ſupplicium non niſi infimæ ſortis hominibus conſtitutione legis [y] ſolitum irrogari, proinde Paulum appellatione Ciuitatis Romanæ, facilè eam ignominiam fuiſſe declinaturum, ac planè depulſurum, qui eàdem exceptione Hieroſolymis [z] cædendus, flagra conſtanter dimouit. Sed enim animaduertere debent, Viro illi, qui inuicto ſemper animo Crucifixi nomen gerebat, nullam non ignominiam Chriſti cauſa præcipuæ gloriæ loco ductam, qui eiuſdem amore iam pridem omnium peripſema factus fuiſſet. Quod ſi interdum pro re & tempore, prudens id periculi deuitauit, interdum tamen etiam tacita Romani nominis nuncupatione promptè experiuit, ac planè fortiter ſubiuit; [a] quod neque vitare potuit Romæ iam iam capite plectendus, tametſi lege Valeria, ac deinde Porcia, tanquam ciuis Romanus à Virgis immunis haberetur, quòd nimirum immanis impietatis poſtulatus, ex lege duodecim tabularum, atque etiam lege ſacrâ centuriatis comitijs fuiſſet condemnatus. Quid verò ſi interdum Romani nominis imploratione iudicum inclementia minus profecit, quàm Gauius olim Verre iubente contra ius faſque hic Meſſanæ virgis cæſus, tametſi (vt Tullij [b] verbis vtar) *Nulla vox alia iſtius miſeri inter dolorem, crepitumque plagarum audiretur, niſi hæc, ciuis Romanus ſum*? Quid ſi maluit Paulus ea breui ignominia prædicationi verbi cōſulere, quàm perpetua deportatione ſpem ingentem præcidere, quando eàdem lege humiliores beſtijs, altiores verò (vt lex loquitur) in Inſulam deportari iuberentur? Quid ſi à furente frementeque populo accuſabatur vt ſacrilegus, vt cultus Dianæ euerſor, peruerſorque Religionis, eamque ob cauſam extra ordinem [c] plectendus? Ne dubites ipſo vel Tertullo [d] perorante, vel Paulo pro ſe cauſam dicente, accuſabatur planè his ipſis appellationibus, homo peſtifer, & concitans ſeditiones omnibus Iudæis in vniuerſo Orbe, & auctor ſeditionis ſectæ Nazaræorum, qui Templum etiam violare ſit conatus: at verò lege [e] ſine exceptione ſanctum erat, auctores, vel actores

u Libr. 2. Hiſt. c. 13.
x In Epiſt. ad Corint. cap. 15.
y l. 3 ff. ad l. Corn. de Sicar. & Veneſ.
z Act. 22.
a Act. 16
b Actio. 5. in Verrem.
c l. 3. ad l. Iul. ff. de pecul & ſacril. l. perſpiciendū. ff. de pœnis §. fin.
d Act. 24.
e l. 4. ad l. Iul. ff. de pecul & ſacril. l. perſpiciendū. ff. de pœn. § fin. & eadē l. ſi quis

res

res ſeditionis, & tumultus, populo concitato, aut in furcam tollendos, aut beſtijs obijciendos, aut in Inſulam deportandos. Cogita nunc quid ex his magis fuerit expediens Paulo, ſiue ad depellendam ignominiam propriam, ſiue ad augendam Chriſti crucifixi gloriam, an inhoneſto ſupplicio pendere è patibulo? an Apoſtolum ad plurimarum gentium ſalutem deſtinatum vnica Inſula perpetuò contineri? an denique fide, ac fiducia fretum, ad beſtias obiectu corporis ſine vulnere depugnare, non quidem vt gladio accinctus in theatrum ſe daret, deuictaque beſtia pileum, ac rudem (quod dicitur) ferret, verùm vt fide, quemadmodum dixi, armatus, in traducta ad manſuetudinem feroci bellua, efferatæ gentis animos debellaret, ac tantæ virtutis admiratione captos, paulatim ad capeſſendam veritatem diſponeret: quidni enim id prꝗſtare poſſet in cauſa tam vrgente Apoſtolus, ſi temporibus conſequentibus, fide ac ſigno munitus in confertiſſimos hoſtium cuneos penetraturus erat [f] Martinus? Quanquam vt aliquid ad ſuperiora addam, non vſque adeò verum ſit, ferarum ſupplicium, humilibus duntaxat atque ignobilibus fuiſſe decretum, quando Fauſtinus [g] & Iouita fratres, ijdemque nobiliſſimi, vt alios taceam, id genus certaminis tametſi ſuperiores, & illæſi fortiter obiuerunt, leonibus primùm, deinde leopardis, demum vrſis obiecti ab Adriano Chriſtianorum perſecutore immaniſſimo. Et ne quis, ciues fortaſſe Romanos ea pœna fuiſſe putet exemptos, idem eueniſſe nouerit eodem Adriano iubente, Publio Melitenſium primùm, deinde Athenienſium Antiſtiti, de quo iam alibi diximus. Fuit autem Publius, non ſolum nobilis, vtpote Inſulꝗ Melitæ Princeps, verùm etiam ciuis Romanus, domicilio & ortu, non priuilegio ſolùm, imò hoc duntaxat nomine Melitæ princeps, [h] non iure abſoluto dominus. Sed iterum opponat aliquis: Paulum videlicet ad Corinthios ſcribentem, vbi ſuorum certaminum coronas texuit, non prætermiſſurum fuiſſe tam præclarum facinus ac tam ſingulare ad exaggerandum, quàm etiam dignum memoria poſterorum. At fortaſſe prꝗtermiſſum non intelligatur, quod inuolutis per capita profertur inter alia ſententijs: dum enim poſt plagas ſupra modum, in mortibus frequenter ſe verſatum fuiſſe meminit, quidni vnico verbo duas (vt ſic dicam) mortes, alteram ab hiantibus beſtiæ faucibus, alteram à frendentis populi clamoribus, ſicut olim tollendo Chriſto, ſibi paratas luculenter exprimit, & rupto velut verborum ſenſu ad tanti periculi recordationem quodammodo ingemiſcit? vt taceam eo generali loquendi modo, plura etiam complexum fuiſſe Paulum, quàm vel Lucas ſcribere debuerit, vel nos concipere ex vi vocabuli poſſimus.

f Sulpit. in vita Sancti Mart.

g Surius Febr. 15.

h Pet. Galeſinus in Martyr. 22 Febr. Lorin in cap. 28. Act Manduca in offic. S. Pub. Epiſt. 2 ad Cor. c. 11.

Multis hæc fortaſſe agitaui, neque tamen extra cancellos opinor, quò ſi non alios, meipſum commonefacerem, pleraque non per tranſennam, ſed penitius eſſe introſpicienda, ne quibuſuis ratiuncularum quiſquilijs, abducatur animus à veterum narrationibus, quæ cùm veritatis inſtitutis aptè cohærent, in quibus hanc quoque Traditionem reponimus, quam Nicephorus non (quod aiunt) ex digito ſuxit, ſed ex actis Pauli bonorum induſtria poſt Lucam conſcriptis, ab Origene [i] etiam laudatis, meliori fide quàm nonnulli exſcriptam ſuſpicantur, æternæ famæ conſecrauit. Et quidem ſi ea ſint, quæ Lini nomine circumferuntur, cùm multa contineant, non ſolùm Hieronymo, & Auguſtino probata, qualia ſunt [k] Senecæ ad Paulum, Pauliq; ad Senecam epiſtolæ, verùm etiam quæ indubitata Eccleſiæ conſenſione firmantur, quale eſt Petri ex Vrbe egredientis cum Chriſto occurſus, neſcio quo iure à nonnullis, verbo, inter commentitia reponantur. Sed pergamus.

i Libro 1. Periar. c. 2. & in Ioan. tr. 23.

k De ſcrip Eccl. in Senec. Ep. 14.

Rhegyum, quod oppidum inſigne Calabriæ interiecto ad breue ſpatium freto Siculo, in proſpectu Meſſanæ eſt, veniſſe Paulum certius eſt, quàm vt amplius commendetur. Ibidem prædicaſſe, Rhegynos ardentis marmoreæ columnæ miraculo

ad fidem

Digitized by Google

ad fidem adduxiſſe: inde diſcedentem, Stephanum Nicænum ſpectatæ ſanctitatis virum, quem à Iudæa comitem aſciuerat, ſibi ſuffeciſſe, multaque alia Lucas non narrat; quin etiam plura, quæ vno vel altero die peracta, peramplam, ac dignam ſcribendo materiam ſuppeditabant, penitus omiſit. Hæc tamen omnia publica Rhegynorum, aliorúmque per omnes ætates conſenſione, conſtantiſſimaque aſſertione, ac inprimis columnæ eius, quam nos quoque non ſemel vidimus ostentatione ac veneratione firmiora ſunt, quàm vt à quopiam poſſint in dubium reuocari. Rem inter alios narrat M. Antonius Politus ex idiomate vulgari in hunc ſenſum. Paulum nimirum relictis Syracuſis circumlegentem, vt primùm nauigio Rhegyum appulit, pro more ſuo prædicationem inſtituiſſe (quæ equidem iuxta ea, quæ ſuperiori capite dicta ſunt, accipio) verùm Ciues Idolorum cultui deditos, cùm auerſis penitus animis, quæ dicebantur acciperent, ac diuerſo ab Athenienſibus genio, amplius aures dare nollent; Paulum enixè flagitaſſe, tantùm ſibi audiendo temporis indulgeri, quantum accenſa fortè candela, quæ ex vſu digiti magnitudinē haud ſuperabat, columnæ dictæ impoſita duratura eſſet; obtinuiſſe id facilè apud Ciues non vſquequaque inhumanos, quòd nemo putaret, perexiguum illud, ac penè momentum rebus ſuis aliqua ex parte incommodaturum. Exinde cœptæ prædicationi, paulò poſt conſumpta candela finem feciſſet, niſi Deo iubente oblitum naturæ ſuæ marmor, cōcepta flamma facem diuturnam ſuffeciſſet. Hoc ingenti miraculo permotos ex ciuibus quàm plurimos, remiſſo Idolis nuntio, ipſos primùm Chriſti cultum ſuſcepiſſe, deinde verò radice altius acta, ad ceteros etiam religionem deductam eſſe. Glorientur ſanè Rhegyni hac columna paulò ſecus, quàm Romani ea, ad quam flagellatus Chriſtus reuinctus eſt, vel illa Cæſarauguſtani, cui Virgo preſſo veſtigio inſiſtens Iacobum affata eſt; verùm iſti neſcio quid illuſtrius etiam ſibi vendicant, quòd pari cum Hebræis ſorte, per mare ſuperſtitionum, in columna ignis, velut alter populus electus ad fidem deducti ſint, & in terram promiſſionis, hoc eſt in Eccleſiam fidelium, cum ſpe celeſtis regni introducti. Eandem de Rhegynis hiſtoriam, Rhegyo ad ſe Romam tranſmiſſam ſuis Commentarijs inſeruit nuper Cornelius à Lapide, pluraq; addidit, quibus iterum ea columna collucere queat, eademque à ſilentio Lucæ in parte vindicauit.

In Chron. Reg.

In cap. 28. Act. Apoſt.

Atque hæc ſatis, & fortaſſe multa de miraculis Pauli à Luca prætermiſſis, cæterùm pro conſilio non ſuperflua, quò inculcata illa toties, frigida ac friuola arguendi forma, *Paulus non ſcripſit, igitur non eſt verum*, ſæpius, ac pluribus modis eneruata, deinceps etiam magis ac magis labefactetur, ſecus nec verum erit Chriſtum multa feciſſe, quæ ſcripta in Euangelijs non reperiuntur, nec plures alios perplura geſſiſſe, quæ ad horum temporum notitiam non peruenerunt.

RESPONDETVR ARGVMENTO DESVMPTO *ex S. Hieronymo.*

CAPVT SEPTIMVM.

At enim hactenus multa videmur dixiſſe, quæ ſi ad calculum Hieronymi in Traditionibus exercitatiſſimi reuocentur, verendum erit, ne non ſolum mortui illi, vmbræ Pauli, verùm etiam Paulus ipſe beſtijs ſubtrahatur, ac demum ſubtracta Rhegyna columna tota ſubſtructio corruat argumentorum. Qualia enim ſunt iſta dicet Hieronymus [K] vt individuus

K De ſcrip. Eccleſ. in Luc.

diuiduus comes Apoſtoli inter ceteras eius res hæc ignorauerit? quo velut ſpiculo periodos etiam Pauli, & Theclę, nec non totam baptizati Leonis fabulam, inter apochrypha retorſit; quod ipſum de Paulo, & Thecla tempore poſterior, ſed poteſtate maior, eadem cenſura perſtrinxit Gelaſius, [l] ac inprimis tantum Hieronymo tribuit Summus ipſe Pontifex, vt nec Origenis ſcripta legenda ſuſcipiat, niſi quæ Hieronymus non repudiat, reliqua omnia cum auctore ſuo renuat, ac penè deſpiciat. Neque ſolùm, ſed etiam inter plurima, quæ Ruffinus vir alioqui Religioſus ſcripſit, quia nonnulla à Hieronymo de libertate notata ſunt, illa ſolummodo ſentit Gelaſius, quę Hieronymum ſentire cognoſcit, idque non modò in Ruffino animaduertendum monet, verùm in vniuerſis, quos Hieronymus zelo Dei, ac fidei Religione reprehendit. Quare ſi tanta Hieronymi in rectè ſentiendo, ac iudicando eſt authoritas apud ſummos, ipſo iudice ſicut Pauli, & Theclæ hiſtoria perempta eſt, ita de hactenus recenſitis, quę Lucas non narrauit, actum erit.

l In Cōc. Rō. decret. de lib. Apochriſ.

Egregiè verò totius cauſæ robur, ac firmamentum in Hieronymo ſiſtit ac Gelaſio: verùm ſi ex iiſdem commendatio accedat ad noſtras rationes, verſabitur ac iactabitur argumentum oppoſitum: an verò ſui diſſimilis eſt Hieronymus, cùm alibi temperato ad ſapientiam calamo, poſt multa, quæ de diſſenſione [m] Pauli à Petro Antiochię; *Non mirum* (inquit) *ſi Lucas hanc rem tacuerit, cùm & multa alia, quæ Paulus ſuſtinuiſſe ſe replicat, hiſtoriographi licentia prætermiſerit, & non eſſe contrarium, ſi quod alius ob cauſam dignum putauit relatu, alius inter cætera reliquit, denique primum Epiſcopum Antiochenæ Eccleſiæ Petrum fuiſſe accepimus, & Romam exinde tranſlatum, quod Lucas penitus omiſit.* Hęc Hieronymus. Vt proinde nihil in hac pugna ſit glorioſius, quàm facto inani ſpecimine obiectioni, Hieronymum Hieronymo opponere, & Gelaſium ſibi ipſi conciliare. An non magis referebat reſciſſe, Petrum Antiochenę Cathedrę fuiſſe ſeſſorem ac rectorem, quàm Pauli, & Theclę periodos referre? cur ego in his potius, quàm illis requirit Lucam indiuiduum Pauli comitem, & (vt cum Plauto [n] loquar) planè latronem, quem ſcilicet ne latum quidem vnguē velit ab eius latere diſcedere? Nempè ea Hieronymi ac Gelaſij cenſura in genuinam Theclę prothomartyris hiſtoriam conuenire non poteſt, ſed in eā, quę ſuppoſitio partu fucum mentita, veritati Euangelij periculum creare poterat, tametſi à libidine fingentis longè abeſſet peruerſa nocendi voluntas. Hanc ob cauſam refert Tertullianus [o] in Aſia presbyterum, qui eam ſcripturam conſtruxit, quaſi titulo Pauli de ſuo cumulans, conuictum atque confeſſum, id ſe more, vel, vt alij legunt, amore Pauli feciſſe, loco decidiſſe, *Quàm enim* (ſubdit) *fidei proximum videretur, vt is docendi, ac tingendi fœminis daret poteſtatem,* [p] *qui ne diſcere quidem conſtanter mulieri permiſit?* Ceterùm hiſtoria illa, quæ Theclæ primogenitæ Pauli celebrem in Eccleſia reddidit memoriam, ſcriptores habet longè præſtantiores, quàm vt in ordinem cogi queant, quos quia multis refert [q] Baronius, nos etiam labore ſubleuat, ne alioqui nihil dignum ad tantæ Virginis laudes afferamus, de qua fortaſſe etiam Lucas ſilere maluit, quàm pro more ingentia facta paucis perſtringere.

m In cap. 2. ad Galat.

n In Mil.

o De Baptiſ. cap. 17.

p 1. Cor. cap. 14.

q Ad ann. 67.

Sed nihilominus ſua in ſede verſabitur argumentum, ſi enarret, quàm feruenti oratione Paulus Iconij, Virginem illuſtris, ac ſpecioſi ſponſi thalamo oppigneratam, in amorem perpetuæ virginitatis incenderit, vt inde etiam conijcias familiarem fuiſſe Paulo de Virginitate vbique ſerere ſermonem, eaque de cauſa, quod initio latè proſequuti ſumus, vel præcipuùm Meſſanenſibus de virginitate Matris Dei prædicaſſe, & placuiſſe. Atque id ſanè in palmaribus Pauli miraculis verè cenſeri poteſt, quòd eius prædicatione conuerſa Thecla, prima omnium fœminarum pro Chriſti nomine in certaminis campum, fide roborata deſcenderit, & impietate

aduerſa-

Digitized by Google

aduerſariorum proſtrata triumphum euexerit, vt non immeritò muliebrium victoriarum, ac trophęorum caput vocetur illa, quæ tanquam immortalis pudicitiæ columna proſtat, in admirationem Orbis erecta, quæque è media turbidarum affectionum tempeſtate ad portum appulit, ab omnibus vitæ humanæ fluctibus, atque procellis immunem. Ecquid non admirandum fuit in ea, quæ naturam etiam beſtiarum quibus obiecta fuit, Virginitatis veneratione mutauit eatenus, vt videre liceret procurrentes in arenam impaſtas beſtias, allato ſacro ieiunio, Virginis pedes lingere, nec vngue violare aſpero, muto teſtificante ſono, quod ſacrum Virginis corpus violari non poſſet? Ergo adorabant prædam ſuam humi cubitantes beſtiæ, & propriæ oblitæ naturæ, naturam induerant, quam inimici fidei, humanitatis immemores penitus exuerant. Sic ſanè decuit Pauli in Thecla commendari officium, vt ex fidei Tyrone tam repente Magiſtra martyrij effecta, paribus cum Duce ac Magiſtro (quod aiunt) lacertis ad beſtias depugnaret, nec diſpari gradu in reliquam certaminum arenam deſcenderet, Apoſtolica planè conſtantia ac fortitudine prædita Virago. Nihil enimuerò in huius hiſtoria offendere potuit Hieronymus, quod non inoffenſo pede percurrere, nihil quod non probare, non admirari poſſet, quando etiam ſupremæ laudis titulo, quòd nihil magis exaggeratè dicere poſſet [e] in Melaniam ſeniorem illuſtre nomen Theclæ tranſtulit, ſæpius ante ab alijs in fœminas excellentes vſurpatum, non ſecus ac nomen Alexandri, ac cognomentū Magni, in viros fortes, quorum virtus magno in Orbe theatro ſpectata fuiſſet, quod non feciſſet profectò, niſi quæ de Thecla dicebantur vera didiciſſet.

[e] *Epiſt. 22 ad Euſtoch*

Iam verò, quòd Lucam indiuiduum Pauli comitem fuiſſe velit Hieronymus, non ita accipiendum eſt, quaſi à primis carceribus ad extimam vſque metam, idem cum Paulo itinerum ac laborum curriculum, nuſquam non præſens exegerit, ſed à quo tempore illi adhæſit, vſque dum receſſit, aſſiduum cum ipſo, neque tamen ſemper, & de momento quod dicitur in momentum, ſed tantum ſæpius, quàm ſine illo fuiſſe. Id verò temporis ita definitur, vt non ante Lucas cęperit eſſe cum Paulo, [f] quàm à viſione per noctem oſtenſa Troadis, qua vir Macedo tranſitum deprecabatur in Macedoniam, nec poſt abſolutam Romæ hiſtoriam inde (quo quo tandem) diſcedens, comitarit, niſi fortè iterum eò reuertens, Paulum quoque eò nouiſſimè redeuntem reuiſerit, ac non multò poſt ad martyrium abeuntem ſpectare voluerit. Ceterum non oſcitantiæ cauſa mancam & mutilam putes ediddiſſe hiſtoriam, ſed cùm tempora ſcribendi, moris interdum ſeceſſionis interpellaret, illis duntaxat, quæ ipſe oculis vidiſſet, ſaltem vt frequentius, ſingillatim ac pręcipuè conſignandis ſtuduit, reliqua verò, quæ ſe abſente geſta erant, vel compendio per capita tranſegit, vel prorſus intacta, calamo ac fidei poſterorum reliquit, vel denique ſi nonnulla vidit quidem, ſed maiora compendio duxit, alijs ſcribenda pro re nata permiſit. Profectò enim haud minus digna erat hiſtoria Theclæ, quàm Damaris conuerſio, niſi huic Lucas interfuiſſet Athenis, minimè illi Iconij, quippe quo tempore in Pauli conſuetudinem ac familiaritatem ſe nondum dediſſet; vtique tamen ad commendationem veritatis, hinc non parum cumuli accedit, à prudentia Scribentis, quòd mallet hiſtoriæ ſuæ res tam eximias elabi, quàm vel præſentium oculis argumentum eripere, vel ſuos in non viſis, aurium duntaxat aſſectatores, non etiam duces habere. Ita planè dignum erat Apoſtolicis aduerſarijs, ſiue patratum apud Rhegynos miraculum, ſiue prædicatum apud Meſſanenſes tanta in gente forti mutatione ſecuta Euangelium, niſi (ſi interfuit) extra ordinem habenda cenſuiſſet, poſteriſque vel per traditionem, vel per ſuorum manus commendanda.

[f] *Iren. l. 3. cap. 4. Baron. ad ann. 51.*

Atque hæc de Hieronymo, ſed quid de Gelaſio? Solent plerique ſicut de alijs Pontificibus nonnũquam ita de hoc prætendere, eum non pro poteſtate clauium, & quod vulgò dicitur ex Cathedra dixiſſe, ſed pro potaſtate ſcientiæ, atque adeò pro authoritate priuati Doctoris domi ſuæ natam prodidiſſe ſententiam, nullius fide ſibi obſtricta, ſed poteſtate cuiuis facta, credere velit an ſecus: idque inprimis Gelaſio [t] cum Innocentio [u] tanquam firmamentum obuertitur, vbi Pauli in Hiſpania profectionem videntur inficiari; Verùm non eo anguſtiarum ſumus, vt ſuffragia peregrina captantes, qua formula, quibuſuè ratis, ac ſtatis verbis Pontificum leges figantur, ac refigantur, in quæſtionem vertamus, vbi præſertim non decretis ad mores formandos, ſed hiſtorica fide, ad eruditionem inuehendam rem agi ſuſpicamur. Et quamuis ex eo quod Innocentius ad hiſtoriam, & antiquitatis traditionem videatur prouocare, Gelaſius verò exemplo Pauli Hiſpaniam appetentis, ſed non arripientis (ſi ita fuiſſet) inſinuare tantum velit, non mentiri eum, cuius propoſitum obiecto impedimento, Deo puta aliter diſponente fit irritum, & in præſenti inſtituto, dum quæ legenda, vel negligenda cenſet, pleraque ad Hieronymi limam remittat: [x] ex hoc (inquam) ſatis licet euadat manifeſtum, quo animo vterque ſcripſerit ad tradendam poſteris notitiam; nihilominus tamen in ijs etiam, quæ ad capitalem Fidei, & religionis Chriſtianæ diſciplinam vniuerſim videntur ſpectare, plurimum intereſt noſſe, quo animo dicant, quæ excipiant, quibus modis aut nodis ligent, ne alioqui pugnantibus inter ſe rationibus leges miſceantur, decreta circumueniantur, voluntates obtemperantium inuoluantur.

Ac inprimis, vt miſſa faciam, quæ ab Hæreticis, ſiue Schiſmaticis conſcripta, vel prædicata Gelaſius nullatenus cenſet recipienda ab Eccleſia Catholica, ſanè inter alia quæ vitanda proponit, non pauca enumerat, quæ hodieque manibus fidelium non ſine pietatis ſenſu teruntur, qualia ſunt in multis Acta Theclæ, & Pauli, de quibus iam diximus, Liber Canonum Apoſtolorum, Epiſtola demum IESV ad Abagarum Edeſſę regulum, quæ longè dignioris eſt fidei, quàm vt locum non mereatur. Quin etiam Acta aliorum Apoſtolorum, quæ ibidem vetita cupit Gelaſius, niſi ab Hæreticis in iniuriam Fidei deprauata ſint, neſcio cur ad religionis robur conducere nequeant, cùm longè abſint à fuco, nec quippiam moribus Apoſtolorum indignum auribus inferant. Quid enim obſtat, quò minus credamus Lucam in ſuis Actis pauca quædam, & ad paucos Apoſtolos pertinentia ſpectaſſe, ceteris verò ſcriptoribus ſingulorum Apoſtolorum geſtis recenſendis ſegetem peramplam reliquiſſe? neque enim par fuit ſi Numinis prouidentiam conſideremus, eorum exemplis ad virtutum laudem comparatis fraudari Eccleſiam, quorum laboribus, ac per omnia rectè factis, ipſa ſuccreuit ad gloriam, vt proinde minus pię cenſendæ ſint aures, quæ ſi de rebus geſtis Apoſtolorum aliquid hauriant extra hiſtoriam Lucæ, illicò velut ad aniles fabulas tinnire incipiunt. Sanè ſicut quibuſdam Actis Pauli locum dat Origenes, [y] Actis Andreæ Auguſtinus; [z] ita reliquis, quę recenſet Gelaſius denegari iure non debet fides, niſi quatenus Hæreticorum ſordibus infecta, macula aliqua puritatem morum, ad Religionis candorem afficere queunt, quod de Actis paſſionis Petri à Lino conſcriptis teſtatur Baronius, [a] *ſyncera nempe illa fuiſſe olim, ſed quæ hodie extant Manichæorum eſſe tincta fuligine.* Atqui de his Lini Actis nihil aduertit Gelaſius, ea tamen non mediocriter probare videtur Ambroſius, [b] dum inſigne illud argumentum, quo zelum Petri in ferenda inter fœminas puritate commendat, ex ijs mutuatur.

[t] *22. q. 2. B. Paulus.*
[u] *Diſt. 11. Quis neſcirat.*
[x] *Diſt. 15. Sacroſancta.*
[y] *In Ioan. tract. 27.*
[z] *De Fide contra Manich. c. 28.*
[a] *Ad ann. 96.*
[b] *In Aux. de Baſ. non Trad. circa med.*

Sed

Sed enim geſta ſanctorum Martyrum tam admirandis triumphis irradiantia minimè reijcit Gelaſius, quin etiam Dei virtute operante, maiora etiam in ſuis certaminibus, quàm quæ vulgo feruntur, perpeſſos, planè catholica aſſenſione credit: verùm id propter, ſecundùm antiquam conſuetudinem, ſingulari cautela in Eccleſia Romana non legi aſſerit, quia & eorum, qui conſcripſere nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus, aut idiotis ſuperflua, aut minus apta, quàm rei ordo fuerit, ſcripta eſſe putantur, ſicut Quirici, & Iulitæ, ſicut Georgij, aliorumq́ue huiuſmodi paſſiones, quæ ab Hæreticis perhibentur ſcriptæ, eamq; ob cauſam ne vel leuis ſubſannandi oriretur occaſio, in ſancta Romana Eccleſia non leguntur. Hæc ferè totidem verbis Gelaſius, quæ vel ſi pro Cathedra dicta ſint, niſi ſecum pugnent, ita accipienda erunt, vt ſi moribus ac religioni non officiunt, veritatem apud omnes ac pietatem præſtent indemnem: nempe ideò non leguntur huiuſcemodi Acta, quia eorum qui conſcripſere nomina penitus ignorantur. At idem Gelaſius: *Actus* (inquit) *B. Sylueſtri Apoſtolicæ Sedis præſulis, licet eius qui conſcripſit nomen ignoremus, à multis tamen in Vrbe Roma Catholicis legi cognouimus, & pro antiquo vſu multæ hoc imitantur Eccleſiæ.* At *ab infidelibus, & idiotis ſuperflua, & minus apta, quàm rei ordo fuerit ſcripta eſſe putantur.* Eſto. Certè ex eodem Gelaſio, cùm hæc ad Catholicorum manus peruenerint. B. Pauli Apoſtoli ſententia præcedat oportet, [c] *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Enimuerò ſi hodie Acta paſſionis Petri & Pauli, nomine Lini inſignita, in luce non extarent, quanta & quàm præclara Principum Apoſtolorum facinora tenebris inuoluta, non minimo pietatis damno iacerent, quorum pars magna iacent nihilominus, quod plura eius Viri ſcripta deſiderentur, atque inter cetera, hiſtoria illa de altercatione Petri cum Simone Mago, [d] de qua pauciora ſunt quæ ſciuntur, quàm quæ temporum iniuria deleta penitus ignorantur. At multa ab Hæreticis ſcripta perhibentur, ideoque minimè legenda. Verùm nobis cum Auguſtino, licet non minus Hæreticis, quàm Iudæis vti codicum baiulis, ſi quid in eis non alienum comperimus: Sanè Triphon [e] diſcipulus aliquando, poſtea deriſor Pauli, impius planè fuit, ex quo tamen multa de prædicatione Pauli inſignia, quæ ille ludicrè licet, verè narrat, libenter arripimus. At interdum noua quædam emergunt, auctoribus incertis, nullo antiquitatis veſtigio inſignia! Sed enim ſi huiuſmodi nullum pernicioſi erroris periculum creant, ſi fidem humanam & certitudinem (vt aiunt) moralem minimè fallunt, ſi hiſtoriam narrent, vel minimè dubiam, vel coniecturis valdè veriſimilibus nixam, & quamuis temporum calculis inuolutam, ſacram nihilominus & ſanctam, & conſequentibus ætatibus in pijs pectoribus religione conſecratam; neſcio cur adeò vitentur aut defugiantur, quantumuis ad conſuetudinem, vel cõmunis iuris vſum minimè tranſmittantur. Profectò ſcripta de inuentione capitis S. Ioannis Baptiſtæ, nouellæ quidem (vt Gelaſij verbis vtar) tunc erant reuelationes, vel (vt alij legunt) relationes, & tamen ſicut idem inquit, nonnulli eas Catholici legunt, quibus tamen illud Apoſtoli præ oculis habendum, *Omnia probate, quod bonum eſt tenete*, non quidem vt hiſtoriæ tantum cauſa legantur, quemadmodum iubet Clemens [f] de quibuſdam traditionibus Seniorum, quæ ſuperſtitione quadam, ſpecie pietatis adumbrata, irritabant potius, quàm roborabant diuinæ legis inſtituta, ſed quæ verè pietatis augendæ conſilio pleniori pectore capiantur, tanquam eximia religionis argumenta, quibus reiectis facilè etiam cetera firmamenta, pro temporum, ac morum peruerſitate conuellantur.

Quorſum verò hæc tam longis quæſita ambagibus, tam multis pugnata rationibus, niſi vt oſtendatur, ſi ea quæ nec temporum calculis, nec nominibus authorum videntur conſtare, mutila præterea ſunt, inuoluta, perturbata, quin etiam ab impijs

c 1. Theſſ. cap. 5.

d Trithem de Viris Illuſtrib. Xiſtus Senen.

e Lucian. in Philoſt.

f Libro 2. Conſt. c. 7.

narrata, ac penè ſeipſis obtrita & exoleta, reijcienda tamen non ſunt omninò, quòd aliquem ſenſum veræ pietatis præ ſe ferant, adeoque nonnihil ad religionem conferant; quo numero habenda ſint ea, quæ & tempori conſentanea ſunt, & auctores habent exceptione maiores, integra, clara, explicata, recepta, fide plurimorum armata, ac longa religione exaucta, ſua denique firmitate contra fallentes rationum circumſcriptiones munita? in quo genere eſt hæc qua de agimus Virginis ad Meſſanenſes data Epiſtola, fama ſpectatæ Ciuium religionis, vt exteros taceam, per omnes hactenus expreſſos numeros cõmendata. Sed hoc agimus in conſequentibus.

Interim tamen hoc loco ſua laude non eſt fraudandus Alphonſus Villegas, apud quem tantum fidei hæc epiſtola inuenit, vt inter cæteras, quæ nomine Virginis ad diuerſas ſcriptæ feruntur, hanc duntaxat atque illam ad S. Ignatium exaratam, legitimam agnoſcat ac genuinam, argumento negante quidem (vt Philoſophi loquuntur) ſed vt alias monui, in re nata non inualido, quòd in repurgandis librorum, ac ſcriptorum rationibus, Pontifex Gelaſius inter apocrypha ſcripta hæc minimè retuliſſet, tametſi plura ad Virginem, alioſque ſpectantia, atque inter alia literas illas Abagari ad Chriſtum, viciſſimque Chriſti ad Abagarum datas, inter ea recenſuiſſet; quò proinde conſecutione per quam congrua manifeſtum euadat, certiora ſenſiſſe Romanum Pontificem de hoc Virginis ad Meſſanenſes dato graphio, quàm de literis Abagari, quas tamen abſque vlla dubitatione fuiſſe receptas, locuples teſtis eſt Baronius, idque nos pro re noſtra ſuo loco euincemus. Nec verò commodum hic addubitabit quiſpiam, eius Epiſtolę opinionem Gelaſij tempeſtate nondum fuiſſe natam, ſed longè poſt, dubiam aſpexiſſe lucem, adeoque confictam potius, quàm inuentam; præterquam enim apud Meſſanenſes illo ſeculo adulta iam fides, religioq; ſacratior crimen affingendi non admiſiſſet; paribus alis volitaſſe per Orbem huius atque illius ad Ignatium datæ epiſtolæ famam, ſi ex hactenus dictis non ſatis liquet, antiquior Gelaſio Lucius Dexter, quem ſuo loco laudabimus manifeſtè conuincit. Ceterum hactenus lapillos iſtos, in quos delicatiores nonnullorum pedes vel regia via impingunt amouiſſe ſufficiat.

Ad annū. 31.

QVO ALIO TEMPORE PAVLVS fuerit Meſſanæ.

CAPVT OCTAVVM.

AGE verò, vt ad intermiſſa reuertamur, quamquam ratum ſit Paulum, prima illa è Iudæa nauigatione Meſſanam Rhegyo diuertiſſe, quemadmodum ſupra multis oſtendimus: vero tamen abſimile non eſt, eundem poſt vincula Romana Meſſanenſibus redditum iterum prædicaſſe, habetque hæc opinio non inanè fundamentum apud aliquos, ſiue quòd non facilè intelligant Paulum Rhegyo Meſſanam accitũ biduò prędicaſſe, cùm inde ſecundum vnum ab appulſu diem flante Auſtro ſoluerit, ſiue etiam quòd cuſtodia mancipato non licuit vltrò citroq; commeare quò liberet, quam ob cauſam nec Syracuſis eo tempore quippiam præſtitiſſe verius putant quàm ſecus, tametſi triduò ibidem nauigationem opportunam opperiretur: nam quòd Melitæ nonnulla geſſerit, quæ non niſi à libero homine fieri potuiſſe credantur, id verò gratiæ Centurionis, itinerilque Comitibus concedi poteſt, qui non modicam Inſulanorum in ſe humanitatem experti, ſpontanea Pauli beneficia

neficia libenter illis condonarunt, & Paulum quæ vellet agere permiſerunt. At enim poſt vincula Neroniana Roma reducem, nihil potuit continere, quò minus ſiue terreſtri, ſiue etiam maritimo itinere Meſſanam accederet; pluresque per dies Meſſanenſibus operam nauaret, & quod olim ad Timotheum ſcripſerat, confortatum ſe à Domino, vt prædicationem impleret, & audirent omnes gentes, id (inquã) magna ex parte reipſa in lectiſſima Europæ Inſula comprobaret. Nihil eſt in hoc argumento non adeò firmum, quòd contrarijs ſiue rationibus, ſiue coniecturis, ſi inuicem committantur, infirmetur. Mihi verò, vt hæc mittantur, opinionem primùm huiuſce rei ingerit ea, quàm in pleriſque antiquioribus manuſcriptis lego narratio, Paulum ſcilicet in Calabria, atque adeò Rhegyi prædicationi iam deditum a Meſſanenſibus quoque eius aduentu cognito fuiſſe accerſitum, quod quidem neſcio an rectius intelligi queat, quàm de Paulo per Calabros reuertente, ac prædicante. Licuit verò Meſſanenſibus inuitare iam omni cuſtodia immunem, & quidem familiarius accerſere, quem antea tranſeuntem cognouerant, ſibique obſequijs, ac Euangelij deſiderio deuinxerant; hæc ſi opinio ſit duntaxat, à traditione Calabrum fortaſſè minimè commendata; deinde verò ea miſſa, fidem omninò facit Pauli in propagando Euangelio ſtudium, ac ingenium, qui reuerſurus in Orientem, notiſſimam ſibi ſicut alteras Athenas Vrbem tam nobilem, tam antiquam, tam omnium gentium frequentia percelebrem, dubio procul non præteriuit, quin etiam de induſtria curſu intento appetiuit. Quid ni enim hanc tam optatam, ac ſuo muneri paratiſſimam occaſionem, obuijs etiam vlnis arriperet, vt in huius vnius Vrbis, vbi illa tempeſtate, cum Romana poteſtate religio Idolorum omnia ſplendidius adhuc adminiſtrabat, vt penè cum ſumma regni Siculi, ſummam quoque ſuperſtitionis teneret, in huius (inquam) Vrbis integra cõuerſione plurimarum gentium ſaluti conſuleret, & Romanorum Prætorum ſedem cum ſumma ſuperſtitione, pluribus etiam ſceleribus pollutam, maioribus laborum ſuorum (vt ſic dicam) victimis expiaret? Sanè ſi literis conſignata eſſent omnia, quæ Paulus poſt adeptam Romæ libertatem, reliquo vitæ ſpatio ſatis amplo præclarè geſſit, narrarent etiam inter alia quàm ſtrenuè, ac fortiter Meſſanę quoque omnes prędicationis numeros impleuit, nec minore fama, quàm hiſtoria Lucæ Athenas in Dionyſio, Meſſanam vna in Bacchylo celebrarent.

Quę dum dico, iam tranſactum volo, illo ipſo tempore, cùm primùm Syracuſis Rhegyum venit, à Meſſanenſibus pridem fama notum, honorificè accerſitum fuiſſe Paulum; ſed hoc aio, cùm maiorem ſui copiam pro voto impendere potuerit minimè, poſt ſoluta demum Romana vincula repromiſſam Meſſanenſibus ſpem ſoluiſſe abundantius; tametſi ſponte etiam venturus erat eò loci, vbi virtus Euangelica apud florem totius Inſulæ, & Romanæ Reipublicæ quaſi ſpecimen magno theatro ſpectari debebat. Et verò cui non ſit perſuaſum in hoc itineris flexu Meſſanam reuiſiſſe Paulum, vexilloque fidei firmato, non paucos dies ibidem prædicando extraxiſſe, mores ac religionem formaſſe, monita ſalutis præſcripſiſſe, ſicut Rhegynis Stephanum Nicænum, ita ipſis Bacchylum Sacrorum Antiſtitem dediſſe, ſed prætereà Meſſanenſium honores deducta ſecum ad Virginem legatione amplificaſſe? quid ni enim, ſicut aliquando Gentiles [k] (Hiſpani [l] creduntur fuiſſe) ad Philippum, Domine volumus IESVM videre, ita Meſſanenſes pio deſidero videndæ Matris IESV, ad Paulum dicere potuerunt, Domine, tecum imus, volumus MARIAM videre? vt quemadmodum tunc glorificatus eſt Chriſtus in Gentibus, ita poſtea per Paulum MARIA Virgo clarificanda fuerit in Meſſanenſibus, & per iſtos in nationibus. Nam etſi multa horum præſtare potuerit Paulus etiam illo ipſo primo tempore, quo Syracuſis Rhegyum, hinc verò Meſſanam traditur acceſſiſſe, nihil tamen vetat

Epiſt. 2. ad Tim. c. 5.

k *Ioan. 12*
l *Iulian. Archi. ad ann. Chr. 30*
Binar. in Dext. ad ann. 33.

vetat, poſt annos, vbi reuertit, fidei præceptis iam firmatam Vrbem, ad omnem religionis excellentiam formaſſe magis, ac tum demum Legationis ad Virginem decretę, ipſum ſi non auctorem, ducem profectò fuiſſe, ac laudatorem.

Ac tum etiam verum erit, quod alias ex Chryſoſtomo retulimus, Paulum & vſque in Siciliam perueniſſe, & Siciliam peragraſſe. Vtrunque credideris ſi Siciliæ nomine & Trinacriam, & quam ab ea fretum diuulſit, intelligas: qamquam eam duplicis Siciliæ nuncupationem apud auctorem non ita antiquum reperias; niſi iam Siciliæ nomine, vel Syracuſas, vel Meſſanam ſolam accipias, quo pacto olim Athenas Græciam appellatam ſcimus. Certè auctores qui Siciliç [m] Crucem auream ab Arcadio collatam eſſe ſcribunt, Meſſanam pro Sicilia videntur habere, neq; enim alijs, quàm Meſſanenſibus in Sicilia id honoris, ac prę mij fuiſſe conceſſum, certius eſt, quàm vt recentioris hiſtoriæ fidem requirat. Quin etiam Antiſtites Meſſanenſes, Siciliæ Epiſcopos à Pontificibus vocari, & ſcribi ſolitos, nemo niſi antiquioris ſtili expers poterit ambigere, idque multis oſtendit recens, & probatus auctor Albertus Piccolus, [n] quod ipſe non alia ratione factum ſuſpicatur, quàm quia Siciliæ vniuerſæ Metropolitani haberentur.

[m] *Fazel. l. 2. Dec. 1. cap. 2. Pet. Greg. de Rep. lib. 12 cap. 16. num. 6. Maiol. lib. de dignit. differ.*

[n] *De Antiquo iure cap. 11.*

Verùm animaduerto, quænam huic de Pauli aduentu ſententiæ queant refragari, quæ & traditionem per manus ductam loco moueant, & hiſtoriam multis ambagibus ſeptam haud facilè explicent. Enimuerò ſi poſtquam Romæ vinculis ſolutus in Orientem abiturus Meſſanam reuertit, non ante ſexageſimum primum Chriſti annum id factum eſſe oportuit, quippe qui ſiue Maio, ſiue Iulio quinquageſimi noni Romam ingreſſus, biennium verò totum manens in ſuo [o] conducto, ac tandem libertati reſtitutus, neque tamen illicò dilapſus, tardiori, vt par eſt, ob prædicationem itinere Meſſanam appetiuerit. Hinc verò per quàm neceſſaria conſecutionę deducitur inprimis, Virginalem Epiſtolam non ante ſexageſimum ſecundum annum, vel ſaltem primum à ſexageſimo propè exeuntem, exarari potuiſſe, quo ſcilicet tempore Legati Meſſana à Paulo deducti Hieroſolymam adire potuerunt; deinde autem Paulum poſt vincula toties expetitas abijſſe ad Hiſpanias, ſed Orientem primò reuiſiſſe. Quorum alterum nempe hoc poſtremum, communi ſcribentium opinioni aduerſatur, alterum verò rectam etiam Chronologiæ rationem euertit, ne dicam, omnia implicata reddit. Quis enim dixerit eò vſque prouectam Virginis ætatem inter mortales, quę vel quadrageſimo octauo anno (vt inquit [p] Euſebius) & Olympiadis ducenteſimæ ſextę ſecundo, in cœlum ad Filium aſſumpta eſt, vt quidam ſibi reuelatum fuiſſe tradunt, ac proinde anno ętatis ſexageſimo ſecundo, aut etiam tertio, qui climactericus eſt, inſignium vt plurimum virorum morte clarus: vel certè anno Filij ſui quinquageſimo octauo, atque adeò ętatis ſeptuageſimo ſecundo, aut etiam tertio, quod videtur placere [q] Epiphanio, ac [r] Cedreno, quorum neutrum congruit cum ſexageſimo primo, vel ſecundo, ne vel Deiparæ Virginis vitam prorogemus in ſeptuageſimum quintum ſextumvè annum, vel poſtquam deſijt eſſe inter mortales, eam ſcripſiſſe Epiſtolam cogamur aſſerere, vt mittam huiuſmodi notam, charactери eiuſdem Epiſtolę vim afferre ineuitabilem, quę ſcilicet anno quadrageſimo ſecundo Chriſti in verſione Laſcaris fertur exſignata.

[o] *Act. 28.*

[p] *In Chrō*

[q] *Serm. de Deipar.*

[r] *In Compend. in Tib.*

ATQVI vt à poſtremo ordiamur, negotiũ fortaſſè faceſſat Pauli poſt vincula Neroniana, toties deſignata, votiſque omnibus expetita in Hiſpanias profectio, quę ſi ſemel euincatur, vix ſupereſt temporis ſpatium, quo Deipara in viuis agente Paulus Meſſanę, multoque minus Hieroſolymis adfuerit, vnaque hac deiecta ſubſtructione rationum, cetera quæ molimur ruant neceſſe eſt. Sed enim Paulum iuiſſe in Hiſpaniam, paucos inuenio, qui in dubium aliquando vocarint, eoſdemque auctoritate

nixos

nixos Gelaſij, [f] qua etiam perculſus Diuus Thomas [t] in eam ſententiam iuit; nec non Innocentij [u] ad Decentium Eugubinum, neminem aſſerentis Apoſtolorum excepto Petro Hiſpanias, & alias Occidentales Prouincias fidem docuiſſe. Verùm quæ reſponſio [x] Pererij eſt viri ſanè docti, Diuo Thomæ opponi poſſunt agmina Sanctorum Patrum quos ipſe recenſet, Hippolyti, Athanaſij, Cyrilli, Epiphanij, Chryſoſtomi, Theodoreti, Sophronij, Gregorij, Bedæ, Anſelmi, Toſtati, & ſexcentorum aliorum non infimi ordinis Scriptorum, qui vel explicando, vel hiſtoricè narrando fidem ſufficiunt indubitatam. Gelaſij porrò mens commodam ſumit interpretationem, ſi velit Apoſtolum, non tunc cùm ipſe apud ſe deſtinauerat, & iturum ſe ſcripſerat, profectionem habuiſſe cœlo ratam, ſed alij tempori ſeruatum, parem voto fructum paulò ſerius ſuſcepiſſe; quamquam nec de induſtria videri eam à Gelaſio tractari diſputationem, quippe qui exemplo duntaxat oſtendat, non mentiri eum, nec fallere, qui receptam in ſe promiſſi fidem animo ſemper habeat firmam, tametſi deinde varijs enaſcentibus cauſis voti cõpos minimè fiat; Sic enimuerò, quod notat Salmeron, qui receperat venire [y] Corinthum promiſſo deinde nõ reſpondit, neque tamen ideò fallax, falſuſque fuit, quia dictis hominum ore prolatis, illa ſemper animo concepta ſubeſſe debet ratio, ſi Domino placuerit, cuius nempe eſt dirigere nubes Prædicatorum, quò impetus dirigentis voluerit, & qui à Magis promiſſum ad Herodem reditum meliori conſilio auertit, deſiderium quoque Pauli ſanctiori decreto temperauit. Si qui demum grauiorem putet eſſe Gelaſij auctoritatem, quàm vt ab ea facilè recedat, vnà nouerit eam alioqui Viri ſummi ſententiam, nõ eſſe ſanctionem Pontificiam, quæ capitalem fidei, religioniſque Chriſtianę diſciplinam concernat, ſed quæ priuato vnius Doctoris iudicio prolatum duntaxat, nemini etiã religionem inijciat, ſi meliora aliorum ſenſa ſequi velit.

Iam verò quod ſpectat ad Innocentium, appellatione Petri non is cenſetur excluſiſſe Paulum, nec tam ſignificaſſe Petrum Hiſpanijs cęteriſque Occidentis regionibus adfuiſſe, quàm fidei religioniſque Chriſtianæ diſciplinam à Petri Sede, hoc eſt, ab Eccleſia Romana in eas fuiſſe Prouincias illatam, qua quidem ratione non minus quàm Petro, referri poteſt accepta Paulo Hiſpaniarum eruditio, ſicut non minus profecere illius induſtria, quàm huius doctrina, profecere autem vtriuſque cura, ac labore. Et profectò ſi nemo Apoſtolorum præter Petrum docuit Hiſpanos, nihil eſt amplius, quod Iacobo glorientur, & in acceptis habeant ipſi, vniuſque Innocentij dicto; vetus traditio tot miraculis, Scriptorumque teſtificationibus firmata, peſſum eat neceſſe eſt; niſi etiam Innocentius eo ſcripto non fidei morumque præſcriptiones, ſed ſingularem in hiſtoria Eccleſiaſtica protulerit opinionem. Et meo quidem iudicio ſicut Nicolaus [z] in Decretis, cùm *nuſquam* (inquit) *legimus, quia ſit à Miniſtris Eccleſiæ factum (niſi nos fallat opinio) vt ſcilicet manus Sacerdotis inungantur Chryſmate:* priuatam dubio procul edidit ſententiam, vt verum ſit Gloſſæ dictum, Pontificem non habere omnia iura in pectore ſuo, niſi quoad interpretationem, adeoque prædicta obliuio non ſit iuris, ſed exemplorum: ita dici poteſt, Innocentium ſua tantum quæ falli poteſt opinione fretum, Hiſpanias Petro conceſſiſſe, ceteris Apoſtolis ademiſſe, non impugnatione traditionis, ſed obliuione exemplorum, niſi mauis inopia Scriptorum, tametſi certum eſſet Petrum vel nunquam ad Hiſpanos abijſſe, vel ſerò poſt Iacobum adueniſſe, quippe quem octo pluſminus annis, nempe trigeſimo ſeptimo Chriſti anno, quemadmodum habet [a] Dexter, & ex illo Chriſtophorus [b] de Caſtro, ante viderunt Hiſpaniæ, quàm Petrum Roma quadrageſimo quarto anno, eodemque ſecundo Claudij ſuſcepiſſet. Quin etiam Vrbanus, [c] ſi alicubi dixit, non reperiri prohibitum, *Virum, & vxorem ſimul poſſe ſuſci-pere*

f 22. q. 2. B. Paulus.
t In Epiſt. ad Roman. cap. 15.
u Diſt. 11. Quis neſciat.
x In Epiſt. ad Roman. cap. 15.
y In Epiſt. ad Roman. cap. 15.
z Diſt. 23. Præterea.
a Ad ann. 37.
b In Hiſt. Deip. c. 18.
c 30. q. 4. Quod autem.

[d] De conſec. diſt. 4. Nõ plures.

pere puerum, quod pridem antea Leo [d] cauerat, ne plures nimirum vno, ſeu vir, ſeu mulier is eſſet ad ſuſcipiendum de baptiſmo infantem accederent; quid vetat Innocentium, præteritis aliorum dictis, ſi non viſis, ſuo tantum placito, quod pro inſtituto faceret attuliſſe, nec tamen ideò quid cuique ſentiendum eſſet, auctoritate ſua reſtrinxiſſe.

His porrò conſtitutis, illud inquirendum, an exutus Romana vincula Paulus in Hiſpaniam continuò conceſſerit, an interpoſito conſilio ſpatium quoque temporis alijs Prouincijs obeundis adiecerit, iterumque Regionibus Orientis reuiſis, demum per tot itinerum flexus optatæ Hiſpaniæ ſit potitus. Iuiſſe verò quàm primùm ad Hiſpanos plurium teſtificatione Patrum, ac Interpretum, certius eſt, quàm vt nonnullorum opinione dubitationi locum relinquat: Chryſoſtomus [e] ſanè inter alios, *Cùm biennium* (inquit) *Romæ egiſſet in vinculis, tandem dimiſſus eſt, dein in Hiſpanias profectus* Et adhuc clarius Theodoretus [f] *Actuum* (inquit) *docet nos Hiſtoria, quod biennio Apoſtolus manſit in ſuo conducto, cùm autem liberatus illinc profectus eſſet in Hiſpaniam, & illis etiam Diuinum Euangelium tradidiſſet, reuerſus eſt Romam, & tunc capite truncatus eſt.* Et profectò ſi tam ardens fuit deſiderium Paulo viſendæ Hiſpaniæ, vt non niſi per tranſitum Romam adire vellet, quò citius illic adeſſet, dubitari vix poteſt, eum voto ſuo feciſſe ſatis, poſtquam Romæ vinculis expeditus poteſtatem habebat eundi, quò vellet; eoque magis, ſi iam inſtante reſolutionis ſuæ tempore, ſenſim delibando, non ita longum ſupereſſet annorum vitæ curriculum, idque ſolùm deſiderio viri ad labores Euangelij procreati, gratia potiùs quàm natura reliquiſſet. Huc accedit breuius multò, & expeditius ex Vrbe ad Hiſpanos iter, quàm ſi per longas ex Græcia, Aſia, Iudæaue circuitiones eò demum ſerius allaberetur, vbi non Gentium magis vtilitati, quàm ſuæ duntaxat cupiditati tempora fuiſſent proficua, quando præſertim nihil eſſe rei poterat, quod animum toties obfirmatum, à tam ſancto propoſito dimoueret.

[e] Hom. in Matth. 76.

[f] In Cap. 1. Epiſt. ad Phil.

Equidem vtramuis in partem animum deflectam, nihil rebus noſtris offecero. Potuit enim Paulus poſt exacta Romæ biennij vincula ſexageſimo primo Chriſti anno, datis itineri Hiſpanico non paucis menſibus, ita deinde commodùm Siciliam, atque adeò Meſſanam anno inſequenti traiecto mari reuiſere, ſuaque prædicatione illic perfungi, & ea omnia quæ aliàs recenſuimus Meſſanenſibus officia præſtare, vt nihil ſit, quod hac in re magnopere queat incommodare, ſi præſertim commorationem in Hiſpanijs, non adeò longam eſſe oportuit, quin breui exempto deſiderio, Paulum Orientis regionibus reſtitui ſineret, eò maximè quòd vendicata iam à Iacobo Hiſpania, non tam ſuperfuit Paulo vbi Euangelium prædicaret, ne ſuper alienum fundamentum [g] contra ſuam ſententiam ædificaſſe conuinceretur, quàm vbi ſpem ſegetis in futuram meſſem aſſurgentis miraretur, niſi fortaſſe, quod placet Chriſtophoro [h] Caſtro, aliquid orbis Hiſpanici Paulo reliquum fecerat Iacobus à ſe non luſtratum, vt iam ſi prędicauit Paulus ſuper alienum fundamentum ædificaſſe non crederetur, quod quidem dato illo menſium ſpatio facilius eſt fieri potuiſſe, quàm vt contrarium euincatur.

[g] Ad Ro. cap. 15.

[h] In hiſt. Deip. c. 18.

Verùm vt id proximè abſit à vero, mihi tamen Paulus ipſe nō minimum firmamenti ſufficit ad credendum, diuino conſilio dilatam fuiſſe profectionē Hiſpanicam, nec ægrè Paulum à ſeipſo reditum in Orientem ſtatim à vinculis impetraſſe, id quod ex literis anno ante Romæ datis facile eſt deprehendere, quippe qui ſcribens ad Philippenſes. [i] *Confido* (inquit) *in Domino, quoniam & ipſe veniam ad vos citò.* Et ad Philemonem [k] *Para mihi hoſpitium, nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis.* Et in nouiſſima quam ad Hæbreos exarauit [l] *Cognoſcite* (inquit) *fratrem noſtrum Timotheum*

[i] Cap. 2.

[k] Ep. vn.

Digitized by Google

theum, cum quo ſi celerius venerit, videbo vos: vt ex his appareat, Paulum haud in ſententia perſtitiſſe, poſtquam Romam veniſſet, non quidem animi facilitate, vt paruo momento, & quauis cauſa velut leui aura huc illuc impelleretur, ſed quòd aliter quàm ipſe ſecum ſtatuiſſet, Deo faciente, qui conſilia hominum vertit, agere viſum eſſet, idipſum eo teſtante, dum ad Corinthios ſcribens, quibus aduentum ſuum ſpoponderat. [m] *Hac confidentia* (inquit) *volui prius venire ad vos, vt ſecundam gratiam haberetis, & per vos tranſire in Macedoniam, & iterum à Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci iu Iudaam, cùm ergo hoc voluiſſem, nunquid leuitate vſus ſum? aut quæ cogito ſecundum carnem cogito, vt ſit apud me eſt & non?* [m] 2. ad Cor. cap. 1.

Et niſi tam clara ex ipſo Paulo liqueret ſententiaPauli de retardata profectione, ab hiſtorijs quoque ſuffragium accederet opinione altius, nec longè eundum eſſet, quin exceptione in paucis maior ſeſe offerret Flauius Dexter, qui aduentum Pauli ad Hiſpanias, non alio ſuperiori quàm ſexageſimo quarto Chriſti anno conſignat, breuibuſque res eiuſdem ibidem geſtas, velut alter Apelles in exili tabula ingentes bellorum ſucceſſus his verbis præſcribit. [n] *Sanctus Paulus ad Hiſpanias veniens ſecum fert Philemonem, Thimotheumque, alioſque Diſcipulos, Lyboſeca, Lauinijque Vrbibus Prouinciæ Arenatium prædicat. Philippum cognomento Philotheum, Probum, Xantippamque eius vxorem ad fidem conuertit; Presbyteros ibi relinquit.* Hæc ille: quibus tamen Franciſcus [o] Biuarius, ſicut & reliquo eiuſdem Flauij Chronico formam, & colorem addidit, rectè dixeris, fragmento integritatem reddidit. Citat eandem hiſtoriam alicubi Cornelius [p] à Lapide ex eodem Dextro, tametſi de reliquo parcus ſit in eius opere citando, ac laudando. [q] *Subinde* (inquit) *ſed parcè illud citabo, præſertim vbi veriſimiliora, & rariora narrans, aliorum grauiorum auctorum teſtimonio fulcitur, & roboratur.* Verùm de hac re alibi, & pro Dextro ad teſſeram. [n] Ad ann. 64. [o] In com. ſuper Flau. [p] Sup. Act. [q] In Chronotaxi ad Acta. [r] Ad ann.

Ceterùm, rationes ex epiſtolis Pauli adductæ, [r] Baronio quoque, qui Flauium Dextrum non vidit, adeò viſæ ſunt firmæ, vt cùm in Romanis vinculis propoſitum proficiſcendi in Hiſpanias mutaſſe viſus ſit Paulus, & profectionem in Orientem inſtituiſſe, an idipſum quod conceperat animo, omninò præſtiterit, haud tutò poſſe affirmari fateatur. Quamquã an etiam profectus ſit in Orientem, haud item certè adſtrui poſſe putat, cùm preſertim olim Mileti Epheſios alloquutus, Numine afflatus illis prædixiſſet, eos non viſuros amplius faciem ſuam; quod certè ipſe haud potuiſſe contingere affirmat, ſi in Orientem, & in Aſiam, vt pollicitus fuerat, Philemoni reuertit, qui enim ad optatiſſimam Eccleſiam Epheſinam Aſiæ totius Metropolim non acceſſiſſet? Verùm hanc religionem facilè quiuis ſibi exemerit, ſi quemadmodum alibi diximus, cœleſti conſilio aliud ſanciri potuiſſe cogitarit, quàm Paulus iuxta preſentem animi præparationem concepiſſet, nec in eo decretum Dei refigi, (ſi vſquequaque tamen, quo de agimus, decretum eſt) ſed ſecundùm cauſas rerum ordinatas, enaſcentes diſponi occaſiones, & non humanis mortalium ſenſa regi con ſilijs. Nam quòd diuino ſpiritu actus Paulus ea ratione dixerit. [ſ] *Et nunc ego ecce ſcio, quia amplius non videbitis faciem meam, vos omnes, per quos tranſiui prædicans regnum Dei:* id demum eò referri poteſt (vt facillima conſectemur) Paulũ non amplius fuiſſe Mileti, aut etiam Epheſi viſum, alijſque circum locis, per quæ tranſiuit ad iſtos, ne alioqui ſi nuſquam reuerſum obfirmatè ſtatuamus, leuitatis & inconſtantiæ, contra quàm ipſe, vt paulò ante vidimus, profitetur, arguamus, pluraque in Eccleſiaſticis traditionibus abſque cauſa inuoluamus. [ſ] Act. 22.

Et verò ſi nec in Hiſpanias, nec in Orienté Paulus abiuerit; vbi gentiũ tot ad extremum vitæ limité annos exegerit, dici facilè non poteſt, niſi Italia, aut etiã Sicilia, citraque concluſus plura etiã Meſſanæ fortaſſe fecerit, quàm vel nos adſtruere, vel alij

Digitized by Google

circa hanc traditionem aliquãdo cogitauerint impugnare. Enimuerò quid toto illo biennio, aut etiam inter exacta Romæ vincula, petitaſq; Hiſpanias Paulus egerit, vbi vitam duxerit, non apparet, niſi deſtinatæ per epiſtolas profectioni in Orientem, rebuſq; illic componendis commodum id ſpatij impendatur. Ceterùm poſt Orientis luſtrationẽ, Hiſpanijs quoq; ſui copiam feciſſe Paulum, nimis ſit otioſus, qui probare laboret, auctorumq; centurias id aſſerentium in medium afferre, qui ſi à multis retroactis ſeculis aduocari non poſſent, vel illa veterum Chriſtianorum, ex perfido licet ore Agrippæ, fidei dilatatæ ſuſcepta teſtificatio ſatis abundè eſſet, quã ipſe habita ad Iudæos concione protulit, cùm ita loqueretur. *Sed de Religionis auxilio præſumitis, cùm Orbem iam Romanum IESV Diſcipuli repleuerint, aut ſine Dei nutu putamus illum creſcere religionem?* ita ille: Si Orbem Romanum, ergo & Hiſpaniam, quæ Romano tenebatur imperio viſere Diſcipuli IESV, ergo & Siciliam, ſed nemo magis Paulo, ſi veram illi texuit laudem [t] Chryſoſtomus, eum non modò Siciliam, atque Italiam, verùm vniuerſum terrarum Orbem prædicando peragraſſe.

Lorin. in Act.

t Hom. 2. in Epiſt. ad Rom. c. 1.

Quòd ſi demum cauſam inquiramus, ob quam dilata in Hiſpaniam profectione Paulus in Orientem remigrarit, ac tandem ſæpius eandem fortaſſe remenſus viam Hiſpanis ſe condonarit, diuinare quidem non poſſumus, coniectura opinor partim aſſequemur. Enimuerò relictas à tergo Prouincias, quas primùm vinctus perfunctoriè circumiuerat magis quàm obiuerat, vberiore Euangelij ſegete oportuit eſſe cumulatas, ne ſi vaſto Hiſpaniarum Orbi longiores contingeret impendere moras, ingenti ſpe prouocata plura regna defraudaret, neque tamen Hiſpanis, ea tempeſtate vtilem nauaret operam, qua vel pridẽ Iacobus apud eoſdẽ Deiparæ Virginis hortatu fortior effectus ad prædicandũ, nõ pœnitendo fructu laboraſſet, ac parẽ voto cępiſſet vtilitatẽ: vel ſi eo tẽpore iam Herodiani gladij victima Hieroſolymis cecidit Iacobus, circa annũ videlicet Chriſti quadrageſimũ tertium, nõ deerant ex multis, quos vel in Hiſpaniam ſecum abduxerat, vel ibidem ad fidem adductos inſtituerat Epiſcopos, quos propagandæ firmandæque religionis de cetero cura maneret, aut quos etiam Petrus Apoſtolorum Princeps anno, aut deinde proximè a nece Iacobi Romam ingreſſus, non ſerò poſt, hoc eſt anno Chriſti quadrageſimo ſexto, [u] ſtabilita iam Sede Romana, Paulo adhuc longè agente ſubmitteret. Quod ſi poſtremùm voluentibus annis Paulo Romam perducto, ſpes adeundæ Hiſpaniæ tot votis expetitæ affulſiſſet, regioniſque tam vaſtæ partes Iacobo alijſque intactæ ſupererant, potuit illa ſanè differri, quoad rebus in Oriente ritè conſtitutis, eum Hiſpaniarum, coronæ proximus, ceu coronidem meritorum hauriret laborem, dignamque demum tanto Apoſtolo Romam repetens mortem oppeteret. Quid vero ſi propè genuinam cauſam huiſce reuerſionis Pauli in Iudæam liceat in medium afferre? Quippe cùm imminente felici illo coronarum die, quo puriſſimus ille MARIAE Virginis ſpiritus, auehendus erat in ſupernas Beatorum ſedes, par eſſet Apoſtolos ex toto Orbe collectos, comitando honeſtandoque ſacratiſſimi Corporis funeri intereſſe; auctore Numine factum, vt commutato in melius voto, Paulus quoque cum ceteris conueniret, nec tam iucundi itineris pœniteret eum, qui Orbi peragrando aſuetus eſſet, præſertim cùm viſurus eſſet eam in cœlum abeuntem, cuius nomen cum Chriſti Euangelio per Orbem circumtuliſſet, vnàque tranſmiſſurus eſſet preces ad eum, cum quo & ipſe continuò diſſolui cupiens, eſſe peroptaſſet. Nam quod ſublimes per aëra delati ex varijs mundi partibus velut eò incidiſſe ferantur Apoſtoli, ſicut non apud omnes probatam meretur fidem, ita ſi miraculum excipias, non æquè ſupremum Virginis honorem, Apoſtolorumque commendat obſequium, & in vtroque Nati dignitatem, ac Numinis prouidentiam, quàm ſi è remotis Orbis regionibus, conſtitutis

u Baro. ad ann. 46.

itineribus

itineribus longè ante cœlo admoniti aduentarent: quid ni enim id præſtarent Matri Chriſti, vale vltimum Eccleſiæ in terris dicturæ, & de rerum euentibus ſpe & conſilio commonituræ, quam viuentem longiſſimis peregrinationibus complures quærebant ſalutem reportaturi? quid ni etiam ab Apoſtolis id vellet Natus tantæ fieri parenti, quam ipſe æterno regno ſecum inferendam, cum exercitu militię cœleſtis obuiam factus eſſet excepturus. Verùm hoc iam loco ſpatioſus aperitur campus tractationi alterius argumenti, de Virgineæ ætatis æra cum anno quo vel Paulus in Orientem rediјt, vel quò ipſa ad Meſſanenſes exarata fertur ſacra Epiſtola, ritè connectenda. Hoc ergo deinceps agendum.

QVO TEMPORE BEATA VIRGO DEIPARA aſſumpta eſt in Cœlum.

CAPVT NONVM.

ALterum igitur argumentum eiuſmodi eſt, quo velut clauo nixi quidam, difficiliores ęquo ſe prębuerunt in huius de Virginis Epiſtolâ traditionis aſſertione. Nam ſi ad rectam (vt ipſi putant) Chronologiæ rationem expendantur aſſerta, cùm Paulus ad Cęſarem nauigauit anno Domini quinquageſimo nono, vndecim iam ante annis Virgo Deipara inter mortales eſſe deſijt, anno videlicet Chriſti quadrageſimo octauo, quemadmodum ex antiqua traditione ſcribit in Chronico Euſebius, & probat in Annalibus Baronius. Quę ſi vera ſunt, actum eſt de religione huius Epiſtolę, multoque magis eliditur ea Traditio, ſi ſexageſimus primus vel ſecundus Chriſti annus, quo reuertiſſe in Orientem dictus eſt Paulus, cum Virgine quaſi adhuc in viuis agente exęquetur.

Non ſum equidem neſcius, varias de glorioſa Virginis migratione multorum eſſe ſententias: verùm priuſquam vel ſingulas expendam, vel in faſciculum collectas ſicubi pręſenti inſtituto, reique veritati officiunt, diſſoluam: vindicandus eſt ab impoſita ſibi teſtatione Baronius, eo enim patrono ab aduerſa cauſa deducto, ipſa quoque magna ex parte cadat neceſſe eſt; tum verò quæ placita ſunt aliorum, illis accuratè conſideratis, pro veritate, quam ſectari ſemper animus eſt, decernendum. Itaque tantum abeſt, vt Baronius [x] Euſebij ſententiam probet, vt dubitet eam fuiſſe ſententiam Euſebij. *Eodem* (inquit) *anno à Chriſto quadrageſimo octauo, Olympiade ducenteſima ſexta, anno ſecundo, ſanctiſſimam Dei Genitricem MARIAM aſſumptam eſſe in Cœlum, Euſebius* (niſi alius addidit) *tradit in Chronico his verbis: MARIA Virgo, Chriſti Mater ad Filium in Cœlum aſſumitur, vt quidam fuiſſe reuelatum tradunt.* Eſt ne hoc probantis, an potius dubitantis, quod, tria verba, ceu regius indiculus palam oſtendunt, *Niſi* (inquit) *alius addidit*? Rurſum, eſt ne antiqua Eccleſiæ traditio, quòd quidam obſcuri nominis, ne dicam penitus ignobiles ſibi reuelatum tradunt? Sed enim oculis potius caliget, quàm animo, qui in tam clara de aſſumptione Deiparæ Baronij hiſtoria ſecus legat, niſi etiam animi vitio laboret, ſi ſecus quàm legit intelligat. Placet autem in medium afferre, quid de tota hac re ſentiat Baronius, non decerptis ex hiſtoria partibus, ſed integrè appoſita, quamuis diſputationem in tam ſpacioſo curriculo aliquantum protrahamus, neque tamen id ſine compendio, ſiue pro re noſtra, ſiue pro legentium vtilitate, quando religioſis animis non parum hinc emolumenti accedere putandum ſit, ad pietatem cum veri diſcretione excolendam.

[x] *Ad ann. 48.*

Digitized by Google

Non poſſumus (inquit) non vehementer mirari tantæ rei hiſtoriam, vel ſaltem tempus migrationis eius, ſic à Scriptoribus prætermiſſum, vt opus fuerit; non quòd Scriptorum monumentis teſtatum eſſet, ſed horum penuria quid huic vel illi fuerit reuelatum inueſtigare, & (vt facit Euſebius) hiſtoricam veritatem incertorum hominum reuelationi committere. Tolerandum tamen eſſet, ſi omnes, quibus de eare diuinitus facta dicitur demonſtratio, æquè in eandem ſententiam conſpirarent, vel ſi vnius, aut ſaltem alterius anni ſpatio inter ſe inuicem diſſiderent: at monſtruoſa quædam inter eos diſcrepantia reperitur, dum alij licet incerti, quos citat Euſebius, id accidiſſe dixerint anno, vt vidimus, Domini quadrageſimo octauo, poſt annos ſcilicet à Dominica Paſſione quatuordecim: rurſum verò cuipiam probatæ ſanctitatis demonſtratum cœleſti viſione traditur, poſt annum elapſum à paſſione Chriſti, & totidem dies quot intercurrunt ab eo tempore, vſque ad decimum quintum menſis Auguſti, ex hac vita migraſſe, ac demum poſt alios quadraginta dies, nono videlicet Kal. Octobris, vnà cum corpore aſſumptam fuiſſe in cœlum: cui reuelationi qui fidem adhibuerunt, nō tantum dicta die (vt facit Eccleſia) decima quinta Auguſti eiuſdem celebrant aſſumptionem, ſed & aliam quam ſecundam dicunt aſſumptionem dicto die nono Kal. Octobris ad Bedæ Martyrologium addiderunt, ſed hæc ab Eccleſia minus recepta noſcuntur. Hucuſque Baronius, qui quod de reuelatione poſtrema memorat, B. Eliſabeth filiæ regis Hungariæ, Turingiæ Lantgrauiæ contigiſſe narrat Antoninus [y] ex Iacobo de Voragine, cui tamen cōmunē opinionē refragari cenſet *Quod ſcilicet duodecim annis ſuperuixerit Deipara Virgo poſt aſcenſionem Filij; an etiam quadrageſimo die poſt obitum corpus Virgineum vitam receperit, & aſſumptum in Cœlum fuerit, an ante, omninò dicit eſſe ignotum, & à Doctoribus non inſinuatum, neque tamen per hoc detrahi Sanctitati Eliſabeth, ſi non credatur, quia & ſancti viri Prophetæ aliquando credunt à Deo ſibi aliqua reuelari ſpiritu Prophetiæ, quæ ex phantaſia ſua trahunt in viſionibus ſuis, vt patet in Nathan Propheta.* Sic Antoninus.

[y] 3. Part. Tit. 29. cap. 12.

Rurſum alij (pergit Baronius) iſthæc de reuelationibus prætermittentes, certorū auctorum teſtimonio annum eiuſdem aſſumptionis adſtruere conati ſunt. Sed cùm quæ citant eadem ſcripta nec nobis, ſed nec maioribus cognita fuerint, in eandem de impoſtura ſuſpicionem inducuntur, cùm præſertim non ſit prædictorum vna eademque ſententia, ſed planè diuerſa. Si quidem Nicephorus ex Euodio eam vixiſſe tradit annos quinquaginta nouem, Epiphanius Presbyter Hyppolitum quendam Thebanum citat, qui dicit eam vixiſſe annos nouem poſt Chriſti paſſionem, eamque deceſſiſſe anno Domini quadrageſimo tertio, ſuæ verò ætatis quinquageſimo ſeptimo (ſecundum quod dicitur peperiſſe Dominum Redemptorem annum agens decimum quartum) ſed nec his aſſentiens ipſe Epihanius eam ex hac vita migraſſe tradit annos natum ſeptuaginta duos. Verùm enimuerò ſi ex prædictis auctoribus ea quæ dicta ſunt explorata fuiſſent, non ex incertorum auctorum reuelatione (ſi certos quos ſequeretur habuiſſet) eius obitus annum Euſebius coſignaſſet, nec quod mortua fuiſſet, Epiphanius ſe affirmare non poſſe, teſtatus eſſet, vel non fuiſſe mortuam, aliqui temerè affirmaſſent. Ex prædictis, puto, auctoribus Cedrenus etiam affirmat eam ex hac vita deceſſiſſe, cùm ageret annum ætatis ſeptuageſimum ſecundum, refert tamen aliquorum fuiſſe ſententiam, vt clauſerit humanæ vitę diem, anno ætatis ſuæ quinquageſimo octauo, ſunt enim verba ipſius: *Tradit ſanctam animam Domino ac Filio, & Deo ſua annos nata ſeptuaginta duos, quidam tradunt quinquaginta octo, vixit ergo viginti quatuor annos poſt Chriſti ad cœlum aſcenſum.*

Quoſnam autem (pergit Baronius) ex prædictis potiſſimùm ſequamur ambiguum nobis eſt. Nam ſiue Euſebij ſectemur ſententiam, vt ipſa Dei Genetrix diem obierit

anno

anno ſexageſimo ſecundo ſuæ ætatis, vel quòd alij traditione quadam affirmant, anno ſexageſimo tertio, ſiue etiam cum alijs prædictis ſentientes, anno quinquageſimo ſeptimo, octauo, vel nono: nullatenus ei conuenire poſſunt, quæ ſcribit Dionyſius de diuinis nominibus, cui præ ceteris auſcultandum eſſet, qui affirmare videtur ſe vnà cum Petro, Iacobo, & ceteris Apoſtolis, ſimulque Hierotheo interfuiſſe funeri eius, cogeremurque ea Dionyſij verba in illum accipere ſenſum, quo Hilduinus accepiſſe videtur. Ait enim Dionyſius. [z] *Apud ipſos diuino Spiritu plenos Pontifices noſtros, cùm & nos, vt noſti,* (ſcribit ad Timotheum) *& plerique alij ex ſanctis Fratribus noſtris, ad contuendum Corpus illud, quod auctorem vitæ, Deumque receperat conueniſſemus, & quæ ſequuntur.* Quæ quidem verba Dionyſij (paulò poſt inquit Baronius) Hilduinus [a] non de ſacratiſſimo corpore Dei Genitricis, ſed de venerando ſepulchro, quod continuit corpus IESV eſſe dicta exiſtimauit. *Refert hoc loco verba Hilduini Baronius.* Et paulò poſt: Si igitur (inquit) aliquo prædictorum anno Dei Genitricem eſſe defunctam dixerimus, nequaquam potuit Dionyſius eius funeri interfuiſſe, qui nondum hoc anno, vel ſequenti, ſed neque vſque ad quinquageſimum ſecundum annum (vt ex his quæ diximus, & quæ ſuo loco dicturi ſumus, habita exacta temporum ratione conſtabit) cùm Paulus Athenas venit, eſt conuerſus ad fidem. Imò ex Luca, qui mira diligentia ex eo tempore cuncta loca, ad quæ Paulus acceſſit, & tempora, quibus in eis permanſit, vſque ad eius Hieroſolymam aduentum relegit, liquidò apparet, ipſum non ante annum Domini quinquageſimum ſeptimum Hieroſolymam venire potuiſſe, cui ætati ſi quatuordecim, vel quindecim addas, quibus (vt dictum eſt) ſanctiſſima Virgo vixit, cùm peperit Saluatorem: manifeſtè colliges ipſam eo anno, quo Paulus nouiſſimè Hieroſolymam venit, egiſſe ætatis annum ſeptuageſimum ſecundum, quo ipſam ex hac vita migraſſe, Epiphanius Preſbyter, & Cedrenus, quos retulimus affirmarunt.

z De diu. nom. lib. 1. cap. 3.

a In Areo...

Hæc omnia Baronius, pluraque alia, quibus probat id Dionyſij dictum de ſacratiſſimo Deiparæ Virginis corpuſculo intelligendum, qua de re paulò infra dicturi ſumus; hactenus iſta duntaxat placuit penè ad verbum referre, ne ſi noſtris conceptibus Baronij ſenſa euoluiſſemus, exaggeraſſe potius quàm retuliſſe videremur, ex his autem, ceu quod dicitur Solis radio ſcriptis liquidum euadit, Baronium in aduerſum citatum nedum in eandem ire cum Euſebio ſententiam, verùm etiam ſi poſſit, ipſum ab ea opininione liberare, quam ſuppoſitiam ſuſpicatur, & anxiè dolere, hiſtoricam veritatẽ ab eodẽ incertorũ hominũ reuelationi commiſsã, neque ſemel incertos renuntiare auctores, quos ipſe citat, ſecuturus certos ſi habuiſſet. Ceterũ miſſis reuelationibus, ſi ad Scriptorũ fidem & auctoritatẽ hiſtoria reuocetur, plures quidem recenſet Baronius, eoſque in diuerſum abeuntes, neque tamen vel delectu inter eos habito, ſuam alicui concredit mentem, quòd vnico licet argumento, firmiſſima tamen ratione locupletato ceterorum verſat, vertique putat ſententias, idque ex Dionyſij funerarium Deiparæ Virginis honorem celebrantis præſentia, cui præ ceteris auſcultandum quadam religione ipſe cenſuit Baronius. *Si enim* (inquit) *aliquo prædictorum anno Dei Genitricem eſſe defunctam crediderimus, nequaquam potuit Dionyſius eius funeri interfuiſſe.* Quæ Baronij dicta cum reliqua eiuſdem argumentatione, tot Sapientum auctoritatibus exaggerata, facilè cuiuis vel per tranſennam inſpiciẽti oſtendunt, ipſum non Euſebij, ſed Cedreni potius, & aliorum qui tempora Deiparæ cum dicto factoque Dionyſij peræquant probaſſe ſententiam. Quæ tamen annorum latitudo, cùm non eas præſcribat metas, quin paulò magis excedere queat, non ſine exploratis rationibus, à nobis prorogabitur, neque enim in ſententiam cuiuſquam iurabimus, ſi veritatem aliundè ſtare compertum habeamus, tametſi aliorum auctori-

auctoritatibus non ita conſtitutam, *in huiuſmodi enim* (inquit) *Antoninus* [b] (loquitur autem planè in re præſenti) *licet vnicuique in ſuo ſenſu abundare, & opinari, quod ſibi magis videtur conſonum rationi in ijs, quæ Eccleſia non determinauit*: quanquam quod dicturi ſumus, non ita velimus acceptum, quaſi ad tuendum duntaxat præſens inſtitutum, non etiam ad confirmandam veritatem ſit inuentum.

[b] 3. part. tit. 19. c. 11

Age igitur, ſicut non aſſentimur ijs, qui Deiparam Virginem menſes præter annum trinos ſuperſtitem fuiſſe volunt Christo, ſiue quia Dionyſius nondum Chriſto imbutus, adeſſe Virginis extremis minimè potuit, vt ceteri contendunt; ſiue quia illo anno diem Aſcenſionis in quartum Non. Maij eius placiti auctores deſigunt, quod à genuino calculo non parum aberrat: neque præterea aſſentimur [c] Euſebio, vel quiſquis ille fuerit, qui Virginis ſub cœlo moras, quadrageſimo octauo Chriſti, ſuę verò ętatis anno ſexageſimo ſecundo definiuit: neque Hippolyto [d] Thebano, qui apud Epiphanium Presbyterum eadem tempora, ſalutis anno quadrageſimo tertio, Virginis verò quinquageſimo ſeptimo reſtringit: neque Euodio, [e] qui duos inſuper addit; nec denique alijs, qui traditione quadam, tertio ſupra [f] ſexageſimum concludunt: ita non porrigimus herbam ceteris, qui ſeptuageſimo ſecundo ea ſolùm ratione limitant, quòd alioqui Dionyſius Areopagita non potuiſſet Virgini parentando ſupremos ferre honores, quibus tamen vnà cum Iacobo fratre Domini, & Petro antiquiſſimo Theologorum culmine, ac denique inter alios Hierotheo poſt Apoſtolos ſummo, ſe interfuiſſe disertè ſcribit, [g] cùm tamen ipſe circa quinquageſimum ſecũdum Chriſti annum Athenis à Paulo ad fidem adductus, ante quinquageſimum ſextum annum, iuxta Baronij calculum Hieroſolymis adeſſe non potuit, quibus ſi quatuordecim, vel quindecim anni iungantur, quorum extremo Virgo puriſſimi floris Deum in carne tulit ac protulit, anni ſeptuaginta cum duobus, totius vitæ virginalis curriculum complectantur neceſſe eſt. Nam etſi hæc ratio non inuolutè, nec ſignis fallentibus ſuum concludit intentum, ſi vera ſupponit, neque tamen noſtrum excludit argumentum, qui quadriennij citimè ſpatio Virginis ętatem extrahimus, non vt in re incerta, & quemadmodum fatetur Baronius ſibi inexplorata inuentum quod dici ſolet tueamur, quamuis fortaſſe non minus, quàm illa à Dionyſio ducta ratio ſuos auctores, nos quoque noſtra hæc conſecutio queat aſtringere, ſi inter pauca duntaxat ad vnum reſpiciamus; ſed quia modum coniectationis, vt cum Lactantio [h] loquamur ſupergredi cupientes, libenter aſſerimus apprimè congruiſſe Virginem diutius in terris commorari, vt quæ paulò ante *Magiſtra Magiſtrorum* (ſic enim loquitur Rupertus [i]) inſtructioni fuit Apoſtolis, poſt ſeceſſionem horum, iamque aliquorum pro fide perniciem, præſidio eſſet fidelibus, quos præſertim paucis poſt annis excidium Hieroſolymorum, ſi non inuoluere, terrere certè poterat, (vt nihil dicam de perſecutionibus imminentibus) niſi multis futuræ calamitatis præſagijs edocendos, Virgo in cœleſte regnum migratura, ſpe meliore ſubleuatos reliquiſſet. Hanc fortaſſe etiam ob cauſam, alij quoque Virgineæ commorationis in terris ſpatium ad octuageſimum, imò nonageſimum annum produxerunt, quorum inter alios meminit etiam recentior [k] Biuarius, quãuis cùm ſine teſte ſint, nolit eſſe audiendos: at enim ſæpe ſine teſte, ſi ratio militet, ſeipſum roborat cõiectura veritatis; nobis verò, ſi certius collimamus, aliorum coniecturis edocti, illud ſaltem dabitur, noſtram hanc ſententiam non adeò eſſe ſingularem, quæ alijs quoque tametſi diuerſo inſtituto, in mentem haud venerit.

[c] In Chronico.
[d] Apud Epiph. presb. Serm. de Deipar.
[e] Apud Niceph. lib. 2. cap. 3 & 21
[f] Apud Baron. ſub anno 48.
[g] Lib. 1. de Diu. nom. cap. 3.
[h] Lib. 1. de falſ. Relig. cap. 4.
[i] Lib. 1. in Cant.
[k] In Dext. ad ann. 48.

Atque ex his demum procliuè erit annos Virginis in carne exactos deſignare, ſi ad Euodij Antiocheni Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſoris rationes, calculum ſubigamus; à cuius ſententia, *vt non recedamus* (inquit Baronius [l]) *tum aliorum auctoritas,*

[l] In Appar.

ctorit ei, tum ratio perſuadet, licet eius ſcriptum alicui antiquorum innotuiſſe; nondum reperimus. Habentur autem Euodij verba ex Epiſtola, cui titulus Lumen apud Nicephorum in hunc ſenſum [m] *Trimula cum eſſet in Templum præſentata, ibi in Sanctis Sanctorum traduxit annos vndecim, deinde verò Sacerdotum manibus, Ioſeph ad cuſtodiam eſt tradita, apud quem, cùm menſes peregiſſet quatuor, ab Angelo lætum illud accepit nuncium. Peperit autem illius mundi lucem annum agens quindecimum, vigeſima quinta die menſis Decembris.* Hæc Euodius. Ex cuius lumine ſatis inclareſcit, ſi quindeni Virginis anni ſexageſimo ſecundo Chriſti anno minimè fracti nectantur, ſeptē ſupra ſeptuaginta integros procreari annos; veruntamen cùm Chriſti ortus in annum Virginis incidat decimum quintum, per tres menſes dieſque ſeptendenos inchoatum, fit, vt vtriuſque anni mutuo ſibi inſerantur, primoque Chriſti anno completo, decimus quintus iungatur Virginis, idemque non integer modò, ſed etiam tribus menſibus diebuſque ſeptendecim redundans in annum decimum ſextum: vt proinde, ſi velut ad Lesbiam deducatur calculus ad annum Chriſti ſexageſimum ſecundum finitum, illi pari ratione ſeptuageſimus ſextus Virginis annus, totidem menſibus exereſcat ac diebus. Quia tamen Virginis in cœlum aſſumptio, decimum quintum menſis Sextilis ſibi vendicat, anni ſcilicet Chriſti ſexageſimi ſecundi, perconſequens eſt, vt Virginis ætas ſupra ſeptuageſimum ſecundum annum, non ſolùm non redundet, verùm etiam à ſupremo Virginis anno complendo quinis ac vicenis diebus, quot nempe à decimo quinto Auguſti, ad octauum Septembris Natali Virginis Sacrum intercurrunt, deficiat, atque adeò ſeptuageſimum ſextum Virgineæ ætatis annum, cauum quod dicitur efficiat. Nec verò id myſteriò vacare putandum eſt, ſi rem expendamus. Enimuerò ſi Abram [n] pater excelſus, ſeptuaginta quinque annorum erat, cùm egrederetur de terra Haran, vel vt legit Pagninus [o] de terra Charan, ideſt iræ, furoris, vt alij corruptionis, ac deſtructionis, par omninò fuit MARIAM Matrem excelſam, parentem nempe Dei excelſi, iiſdem circiter in carne circumſcriptam annis, è mortalitatis finibus migrare in regiones æternitatis. Sed enim cuius corpus corruptione ſuperior erat, animuſque contra mutabilium viciſſitudines inflexibilis, ſeptuageſimum quintum prætergreſſa, ſextum tamen in vita mortali non expleuit, quòd viceni illi ac quini dies, dimidium ſcilicet quinquageſimæ ſpatium, cœleſtis vitæ debuit eſſe principium illi, quæ alterum dimidium in carne, Dei Spiritu plena ſic peregit, vt collectis ſpicarum manipulis ex meſſe totius ſanctitatis, reliquo dimidio cum quinquageſimo in cœlis inchoando, in æternum Dei Templum inferretur, ex nouis quidem, ſed inuſitatis frugibus panis ſolo Deo dignus. Sed nec illud prætereundum, quod neſcio, an ab aliquo fuit animaduerſum, Deiparæ nempe Vrginis tranſitum, vel cœleſtibus oſtenſis in hunc annum exſignari; quo argumento nihil certius eſſe poſſe apud homines, omnium qui de cœlo momenta rerum ſeruant, animumque in inſolentes euentus intentum gerunt, vna vox eſt.

Itaque admirandus ille Cometes [p] qui eodem anno ſexageſimo ſecundo formidabili, vt putabatur, aſpectu mortales terrebat, iamque Romanæ Vrbi propius imminere videbatur: non vtique Romanam cladem, aut vulgò creditum Neronis interitum, qui non paucis inde annis ſuperuixit, præſignabat: ſed ſydereus nuncius Reginæ cœli in æternitatis Regnum migraturæ affulgebat, nec tam minaci lumine, quàm feraci ſplendore palantes in Orbe terrarum Apoſtolos, ſupremis monebat adeſſe honoribus. Nam quòd in ſignandis humanis vicibus interdum fieri conſueuit, vt quemadmodum loquitur Damaſcenus [q] *Diuina iuſſione tempore opportuno Cometæ, & ſigna quædam interitum regum monſtrantia conſtituantur, atque rurſus diſſoluantur*: id planè euenire, ſed longe ſpectabilius addecebat, naturæ vices ſubeunte ea, quàm aliquando Dei

[m] Libro. 2. cap. 3.

[n] Gen. 12.

[o] In ſua verſ.

[p] Tacitus lib. 14. Baron. ad ann. 62.

[q] Lib. 2. de Fide cap. 7.

do Dei in terris Genitricem, miſſum de cœlo ſydus cum Filio adſalutaſſet. Vtique tamen Romanæ Vrbi par erat ad ſpeciem impendere tam ratum præſagium, quo capiti Orbis argumentum eſſet, maiorem eſſe cuius tranſitus illo ſigno portenderetur, quàm qui Romæ rerum potiretur, vnaque in inſuetæ facis prodigio Matrem eius eſſe agnoſcerent, quem in meridie Sole lumine caſſo, quondam mortales verè Filium Dei didicerant. Et verò ſi Matris quoque funus anticipato deliquio Solem deplanxiſſe velimus, huc reuocari poteſt memorabilis illa Eclipſis, quæ anno ante Vipſanio & Fonteio Coſſ. Pridie Calendas Maias maiori Orbis parti, ſolito longiores, ac denſiores tenebras affudit, eoque vertit timidas mortalium ſuſpiciones, vt inſignem rerum perturbationem, ceu olim Dionyſius, præſentiſcerent; ſed Iudæi præſertim ſibi impendentem calamitatem anxiè formidarent. Nec dubium, quin ſi ad rationes Ptolomæi, aliorumque peritorum, momenta viciſſitudinum expendantur, ſi tempus, ſtatio, ſignum, duratio, ſi Solis ſchemata, quæ Campanis inter ſeptimam & octauam, Armenis inter decimam, & vndecimam diei horam obiecta, aliaque coniuncta ſpectentur, totum iſtud velut prçludium ad excidium Hieroſolymitanum, quod decennio poſt euenit, affingi queat, ac fortaſſe debeat. Quantumuis prætereà conſtet, cauſis in natura fixis, ſtatis ac ratis temporibus, infallibili cœleſtium ſphærarum, aſtrorumque lege, eiuſcemodi luminarium affectiones, varia phœnomenum, aſpectuumq; diuerſitate, ſolitas Orbi terrarum ſeſe prodere: Nihilominus tamen, quod ad præſens attinet, in ea cauſarum lege, naturam Deiparæ Virgini, vice prodigij famulatam, me iudice ſimilius eſt vero, quàm vt argumentis vel ab arte petitis, improbari queat; eo ſcilicet inſueto, ſi ad omnia ſpectes Solis defectu, velut prænuncio monitos fuiſſe pleroſque, ad quos Euangelicus ſplendor iam perueniſſet, nouam luminis orbitatem inde imminere, quòd Virgo Sole ſplendidior, quæ mortalibus hactenus exemplo præluxiſſet, communi lucis vſura ſeſe abdicatura eſſet, eademque in abyſſum diuini luminis immergenda, paulò poſt è ſupremo gloriæ cardine, Solis gratiç vices hominum generi ſuffectura.

Plin. lib. 7. cap. 70.

Quadrip. 2 cap. 1. 5. 6 Cētil. prop. 96. Hali ibid. Eſchuid. tr 1. diſt. 3. cap. 2. 3.

Huc accedit ille, de quo iam diximus, anno conſequenti propius abituræ Virgini quaſi obuiam exortus Cometes: huc fulmen illud formidabile, propè in ipſum Neronem intortum, quod velut ſigno in aërea regione dato Romanam Vrbem & Orbem erigeret, vnaque conterrito Monarchæ terreni faſtu, cœleſtis Reginæ, ac rerum Dominæ gloriam detonaret; huc, eodem propè anno funeſta immanitate Neronem matri ſuæ necem intuliſſe, & Dei Filium immenſa pietate Genitrici ſuæ vitam dediſſe immortalem; miro ſanè diuinæ ſapientiæ ludo in Orbe terrarum, ſicut olim (diuerſa tamen comparatione) quo anno Auguſtus Imperator Caium filium ſuum adoptiuum, ad omnem claritudinem Imperij ſublatum, puerili exuit prætexta & virili indutum toga, ſolemni apparatu, faſtuque in forum, & in alta deduxit Capitolia, eodem ferè, Deus Pater Imperator cœleſtis, Filium ſuum vnicum de ſe genitum, quàm maximoperè potuit humiliauit, & humana carne in thalamo Virginis indutum, inde verò in ſtabulum eductum, ac in præſepij fœno reclinatum, ſic planè in imum infimumque depreſſum, introduxit in Orbem terrarum; vt non immeritò in huius rei cogitationem defixus Ioannes Deckerius. *Hic* (inquit) *mihi ludentem in Orbe terrarum Dei ſapientiam, ludentem per ſingulos dies diligenter conſidera.* Huc prætereà ſpectant ingentes illi Terræmotus, quibus Aſia Virgineis aliquando ſacrata pedibus trepidauit, plures ciuitates proſtratæ, ceu venerabundç iacuerunt, & ne quid deeſſet ad miraculum, maria quoque altius exundarunt, vt quemadmodum olim denaſcentem in Cruce Filium Dei, ita morientem quoque Matrem omnia elementa teſtarentur. Huc poſtremò pertinere poteſt, eodem ipſo tempore, hoc eſt,

Tacit. lib. 14.

Sueton. in Auguſto. cap. 29.

Lib. 1. Theor. thes. 9.

eſt anno ſexageſimo primo, puerum [y] penè infantem à meridie vſque ad veſperum ſeptuaginta quinque millia paſſuum decurriſſe, quo planè ſignificatum non ineptè quiſpiam putarit, puriſſimam Dei Genitricem à meridie ſanctitatis, qua ex ipſo Matris vtero fulſit, ad veſperum vſque mortalis vitæ ſeptuaginta quinque ætatis annos, per momenta, virtutum omnium numeris exauctos, in Innocentiæ ſtadio plenè exegiſſe, ſed demùm ſeptuageſimo ſexto, Horizontem immortalitatis (vt cum Triſmegiſto loquar) tenuiſſe, gloriæ ſempiternæ metas attigiſſe.

[y] Plin. lib. 7. cap. 20.

Video quo loco verſetur hoc tam palmare argumentum, vt vel inuito fidem extorqueat, ſi imprudens eſſe nō amet, vel vſque ad piaculum moroſus perſiſtere, neq; tamen ideò de re tota conſtitutum eſſe velim, niſi primùm quæ circumſiſtunt impedimenta funditus amoliamur. Id modò agendum.

SOLVVNTVR ARGVMENTA QVAE PVGNANT cum ſeptuageſimo ſexto ætatis Deiparæ Virginis anno.

CAPVT DECIMVM.

IGitur duo præcipuè militant in aduerſum, alterum quidem commune cum multis ſed claſſicum argumentum, alterum verò proprium, & in hoc campo Achilles. Commune eſt, demorienti Virgini citimos fuiſſe Apoſtolos, qui tunc in viuis agebant, vndecunque gentium accitos, aut etiam per cœlum attractos: ibidem adſtitiſſe Dionyſium ac Hierotheum, & ſi Dionyſio [z] credimus, Petrum cum ceteris, & Iacobum fratrem Domini: quæ ſi ad exactum Chronologiæ calculum ſubigantur, à veritate longè deiungūtur. Enimuerò Dionyſiū ad Dei Matrē (vt creditur) contuendā, nō acceſſiſſe prius, quàm Paulo nauante Athenis fidē ſuſcepiſſet, tantūq; in terris Numen venerari didiciſſet, teſtes qui aduocētur ad id firmandū nō eſt opus: at cū ipſe nō ante [a] quinquageſimū ſecūdū reparatæ ſalutis annū, in Sacramēta Chriſti iurauerit, hoc eſt, quo tēpore Paulus Athenas primū venit, & inter multos ipsū cū Damari coniuge ad fidē adduxit; tametſi fingamus (ꝙ fingi vix poteſt) ingenti Deiparā deſiderio videndi in annos protracto, ſerius tandē Hieroſolymā adijſſe: à quinquageſimo tn̄ ſecūdo ad ſexageſimū itē ſecūdū, id ſpatij excurriſſe nemo facilè cogitarit. Quid enim rei eſſe potuit, ꝙ flāmantē Dionyſij animū moraretur? an paſtoralis cura? an ſtatus Iudææ perturbatus? an metus? an aliquid horū maius? at tanto deſiderio vidēdi tā ingens bonū, quid maius? Quocirca alij moderatius ſapientes, attentis rerū, ac tēporū vicibus, totū id interuallū paucioribus annis coërcuerunt, adeoq; Virginis ætatē ſeptuaginta duobus, ad ſummū tribus, qui quinquageſimo octauo & nono Chriſti annis exæquantur, definiuerūt. Quamquā nec iſti rectè, quādoquidē anno quinquageſimo octauo, Paulus cauſæ corā Feſto Præſide perimēdæ, quinquageſimo verò nono, reſiduæ in Italiā nauigationi intentus, ſacrū Virginis corpus nequaquam potuit funerare. Sed neq; Petrus vacuus curarū Romę fuit, vt Hieroſolymis intereſſet, qui pſertim anno Chriſti quinquageſimo Hiſpanis datus, [b] nō pauco tēpore Prouinciam luſtrauit, hinc verò in Africam, deinde in Aegyptum proficiſcenti, denique Romam reuertenti, immenſum ſanè iter obiectum Iudææ reuiſendæ copiam ademit, eoque magis, ſi quemadmodum Innocentio [c] placet, toto etiam diuiſos Orbe Britannos inuiſit, niſi non iam ſinuoſo terra marique viarum flexu, ſed directo per ſublime nubium ductu ſiſteretur, quod placitum, vt Melitoni [d] Sardicenſi condonetur, à Gelaſio [e] tamen ceu minus probatum inter Apocrypha conijcitur.

[z] Lib. 1. de Diu. nom. cap. 3.

[a] Barō. ad ann. 52.

[b] Dext. ad ann. 50.

[c] In Ep. ad Decent.

[d] Libr. de tranſ. Virg.

[e] Diſt. 14. Sancta Romana.

Sed enim ſi laxatis annis ætatem Virginis ad ſexageſimum ſecundum Chriſti annum exaugeas, illicò nouæ opinionis, noui pullulant fœtus, Paulum ſcilicet cum Petro comitatum, Roma conceſſiſſe in Iudæam, quid enim pro re & tempore vero ſimilius? Meſſanæ item ſimul adfuiſſe, quidni & Petrum prædicaſſe, ceteraq; munia Principis Apoſtoli pertractaſſe, quæ omnia ſe mutuo videntur conſequi. At quæ hiſtoria teſtis? quæ traditio? quæ ſimilitudo veri? nã ſi aliquãdo Petrũ Meſſanæ fuiſſe cogitare licet, tunc certè non licet, ne vtroq; oculo caput Orbis priuaretur. Si etiã interdum Romæ Petrus abeſſe potuit, eo tempore non debuit, gliſcente nimirũ in maius fide Chriſti, preſſaq; non parùm à vinculis Pauli ſuperſtitione. Viden' quot ſcopuli? in quos tamen nõ illidat, qui dies Virginis in carne exactos quadrageſimo octauo Chriſti anno peræquet; cadent quippe ſingula ad numerũ, nec dubia nutabit hiſtoria. Erit enim vt illo ipſo tẽpore, coacto Hieroſolymis Legaliũ Concilio, plures Apoſtolorũ qui interfuerunt, Beatæ quoq; Virgini paulò poſt extremũ acturæ diẽ, dignè obſequi potuerint, nõ ſine præſagitione diuinitus iniecta cõuocati, qui & ſuprema benedicentis mãdata capeſſerẽt, & ſupremos eidẽ in terris honores debitè impenderent. [f] Adfuerũt verò (ſi rectè cõijcitur ex rebus geſtis Apoſtolorũ) Petrus, & Ioãnes, Iacobus Alphęi, Paulus, Barnabas, Titus, Marcus qui & Ioãnes, Iudas cognomẽto Barſabas & Silas, viri primi in fratribus, alijq; nõ pauci, quos ea de legalibus diſceptatio Hieroſolymam conciuerat, digna tanto honori corona, dignum Dei Genitrici famulitium.

[f] Act. 15.

Huc accedit non vacare Myſterio, quindenos annos fluxiſſe Virgini ante natum Chriſtum, totidemque poſt denatum, adeoq; in tribus ac ſexaginta annis vitæ finem admirabili quodam nexu, principio ſuo reſpondere; neq; ſolùm, verùm is annus climactericus cum ſit, obitu magnorum virorum præſignis, ob eam ipſam cauſam, Deiparæ quoque inter mortales eximiæ, iuxta rerum curſum cõmunis eſſe debet. Ac vt mittatur, haud minimam vim ineſſe traditioni tum piæ, tum antiquæ fidelium, quæ in ſexaginta trium annorum memoriam, totidem globulis conſertam Deiparæ Virgini recitari docet coronam; hoc planè peruincit Magdalenæ è Iudæa migratio, quæ cùm in annum [g] Chriſti quadrageſimum octauum inciderit, dubio procul eodem anno Virginem cœlo receptam arguit, qua ſine, quia Hieroſolymis totaque Iudæa, vitæ eam amplius tædebat ſuæ, meritò cum inſigni Sanctorum, hoc eſt, Lazari, Marthæ, Marcellæ, Maximinæ, Ioſephi Arimathæi, aliorumque comitatu, quos par fides amorq; Chriſti ac Mariæ coniunxerat, inde eodẽ anno exceſſiſſe credenda eſt.

[g] Dexter ad ann. 48.

Nihil eſt quod ex hac velut arce deturbet argumentũ. Nã quod ex acceſſu Dionyſij, quo loco plurimũ ſibi fidit aduerſa ratio, Virginis ætas in longè maius proferatur, ex procliui quodam errore, quaſi ſtabilem opinio falſa nacta eſt ſententiã, pronamq; dedit etiam doctis arguendi occaſionem. Illa quippe Dionyſij verba. [h] *Cum & nos, vt noſti, & plerique alij ex ſanctis Fratribus noſtris ad contuendum corpus illud, quod auctorem vitæ, Deumque receperat, conueniſſemus*: non vtique de ſacro Dei Genitricis corpore, ſed de ſepulchro quod continuit corpus IESV dicta eſſe, verius eſt, quàm vt contrariũ firmiter ſuaderi queat. Id ne gratis & ſine teſte putetur aſſertum, eius ſententiæ eſt Hilduuinus, [i] Vir antiquæ inter probatos notæ, qui iubẽte Carolo Magno, vitã Dionyſij præclarè digeſtã poſteris cõmendauit: eius longè poſt, Mattheus [k] Galenus, nec ipſe indiligens Scriptor: eius deniq; (vt plurimos taceã) recẽs huius tẽporis dignuſq; cõmentator Dextri [l] Biuarius. Quare ſi nõ ſolũ per Concilij legalis tẽpus, verũ etiã per annorũ myſteriũ, neq; ſolũ per myſteriũ, ſed per vim in natura climactericã, neq; per hęc tantũ, ſed per religionẽ fideliũ ac Magdalenæ è Iudęa migrationẽ, ita definitur Virginis ętas, vt in nullũ aliud tẽpus dies eiuſdẽ inter mortales extremus incidere queat, quã in ſexageſimũ ac tertiũ Virginis, quadrageſimũ verò

[h] De diu. nom. lib. 1 cap. 3

[i] In Areo[pag.] ...

[k] In [...] ad Areop.

[l] Ad annos...

& octauum Chriſti annum; quo loco ducendum ſit, totum hoc anni ſeptuageſimi ſexti commentum, ſatis liquet. Et hoc primum, & commune argumentum.

Alterum, quod proprium, reſtrictius eſt, ſed ex aliàs fixo iam propugnaculo fortius incumbit: ſcilicet à charactere anni quadrageſimi ſecundi, quem epiſtola Virginis exhibet, validius elidi ſexageſimum ſecundum, quem nos adſtruimus Chriſti annum, quàm claua Herculis (quod dicitur) Leonem: quaſi proinde quicquid vndecunque in medium afferatur, non modò parùm proficiat ad hoc genus argumenti infirmandum, ſed vix tuendo propoſito (cũ Plauto loquor) ſufficiat furcillamentum.

Age verò, vt à primo ordiamur: fertur illud quidem non ſemitis, ſed campis, ac vt latus amnis effluit, neque tamen ſibi viam apud eruditas mentes facit, ſed ſuis anguſtijs collectum, tandem euaneſcat neceſſe eſt: multa quippe dubia ſumit pro certis, non pauca quæ in perſpicuè falſis, eadem dici poſſunt; denique omnia, quæ colligit, non efficiunt, quod prætendit. Ad ſingula accedamus, vt vniuerſa facilius euertamus.

Itaque aduentus ille Dionyſij Hieroſolymam, ſi Virgini poſtremus fuit, nihilum vetat, quin ſerius acciderit, nec tam viſendæ duntaxat, quàm funerandæ Virginis gratia, niſi ipſi fortuitus fuit, vt qui iam antea, viuentem ad ſtuporem mentis contemplatus fuiſſet, morienti quoque non ſine voluptatis, & eximiæ pietatis ſenſu adeſſet: at enim ſi ſerius aliquando contigit veniſſe Hieroſolymam, non vtique anno quinquageſimo octauo aut nono, quo tempore & Petrus Romæ agebat, & Paulus in Iudæa primùm ſuæ cauſæ, deinde nauigationi intendebat; verùm ſecundo ſupra ſexageſimum, eodemque extremo, quo dubio procul non vna fuit cauſa Dionyſio repetendæ Hieroſolymæ, & reduces ſpectare Apoſtolos, & Virginem iteratò venerari, & de myſterijs fidei meditatas euoluere quæſtiones. Nam quòd ardens illud deſiderium adorandæ Deiparæ, hucuſque fortaſſe differri non potuit, eò demum tendit, vt medio inter hoc extremum, & conuerſionis ſuæ tempus Hieroſolymam conceſſiſſe, idque non ſemel admittamus, quid enim vetat ſæpius id præſtitiſſe virum deſideriorum, & ſacro iam cœleſtium calore æſtuantem, quod & gentilem feciſſe negari vix poteſt, quando etiam Gentibus conſuetum fuit, vel longè conſtitutis, ad viſendam Vrbem admirandam accedere, & interdum Templo donaria mittere, ſed Græcis maximè in peregrinos ſacrarum, profanarumque legum ritus perquàm curioſè intendere. Certè exceſſus ille mentis, qui conſpecta primùm Deipara Virgine Dionyſium corripuit, non quo tempore ſupremæ demortuæ venerationi adfuit, ſed longè antea eueniſſe, putandus eſt; qui enim alioqui exanimi corporis obiecta ſpecies, virum iudicio penè ſupra hominem, permouiſſet ad exiſtimandum, haud aliam eſſe Deitatem, niſi ratio naturalis obuiaſſet? ergo ſi viuentem (inquiet aliquis) aſpexiſſet, ſi loquentem audiuiſſet, ſi incedentem, ſi pro auguſto corporis decore omnia agentem conſideraſſet, quid quæſo lumini naturæ in Dionyſio reliquum fuiſſet, niſi vt ipſo eodem lumine ſeipſum excedente, Deum eſſe concluderet, manifeſto quidem, ſed errore neceſſariò conſequente. At Dionyſius viuentem Deiparam vidit, loquentem audiuit, geſtientem miratus eſt, totius denique corporis habitum, animique ſenſa contemplatus in ea verba prorupit, neque tamen ſuæ admirabilitati conceſſit, quod pugnabat rationi.

Sed iam hoc loco ſponte illud intercurrit argumentum, Petrum quoque Apoſtolorum Coriphæum, venerando illo ſpectaculo perſonam egiſſe: *Aderat* (inquit Dionyſius) *frater Domini Iacobus, & Petrus ſupremum decus, & antiquiſſimum Theologorum culmen.* Qui verò iſtud, cùm Romæ degeret, quò pridem conceſſerat, anno ſcilicet Claudij ſecundo, Chriſti quadrageſimo quarto, vel ſi Romanis ſe ſubduxit, Hi- *De Diuin. nom. l. 3. cap. 2.*

 ſpanis

ſpanis ſtuduit, aut etiam Britannis ad tempus: aſt iterum Romæ ſeſe reddidit, nunquam inde dimotus, quoad coronæ dies illuceſceret, quippe Romanæ Sedi præſtitutum, abeſſe loco non oportuit, ſed velut è ſpecula Orbi intentum, principatu perfungi accuratè.

Vſque adeò nihil proficit hoc genus argumenti, quo nonnulli contra dicta conclamatum volunt, vt cuiuis vel mediocriter intento, latum relinquat, ſi aliud nihil, eludendi ſpatium. Omninò tamen peruincemus, Petrum cùm ſæpius Roma profectus ſit, aliquando cum Dionyſio in Iudæa, ipſiſque Hieroſolymis apud Deiparam Virginem coincidiſſe, tametſi poſt annos iterum eòdem reuerterint ad iuſta Virgini exoluenda; ſed agendum hoc loco reſtrictius, ne ſi velut amnis effluat, & vbique ſibi viam faciat oratio, cetera quæ hic explicanda ſunt, à propria ſede longius reijciantur.

PETRVM SAEPIVS ROMA ABFVISSE, NEC MORIENTI ſolùm B. Virgini cum Paulo, ceteriſque Apoſtolis, ſed præterea cum Dionyſio Areopagita aliquando viuenti adfuiſſe.

CAPVT VNDECIMVM.

ATQVI ex hactenus dictis pro varia occaſione, ſi ritè conijcimus, toto illo tempore, quo Romanæ Sedi Petrus præfuit, ter eundem ab Vrbe abfuiſſe facilè reperiemus, niſi etiam quartum addas, quando Neronis gladio in Romanos, occaſione coniurationis conuerſo, à ſanguine Chriſtianorum aliquantum fuit temperatum. Ea namq; opportunitate vſi Petrus & Paulus, diuino conſilio, quò conflictatam tot malis Eccleſiam recrearent, vltimò ſe Romam contulerunt, ibidemque peregrinationis Orbem, cum vitæ curriculo peractum, corona martyrij concluſerunt. Primùm igitur ab Vrbe abfuit Petrus anno Chriſti quinquageſimo, Claudij octauo, quando iam rebus religionis in vado vt videbatur conſtitutis, egredi licuit ad fines Euangelij proferendos, ac tum in Hiſpaniam multis comitantibus, (vt tradit Dexter) abijſſe illum, nil vetat quin credamus. Sed cùm anno ſequenti edictum fixiſſet Claudius de Iudæis Vrbe pellendis, quod ijs inuicem altercantibus, aſſiduaque concertatione diſſidentibus, occaſione fidei Chriſti, ſæpius turbæ cierentur; audita ea fama, veriſimile eſt Petrum relictis in Hiſpania viris, quàm primùm ſeſe Vrbi reſtituiſſe, quò Chriſtianis eodem periculo inuoluendis adeſſet, eandemq; ſi ſors ferret, fortunæ aleam ſubiret. Nec ſua Petrum ſuſpicio feſellit: enimuerò meliori tempori ſeruandus, vnà cum ceteris Iudæis Chriſti fidem ſectantibus, Vrbem vertere coactus fuit, ac tum ſecundò abeſſe. Nam quod Sanctus Leo Papa [a] Petrum non ceſſiſſe Claudio, vel Neroni dicat. *Non ſic accipiendum eſt* (inquit [b] Baronius) *vt edicto cum ceteris pulſus minus illi acquieſcendū putarit, ſed potius dum Romæ manſit, illis licet inuitis Euangelium intrepidè prædicarit.* Quod equidem de Paulo quoque Meſſanæ prędicante, pro re, & tempore in pari cauſa & occaſione minimè dubitarim aſſerere. Ceterùm, non ſolùm Suetonius, [c] & Oroſius [d] ex Ioſepho, & Suetonio, Iudæos à Claudio Roma pulſos, ſed Lucas etiam Euangeliſta diſertè teſtatur, & vnà Chriſtianos, qui ex Iudęis Chriſto nomen dediſſent, Vrbe procul abire iuſſos confirmat, adeoque dum de Pauli [e] ad Corinthios receſſu agit, meminit Aquilę Pontici genere Iudæi, ſed fide Chriſtiani, quem dicit nuper veniſſe ex

Ad an. 50.

a Serm. in Natal. Apoſt.

b Ad ann.

c In Claudio cap. 25.

d Libr. 7. cap. 6

e Act. 18.

Digitized by Google

Italia cum vxore Priſcilla, *eò quòd præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Iudæos à Roma.* [f]
Metaphraſtes [f] verò tradit Petrum, cùm Roma receſſiſſet, in Africam nauigaſſe, & Carthaginenſem erexiſſe Eccleſiam, ibidemq; reliquiſſe qui vices ageret Creſcentem Diſcipulum, inde Alexandriam conceſſiſſe, erectaque Eccleſia Alexandrina, ibique Marco inſtituto Epiſcopo, ac Thebis Ruſo, Hieroſolymam profectum eſſe. Quæ ſi vera ſunt (dubitat namque Baronius, an fides ſit adhibenda Metaphraſti ſine maiorum auctoritate loquenti) quod Dexter dicit ex Hiſpanijs in Africam, & Aegyptum migraſſe Petrum, ita accipiendum erit, vt prius inde Romam reuerſus, hinc deinde exactus in Africam iter inſtituerit, vt hoc pacto non ſine auctoritate, quemadmodum putat Baronius, locutus videatur, ſi Dextrum vidit Metaphraſtes. Sed verò paucorum menſium interuallo id itineris ac rerum Petrus confecerit oportet, quem hoc ipſo anno Concilio ab Apoſtolis celebrato interfuiſſe, Lucæ teſtificatione habetur exploratum. Ergo rebus tum in Iudæa, tum in alijs Orientis regionibus per annos, qui ad obitum Claudij interceſſerunt peractis, veriſimile eſt Petrum Vrbi, Sedique ſuæ reſtitutum, eò maximè, quòd (vt ſcribit [g] Baronius) extinctum eſſet vnà cum Claudio edictum aduerſus Iudæos, ne in Vrbe agerent, promulgatum. Quamobrem Chriſtianis etiam qui ex Iudæis crediderant, in Vrbem redeundi poteſtas facta eſt, viſuſque eſt Nero, qui Claudio ſucceſſit, ipſo Imperij exordio, non duntaxat erga Iudæos propenſior, verùm in omnes omninò beneficentiſſimus, vt non fuerit mirum, ſi refixo Claudij decreto, pulſis reuertendi fecerit libertatem. Agebatur tunc annus Chriſti quinquageſimus ſextus, quo Roma penè ſuis ſedibus conuulſa, reducem Paſtorem ſuum ſuſcepit, ſteteruntque res Chriſtianæ periculis vacuæ, donec verſo Neronis ingenio poſt annos octo in ſummum diſcrimen adducerentur. Sed interim Petrus, in Principis Apoſtoli munus intentus, haud paſſus eſt reſpirantem religionem Vrbe tantum concludi, & velut in curriculi ſepta offendere: quin, ad peragrandum Orbem natus, & inſtituto ad regendum factus, iterum ſeſe exeruit ad Occidentaliũ nationum ſalutem procurandam. At tum Vrbi tertiò exemptum, Gentibuſque longè per annos vacantem, mirum non eſt ſi Paulus quarto Neronis anno, vel paulò ante Romam veniens haud offenderit, imò verò nec toto illo biennio vel amplius ibidẽ commoratis videre potuerit, quòd ipſum Ioanni Lorino [h] ex eo videtur ſatis ſimile vero, quod alioqui toto illo biennij interuallo, non tam frequens ad Paulum fuiſſet concurſus Iudæorum, qui ſe in Chriſtiana religione penè nouos, ac heſternos profiterentur.

[g] *Ad ann. 56.*

[h] *In Act. c. 28. verſ. 16.*

Nam quod Ioannes Roffenſis [i] vir duplici purpura illuſtris, contra Vlricum Velenum, qui poſt Marſilium Paduenſem plus quàm hæretica temeritate negare auſus eſt Petrum Romæ ſediſſe, ex eo quòd Lucas totius peregrinationis Paulinæ comes indiuulſus, in tam præſtanti exactaque hiſtoria, nullam eius rei mentionem induxit, qui dubio procul, ſi tunc Romæ adfuiſſet, non hoc toto biennio deſes, complicatis vt dicitur manibus, aut oſcitans ſediſſet, vel ſaltem non ſic delituiſſet, quin à Paulo vel Luca conſpici interdum, & ad loquendum moueri potuiſſet: contra hunc, inquam, Sophiſtam, quòd ita agat Roffenſis, quaſi illo tempore Romæ extitiſſe Petrum aſſerat, non alio conſilio id præſtat, quàm vt oſtendat ex ſilentio Lucæ, biennij totius acta vix compendio narrantis, haud poſſe concludi Petrum inter ceteros fratres non adfuiſſe. Enimuerò poſt multa, quæ Lucam miſiſſe animaduertit, nempè de ijs, quos ex domo Cæſaris magna ſibi neceſſitudine Paulus coniunxerat, quorum etiam nomine Philippenſes auſus eſt adſalutare: de literis, quas certum eſt Paulum ex ſuo conducto, ad varias direxiſſe Eccleſias: de eiuſdem Pauli raptu ad Prætorium, obtentaque coram Iudicibus cauſæ defenſione, cùm tamen Paulus Philippenſibus teſtetur

[f] *19. Iunij.*

[i] *In Lib. q. Petrus fuit Romæ. In reſp. ad calum. 19 in lib. Defenſor Pacis.*

ſtetur; *Vincula ſua manifeſta facta fuiſſe in toto Prætorio*, hoc eſt (vt cum Ioanne Lorino [k] interpretor) *Non coram Nerone duntaxat verùm etiam in Senatu, Collegioq́ue Pontificum*: & in ceteris omnibus, hoc eſt in defenſione, & confirmatione Euangelij, traducto per teſtium calumnias vbique Paulo, ſtimulante præſertim, quod credi poteſt Alexandro Aerario, *quem multa mala oſtendiſſe, & valde reſtitiſſe verbis ſuis* ſcribendo tantum non queritur ad Timotheum. *Et forſitan* (inquit [l] Lorinus) *venerant quoque ſub id tempus ab Hieroſolymis Legati contra Agrippam, & Romæ Poppæa Neronis concubina fautrix Iudæorum erat, nec non Aliturus Iudæus, actor mimorum, Neroni percarus, qui omnes Paulo, quod Iudæos primo congreſſu liberè & acerbè tractaſſe videri poterat, apud Imperatorem, Senatum, ceteroſq́ue ordines repugnabant.* Hæc Lorinus. Denique poſt quàm plurima alia, quorum nos alibi ſaltem ex parte meminimus, *Rectè* (inquit Roffenſis) *ſi negatiuum argumentum quicquam valeret, nihil horum aliquando fuiſſe pari efficacia conuinceremus.* Et rurſum poſt alia. *Quis iam non perſpicit* (inquit) *quàm ineptiſſimè dialecticatur Velenus, colligere molitus, Petrum nunquam Romæ fuiſſe, ex eò quòd Lucas aduentum Pauli Romam deſcribens, nullam de Petro feciſſet mentionem. Sed heus bone Velene* (pergit idem) *legiſne apud Lucam vltimo capite, quòd cùm audiſſent Fratres de Paulo, prodierunt in occurſum eius vſque ad Appij forum, ac tres tabernas. Et qui ſcis an inter iſtos fuiſſet Petrus, præſertim cùm indiſcriminatim omnes appellari fratres conſueuerunt? Sed inquies: Tum expreſſiſſet Petrum nominatim. Nihil oportet, nam & alios poſſum tibi commemorare locos, quibus ita non facit, ſed neque deinceps ad finem vſque libri cuiuſpiam alterius, præterquam vnius Pauli nomenclaturam appoſuit, cùm non ſit dubium viros egregios, & inſignes, in ea nihilominus fuiſſe multitudine*, Hæc Roffenſis. Nempe viro doctiſſimo ſatis fuit imperitam illam conſecutionem retundere, & in eiuſmodi Sophiſtis, ſugillatores etiam huius Epiſtolæ, pari clauiculo nixos, auctoritate Hieronymi, multiſq́ue alijs rationibus elidere; tametſi de cetero verum fuerit, illo ipſo tempore, quo primùm Paulus Romam venit, Petrum non adfuiſſe, quod contra nec ipſe Roffenſis, nec quiuis alius quem ſciam, iuratam aliquando tulit ſententiam. Et niſi inſcitiam duntaxat Veleni confundere cogitaſſet Roffenſis, clarius ex eiuſdemmet principijs velut propria reſte hominem potuiſſet illaqueare: nam qui ex ſilentio Lucæ, non ſolùm apocryphum voluit eſſe, ſed pluſquàm falſiſſimum, Petrum ſecundo Claudij anno Romam veniſſe, ibique viginti quinque annis Epiſcopatum tenuiſſe, non inſcitè ſolùm argumentatus eſt, ſed multa præterea implexuit, quæ ſi euoluantur, in abſonas planè, & ridiculas abeunt conſecutiones; qui enim, quæſo, eſt hic modus arguendi, qui ex ſcriptis Veleni elicitur. Hieronymo de Viris illuſtribus atteſtante Lucæ hiſtoria, vſque ad biennium Romæ commorantis Pauli peruenit, id eſt vſque ad quartum Neronis annum, ergo falſum eſt Petrum ſecundo Claudij anno Romam veniſſe: Et iterum, Lucas non meminit Petrum eo tempore, quo Paulus aduenit, Romæ fuiſſe, ergo Petrus non venit Romam ſecundo Claudij anno; Deus magne, horribilem, & nouam argutiarum congeriem! quatuordecim ante circiter annis Petrus, quàm Paulus Romam venit, ergo ſi Paulo veniente abfuit, nunquam Romæ fuit, aut quia Lucas non meminit temporis quando primùm eò venit, vel etiam quando poſtea abfuit, qui nedum res omnes à Petro geſtas proſecutus eſt, ſed multa quæ eſſent maximi ponderis (vt loquitur [m] Baronius) prætermiſit, ideo Petrus nunquã Romam vidit. Quæ iſthæc monſtra Dialectica? quanam Minerua excogitata? Sed fortaſſe ſic arguat Velenus. Lucæ hiſtoria ad quartum Neronis annum peruenit, ergo falſum eſt Petrum ſecundo Claudij anno Romam veniſſe, ibiq́ue viginti quinque annis Epiſcopatum tenuiſſe, coniuncta ſcilicet oratione, in vnius ſequelæ vim coaleſcente, quando ſi intra quin-

que

[k] In Cap. 28. Actor. verſ. 31.

[l] Ep. 2. ad Tim. c. 4.

[m] Ad an. 84.

que luſtrorum curriculum, tempus aduentus Pauli neceſſe ſit incidere; nec tamen Petri nomen pro aliquo tempore indicatur à Luca, rectè omninò queat inſerri viginti quinque annis Romæ non ſediſſe Petrum, adeóque Romam ab eodem haud viſam. Sed enim ex vno Dialecticę equuleo nunquam ita ſeſe expedit Velenus, quin continuò alijs atque alijs fidiculis teneatur; qui enim Petrum ex eo nunquam fuiſſe Romę conficiat, quia viginti quinque annos non ita cominùs exegerit, quin aliquando interruperit, quaſi tot annis Sedem Romanam tenuiſſe dici non debeat, quia toto illo tempore Vrbi affixus, velut ſpongia ſaxo non adhęſit, & non potiùs id ſpatij principatu perę quaſſe dicendus ſit, quia ſemel in arcem Imperij vexillo fidei illato, ſpeculam religionis conſtituit; vnde in Orbem Romanum proſpiceret, ac tametſi pro re nata interdum egrederetur, nunquam tamen ipſo viuo ac vidente (quod dicitur) aliquem ea proſpiciendi cura maneret, quoad coronæ deſtinatum, vigeſimo quinto poſtquam primùm appulerat anno, ſupplicium crucis in cœlū tranſmitteret.

Multis alijs vulneribus hiat argumentum Veleni, ſed hęc pauca extricare placuit potiùs, quàm exulcerare, ne ſuo tabidum veneno puteret magis, & ſatis fuit indicare Neothericis, quem Patronum haberent eiuſcemodi argumenti, quòd velut aheneum murum, vt ipſi putant, contra noſtras vindicias opponunt: *Paulus nunquam fuit Meſſanæ, quia Lucas id non ſcripſit.* Quanquam ſi identidem, & ſępius deinceps quoque pro re nata velitandum fuerit in hoc genere concertationis, non admodum mirari debet lector, nec velut ad cramben recoctam nauſeare, quando non vnica ſectione perimitur hęc Hydra, totieſque reſecta capita viciſſim enaſcuntur, quoad loca vulnerum flammatioribus facibus inurantur.

Cęterum his hactenus, quemadmodū oportet expenſis, ita omnia ſuis cohærent numeris, vt intra quadrangulum ſita videantur. Erit enim verum ſpatio temporis inter ſecundum ac tertium, inter hunc deinde & quartum ab Vrbe exceſſum intercępto, Petro Hieroſolymis moras etiam trahente (quid enim vetat virum ad regimen Eccleſiæ factum ſępius cùm oportuit eòdem reuertiſſe?) Dionyſium haud ſemel neque fortuitò in ipſum incidiſſe, ſed de induſtria cum eodem Virgini Deiparæ ſtuduiſſe, vnaque ex auguſto illo ore pendentes reſpōſa tuliſſe, rerum arcana didiciſſe, & nihilo ſecius euolutis annis excedenti ex humanis adfuiſſe, cum Apoſtolorum Choro parentaſſe, imò & deſignatorem fuiſſe. Quæ, ſi quemadmodum deducta ſunt rata ac firma habeantur (irrita certè & infirma haberi non poſſunt) neceſſe non erit Petro comitatum Meſſanam eo itinere veniſſe Paulum, vnaque deinde ad Orientis oras nauigaſſe. Quanquam ſi id factum ſit, neſcio quid tam admirandum præ ſe ferat, vt repentè teſtis aliquis exortus fidem facere auſit, fieri minimè potuiſſe, ſcilicet, quia de re adeò memoranda altum ſileant traditiones: id enim genus excipiendi quàm profligatū ſit, ex ijs, quæ de miſſis in hiſtoria Lucę diſſeruimus, ſatis oſtenſū eſt.

Quòd ſi quiſpiam fortaſſe adhuc contendat, minimè tam ambiguis viarum ductibus iactatum Petrum, ſed per ſublime liquido itinere delatum Hieroſolymis adfuiſſe, quo tempore profectionem ad cœleſtes parabat Virgo: id apud me non tantum admirabilitatis habet, dum conſequatur quod adſtruimus, quodque communis fidelium traditio loquitur, Deiparam Virginem confluentibus vndique Apoſtolis, qui tunc ſuperſtites erant, è viuis conceſſiſſe. Nam quod à Gelaſio [n] inter Apocrypha id recenſetur, à Beda [o] etiam, nonnulliſque alijs inter minus probata conijcitur; id non facit quin apud laudatos alioqui teſtes, fidem inueniat ac religionem. Narrat id inprimis Ioannes Damaſcenus [p] in paucis eximius. Admittit Breuiarium Romanum in eius feſti celebritate: quæ ſi fidem non extorquent, neq; ego totis lacertis pugno, qui ſententiam dudum ſua ſede fixi; rem duntaxat ex vſu aliorum affero, nec recen-

n Diſt. 15 Sancta Romana. et
o Sup. Act. Apoſt.
p Serm. de dorm. Deipar.

tiorem

q Ad an. 48. tiorem Biuarium [q] improbo, qui id verum ad minus autumat de illis Apoſtolis, qui longè diſsiti, tempori forſitan adeſſe non potuiſſent; quamquam à nobis eò diſſentiat, quod Apoſtolicum Senatum eo tempore, anno ſcilicet Chriſti quadrageſimo octauo, vel initio quadrageſimi noni, decernendæ duntaxat de Legalibus diſceptationis gratia conuentum feciſſe velit, & velut ex occaſione Virgineo funeri; neque tamen ſine Dei conſilio interfuiſſe. Quid enimuerò, ſi cui in mentem veniat, non ſuperſtites duntaxat Apoſtolos, verùm etiam humanis rebus iam pridem exemptos diuinitus adſtitiſſe? profectò iſte recentem fortaſſe cogitationem animo verſet, eamque ſi verbis prolatam, auribus aliorum ingerat, haud parum admirationis ſit excitaturus; vtique tamen nihil non conſentaneum Dei Genitricis honori proferat, nihil vſquequaque refugiendum; quandoquidē plura nobis quæ circa Virginem acta ſunt, clam & ſecreta eſſe conſtet, quàm palàm & aperta, idque ſi de tota vita, præcipuè tamen de fine vitæ plurimorum ſententia fatendum eſt, quò plures eſſent qui ad poſtes diuinæ ſapientiæ vigilaturi ſpe vitæ æternæ, æternæ ſapientiæ in carne Genitricem elucidarent, vt hic quoque locum habeat illud Danielis. [r] *Pertranſibunt plurimi & multiplex erit ſcientia.* Quia quemadmodum tradit Gregorius [ſ] *Per incrementa temporum creuit ſcientia ſpiritalium Patrum. Et quantò mundus ad extremitatem ducitur, tantò nobis æternæ ſcientiæ* (dicam ego & rerum circa Deiparam geſtarum) [t] *aditus largius aperitur*, etiam abſq; eo, quod intrinſecus latet. Certè ſi Petrum primum Braccarenſium Epiſcopum, ſexcentis plus minus annis antea die ſuo functum, non adeò ſolemni de cauſa Iacobus Hiſpanis in vitam reuocauit, minus ſit in dijudicando ſolers, qui cum ceteris Apoſtolis, in Genitricis honorem id Deum facere noluiſſe, vel indecens fuiſſe factu ſecum ſtatuerit, vt quemadmodum moriente in Cruce Filio [u] *multa corpora Sanctorum qui dormierant ſurrexerunt; ad denotandum* (inquit Lyranus) *quod reſurrectio Chriſti propinqua erat*; ita denaſcente Matre, Apoſtolorum ſaltem qui dormierant corpora reſurgerent, ſacrumque Virginis corpus iterum puriſſimo nectendum ſpiritui, proximeque cœlo recipiendum deſignarent. Narrat eam de Petro Braccarenſi hiſtoriam Biuarius, [x] eundemque ex laudatis auctoribus filium fuiſſe Prophetæ Vriæ, cuius meminit Hieremias, [y] Prophetam & ipſum, qui dictus ſit Samuel vel Malachias iunior, miſſus olim cum duodecim tribubus à Nabuchodonozor in Hiſpaniam, duce Nabuchzardam vel Pyrrho Hiſpanorum Præfecto. Sed hæc incidenter.

r Cap. 12.
ſ Hom. 16 in Ezech.
t Cant. 4.
u Matth. cap. 27.
x Ad an. 37.
y Cap. 26.

Ceterùm quod ad reliquum argumenti ſpectat, vtrumque Apoſtolorum Principem, ab Orbis capite, eodem abfuiſſe tempore, adeoque ad ſacrum Virginis funus honeſtandum, neceſſarium iter ſuſcepiſſe, qui ob Romanas curas negare velit, næ ille hiſtoriarum eſt expers, & de diuina diſpoſitione parum conſentaneè iudicans. Quid enim aut diſcriminis accedere poterat Chriſtianæ rei, aut vtilitatis decedere ſi conſtituta Romæ Religionis Prouincia per Viros lectiſſimos, pietati quoque ac Dei Genitricis venerationi proſpectum eſſet exterius, vnde non parum pendebat religio: vel certè nūquam Roma exceſſiſſe credēdus eſt Petrus, ne quando negotium Euangelicum dubiæ committeret aleæ, aut forte extra Vrbem Sacrorum Pontifex minimè crederetur, quaſi Conſul Romanus haud ſit qui extra fines Romanos Reipublicæ cauſa agat. Rectè verò Baronius, [z] *Neminem* (inquit) *adeò rudem putamus, vt cùm dictum ſit Petrum ſediſſe Antiochiæ annis ſeptem.* (*tot enim numerantur ab eius inſtitutione vſque ad Romanam firmiter ſtabilitam*) *nunquam velit per illud ſpatium temporis Antiochia receſſiſſe, ſicut cùm fertur eundem ſediſſe Romæ annis viginti quinque, nunquam eo tempore aliò profectum eſſe contendat. Nam cui non tantum vnius Ciuitatis, ſed totius Orbis onus incumbebat, ac ſolicitudo ſimul vrgebat, quique omnibus proſpicere*

z Ad an. [illegible]

omnes

Digitized by Google

omnes ſi poſſet inuiſere, inſtituere, monere, hortari, ac denique vniuerſum gregem ſibi creditum paſcere tenebatur, quonam pacto illis præſertim temporibus, cùm fides Catholica, à Gentilibus ac Iudæis vbique vexaretur, vnius Ciuitatis licet ampliſſimæ valuit anguſtijs contineri, & non potiùs quod ab eo factum ex Luca vidimus, circuiens omnes regiones vniuerſas adiret Eccleſias. Hæc Baronius.

At ego fortaſſe imprudẽs huc videar relapſus, quod eneruatã iam ſemel aduerſam rationem, iterum hoc loco, & hoc argumento premam validius, quod præſtare debebam ſuperius: nihil tamen actum extra lineam. Enimuerò ſi apud Petrum tantũ potuit Eccleſiæ cauſa, non tam periclitantis, quàm illo tempore aſſurgentis, quantum valere debuit dignitas Virginis Matris [a] *Quam Chriſtus ipſe caput Eccleſiæ ſuo ſanguine redempta, plus longè cæteris Sanctis, pluſquam reliquam ſine ipſa dilexit Eccleſiam*, ex qua & ſanguinem ſuſcepit, quẽ pro vniuerſa Eccleſia pretium redemptionis exhiberet, *& ab ipſa plus ceteris Sanctis vel vnà diligentibus diligebatur Deus, & quidem eo caritatis actu, quem ne mors quidem valuit interrumpere; Sed quid mirum* (dixit quidam [b]) *ſi præ omnibus dilexit, quæ præ omnibus eſt dilecta.*

a Suar. in 3. part. q. 37. art. 4. diſput. 18. ſect. 4.

b S. Bonauë. in ſpec. mari. c. 6.

B. VIRGINEM CONCILIO LEGALI SVPERVIXISSE, *nec in anno ætatis climacterico ſexageſimo tertio vita conceſſiſſe.*

CAPVT DVODECIMVM.

IAM quòd Concilij tempore ceu ſacratiores deſignantur Virginis exequię, vereor ne id pro rei ſpecie magnificè magis dicatur, quàm verè, quando tam neceſſarijs Comitijs Paulum ſine cauſa exemptũ eſſe oportebit, adeſſe certè non potuit, qui poſt annos quatuordecim Hieroſolymam aſſumpto cum Barnaba etiam Tito conceſſit; [c] niſi non iam quadrageſimo octauo, aut initio quadrageſimi noni, quod vult Onophrius [d] alijque huius ſentẽtiæ laudatores, ſed quinquageſimo primo Chriſti anno, quod contendit Baronius, indicta illa Synodus adnotetur; quippe quatuordecim poſt conuerſionem anni, quos numerat Paulus à trigeſimo ſexto Chriſti anno, ſi completi ducantur, quinquageſimum primum attingunt, vel etiam in ipſum recidunt non ineptè. Verùm enim ſi Paulus *ſecundùm reuelationem* (vt ipſe de ſe teſtatur) *Hieroſolymam aſcendit, contulitque cum illis Euangelium quod prædicabat Gentibus, ſeorſum autem ijs qui videbantur aliquid eſſe, ne forte in vacuum curreret, aut cucurriſſet*, abeſſe Concilio non debuit, magna alioqui pars Apoſtolici Senatus, quo ſine vel penderent ſententiæ, vel cuius ſolius cauſa rerum ſummæ prorogarentur. Quod ſi demum tempori adfuit, neque tamen adeſſe potuit, niſi vel quinquageſimo primo, vel ad minus anno quinquageſimo, ne non rectè quatuordecim numerentur anni poſt quos aſcendit: actum erit de tribus ac ſexaginta Virgineæ ætatis annis, minimumque duobus aucti in quintum præter ſexageſimum excreſcant neceſſe eſt; cur verò nõ vlterius proferantur? licet ſanè. Sed illis hoc etiã limite reſtrictis, quicquid myſterij in ſexaginta tribus annis prętẽdebatur, euaneſcit.

c Ad Gal. cap. 2

d In Chronico.

Quamquam non hoc tantum argumento vertitur ea religio, nam ſi numerorum myſteria, vel non adeò Pythagoricè digeramus, ſacra cenſebitur opinio quæ Virginis ætatem vno ſuper octuaginta anno circumſcripſit, quòd nimirùm nouem in ſe ductis, eiuſcemodi prodit calculus nouem menſium, quibus Virgo Deum vtero tulit myſterio inſignis; menſes autem ſolares in myſticis directionibus interdum pro

Digitized by Google

annis computari, ſicut dies pro menſibus, horas pro diebus, vel elementarij norunt Chaldæorum ſectatores. Eadem verò quadrata radix, ſi in articulum ducatur, qui decimi menſis participati eſt nota, nonagenarius exit numerus, perbellè puta ad votum eorum, qui quondam nonaginta annis curriculum Virginis definiuerunt. Mitto complura, ne otioſus videar, ſi vel ad cubicos apices, vel ad Petoſyridis arcana rationes adaptentur. Vſque adeò nihil non myſterij elicias ex numeris, nihil non numeri affingas ad myſteria, vt planè ariolari videaris, ne dicam ad ſacra Marcianorum & Colarbaſeorum apud Irenæū [e] accedere. At enim ſeptuaginta quinque anni cum reſiduo ſexti, quem calculum ad rem noſtram adſciſcimus, quamquam elementa queant eſſe coniectoribus, ad multa verè an falſo diuinanda, quamquam etiam cùm numerus finitus plerunque teſte Auguſtino [f] ponatur in ſacris literis pro infinito, nō ſolæ temporum quæſtiones numeris ſoluantur, ſed latius pateant ſignificationes eorum, & in multa proſerpant: vbi tamen rei quæ verè fuit, & non figuratè tantum geſta eſt, ſimilis aliquando, ſed digniore quodam ſymbolo reſpondeat euentus; hunc ab illa typicè ſignificatum, quin dicamus nihil vetat; vt quemadmodum ſerpens in deſerto verè exaltatus, typus fuit eleuandi in Cruce Saluatoris (hic enim modò nō refert alia cōparatione antitypum nuncupare) ita egreſſus Abrami de terra Charan, dum annos ageret quinque præter ſeptuaginta, egredientis extra finem mortalium Dei Genitricis deſignet tempus, idque eò magis ſi tropologicè vertatur ſermo, nec ſecus ac in coniunctione Adami cum Eua [g] *Sacramentum magnum ſed in Chriſto & Eccleſia*, ita in Abram egrediente myſterium haud paruum, ſed in MARIA ex humanis ad ſuperna concedente ſit adumbratum. Quo loco & illud dignitatem habet, non antè, quàm egrederetur Abram, patrem fuiſſe conſtitutum multitudinis, commutatoque nomine appellatum Abraham: prorſus enim & Beata Virgo *Mater quidem & Domina rerum* (vt Anſelmus [h] loquitur) *ſuis meritis cuncta reparando pridem effecta*, ſed tunc demum in beatitudinem introducta, nouæ prærogatiuæ titulo, aduocata generis humani, atque adeò bis Mater omnium eſt conſtituta. Nam ſi forſaſſe in eo hæc noſtra deficiat comparatio, quòd vno propè anno exacta Virginis ætas in ſeptuageſimum ſextum prouehatur; inprimis *non eadem* (inquit [i] Hieronymus) *Hiſtoria lex & Tropologia, quæ cum libera ſit, & in copulandis rebus multum inter ſe contrarijs violenta, dummodò pietatem, intelligentiæ, ſermoniſq; cōtextum ſequatur, ſuis legibus eſt circumſcripta*; quāto magis ſi verſetur in rebus quales noſtræ ſunt, perquàm ſimillimis: deinde ſi Auguſtino [k] credimus, *diuina ſcriptura ſolet tempora ita nuncupare, vt quod de ſumma perfectioris numeri paulùm excreſcit, aut infra eſt, non computetur*, quò proinde nihil admodum comparationi demat, excreſcens ille Virginis, nec tamen ſolidus annus, præſertim ſi altioris quoque myſterij ſit index, quod in præſens inſtitutum conuenire, abundè hactenus affirmatum eſt.

Illa porrò de anno climacterico leuis admodum coniectura, ſi vniuerſim procliuis eſt ad fallendum, ad deſignandū certè Beatæ Virginis obitum rata eſſe non debet, neque apud ſuos coniectores firma. Finge enimuerò, parem eſſe mortalium conditionem, decretiſq; in natura cauſis omnes agi ad mortem, ſed certis temporū periodis fatalē imminere neceſſitatem, morboſq; venire vitæ exactores: id verò ſi ita eſt, cùm nulla ætas funere tranſeat immunis, omniq; die, vt quidā [l] ait, *Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regumq; turres*: non iam duntaxat ſexageſimus tertius, ſed quilibet alius annus, viris præcipuis habendus eſt climactericus, cur verò non etiam alijs ſi par conditio mortalium? E diuerſo tamen, re cum religione conſiderata, nullus Virgini potuit eſſe ſanctor mortis annus, quando ſacrum eius corpus in hominum ſpecie longè auguſtum, eam etiam humorum obtinuit temperiem,

cum

---

[e] Libro 1. aduerſ. Hæreſ. à c. 8.

[f] Lib. 3. de doct. Chriſt. cap. 35.

[g] Ad Eph. 5.

[h] Libr. de Cōcept. Virg. cap. 18.

[i] In cap. 1. Abacuc.

[k] Quæſt. 47. ſuper Exod.

[l] Horat.

Digitized by Google

cum eximia animi moderatione coniunctam, vt vim veri cuiuſuis morbi nunquam perſenſerit, & quemadmodum loquitur Sophronius [m] ***Ab omni contagione fuerit liuerum, carnem habens immaculatam & puriſſimam***; idemque coniectura ſupra opinionem, ex ſimilitudine cum Chriſti corpore ceu gemino, doctè vt ſolet deducit Suarius, [n] verſatque fundamenta quorundam ex parte pugnantia. Illa igitur Virginei corporis conſtitutio, nulla conflictata intemperie, ſed (quod medici fortaſſe in quæſtionem vocent) ad pondus (vt dicitur) exacta, eiuſcemodi certè fuit, quæ ſeculares promitteret annos, à morborum vi longè immunes, quando religione quadam ac veneratione artuum nunquam noxæ datorum, mors ipſa longè circuibat, nec niſi ob naturæ conditionem, & deſiderio videndi in gloria Patris Nati, accerſita potiùs, quàm iure mancipij vſa, tantum à longe ſalutauit, aculeos certè per infirmitatum genera conſuetos non exeruit; quò iam non tam annus ille excedenti Virgini, quàm exceſſus votis ardentibus, facta diuinitus poteſtate obtentus, morti ipſi dici queat climactericus, vt hac etiam in parte non longè ſit nato diſſimilis, qui quo tempore voluit, citra climactericam periodum, animam ſuam in manus Patris depoſuit. Abſit enimuerò neſcio cuius Bonati temerariam probare, ſententiam dicam an inſaniam, Crucis nempe ſupplicium Filio Dei, cœlorum conſtellatione, planetarumq; poſitu fuiſſe deſignatum: quæ iſthæc dementia? vt nil referam de imperitia, qua nec ſobriè, nec ad regulas artis, abſonam ſine elementis, vt alio opere oſtendemus, deduxit conſecutionem.

Sed verò demus & hoc gratis, ac ſaltem in gratiam vulgi, aliquid in Virginem potuiſſe vim, & affectionem climactericam: periculoſus ſit fortaſſe tertius ſuper ſexies denos annus Mercurio cum Marte & Saturno malignè ſociato, vt non immeritò Caium nepotem, lętum natalis ſui diem celebrare voluerit Auguſtus, quod annum ſenibus aduerſum in multis eluctatus fuiſſet; longè tamen habetur iniquior quinquageſimus ſextus, iiſdem ferè planetis, Luna duntaxat Mercurio ſubrogata aurigantibus, idemque in domum mortis (vt ſuis terminis loqui liceat) incidens, eoq; dictus climactericus Heroicus, quod principibus in omni genere Viris ſit funeſtus, paucis exemplo nouiſſimo placabilis. Licebit igitur in hunc ipſum annum conijcere tranſitum Virginis, & fortaſſe propius è re, & conſilio, ſi vim periodicam attendas, ſi funera virorum inſignium, ſi huiuſce anni cœlum terræ aduerſatum intelligas; certè ſi nemo hactenus in hanc ſententiam conceſſit, fortaſſe quia nemini venit in mentem. Quin imò licebit & quadrageſimum nonum, in calculum adducere, quem plerique nedum noxio Martis ac Saturni conſortio, verùm etiam ex vendicato ſuper Saturni vices dominio, mortalibus putant plus æquo infenſum ac formidoloſum; ac tum locum merebitur illa iam ſuperius de quadrageſimo nono anno profligata opinio. Denique licebit octuageſimum primum annum, planè vt Deum terminum præfigere, quæ Solis ac Lunæ ſociatis inceſſibus, ſed principatu Martis coërcitis, vetuſtis omnibus exitio ferè ſemper notabilis apparuit, vt perraró, vel ſine fine vitæ, vel fortunarum diſpendio crederent tranſmittendum, eò cummaximè, quod non iam ſeptenario duntaxat verùm nouenario in ſe reuoluto, qui quà proximus poſt octauum mortis ſigniferum, criticus eſt, nec radijs ſolum planetarum oppoſitis quemadmodum ſeptenarius, ſed maiori quadam, & penè arcana, & ignara vi, quod ſummum eſt, poſſit in humana vita. Igitur non abs re illi quorum ſupra meminimus, ſed quæſitiſſimis rationibus, tot annorum ſuperſtitem fecere Virginem, quando hoc eodem anno plures comperti claritudinis viri, Plato, Diogenes Cynicus, Heracleotes, Eratoſtenes Geometra, mortalitatem expleuerunt, vt mittam alios, vel ſi Chriſtiana ſecula ſpectemus, quorum nomina diarijs Eccleſiarum ſunt conſecrata.

[m] *In Epiſt. Synod: qua habetur in 6. Synod. Act. 11.*

[n] *In 3. par q. 27. diſp. 3. ſect. 2.*

Digitized by Google

Ex quibus omnibus illud demum peraptè conſequitur, nihil à nobis circa ætatem Virginis aduerti ac ſtatui, quod quamquam climactericorum nugas prætereat, non tamen ſolidis rationibus in vado conſiſtat.

Ceterùm mos ille, qui in recitandis Virgini coronis, trium ac ſexaginta annorum præcepit religionem, parum omninò roboris ſufficit argumento, ſi quod alioqui nō paucos fallit, veriſimilia diſcernantur à veris. Ita enim fieri conſueuit, vt ignoratis rerum proprijs cauſis, ſi veriſimiles in promptu ſint, libenter eas affingamus, quando præſertim non magni refert ad veritatem, habetque ſpeciem quandam ad fouendam vel inducendam pietatem. Abſtineo exemplis quæ alibi patentiore campo recurrent. Hic dũtaxat illud aio, religionem illam de ſexaginta tribus annis, ſerto precario accommodatis, pio primùm errore valuiſſe apud vulgus, deinde ſenſim apud alios, quibus vt dicebam curæ non erat, in re alioqui non incauta ſubtilius indagare veritatem. Etenim modus ille iſtiuſmodi recitationis ab ipſa Virgine Deipara myſterium ſumpſit atque initium, ob ſeptena videlicet illa gaudia, quæ quondam Virginei cordis ſinus mirificè perfuderunt, dum Vnigenitum Dei, ſuumque Flium concepiſſet, dum eundem vtero geſſiſſet, mox Eliſabeth inuiſiſſet, deinde natum edidiſſet, paulò poſt à Magis agnitum vidiſſet, iterum ſecundùm infantiam in Templo diſputantem inueniſſet, abhinc poſt exantlatos Crucis, & mortis labores rediuiuum conſpexiſſet, denique tranſmiſſa mortalitate ſemetipſam ſuper Choros Angelorum euectam fuiſſet admirata. Quæ omnia cùm in vtilitatem hominum quàm maximè redundarēt, decuit in ijs recolendis perpetua gratitudine Virginis officia meritaque commendare. Atque hæc ſeptena gaudia, ſeptenis ſignantur Dominicis orationibus, quibus ſenæ decades Angelicarum intercurrunt ſalutationum, ita tamen vt trinæ adhuc poſtremùm ſalutiones, extrema claudantur oratione Dominica, quatenus eo modo ter ac ſexageſies iterata ea ſalutatione, corona Virginis integra pertexeretur. Quod demum pietatis obſequium, poſteris agumento fuit, in eo numero Virginis ætatem ſignari, neglecta (quod minus oportuit) cogitatione de ſeptenis orationibus Dominicis, in quibus myſterium præcipuè vertebatur; in quam cogitationem ſi animum intendiſſent, dubio procul prędictos annos Virgini nō affinxiſſent, vel ſi ad ſpeciem fingere libuiſſet, ob ſeptenas orationes Dominicas, potiùs in ſeptuageſimum, tametſi gratis, protuliſſent. Narrat verò eam de corona hiſtoriam Pelbartus ° Temeſuarienſis (ex quo alij) in Stellario Virginis, quod ante centum quinquaginta plus minus annos Sixto IV. eiuſdem Ordinis dicauit, vnaque recenſet occaſionem, qua pientiſſima Virgo inflexis (vt ſolet) ad miſerendum oculis, cuidam ex eodem ordine exceſſum meditanti, quòd quam è floribus texere coronā, eademq; ſacrū Virginis caput quotidiè redimire antea cōſueuiſſet, poſt ſuſceptū inſtitutū, alijs ex præſcripto intendere iuſſo, tam pium munus obire non vacaret; benignè ſe videndam exhibuit, męſtumque conſolata, eam de qua diximus in poſterum coronæ texendæ ſibi perquàm gratæ formam edocuit, ac ſimul exempta inconſtantia, fluctuantis animum in ſanctiori propoſito confirmauit.

° *Libro 2. part. 2. artic. 3.*

Ex quo demum illud manifeſtè liquet, recentiorem eſſe eiuſcemodi coronę vſum, quàm vt antiquioris traditionis fidem arroget, reique tot opinionibus dubitatæ certitudinem aliquam afferat: & tantum inuento Virginis, hominum acceſſiſſe coniecturam, quod in eo duntaxat ſalutationum Angelicarum numero, myſterium ineſſe crederent, ad alia non intenti Quamquam pius error veniam inde quoque mereatur, quod in numeris annorum, non in rebus ipſis euariet, ſimili alioqui multorum in plerisque ſed tolerando lapſu, pietati non inſenſo. Ita enimuerò cùm certum ſit apud omnes, Filium Dei feria ſexta ſalutis myſterium in Cruce peregiſſe, neque tamen

men conſtet apud pleroſq́;, cuius illa menſis primi an ſecundi, cuius item dies hebdomadæ fuerit; eam inquam ob cauſam ſingulæ præſertim Martianæ (nam nonnullis etiam Aprilianæ) feriæ ſextæ Catholicis, idque cùm maximè Italis peculiari quadam religione cenſentur ſacræ. Mitto complura, ne in manifeſtis videar exundare; in quibus etſi non neceſſaria ſint ad veritatem momenta, ſpectatis non tam rebus ipſis, quàm quæ cum rebus ſunt coniuncta; nullũ tamen inde pietas aut religio facit detrimentum, vt ſuo loco pluribus euincemus. Nunc alia quæ pendent obiecta, ſed capite ſequenti expediamus.

MARIAM MAGDALENAM ANTE OBITVM B. VIRGINIS Hieroſolymis, ipſaque Iudæa conceſſiſſe: Ex vltimo Dionyſij acceſſu, rectè iterum aſſertam Virginis ætatem definiri.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

TOt ſunt primi argumenti, quod iam tribus capitibus agitamus, velut continuò quædam enaſcentes fibræ, vt niſi princeps vena præcidatur, filum ex filo mittens, rationum exitum præcludat, legentis animum fatiget, legendi remittat voluptatem. Id verò ne committatur, lubet hoc poſtremo de hac re capite, non quidem principem venam præcidere, ſed velut ligamine à reliqua ſui parte, ſine vitio ſanguinis interceptam iterum coërcere.

Illa igitur Mariæ Magdalenæ anno Chriſti quadrageſimo octauo, è Iudæa cum ceteris migratio, ne coniecturis quidem vero ſimilibus locum relinquet, ſi ex ea pendatur Deiparæ Virginis in cœlum tranſcriptio. Quomodo enim etiam in Apoſtolos non redundauit, ſi quæ fuit religionis cauſa tunc temporis perſecutio; qui tamen poteſtate penè manifeſta Chriſti cauſam publicis Comitijs extulerant, liberaque prædicatione perinde in Gentes ac indigenas, Euangelio viam patentiorem muniuerunt? Vel certè ſi non eodem, ſed proximè conſequenti anno Concilium illud actum; qui poterant gliſcentibus recenti Phariſæorum factione rebus, in eam Vrbem conuenire, vbi trepidatum ſit magis, quàm religioni proſpectum, & ſatagendum potiùs fuerit pro conſeruando Euangelio, quàm leges fortaſſe non admodum neceſſariæ de legalibus decernendæ ac figendæ? qui non ea rerum perturbatio pariter inuoluit Iacobum fratrem Domini, qui pridem, hoc eſt, anno trigeſimo quarto Chriſti, Hieroſolymis Epiſcopus [a] à Petro datus, nunquam inde ſua meſſe diſtentus pedem extulit; imò fixit, naſcentiſque ſuæ germen Eccleſiæ, in adoleſcentiam & fidei florem in illo etiam rerum turbine prouexit, quando (ſi Hilario [b] credimus) *hoc habet proprium Eccleſia Chriſtiana, vt dum perſecutionem patitur floreat, dum opprimitur creſcat, dum læditur vincat, tunc ſtet cùm ſuperari videatur*; an perſecutionis gladius in membra duntaxat deſæuiat, non iugulum petat cùm poſſit, non in caput ſe conuertat, non Epiſcopum feriat?

Sed enim ſi Baronio [c] credimus, Magdalena cum ſuo comitatu illa ipſa perſecutionis flamma, quæ à nece Stephani Chriſtianos omnes populari cœpit, ſolùm vertere coacta, Virginis quoque conuerſatione ſibi interdixit, neceſſitate vſa cùm eſſet exſpes diuturnioris commorationis, proinde nec ſupremis in eam officijs adeſſe potuit, quantumuis dies inter mortales Virgini eximus, gratis cenſeatur quadrageſimus & octauus. Quod equidem Baronij commune cum alijs placitum, ita complector,

a *Chryſoſt. Hom. 25. in Ioan.*
b *Libr. 7. de Trinit.*
c *Ad ann. 35.*

ctor, vt neque à Flauij Dextri, quem ſemper in partibus habeo ſententia diuellar, verumq; exiſtimem Magdalenam & comites anno quadrageſimo octauo, ſeu quemadmodum Equilinus [d] amat, decimo quarto à paſſione Domini tranſacto, exarmato nauigio impoſitos, & circumciſis inſtrumentis, certo quidem maris periculo, ſed certiori Numinis prouidentiæ concreditos, Maſſilienſem tandem tenuiſſe portum: eoſdem tamen longè ante, incaleſcente ſcilicet à ſanguine Stephani perſecutione, Hieroſolymis cum multis alijs exactos, in Palæſtinam migraſſe, nec certis vſquequaque ſedibus, vitam duxiſſe Chriſtianis exulibus dignam, ſuper virtutem perſecutorum, rerum quoque & locorum difficultates eluctatos. Neque tamen interea temporis quoad Iudæam nauigando verterent, putandum eſt nunquam Magdalenæ viſam fuiſſe Deiparam ſui cordis pro Chriſto ſolatiũ, quando & Epheſum in Aſiam [e] cum Ioanne & Iacobo maiore proficiſcenti, ipſa quoque cum fratre & ſorore comes, & inde etiam redeunti itinere non modico redux fuit; quamquam fortaſſe Hieroſolymam repetere conſilium haud inceſſerit, ſed duntaxat deducta Nazarethum Virgine, inaugurationi ædis ſacræ, in qua Verbum caro factum eſt, intereſſe. Quin etiã credas illo ipſo temporis interuallo ſat longo, non ſemel & Magdalenam religionis obſequium, & viciſſim Deiparam Virginem pietatis officium de more mutuis epiſtolis inuicem impendiſſe. Nihil ſanè in hac ſententia poteſt eſſe adeò vel dubium, vel controuerſum, quod, ſi teſtes deſideret, rationibus haud firmetur. Obruto ſiquidem lapidibus Stephano prothomartyre, quemadmodũ narrat Dexter, [f] in ea perſecutione quæ in Iudæa rei Chriſtianæ vaſtitatem minabatur, pluſquam quindecim mille viri, iam Chriſto deuoti, alij quidem in Aſiam, alij in Europam abiere: quid mirum ſi hoc eodem diſcrimine Magdalena quoque cenſita, ſed Hieroſolymis primùm exacta, non omninò tunc temporis etiam è Iudęa ſit proſcripta, quemadmodum nec ceteri omnes vnà, ſed non pauci per interualla ac ſpiramenta temporum huc illuc terra marique dilapſi, quamdiu licuit impetum perſecutorum retardarunt. Nam quod Baronius eodem anno Magdalenam comiteſque non Hieroſolymis duntaxat, verùm etiam è tota Iudæa velit exceſſiſſe, non quid re ipſa factum, ſed quid furori aduerſantium fuerit conſentaneum videtur cogitaſſe, alioqui cum Deipara Virgine profectam in Aſiam, Dexter [g] alijque minus rectè memorarent.

Itaque Magdalenam illo quidem initio perſecutionis pulſam Hieroſolymis, neq; tamen continuò conceſſiſſe in Gallias, ſatis antiquum erit conſideranti, eius nauigationis alea Ioſephum quoque Arimathæum fuiſſe cenſitum, ac multò magis primi diſcriminis additum ſocium, quando ob impenſum Saluatori funeris officium, ſepultos impietate Iudæorum animos in ſuam prope perniciem excitauit. Narrat rem geſtam Gregorius [h] Turonenſis ex actis Pilati ad Tiberium miſſis, his verbis. *Apprehenſus & Ioſeph, qui eum aromatibus conditum, in ſuo monumento recondidit, in cellam includitur, & ab ipſis Sacerdotum Principibus cuſtoditur, maiorem in eum habentes ſæuitiam (vt geſta Pilati ad Tiberium tranſmiſſa referunt) quàm in ipſum Dominum, cùm ille à militibus, hic à Sacerdotibus cuſtodiretur. Sed reſurgente Domino cuſtodibus viſione Angelica territis, cùm non inueniretur in tumulo: nocte parietes de cellula in qua Ioſeph tenebatur, ſuſpenduntur in ſublimi, ipſe verò de cuſtodia abſoluente Domino liberatur, parietibus reſtitutis in locum ſuum. Cumque Pontifices militibus exprobrarent, & ſanctum corpus ab eiſdem inſtanter requirerent, dicunt eis milites. Reddite vos Ioſeph, & nos reddemus Chriſtum: ſed vt verum agnoſcimus, neque vos benefactorem Dei, neque nos Filium Dei reddere nunc valemus. Tunc illis confuſis milites ſub hac excuſatione liberantur.* Hæc ille. Diſſentit verò in hac hiſtoria Petrus [i] de Natalibus, cùm referat Ioſephum à Iudæis muro fuiſſe incluſum, vt fame ac tenebris perniciem ſibi faceret,

ſed

[d] Libr. 6. cap. 124.

[e] Dexter. ad an. 42.

[f] Ad ann. 35.

[g] Ad an. 58.

[h] Libro 1. cap. 21.

[i] Libro 4. cap. 2.

Digitized by Google

ſed cęlitus altum, ac colluſtratũm delituiſſe, quoad verſis à Tito Veſpaſiano Hieroſolymis, muro excluſus eidem ſe permiſit, ſibique reſtitutus ſuperſtes malorum cum diſcipulis ſuis vſque ad ſupremum diem tranquillam vitam duxit. Meritò tamen huiuſmodi narratio [k] viris ſenſatis improbatur, ceu nullo alio vetuſtiore patrono laudata, cùm è diuerſo Gregorius Turonenſis, & ipſe ſua valeat antiquitate, & ex actis Pilati ſuffragium ferat, iam penes aures, & ora ſapientum exploratum. Nam quod Nicephorus [l] inter Apocrypha videatur recenſere, non vtique de illis actis accipi iure debet, quæ probantur Gregorio, ſed quæ ex libro Nicodemi [m] cuiuſdam promanarunt in vulgus, vel quæ à Quartadecimanis [n] Hæreticis, ſimulata veri conſcientia Chriſtianis ſunt ingeſta, vel quæ denique [o] à Maximino Tyranno aris, & focis Chriſti infenſiſſimo, differta mendacijs prorepſerunt. Quandoquidem illa quæ apud Gregorium Turonenſem locum inuenerunt, etiam apud [p] Baronium nomen habent & auctoritatem, vel hoc vno ſecreta à falſis, & ſupra conditionem mendacij repoſita: neque ſolùm, ſed antiquior Baronio Sixtus [q] Senenſis ex Actis Pilati, de quibus etiam loquitur Euſebius, [r] exemplũ epiſtolæ ad Tiberium datæ, teſtatur à ſe in vetuſtis Bibliothecæ Vaticanæ monumentis repertum, idemque legentibus tradidit exſcriptum, & ex eo Daniel [ſ] Mallonius in ſui operis tranſtulit ornamentum. Et quamquam in hiſce actis, quod de Ioſepho Arimathęo narramus, minimè inſerta videamus, nõ ideò Gregoriũ noxæ fraudiſuè poſtulabimus, quando quæ ab alijs traduntur de relatione Pilati Romam miſſa, reſtricta ſint, & ab ea ſcribendi forma ſuccifa, vt perijſſe videantur; vtique tamen ab ijs, quæ aliunde intulit Gregorius minimè ſeiuncta, ſed planè ad augendam fidem eorum quæ de Chriſto ad Tiberium mittebat Pilatus perneceſſaria. Errat verò Scholiaſtes [t] Gregorij, dum hæc eadẽ à Gelaſio cenſoriè præſtricta fuiſſe velit, tanquam ſub fuco internata veritati. Nihil enimuerò de his actis ſuo decreto cenſuit Gelaſius, [u] quin potiùs penes alibi dicta à nobis, ſi reticuit, quà proximũm firmauit, infirmare certè non potuit, *Cùm* (vt inquit Baronius [x]) *conſueuiſſe Præſides Prouinciarum res magni momenti, quæ contigiſſent in Prouincijs ad Imperatores ſcribere, mille exemplis ſit exploratiſſimum*, atque etiam conſtet ex Tertulliano [y] Tiberium Imperatorem, cùm de miraculis Chriſti ex Syria audiuiſſet, certior nempe factus [z] à Pilato, detuliſſe ad Senatum cum prærogatiua ſui ſuffragij, vt Chriſtus inter diuos Romanorum accenſeretur, abnuenteq; Senatu perſtitiſſe in ſententia, comminatum etiam pericula ſi qui Chriſtianos criminis poſtulaſſet.

[k] *Biua. ad ann. 48.*
[l] *Libro 1. cap. 10. & lib. 7. c. 20.*
[m] *Scholiaſt Greg. Turõ in cap. 21. lib. 1.*
[n] *Epiphan. in pan. hereſ. 50.*
[o] *Euſeb. l. 9. cap. 4.*
[p] *Ad ann. 34.*
[q] *Libro 2. Bib. V. Pontius Pilat.*
[r] *Libro 2. Hiſt.*
[ſ] *De Stigmat. Chriſti cap. 10.*
[t] *Ad cap. 21. lib. 1.*
[u] *Diſt. 15. Sancta Romana.*
[x] *Ad ann. 34.*
[y] *In Apologet. cap. 5. & 21.*
[z] *Sixt. Senenſ. l. 2. Bibl.*

Ceterùm quod huc ſpectat, non temerè quiſpiam ex ijs quæ narrat Turonenſis reuincat, Ioſephum pridem ante peremptum ſaxis Stephanum, Iudæis inuiſum Vrbe ceſſiſſe, qui tamen cùm non ante quadrageſimum octauum Chriſti annum, Magdalenæ comes periculoſæ nauigationis aſcitus ſit, eam quoque ambigentem patriam ac declinantem pluribus annis in Palæſtina conſtitiſſe, manifeſto declarat argumento. Demũ verò ſi nõ omninò aperta recens perſecutione, priſtinis tamen odijs nondum ſopitis, quin verò de facili recrudeſcentibus quadrageſimo octauo anno, cum Lazaro, Martha Marcella pediſſequa, Maximino diſcipulo, addito etiam, ſi Petro de Natalibus credas Celidonio, vel ſi is ſit Cedonius, ab vtero cæco, illi diſcrimini vaſti maris commiſſos, de quo iam ſupra narrauimus, diuino ductu nauaſſe ſalutem, & eluctatos pericula Maſſilienſibus primum accidiſſe. Quo loco in mentem mihi venit, cùm Ioſephus Arimathæus Gallis primùm condonatus ſit, deinde verò à Philippo Apoſtolo, qui teſte Iſidoro [a] Gallis etiam Euangelium prædicauit, ad Britannos tertio ſuper ſexageſimum Chriſti anno fide [b] proborum, ſit miſſus, ibidemque poſt religionis curam vita functus: non parum illudi fidei Petri de Natalibus quod contendat

[a] *De Patrib. Nou. cap. 74.*
[b] *Ioã Capgrauius in Catalogo. Nic. Harpſfeld in Hiſtor. Angl. cap. 1 in ſex prima ſecula.*

eundem

eundem ab excidio Hieroſolymorum, vitam cum diſcipulis duxiſſe pacis ac otij diuitem, niſi etiam velit poſt interualla temporum ſub Britannico cœlo id ſibi vitæ genus impetraſſe. Verùm hæc extra tabulam.

Auget verò dictorum fidem, hoc eſt Magdalenam cum ſuo comitatu, quadrageſimo octauo Chriſti anno è Iudæa dimouiſſe, quod hoc ipſo [c] tempore Iudæi obtento à Claudio ſacræ Stolæ ſeruandæ iure, in gratiam præſertim Herodis Regis, & Ariſtobuli iunioris, qui tum fortè Romæ apud Claudium agebat, & poſtulata Legatorum promouebat, omnia ſua ſtudia eò conuerterunt, quò Claudio ſicubi res ferret placerent, quem cùm iam infenſo in Chriſtianos animo perſenſiſſent, fecerunt in præcipuos Chriſti ſectatores, quod Imperatori ſecundùm illorum vota probatum iri non dubitarent. Fuiſſe verò Claudium in Chriſtianos minus rectè affectum, & tantum vultu falſum renidentem, quod præ illo nomine iam à quinquennio, Gentilium ſuperſtitio fruſtra haberetur, ac tandem infenſa cogitatione coram Senatu deprompta, de illis Vrbe pellendis decretum fixiſſe, ex Tacito [d] qui volet intelliget. Quæ tamen procella, cur non aliquando cum reliquis Deiparam etiam Virginem inuoluerit, ſi quærere attentemus, vereor ne ſcrutatores Maieſtatis redarguamur potiùs, quàm pietatis cultores comprobemur. Qui enim ceteros exercuit ad palmas, potuiſſetque ſicut olim Pharaonem, perſecutores mergere in interitum, nouit etiã ſublimatæ ſupra hominum ſortem Virgini coronam aliunde parare, immunemque ab humanis tempeſtatibus vbicunque vellet conſeruare.

[c] Ioſeph. l. 20. Antiq. cap. 1.

[d] Libr. 12.

Age denique ſi poſtrema ex acceſſu Dionyſij petita ratio pro re noſtra non militet, hoc tandem loco eneruanda venit. Illa verò eiuſcemodi eſt, quæ ſi Virginis ætatem ad ſecundum ſupra ſeptuageſimum annum extendat, cur non etiam vlterius citra flagitium proferre queat, nõ apparet; nam quod quinquageſimo ſecundo Chriſti anno lumen fidei primùm aſpexit Dionyſius, deinde verò triennium à Paulo edoctus, ab eodem, illo temporis ſpatio quocunque greſſum mouiſſet, ne latum quidem vnguem ſeiungeretur: probet fortaſſe non ante ſeptuageſimum, vel vt Baronio alijs de cauſis placet, non ante ſeptuageſimum tertium Virginis annum Hieroſolymis adeſſe potuiſſe Dionyſium, quin tamen ſerius poſtmodum, eoque ſæpius accedere potuerit, non euincit: idque ex initio poſitis à nobis luculentius eſt, quàm vt amplius declaretur. Quamquam ſicut in ceteris, ita in hoc quoque argumento comparati ſimus, vt velimus pauciora potiùs, ſed ſolida, certaque fide conſtantia proſequi, quàm multa conſcribere quæ coniecturis in vtramque partem propendeant, ne ſi cuncta ſine delectu, quæ de vnaquaque re poſſunt inueniri, in vnum conferantur, cetera etiam quæ vera ſunt in diſcrimen adducantur.

Illud hic reſtat Hilduinum probatæ alioqui antiquitatis virum, in ſua de contuendo ſepulchro Dominico, non de Virginis corpore funerando ſententia, ab antiquiore fide non parùm abluſiſſe. Sed verò Matthæum [e] Galenum longius etiam extra lineam abiuiſſe, quod illa Dionyſij verba: *Cùm ad contuendum corpus illud, quod auctorem vitæ Deumque receperat conueniſſemus* de ædibus Ioannis Euangeliſtæ, in quas Virgo Deipara, Chriſto in Cruce extrema rerum peracturo, velut præſtito codicillo Ioanni commendata, recepta fuit, rectius intelligi velit, quàm à quopiam poſſint in quamuis aliam interpretationem deriuari. Qui enim is orationis contextus quadret in Virginem domo Ioannis ſuſceptam, qui de auctore vitæ, Deoque recepto, longè loquitur præclarius, quàm vt quicquam diuerſum auribus audientium, animiſque legentium queat immittere? qui etiam ſit adeò hebes, & à latinitate, vt cum Tacito loquar, adeò in barbarum corruptus, vt obiecto menti corporis vocabulo, formam domus illicò ſibi perperam effingat, & non potiùs cùm audit ſermonem eſſe

[e] In Ante pag. Præf.

de

de corpore, auctoris vitæ, Deique hoſpite, continuò de illo corpore cogitet, in quo Deus Verbum caro fieri dignatus eſt. Nihil dicam de Anaſtaſio, [f] qui ſimilitudine quadam ſenſus è græcis vocabulis eliciti, de carne Chriſti diuinitatis velut hoſpitio, Dionyſium fuit interpretatus, errore ſanè haud ferendo, cùm eo tempore, quo Chriſtus nouiſſimum Crucis ſubiuit exemplum, iterumque reuocato ſpiritu mortem remiſit, ned um Dionyſius, ſed nec Paulus Dionyſij magiſter Chriſto nomina crediderant. Et fortaſſe cuipiam venire poſſit in mentem, adulterato ab Hæreticis Dionyſij textu, binis eliſis apicibus mendum irrepſiſſe, ac pro eo quod legendum eſſet θεοτόκου, immiſſum eſſe θεοδόχου σώματος, vt inde latius manante vocis ſignificatione, varia pleriſque ſenſa ingererentur, interpretationibus vt videbatur idonea. Habet hæc cogitatio non parum probitatis, ſi vel à vocum ſimilitudine potiùs quàm elementorum, vel à prona malignitate Hæreticorum, fidem mereatur exploratam: quę ſi apud alios quoque locum inueniat, non eſt vt in verſiones tam diſſonas diffluamus, ratumque erit, quod de ſacro Virginis corpore, tot auctorum exceptione maiorum religio cum traditione coniuncta confirmauit.

At quamuis noua huiuſmodi ſuffragia faceſſant à coronis Sapientum, ea nihilominus Hilduini, Galenique inter alios ſententia, vel hoc vnico Baronij labefactatur argumento. *Ecqua enim* (inquit ille) *ſubijt ratio, vt non tantum Hierotheus, ac Dionyſius, ſed & Apoſtoli ante per Orbē diſperſi, ad contuendū ſepulchrum Dominicū, vel Ioannis ædes conuenerint, atque ad illa contuenda vel laudanda, tunc ſtudiū & vim ſpiritus adhibuerint? Nunquid non alias ſæpe viderunt, atq; vberius laudare poterant. Eſto quòd Hierotheus & Dionyſius, vel ſi qui aliorum diſcipuli qui nunquā hactenus vidiſſent, eò conuenerint, & ad eius præconia fuerint diuinitus excitati, quid de Apoſtolis dixerimus, qui multos annos poſt aſcenſionē Hieroſolymis manentes, & ſepulchrū Chriſti, & ædes Ioannis præ oculis ſemper habentes, tunc potiſſimū ad ea cōtuendā aduenerint, ad laudanda nauiter excitati fuerint.* Hæc Baronius, qui pluribus etiam inſectatur Galenū. Et profectò ſi vera ſunt, quæ à nonnullis recipiuntur, nec apud nos omni fide ſunt caſſa, mirùm ſit Apoſtolos aliquos longiſſimè exiſtentes eius tantùm ſepulchri, ædiſq; viſendæ gratia, per ſublime itinere liquido deuectos adfuiſſe; ad quid enim id miraculi? quid inde ad Religionē? quid ad Eccleſiæ profectum? Sed etiā illud minus cōſentaneū ex Hilduino, Dionyſium ſcilicet illo ipſo tēpore ad ſepulchrū Chriſti *diſputationem audiuiſſe, & fidei Sacramentū quomodo ab omnibus tenebatur de diuinitate, & humanitate Saluatoris.* Qui enim eſſe queat, vt Apoſtoli penè ſub dio ſcholā agerent Theologicā, quaſi defuiſſet locus vbi forum vel ſacrum Lycęū haberent? an verò & Concilium de Legalibus eò loci peractū quis derediculè dicat? licet verò. Quamquā ſi eā diſceptatio corā Iacobo fratre Domini, Petro, Ioanne, Hierotheo, Timotheo, alijſq; cōpluribus Sanctis, atq; etiā pręſente ipſo Paulo, quod Hilduino videtur, habita eſt: non eo ſanè funeris tēpore credi poteſt fuiſſe inſtituta, quando de Virgine potius agendū erat, eiuſq; ſuprema curanda, ſed longè ante quo tempore res ipſa depoſcebat, vel occaſio ex re naſcens offerebat. Id ſi vero perquàm ſimile ſit, noſtrā quoq; quā tuemur ſententiam, veritati germanā eſſe ratū erit. Certè huic eidem aſſertioni non parū firmamenti ſufficit alter Dionyſius [g] nō minus ſanctus quàm doctus, & Areopagitę cultor eximius, qui dum quærit vtrū ſpectata maieſtas illa gloriæ qua Deipara, cum adhuc inter mortales degeret, Dionyſium extra ſe poſitum luce affudit, miſſio viſibilis Spiritus ſancti queat appellari: ſatis oſtendit non duntaxat demorienti Deiparæ adfuiſſe Dionyſiū, ſed longè ante viuentē adhuc, & agentē vidiſſe, & vidēdo quemadmodū ipſe epiſtola ad Paulum exarata narrat, corde ac ſpiritu tantę glorię maieſtate oppreſsū defeciſſe. Refert eam epiſtolam idem alter Dionyſius, [h] & ex illo Spinellus; [i] nos ne lōgiores maiorumq; incurioſi videamur libenter omittimus, hoc duntaxat monere contenti,

[f] *In Præf. ad Carol.*

[g] *In 1. ſēt diſt. 10. q. 2*

[h] *Serm. 2. de Natiu. Virginis.*

[i] *Cap. 5. de Deip. num. 57.*

K cùm

cùm in eius epiſtolę inſcriptione, ſeruum & nouiſſimũ vinctum ſe cõpellet Dionyſius, in ipſa verò epiſtola à Ioanne ſe ad conſpectum deductum ſcribat, luce meridiana clarius apparere, longè priùs id ſpectaculi Dionyſio obueniſſe, quàm rurſum cum Paulo ceteriſque veniſſet ad contuendã Virginẽ, vel viuentẽ, vel defunctã ac funerandam.

Quare vt quę hactenus fortaſſe latius effluxit, velut in proprium alueũ reſtringatur oratio; ſi nec Petri in Vrbe mora tot alioqui ſeceſſionibus in prouincias interrupta, nec Pauli per Orbem deſtinatæ curæ, nec aliorum Apoſtolorum ſeu in viuis, ſeu inter mortuos agentiũ conditio, nec Dionyſij prolatata, vel præcepta ad Deiparam profectio, quippiã vetant, quò minus peractos in carne eiuſdem Virginis annos, ad metã à nobis poſitam proferamus: ſi præterea Legalis Concilij tẽpus inermis anni climacterici virtus ſexageſimum tertium annũ funeri Virginis eximant, cęptamq; quaſi ob id recitandæ coronæ religionem alia ratione hiſtoriæ circumſcribant: ſi commotæ ſubinde in Chriſtianos & efferatæ perſecutiones, Magdalenæ Hieroſolymis proſcriptæ primùm eiectio, deinde ex Iudæa quoq; periculoſa in incerta maris deportatio, aliaq; cõplura cũ his cõiuncta, ad diducendos longius Virginis annos nihilũ officiãt: ſi deniq; ipſe Dionyſius in mediũ allatus in partibus habeatur, & reas peragat aduerſantium opiniones; nihil propius eſſe debet, ne quippiam maius vero dicamus, quàm ſecundũ ea, quæ hucuſq; deducta ſunt ſiſtendas rationes. Quo tñ loco poſtremũ & illud velut vltimo ictu peragendum; quòd Paulus [x] ſecundũ reuelationẽ ſe Hieroſolymã aſcendiſſe cõtendat, neſcio quàm ſanctè eò vertatur à nõnullis, vt ea reuelatione ſuprema Virginis imminere Paulus didicerit, imò hanc ſolã ob cauſam eã acceperit, quò finem Virginis maturrimè præuerteret, in cœlum ituræ ſuas Eccleſias agoneſq; cõmendaret. Quæ enim iſthæc reuelatio? ſi, q̃ aduertit Cornelius [1] à Lapide, quantumuis ſategerit vt adeſſet (abſit enim incautè neglexiſſe) morienti nihilominus adeſſe non potuit, qui vt primũ Hieroſolymam venit, à Iudæis in ipſo templo offenſus, & extemplò in vincula petitus, quin ad virginem eniteretur, omninò fuit præpeditus. Equidem vetera veraq; nouis nec in miraculum corruptis antehabeo; cui enim quęſo Patrũ hæc aliquãdo inceſſit cogitatio, vt Paulũ eiuſmodi reuelatione ictũ an actũ Hieroſolymã veniſſe exiſtimaret? & potuiſſet facere Paulus, quin laureatis vt dicitur literis, rem tanti pro Eccleſia momenti exſignaſſet? Certè cùm ſibi non ſemel iuſſiones cœlo factas Paulus ipſe perſcribat, neq; vnquam cauſas ob quas illæ obueniſſent prætermittat, quà vincula, quà prædicationẽ, quà doctrinã, vel quicquid altioribus de momentis è re monendum foret, idque hoc loco quàm alibi pręſtiterit accuratius, affluenti ſcilicet tametſi oratione reſtricta myſteriorum ſenſu, ſed qui diſceptationibus ſapientũ, quemadmodũ ex aurea Chryſoſtomi facundia liquet, planus eſſet minimeq; impeditus; neſcio cur adeò procliuè ſit ac interpretationes deerrare minus idoneas, vt reuelationes captare videamur, dum ſi quid cogitatui nouum & inſolens, addo & in ſpecie pulchrum inciderit, continuò velut ex tripode proferamus.

x Ad Gal. cap. 2.

1 In Chronotaxi Acta Ann. 58.

Atque hoc primum argumentum ſicut multis erat irretitum, ita longiore diſputatione per plura capita erat profligandum: in qua tamen lectoris tędium ſubleuabit nõ parùm, ſi cogitet his veſtigijs eundum ad maiora deinceps auertenda, quę multorum animos ita occuparunt, vt factum nihil putent, niſi quod ipſis placere poteſt, vel aliquando venerit in mentem, ſecus omnia pugnent aduerſum; & hanc de epiſtola Virginis religionem penitus amoueant. In hoc autem genere eſt alterum agumentum, dubio procul validum apud ſuos: character nempe ille anni quadrageſimi ſecundi, non tam ſignans Epiſtolam, quàm inſigniter vulnerans veritatem, eoque maximè præcipuus aries, vel ad murum aheneum ſubruendum, quòd negotium faceſſat etiã ab ijs, qui defenſores cùm ſint, religione quadã prędictę ęrę mẽtem obęratã habent eatenus, vt labore pluſquã Herculeo adinuenire cogitent Paulũ longè etiã ante

quam

Digitized by Google

quàm vinctus in Italiam nauigaret Siculis, atque adeò Meſſanenſibus acceſſiſſe, idq́; officij prædicando, & Legatos Meſſanenſium ad Virginem deducendo præſtitiſſe, dummodo cum anno quadrageſimo ſecundo, reliquas etiam notas eidem Epiſtolæ ſuffixas loco reddant ſuo, facturi forſitan, ſi (quod aſſolet) numeris quadantenus inter ſe cohærentibus, cetera etiam concinnè videantur aſſuta, vt inſtar Archimedis de fortuitò inuento plus nimio geſtiant, vel etiam cum Pithagora pro noui Theorematis adinuentione hoſtias Muſis immolent.

Sed enim cùm in re noſtra non vno, vt videtur, bello decernendum ſit pro veritate, quàm lato etiam campo explicandæ ſint acies argumentorum ac rationum, nemo non intelligit. Ne tamen hoc loco longiores ſimus, eademq́ue ſæpius & gratis repetere cogamur, alibi ſuis omnia lineis ſunt ducenda, & intra lineam quod dicitur pugnandum, nec non quid de ceteris etiam ſignis eidem Epiſtolæ appoſitis cogitare liceat, euoluendum. Interim quicquid tandem poſſit eiuſcemodi argumentum, quemadmodum Cicero pro Cluentio, quem dixerat accuſator epoto poculo concidiſſe, negat eodem die mortuum, ita negando genuinos eſſe characteres qui adſcribuntur, verbo ſufficiat hoc loco exarmaſſe.

QVO TEMPORE BEATA VIRGO SCRIPSERIT AD MESSANENSES.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

DE anno præcipuè agendum, nam eo præfinito, latior eſt coniectura de menſe ac die, tametſi intra carceres: neque tamen de die ex induſtria quærendum, niſi fortaſſe conſecutione quadam incidat ſpõte ſeu diuerſum opinanti. Annum porrò tanquam ab explorata teſſera arceſſimus, ab ingreſſu Pauli in Vrbem, qui quemadmodum diximus, [m] ſiue menſe Maio, ſiue Iulio quinquageſimi noni à Chriſto anni, cùm biennium ibidem Cæſari in vinculis dederit, deinde verò ipſe ſui mancipij in Orientẽ Meſſana primùm exculta reuerterit: palam eſt Meſſanenſibus operam dediſſe ſexageſimo primo anno propè decurrente, eundemq́ue ſi placet in ſexageſimum etiam ſecundum laxare potuiſſe, ne exutum vincula ſine mora præcipitaſſe credamus, nihilq́ue Apoſtolicæ induſtriæ diuerſis in itinere locis acceptum, poſuiſſe. Nam etſi ingentem apud Meſſanenſes ſyluam fuiſſe nactum, minimè ſit dubitandum, enitenti tamen ad rerum in Orbe ſumma, breuiori etiam temporis curriculo confici poterat, quod dudum animo patrandum præcepiſſet.

[m] *Supra folio 28.*

Demus igitur anno ſexageſimo primo, æſtate iam adulta, vel etiam in autumnum inclinante, Paulum Meſſanenſibus adfuiſſe, vt in prædicatione Crucifixi nuper agniti, nouæ ſimulacrum vindemiæ circumferret: appoſitè ſcilicet ad rem, ad tempus, ad mores permutandos: vtique nihil non temporis ſuperfuit, quò re ex ſententia confecta, ſi non illo eodem anno exeunte, proximo certè indepto, nauigationi in Orientẽ moras cõcederet, ac planè Hieroſolymis, comites Meſſanenſium Legatos, ſub aſpectũ adorandæ Virginis maturè ſiſteret; gratia circumdatos, iterum ſi non reduceret, remitteret. Erit enim, vt ſexageſimo ſecundo anno, velut Occidentales Magi alia & ipſi via ſi animos immutatos ſpectes, Paulo quidem Apoſtolo ad Virginem duce, ſed Marianæ gratiæ ſtella reducente, reuerſi in regionem ſuam, laureatas ad foros publicos tabellas, Virginis (inquam) Epiſtolam populo retulerint, & cærimoniam

Digitized by Google

auguſtæ Dei Genitricis, latè ſciſcitantibus explicarint.

Nondum pro comperto habeo, quo die ea ſit exarata Epiſtola, quo reuerſi Meſſanenſium Legati, quo relatum de ea ad Ciuitatem. Nam quòd tertio nonas Iunij feſta eius Epiſtolæ memoria Meſſanenſibus peragi ſit conſueta, vtrumque diem ſignare poteſt, ſiue quo ſcripta, ſiue quò reddita fuit, niſi hic poſtremus religioni ſit propior ob acceptum beneficium, quod Hieroſolymis conceptum tantum, & literis exaratum, nondum tamen omnibus fuit exhibitum, ſed tunc cenſeri poteſt collatum ac firmatum, quando ea Epiſtola coram Ciuitate reſignata, gratia Deiparæ Virginis in Vniuerſos illicò cępit effluere. Neque enim dignam viro ſenſato iudicarim, cuiuſdam in recentiori manuſcripto ſententiam, illo ipſo die aram & feſtum cenſeri tranſlatæ ex Hæbræis in Græca à Paulo Epiſtolæ, quaſi cùm perbellè quiſpiam alluſerit, ad indictam Hebræis ſolemnitatem, quo die tempore Regis Ptolomæi, Lex primùm Græcè donata eſt, continuò veritatem hic quoque in foro ſtatuerit, non magis proſtituerit; niſi etiam ob verſam à Laſcari è Græco in Latinum, recentiorem putet inuehendam religionem. Prudentior vtique ſit cogitatio, ſi quemadmodum Legi digito Dei ſcriptæ, diem quo data eſt ſacrum ſtatuerunt Hebræi, ita Epiſtolæ manu Deiparæ exaratæ, quo die perfecta eſt, cęrimoniam ſanxiſſe quis putet Meſſanenſes. Verùm nec meditata huiuſcemodi ad memoriam religionis commenta proficere debent, vbi quod ex vſu Chriſtianæ Eccleſiæ in cenſendis feſtis euenire conſueuit, in re quoque noſtra citiùs pro veritate ſuppetit, quàm vt diù perquiratur. Quò proinde Ciuitati Meſſanæ ſacrum ſit ac ſanctum, eo die, quo die reddita ac reſignata Virginis Epiſtola, theſaurus quoque gratiarum in ſecula promanantium recluſus eſt, religionem memoriæ ab initio conſecratam: non eo vtique indice, qui à tertio Nonarum Iunij, deformauit potiùs Epiſtolam, quàm notauit, ſed qui per antiquiora veſtigia, primo illo ipſo die fixa, ad hæc vſque tempora ſecurè inceſſit, longè ante quàm vitium eiuſmodi characterum irreperet. Quamquam & huius notæ architectus, non ita malitioſè ſit verſatus, quin ſignum diei, à maioribus ſcilicet acceptum, probè affigeret, ſi modo ad cetera eruditum calamum attuliſſet. Hoc enimuerò dictum velim, quò manifeſtum euadat, Religionem Meſſanenſium, non ob illum indicem, in memoria Epiſtolæ datæ celebranda die tertio Iunij verſari, ſed hos potiùs characteres ab antiquiori traditione alludendi ſumpſiſſe occaſionem. Quamquam enim eius rei feſta memoria, inter varias temporum viciſſitudines, quando Meſſanenſes rerum Chriſtianarum non ex integro ſunt potiti, interdum remiſſione quadam temperata ſit potiùs, quàm interrupta; cum ipſa tamen religione natam ac adultam, non eſt cur dubitemus, idque ſuo loco, ſi pretium fuerit, cuincemus.

His ita conſtitutis cùm ad ſexageſimum ſecundum Chriſti annum, mortalem Virginis ætatem fuiſſe prouectam ſemel ſit ratum ac firmum, iterumque eodem planè anno, minimè luxatis temporum iuncturis, nec variatis rerum ſignis, Virgineam Epiſtolam ad Meſſanenſes datam, hactenus ſit aſſertum ac probatum; illud proximè conſequi eſt neceſſe, ipſo eodem anno, paucis omninò menſibus, vel ſi ſedeat, tertio Nonas Iunij exaratam Epiſtolam, paucis etiam ab illa diebus interiectis, glorioſum Virginis in cœleſtia tranſitum contigiſſe. Commoda ſanè maternæ pietatis interpretatione, quaſi inter ſupremas vitæ mortalis functiones, hac poſtrema, Codicillum eſſe voluerit, cum voluntatis teſtatione, gratiæ quoque Meſſanenſibus in perpetuũ obſignatæ, vt quos benedictione literis cõmendata impertiuiſſet in terris, deinceps cœlo recipienda maioribus cumulatura foret ex repromiſſione beneficijs.

Ab huiuſce rei memoria factum reor cum multis, vt non poſt magnas ætates, florente iam religione Templum Meſſanæ fieret Diuæ Aſſumptæ planè auguſtum, vulgo San-

go Sanctæ MARIAE nouæ nuncupatum, non quòd ſtructura ſit recenti, ſed quia vetuſtiori, quod multò antea colebatur, comparatum, nouitatem præ ſe ferat. Nam quòd creſcente in dies Virginis cultu, minor area populo capiendo non ſufficeret, exaugurato veteri Templo, maiora ſpatia eodem in loco deſignanda erant, dignaque ædes tum maieſtate Virginis, tum populi magnificentia conſtruenda. Ceterùm hæc ipſa, ante octo ſecula inchoata, ſed vexata bellis Sicilia diu intermiſſa, à Rogerio demum pulſis Sarracenis Inſula potito perfecta eſt, eiuſdemque exemplo à reliquis Regibus ſubinde multis beneficijs cumulata, nunquam verò magis exornata, quàm cùm Magiſtratus optione, Cathedralis ſedes ibidem fixa eſt, relicta priori æde, quam vetuſtas multò antea tempore Diuo Nicolao ſacram, Antiſtitis quoque primatis dignitate ditauerat, ſed Rogerius Epiſcopatu Troinenſi eò translato præterea fecit ampliorem. Creuit nihilominus temporibus conſecutis, cùm vniuerſæ ædis ſplendor, tum præcipuè Sacelli ex nuncupatione dictæ Epiſtolæ, vulgo Litterij, Deiparæ pridem ſacri, decus & ornamentum; quod tametſi præ ipſa vetuſtate religione quadã magis ſanctum haberetur, hoc ipſo tamen anno, quo hęc ederemus, atque ipſo die, tertio Nonas Iunij, ſolemnijs Epiſtolæ dato, recentioris etiam ſtructuræ operoſa ſimul ac magnifica deſignatione coli cœpit auguſtius, imminente quoque tam felicibus auſpicijs Vrbis ex ordine Senatu, verùm ipſo Sacrorum Antiſtite D. Blaſio Proto lapidem figente, ac ritum peragente. Sed hæc ſuis Scriptoribus relinquenda.

Nec verò ſatis fuit Meſſanenſibus Templum id duntaxat Virgini dicaſſe, niſi peculiari, ac populari monumento religionis, Aſſumptæ quoque celebritatem peragerent; inducto nimirum quotannis per Vrbem, Virginis in ſublime abeuntis ac Ciuitati benedicentis ſimulacro; comitante non minus Clero, quàm cum Ciuibus eo populorum adiacentium concurſu, plures vt in vna Ciuitates contineri videantur. Cogit nempe eam frequentiam, tum ipſa Virginis præcipua religio, tum curioſus quidam ſpectandi ardor, machinam præaltam, ferreis ſtaturninibus artificioſè compactam, cui prominentiores claui inditi, laminiſque violenter accuruatis muniti, varios efficiunt axes, circulis conuertendis idoneos, in quorum radios, cùm infantes nobilium ephęborum, mira quadam dexteritate ſeſe induant, vi ponderum ſeſe euoluere conantium, tolluntur in altum, æquabilique gyro placidè labentes, perpetuò commeant in orbem, circulis nunc pronis nunc ſupinis, rectis, obliquis, vna cõuerſione circumactis, miraq; diſtributione ſeſe inuicem arcentibus, ne corpuſcula puellorum implicentur, qui eodem ſemper ſitu velut infixi reuoluuntur. Sunt verò hi in magno numero, ſpecie, habituque Angelorum decori, caterua triumpho Virginis addicta, Reginæ cœlum ſubeuntis elegans famulitium. Quæ demum ſummo impoſita machinæ faſtigio, Chriſti ſui nati velut in ſublime efferentis extenta palma, decorè adeò, graphiceque ſuſtinetur, vt amictus candido puellulus, puriſſimi ſpiritus ſymbolum, totus in modum ſeſe per inane librantis, ac ſpontè in ſublime abeuntis geſtum compoſitus, vix plantula vel ſummo pedis digito, veſtigium in palma ſuſtinentis videatur exſignare. Is cum ſubinde firmato ſuccollantium greſſu, carmina quædam accentu ad pietatem inflexo depromit, iiſdemq; Ciuitati ſigno formato bene precatur; tantus repente cietur populi piè admurmurantis ſtrepitus, vt curioſitate in religionem conuerſa, pauci ſibi temperent à lacrymis, ſubeunte nimirum animos omnium viuaciſſima protectionis olim repromiſſæ memoria, quam ſi non aliunde fama loqueretur, hoc inſigni ſpectaculo pietas ipſa per ſe ſatis commendaret.

Legi aliud olim fuiſſe ſimulacrum Virginis, quod eximiè ornatum, candidoque aſturconi ſplendidè phalerato impoſitum, in ſpeciem triumphantis ferebatur per

Vrbem

Digitized by Google

Vrbem publica vniuerſorum cum religione coniuncta lætitia, verùm creſcente in dies honore Virginis, ea quoque celebritas facta cumulatior, hac, quam modò narraui triumphali machina magnificè ſumpſit incrementum. Eſt enimuerò Sicula natio, omnium quas vidi (pace earum dixerim) in celebrandis Diuorum præſertim genialiũ feſtis, longè ardentior, quippe quæ ſicut ſuperſtitione olim plurimùm valuit, nec non ludis, luminaribus, luſtrationibus & id genus piaminibus, falſos, ac nugaces Deos conſtanter adeò coluit, vt tota Inſula Deorum Sacrarium crederetur: ita deinde execrato errore, animis ad pietatem Chriſtianam verſis, religionem ſuam altius extulit, in id ſemper intenta, vt ſplendorem inaugurati cultus melioribus ſemper inuentis cumularet. Exemplo ſint (vt de ceteris taceam) Catanenſes qui in colenda ſua ciue Diua Agatha, tantum religionis ponunt, continuata quotannis per multos dies feſta ſolemnitate, vt nemo vnquã interſit Hoſpes ac peregrinus (adſunt verò vndique circum gentium perfrequentes) qui maiorem fama celebritatem nõ fateatur, tametſi ea vbique peruagata vix alicubi ſplendidius aliquid factitari, abundè iactet. Eam equidem ſolemnitatem, ſi quando extemporaneo eſſe liceret, libenter ſcriptis commendarem, tum vt deuotioni propriæ, multorumque exterorum pietati conſulerem, tum vt pluribus locis in quibus verſatus ſum religionẽ inijcerem, ob ſupinam in Diuis colendis negligentiam, quòd multorum ſacra corpora cùm integra apud ſe aſſeruent, tantum abeſt, quò ſtatis anni diebus honorem eis habeant, vt (proh pudor) ne quidem norint quo tempore nomina eorundem faſtis cenſeantur: ingrati ſanè magno pietatis Catholicę ludibrio, nec animaduertentes quanta cælitus bona ex Diuorum cultu Reipublicæ affluant, quantaque viciſſim ex neglectu, Deo vindice, mala immitantur, quorum auerſores alioqui, Sancti conciliatu ſuo plerunque eſſe ſolent. Sed enim quid faciant pro religione Diuorum, apud quos ne Sacramenti quidem Euchariſtici cultus in pretio eſt; cùm videas plerunque per Vrbium compita, vbi ad ægros deferendum eſt, à Sacerdote ſordidato, vix vna facula comitatum, ſine vmbella rataque cærimonia, & quod indignius eſt, ſine reuerentia prætereuntium, quaſi Catholici non ſint, deportari; idque iis ad quos ſpectat probè conſcijs, neque tamen cordi ducentibus, magno piorum ſenſu, quod cariora ſint illis domi ſuæ profana miniſteria, quàm Templorum cura, ſacraque myſteria.

Verùm ad Deiparam Virginẽ redeamus. Ex ea celebritatis Aſſumptæ religione, eiuſcemodi occaſione inducta non abs re conijciat quiſpiam, antiquiſſimam ſi alibi vſpiam, apud Meſſanenſes fuiſſe eiuſce feſti conſuetudinem, proindeque longè præire non modò temporibus Caroli Magni, circa quæ in Gallijs primùm recepta, [m] verùm etiam ætati Mauritij, cuius edicto primùm in Oriente [n] creditur eſſe inuecta; & vt verbo dicam, cùm ab Apoſtolis initium ſumpſiſſe [o] non temerè ſapientes Viri putent, haud incredibile fuerit ab ijſdẽ, ea ipſa occaſione, quàm proximè ad Meſſanenſes defluxiſſe; non quidem ea ratione, quòd ſtatim à tranſitu Virginis, feſtam Aſſumptæ celebritatem publico ritu indixerint, quando alieno diſtentis imperio, id minimè è re conſultum eſſe potuit, ſed quia diu tacitè ſpirantem eius rei memoriam, emergente demum in certiorem lucem religione, deterſaque ſuperſtitionum ſi quæ adhuc fuit caligine, ſuo tempore clariorem effecerint, ac velut initio tunc primùm dato, poſteris celebriorem tradiderint. Quin etiam eandem ob cauſam, nõ magnoperè laborari potuit apud Meſſanenſes, quo receptæ Epiſtolæ memoriam, tametſi omni fama digniorem, illis initijs publico aliquo monumento ſaltem inſigniori notarent, ſed quo primùm tempore ædes Diuæ Aſſumptæ conſtrui cępta eſt, illi quoque ſanctitati Sacellum de quo diximus in eadem æde fuit deſtinatum, quod annis labentibus artis, operiſque pretio, vt ea ferebant tempora perfectum, repoſita

m Barõ. in notis martyr. ad 15. Aug.
n Niceph. l. 17. c. 28.
o Suar. de relig. tom. 3. l. 2. c. 18.

ibidem

ibidem ſpectabili Vrginis effigie, inſigni ſemper Ciuium veneratione ad hunc vſque diem celebre eſt. Neque tamen antea vacua religione fuit ea memoria, quemadmodum alibi oſtendemus, ſed duntaxat Meſſanenſibus Romano Regno exercitis, non ea ſolemnitate peragi conſueta, quam tantæ rei dignitas poſtulabat, quoad tandem repreſſa magis ſuperſtitione, templo pro re nata nomini Pauli quemadmodum diximus extra muros ab exſcenſu nuncupato, feſtos quoque Epiſtolæ Virginis honores eodẽ Sacrario concluderent: ſatius nempe rati pro tempore publicam ſuæ conuerſionis atteſtationem ab Apoſtolica nota inducere, quod non parùm valebat ad permouendos exterarum gentium animos, quàm extructo ſub nuncupatione Virginis ſingulari delubro, in celebritate Epiſtolæ, priuatę glorię patrocinari. Quamquam per tempora fracto cum Idolis Romano ſceptro, temploque deinde Virgini aſſumptę ſumptuoſè conſtructo, non paſſi ciues eodem ſpatio ſatis anguſto Virginis, Apoſtolique honores circumſcribi, feſtam quoque ſacræ Epiſtolæ ſolemnitatem in ædem maiorem, magno vtique iugique ſumptu, ſed maiore multò religionis ardore tranſtulere. Viguit porrò celebritas Epiſtolæ diu in hac ęde, non alio die, quàm Natali Virginis ab Eccleſia ſacro, retenta videlicet priſcę conſuetudinis veneratione, quæ illam in hũc diem pridem ante in Pauliano monumento defixerat, donec tandem religioni ſuæ tertium Nonas Iunij ex ſuperius adductis rationibus ciues addixiſſent, fortaſſe etiã ne ſolemnitas Virgineæ natalis exhauſta populi deuotione, eam quoque memoriam, quę peculiarem celebritatem meritò vendicabat, paulatim abſorberet. Itaque congruè cautum, quo relicto qui fieri conſueuerat, diei natalis feſto apparatu, peculiaris Epiſtolę ritus ad tertium Iunij velut ad ſedem reuocaretur, eodemque die communi omnium voto litaretur; durante nihilominus antiqua conſuetudine in ęde Pauliana, quæ nominis quidem nuncupatione, ſacroque interdum ritu Paulo ſtaret, ceterùm annua celebritate maiore, Virginis natali ferret honorem. Non vulgari ſanè argumento apud omnes, eò reſpexiſſe priſca illa tempora, vt abrogatæ gentilitatis memoriam in Paulo, ſuſcepti cum Epiſtola patrocinij dignitatem in Virgine venerarentur. Quo in genere & illud præclarum ad commendandam Meſſanenſium pietatem incidit, quòd cùm eo tempore, inſtitutum celebrandi ortus Virginei nuſquam gentium ſi ex Auguſtino [p] deducere licet, vel ſi ex alijs, certè apud paucas nationes inualuiſſet, nulla non memoria hominum, incerto (vt liquet) primordio tenuit apud Meſſanenſes, quo proinde in paucis affectu in Virginem & religione videantur valuiſſe. *p De Sanctis ſer. 20.*

Ceterùm conſtituta quemadmodum fecimus exaratę Epiſtolæ ætate ab anno Chriſti ſexageſimo ſecundo, eodemq; Virgini inter mortales ſupremo; procliue eſt Apoſtolis poſt illam funeratam, quà cuique ſua prouincia tuliſſet, euadentibus, Paulum quoque deſideratę dudum Hiſpanię condonare, ſiue eadem cum Meſſanenſium Legatis nauigatione reducem, vt Meſſana illò tranſmitteret, ſiue formata per moras in Iudæa ceteraque Aſia rerum imagine, vt traiecto quantumuis haud breui temporis ſpatio, non ſerò tamen adeſſet genti ad religionis cultum iam paratæ, ac pridem apud Apoſtolos in cauſa Euangelij pro Iacobo perfunctę ac probatæ. Is verò annus accepti ab Hiſpanis Pauli, quemadmodum alibi ex Dextro adſtruximus, ſexageſimus quartus eſt à dato Chriſto, ſuiſque notis longe clarior, quàm vt coniecturæ pro illo vocem mittere debeant. In hanc eandem opinor ſententiam facilè conceſſuri ſunt [q] qui Paulum Romanis carceribus exemptum non continuò viſendis Hiſpanijs animũ appuliſſe, ſed mutatis votis Orienti velut poſtliminio redditum, feciſſe quæ res, & tempora flagitabant. In his recenſeri poteſt meritò Baronius, [r] qui cùm ſupremum Pauli apud Epheſios de ſe non amplius videndo effatum, dubitantis inſtar ſibi obieciſſet. *At nec ob eam* (inquit) *cauſam, quòd nunc ſi velimus rediſſet in Orientem, vi-*

q Onuphr. in Faſtis Bart Fan. ad ann. 60.
r Ad ann. 61.

deri

deri poteſt elapſum eſſe tempus, quo minus potuerit proficiſci poſtmodùm in Hiſpanias, nam octo illi qui intercedunt anni, vſque ad ipſius conſummatum martyrium, non tantum fuere illi ſatis ad Hiſpanias peragrandas, ſed vniuerſum planè Orbem Romanum, ac Barbarorum externas regiones adeundas. Et poſt nonnulla. *Quod* (inquit) *in contrariam partem Gelaſius* [f] *Papa ſcripſiſſe videtur, nimirum Paulum nequaquam vt antea animo inſtituerat, permiſſum eſſe in Hiſpanias proficiſci, Deo aliter decernente, cuius monitu aliò fuerit amandatus; non eò tendit vt penitus neget Paulum aliquando in Hiſpaniam eſſe profectum, ſed potiùs affirmet voluiſſe, ſed minus tunc impleſſe, quod eſſet pollicitus.* Hæc Baronius, & rectè etiam ex alia re conſimili coniecturam de Paulo facit, quippe qui ad Romanos ſcribens, ſimul ac collectam pecuniam Hieroſolymam pauperibus detuliſſet propediem ſe ad illos venturum recepit, minus tamen id pro tempore præſtare potuit, ob graues quas Hieroſolymis à Iudæis ſuſtinuit calamitates. Sic verò Gelaſius. *Beatus Paulus Apoſtolus, non ideò quod abſit, feſelliſſe credendus eſt, aut ſibi extitiſſe contrarius: quoniam cùm ad Hiſpanos ſe promiſiſſet iturum, diſpoſitione Diuina, maioribus occupatus ex cauſis, implere non potuit quod promiſit. Quantum enim ipſius voluntatis interfuit, hoc pronunciauit quod reuera voluiſſet efficere: quantum enim ad diuini ſecreta conſilij; quæ vt homo non potuit licet ſpiritu Dei plenus, agnoſcere, ſuperna prætermiſit diſpoſitione prauentus* Hæc ille, quæ tamen eo, quo Baronius alijque ſenſu accipiunt, omninò ſunt proferenda, niſi quod non gratis addere liceat, *maiores illas cauſas*, ob quas implere non potuit Paulus quod promiſit, inter alia Meſſanenſium fuiſſe amplificationem, Orientalium ædificationem, ſed ſuper omnia Virginis in cœlum abituræ nouiſſimam in terris adorationem.

Quamquam fortaſſe nemo abnuat, illud ipſum temporis ſpatium, quod vinculis ſuperfuit, Paulo *volanti nubi* reapſe ſatis eſſe potuiſſe adeundis Hiſpanijs, nec adeò temerè concedi illi, quin hiſtoriæ Lucæ ſua ſeruetur integritas. Sed verò id totum, poſt carceres ipſi Vrbi Romanæ, [t] vel ex parte alijs etiam Ciuitatibus Italicis liberius, ac liberalius impenſum non caruit pretio, donec reditu in Orientem indepto, ſua rurſum Meſſanæ dignitas aduentu Pauli ſacra eſſet, perceptoque religionis in Virginem fructu ſacratior, id quod libenter etiam concedit quantumis cætera difficilior Octauius Caetanus [u] apud Cornelium à Lapide. Scilicet *Paulum fretum Siculum nauigantem conſpexiſſe Meſſanam, ſed non adijſſe, vt contendit Conſtantinus Laſcaris; adijſſe verò eum poſtquam è primis Neronianis vinculis liber rurſus Prouincias, & Siciliam vt videtur (innuitque Chryſoſtomus) peragrauit. Traditio eſt Meſſanenſis Eccleſiæ S. Paulum Meſſanenſibus Bacchylum Epiſcopum præfeciſſe. Sanè quotannis ea in Vrbe ſupplicationes habentur feſto conuerſionis Sancti Pauli, in memoriam Bacchyli Epiſcopi, Meſſanenſi Eccleſiæ à Sancto Paulo præpoſiti, ac vetus mos in ea Eccleſia eſt deducendi per Vrbem reliquias Sancti Pauli.* Hæc ille.

Atqui hoc iterum ferro inciditur neruus argumenti ex ſilentio Lucæ petiti. Nam qui exacto ſaltem biennio, ſuprema ſcribendo linea ducta receſſit ab Vrbe, quid deinceps rerum geſſerit Paulus, cùm ipſe reſciſcere non potuit, tum qui alius Prouinciam ſacrorum Aduerſariorum ſubiret, ex priſcis comitibus non facilè fuit, vt non iniuria dicat Baronius, [x] *Tam res geſtas Pauli in Hiſpania, quàm reliqua eius acta, poſtquam ſolutis vinculis, Roma egreſſus eſt inopia Scriptorum manſiſſe prorſus obſcura.* Rectè ille quidem, ſed qui ſibi ipſi argumentum facere poſſit pro commendando præſenti inſtituto, ſi quando pro traditione ſuffragium petat ab auctoritate interdum non ita prompta. Nam quæ aſſerimus, ab expedito à vinculis Paulo in notas famæ arceſſimus, nullis vel coniecturis, vel Hiſtoriarum ambagibus à ratione depellenda, quod ipſum non Meſſanæ duntaxat vel in Orientis luſtratione, verùm vbicunque poſtea

f 22. q. 2. Beatus.

t Bart. Tõ ad ann. 60.

u In Cap. 28. Act. Apoſt. v. 11.

x Ad ann. 62.

ſtea

Digitized by Google

ſtea locorum aut gentium huius Euangelici Solis contigiſſet exortus, eueniſſe putandum eſt, quando concitatiori velut ad primi cœli raptum pro voto regreſſu in Occaſum, Italias, Gallias, & Hiſpanias (vt teſtatur Sophronius [y]) ſuo tranſitu Solis inſtar illuſtrauit, multis dubio procul vbiq; & verbo, & opere, & exẽplo pro Fide geſtis ac latis, quę tametſi diaria Eccleſiarum, aut annales temporum effugerint, famam tamen traditione in ſecula præuectam non fefellerunt; ſed neque diligentiam Scriptorum vſquequaque pręteriuerunt, quin ſuis licet contenta ſedibus ad exteros non effluerent, domi tamen pietatem ac religionem ſint promerita. Quale eſt illud inter alia apud Arenates in Hiſpanijs [z] de Probi & Xantippæ vxoris conuerſione, apud quos dum ignotus Paulus, hoſpitij ius & gratiam tenuiſſet, intentam in eum ſedulius Xantippam admirabilis exemplo modeſtię, ita animo ſuſpendit, vt in homine, ſolito maius aliquid ſuſpicaretur: nec ipſam concepta fefellit cogitatio, quando defixæ in vultum viri, literis velut aureis, & quaſi è fronte Pauli exſcriptum, huiuſmodi elogium fuit obiectum. PAVLVS APOSTOLVS PRAEDICATOR CHRISTI, quo lecto, non minus ſtupore quàm gaudio reſoluta corruit ad pedes eius, quem antea fama duntaxat notum, ſæpè etiam præſentem videre peroptaſſet. Nec ſuo caruit pretio votum pietatis, quando ex ea velut ſcintilla, maiori deſiderio flammata in Chriſtum, præcipiente Paulo myſteria Fidei ſuſcepit, vnaque cum viro, & nobilis familiæ grege gentilitatem expiauit. Egregio ſanè documento Pauli, quantum in cauſa fidei apud auerſos præualeat hominis Chriſtiani, nedum prædicatoris Euangelici modeſtia, quæ vel ſola præ dono linguarum, ac miraculorum, nec alio fulta præſidio, Chriſtum clarè loquatur apud omnes, virtuteſque ipſa Chriſtianas in lumine collocet, nec minus fortiſſimè, quàm ſemper eloquentiſſimè pro religione peroret. At ſi tantum potuit modeſtia Apoſtoli, quid Matris Virginis? quid Chriſti? per cuius etiam modeſtiam, [a] adiuratam quorundam apud Corinthios arrogantiam grauiori poteſtate cenſuit coercendam; ſed quod verbo poteſt, poteſt etiam vultu modeſtia, niſi cùm ſe Paulus Xantippę videndum obiecit, non iam ipſe, ſed Chriſtus quem induerat, & Virgo Mater, cuius imaginem Chriſtus ferebat, in vultu geſtientis, in ore loquentis ſeſe explicarint. Verùm hæc præter calamum.

Non pauca alia ſcribit Ioannes Vaſæus, [b] alijque rerum Hiſpaniarum Scriptores de Paulo, Iacobo, alijſque horum Diſcipulis, eorumque in cauſa religionis præclarè geſtis, & plura ſunt quæ adhuc deſideria morantur exterorum, diuinitus inuenta in illo librorum theſauro, qui ſuperiori ſeculo in Monaſterio Granatenſi erutus in lucem, ſua quidem luce multorum libris tenebras affudit, rem tamen Eccleſiaſticam plurimùm colluſtrauit. Illi ſanè libri, ſi ad aliorum manus perueniſſent antea, quàm poſitis immenſis operis, vitam quoque ſcribendo poſuerunt, ſicut à multis ſibi temperaſſent, ita non vno lumine veritatem clariorem oſtendiſſent, eminentiori loco toti Eccleſiæ ſpectandam collocaſſent. Sed & hoc felicitatis eſt, in ea tempora incidiſſe, quibus illuminati Scriptorum labores, nouarum acceſſione rerum fœcundiores vnà exiſtant ac probatiores, quemadmodum nuper inuentis recens Lucij Dextri fragmentis, ex Hiſpanis luminibus, Meſſanam quoque contigit altius radiare, quod ab vſurpata, vt multis putabatur Epiſtolæ Deiparæ religione, traditionem vetuſtiore etiam auctoritate probatam licuit vindicare; maiori vtique firmitudine & conſtãtia, quã vt à ratione queat dimoueri. Verũ hęc alio loco, ſi Dexter in obtrectionẽ ſui, aliena dextera, & clypeo, queadmodũ hactenus ab alijs factitatur egere cenſebitur.

Interim ex ijs, quę de Pauli apud Hiſpanos geſtis memoriæ tradunt Scriptores, abundè liquet ipſum non adeò breuem ibidem traxiſſe moram, vt quidam putant, ſed longiore, quamquam non pœnitendo labore feracem coluiſſe vaſtitatem, & forL taſſe,

[y] In Cap. 16. ad Rom.

[z] Ioã. Vaſæus in ſua Chrõ. Hiſp.

[a] 2. Cor. cap. 10. S. Chryſoſt. ibid. hom. 21.

[b] In Chrõ. Hiſp.

Digitized by Google

AFFERTVR EXEMPLVM EPISTOLAE DEIPARAE ad Meſſanenſes data.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

VIdimus hactenus conceptum ac natales Epiſtolæ, hoc eſt, qua occaſione, quouè tempore ſcripta ac miſſa fuerit ad Meſſanenſes: multa etiam quæ cum rei narratione coniuncta, vel ab ea deiuncta ſeſe offerebant, & quoquo modo veritatem firmare, vel infirmare poſſe videbantur, tum vniuerſè, tum ſingillatim expendimus, ſed quę viam duntaxat faciunt ad ea, quę ſpeciem ipſam ac formam Epiſtolæ penitiùs introſpecturis, ex ipſis penetralibus erunt arceſſenda. Hic enim Rhodus, hic Saltus. Eæ nimirùm difficultates, quæ & propenſos in hanc religionem, animi quodammodo faciant pendentiores, & auerſos ab ea plus ęquo in cenſendo ſeueriores, eoque magis quod cùm nonnulli experientes rerum ac ſcientiarum videri velint, in tam ampla arguendi materie, intemperantia quadam ingenij an genij cum libertate abutuntur, quòd velut iniecto in tranquillam vndam lapillo, alij ex alijs circuli ducuntur, nec facilè quando euaneſcunt aduertatur; ita in præſenti inſtituto, vna quæſtione mota plures ac diuerſę enaſcantur difficultates, quibus vel ſoluendis, vel obterendis præſertim vbi res calumnijs agitur, pretium eſt maioris fortaſſe patientiæ quàm laboris. Sed hæc in conſequentibus. Interim quod ſpectat ad formam Epiſtolæ, non eadem apud omnes, nec diſſimilitudine in paucis inuenta, quo vel vno maximè ſe iactant oppugnantes, circumfertur; quæ tamen ex antiquioribus manuſcriptis frequentius teritur Latinè ſic habet.

MARIA VIRGO, IOACHIM FILIA, DEI HVMILLIMA, CHRISTI IESV CRVCIFIXI MATER, EX TRIBV IVDA, STIRPE DAVID. MESSANENSIBVS OMNIBVS SALVTEM, ET DEI PATRIS OMNIPOTENTIS BENEDICTIONEM.

VOS OMNES, FIDE MAGNA LEGATOS AC NVNCIOS PER PVBLICVM DOCVMENTVM AD NOS MISISSE CONSTAT. FILIVM NOSTRVM, DEI GENITVM, DEVM ET HOMINEM ESSE FATEMINI, ET IN COELVM POST SVAM RESVRRECTIONEM ASCENDISSE; PAVLI APOSTOLI ELECTI PRAEDICATIONE MEDIANTE, VIAM VERITATIS AGNOSCENTES. OB QVOD VOS ET IPSAM CIVITATEM BENEDICIMVS, CVIVS PERPETVAM PROTECTRICEM NOS ESSE VOLVMVS.

Anno Filij noſtri XLII. Indictione I. III. Non. Iunij. Luna XXVII. Feria V. Ex Hieroſolymis.

MARIA VIRGO quæ ſupra

Hoc Chirographum approbauit.

Hæc forma Epiſtolæ. Verùm (vt dicebam) varietas ſcribentium, varietatem etiam ſcriptionum peperit in non paucis, ſiue id iniuria ſit admiſſum, ſiue deprauatorum errore exemplarium, quòd præſertim parùm infirmare videretur veritatem, ſi in verbis duntaxat non in rebus foret diuerſitas. Itaq; ſi inſcriptionem ſpectemus, ne ſingulos codices, Scriptorumque nomina recenſeamus: aliqua manuſcripta antiqua ſic habent. Nos MARIA Virgo Ioachim. Recentiora verò. Nos MARIA Virgo, Ioachim filia. Illa iterum, ex Tribu Dauid: hæc verò ex Tribu Iuda, ex ſtirpe Dauid: aliqua ex ijs, ex Tribu Iudæ ſtirpe Dauid. Rurſum in aliquibus exemplaribus legitur, MARIA Virgo Ioachim filia, Dei humillima, &c. quo pacto nos retulimus. In alijs hoc modo, Dei humillima ancilla, aut ancilla Dei humillima: in reliquo conueniunt. Præterea nonnulli Scriptores omiſſo vocabulo (ancillæ) habent (Dei humillima, Chriſti IESV Mater:) non nemo, Chriſti crucifixi Mater: plures, Chriſti IESV Crucifixi Mater. Adhuc autem ferè omnes legunt, Dei Patris omnipotentis benedictionem: vnus aliquis recentior, Dei Patris benedictionem: ac rurſum alius penè tota inſcriptionis forma mutata, MARIA Filia Ioachim, de Tribu Iuda, de Domo Dauid, humillima Mater IESV Chriſti Crucifixi, omnibus ciuibus Meſſanenbus ſalutem, & benedictionem æterni Patris.

Ac vt minutiora conſectemur in ipſo etiam corpore Epiſtolæ mendum apparet; pro eo enim, quod nos legimus. Nuntios per publicum documentum ad nos miſiſſe conſtat. quidam legit, ad nos veniſſe conſtat. Et rurſum quod apud antiquiores habetur Filium noſtrum Dei genitum, eſt qui legat Dei vnigenitum: Adhuc verò vbi nos cum pluribus habemus Pauli Apoſtoli electi, non deeſt qui expungat vocabulum electi. Neque ſolùm, ſed ſub finem, nos legimus, Ipſam Ciuitatem benedicimus, cuius perpetuam protectricem, &c. alij tamen legunt, & eius perpetuam protectionem nos eſſe volumus. Præter hæc, plerique calcem Epiſtolæ, Indictione prima, Feria quinta ſignant: aliqui tamen aut vnum, aut alterum duntaxat affigunt; non nemo totam illam characterum ſeriem, ſeu non neceſſariam, ſeu malè poſitam, & luxatam potiùs, quàm locatam, aliqui tanquam aſcititiam prætermittunt.

Denique ipſa ſubſcriptio in paucis verbis non modico laborat vitio. Non vnus enim refert, Maria V. ſine alio addito. Alij Maria V. quæ ſupra: plures, Maria V. quæ ſupra, hoc Chirographum approbauit, aut approbamus; aliqui etiam addunt, hoc præſens Chirographum approbamus, aut etiam ampliori formula, Nos MARIA V. quæ ſupra, acceptamus, & affirmamus hoc præſens Chirographum. nonnulli tamquam peregrinas quaſdam lacinias reſecuerunt, vel ſi mauis, non aſſuerunt.

Quæ ſingula, vel etiam ſimul omnia, quantumuis fortaſſe cordatos Lectores haud remorentur; placuit nihilominus referre, ne curioſis obſeruatoribus dicam, an otioſis obtrectatoribus aliquid præteriſſe videamur. Hanc porrò tot nominibus ſacram Epiſtolam Hebraicè quemadmodum alibi diximus exaratam, à Paulo Apoſtolo primùm Græcè conuerſam, ab vno verò circiter ſeculo latinitate à Conſtantino Laſcari donatam tradunt inter complures Mutius [e] Iuſtinopolitanus à Villega [f] etiam relatus, ac laudatus; & Chriſtophorus de Caſtro noſter; nec non pleraque manuſcripta, quæ ad noſtras manus peruenerunt. Villegas tamen, meminerit licet verſionis ex Hebræo Græcè, auctorem nedum Paulum Apoſtolum, neminem prorſus nominat. Ioſephus Bonfilius [g] eandem verſionem non Paulo Apoſtolo, ſed Cōſtantino Laſcari tribuit, quis verò latinè reddiderit non meminit; certè eruditionem Laſcaris quemadmodum initio [h] notaui, niſi iſte ſimplicitatem elocutionis ex antiquo genio ſeruarit, ſapere non videtur. Eandem verò Hiſpanis loquentem, recens commentator Lucij Dextri [i] teſtatur ſe reperiſſe in Bibliotheca inſignis ſui Ordinis Ciſtercienſis

[e] Lib. 1. hiſtor. ſac. c. 15.
[f] Tom. 2. Cap. 20.
[g] In Hiſt. Meſſan l. 8
[h] Superius cap. 1.
[i] Ad ann 70.

Cœnobij vulgo Deſpina, & ne quid deſiderari pateretur à deuotis, ad verbum ſuis lucubrationibus inſeruit, nec non ex Hiſpano vt apparet Latinè conuerſam, ipſe idem quod opinor hoc ſenſu reddidit.

MARIA Filia Ioachim, de Tribu Iuda, de Domo Dauid, humillima Mater IESV Chriſti crucifixi, omnibus Ciuibus Meſſanenſibus ſalutem, & benedictionem æterni Patris.

Nouimus vos miſiſſe magna fide Nuntios & Oratores, confitentes plena recognitione Filium meum eſſe Hominem ſimul ac Deum, vnigenitum æterni Patris: Et ſimiliter quòd poſt eius glorioſam reſurrectionem, ad cœlum aſcenderit, agnoſcentes in omnibus certam veritatis ſemitam, mediante doctrina & prædicatione Pauli Apoſtoli noſtri. Quapropter vobis, & huic noſtræ Ciuitati, noſtram impertimur benedictionem, & promittimus vos ſemper ſub noſtra protectione, & defenſione habere.

Quæ verſio quemadmodum & Hiſpana, quàm differat à vulgata, legenti palàm eſt, ſed habet præterea neſcio quam cognatam facto ſpeciem, & circumciſum pro rei natura ſenſum, vt cùm aperta ſit ac ſola ſui nuditate ſepta, paucioribus tamen pateat oppugnantium cuniculis. Nondum verò mihi exploratum eſt, quæ huiuſmodi Hiſpanæ verſionis ſit ętas, vel quo tempore Bibliothecæ Deſpinæ illatum pro monumento ſimul ac ornamento, an item ſingulari tabulę commiſſum, vel certè libris aliorum & quorum inſertum, quæ omnia & ſingula, cùm non parùm momenti afferant ad firmandam veritatem, tum, ſi antiquior accedat ætas, quæ non minus famæ, quàm multorum auctoritati potuit præſcribere, de ſumma rei & rationum concludant neceſſe eſt. Interea tamen niſi aliter ab Auctore edoctus fuero, licebit rem coniecturæ committere, vt ea ſit Epiſtola Hiſpanicè conuerſa, quam nonnulli ferunt Annam Philippi coniugem è collo religioſè geſtare ſolitam, eandemque religionem ceteræ quoque familię commendaſſe, niſi propius etiam vero coniicias, illud ipſum Reginę exemplar ex vetuſtiori aliquo monumento manaſſe in aulam, regiæque erga cœli Reginam pretium habuiſſe pietatis. Quoquo tandem modo res ſe habeat, pleriſque ſapientioribus mirificè placet, ſynceram eam eſſe verſionem, minimeque notis corruptam adulterinis, aut ſi quo alio vitio Deiparę Virginis Ideam in eiuſcemodi ſchemate expreſſam carere neceſſe eſt.

Ceterùm quod ad vulgatam verſionem attinet ipſo ſuo vitio ſatis antiquam, quaqua demum occaſione, aut Scriptorum iniuria tot mèdorum labes inſederit, Meſſanenſibus non admodum curæ fuit, qui longa ab initio temporum ſerie, veritatem non tam perplexo Scribentium calamo, quàm auita religione in poſteros traducta ſanciri voluerunt; quando hac ſola ab exordio ſuſceptę Fidei, obtentęque Virgineę tutelę, inter tot ac tantas rerum temporumque viciſſitudines, ſtetit ſtabitque ſemper fauente Virgine, ſalua & incolumis dictę Epiſtolę cum Ciuitate religio. Qua in re illud admiratione dignum videtur inprimis, quod deſiderata pridem iniuria fortunę ea Epiſtola, tantum abeſt religionem Meſſanenſium erga Virginem, eiuſdemque ſacram Epiſtolam refrixiſſe, aut minima ex parte remiſiſſe, vt indies creuerit, incalueritque magis ac magis. Quod equidem haud ſine ſingulari Numinis prouidentia factum reor, quò Meſſanenſes in poſterum gloriari poſſent, ſe tam incomparabilem theſaurum, nō iam in ſcriniis reconditum habere, verùm in deuotis pectoribus tutius aſſeruandum ſuſcepiſſe. Id etiam cauſę opinor fuiſſe, cur eam iacturam multa per tempora moderatè latam, literis conſignare non laborarint, ne caneſcenti iam veritati, quam pręcipua religione per tot ſecula fecerant indemnem, aliquid periculi crearetur apud rudiores, neque enim periclitari poterat apud oculatos, quę iam diuulgata

uulgata per Orbem, ſcriptis etiam ac monimentis exterorum, quos ſuo loco referemus, famam inuenerat; vt nemini venire poſſet in mentem, futurum aliquempiam, qui rem liquidam, ac manifeſtam, niſi procul à calumnijs, & ſciſcitandi duntaxat gratia verteret in dubium. Quamquam ego non omninò vacuos à culpa fecero Meſſanenſes, qui concreditam exteris famam ab iniuria gentilium ſuorum, vendicare cùm poſſent minimè ſtuduerunt.

AFFERVNTVR ARGVMENTA DIRECTE MILITANTIA contra Beatæ Virginis Epiſtolam ad Meſſanenſes datam.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

ET ſi liquidum ſit quibus ac quantis rationibus prædita ſit noſtra hæc de Virginis Epiſtola diſceptatio, vt planè Sapientum ingenijs diffidere videatur, qui rem argumentis vltrò agendam velut in forum velit producere. Quia tamen eneruis cenſetur illa diſputatio, quæ contrariorum ſolutione, qua vel ſola ſtat victoria, minimè roboratur, conandum eſt deinceps allatis in medium rationibus aduerſis, eas infirmare, viamque veritati per ignotas etiam ſalebras, in quas eruditiorum argumenta nos impellent aperire.

Primus itaque ſe offert Cardinalis Baronius, Scriptorum gloria clariſſimus, & qui meritò agmen ducere queat, vbi plurium verſatur auctoritas. Hic vbi de Virginis Epiſtolis ad diuerſos exaratis ſententiam dicit. [k] *Traduntur* (inquit) *& alia ad alias ſcripta Ciuitates, quæ cuncta, cùm careant auctoritate, non niſi in Apocryphorum claſſem reijciendas eſſe, omnes facilè iudicabunt.* Sic ille.

[k] *Ad ann. Chriſt. 48.*

Baronio ſuccedit Chriſtophorus de Caſtro, [l] cuius eruditæ rationes, id apud reliquos effecerunt, vt ſpretis calumnijs, ad grauiorem diſputationem plerique tranſirent, nec pauci ſubdubitare inciperent. Enimuerò vbi de vtraq; Deiparæ Virginis Epiſtola, nempe ad Florentinos atque ad Meſſanenſes ſcripta, narrationem ſuſcipit, priorem illam piam quidem, ſed incertæ, ſibique incompertæ auctoritatis arguit, poſteriorem verò dubia quædam, & vt ipſi videtur pugnantia quoque continere exiſtimat. Nam *cùm* (inquit) *Paulus anno quadrageſimo ſecundo Chriſti, Tarſi Ciliciæ ageret vnde Barnabas eum euocauit, vt iret Antiochiam, ſicut colligitur ex Actorum vndecimo, & ante ſexdecim annos, nempe ante ſecundum Neronis, & Chriſti decimumſeptimum non venit in Italiam, niſi cùm vinctus ductus eſt Romam, iuxta Euſebium in Chronico, Hieronymum libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Paulo, & Caſſiodorum in Chronico, quod ipſum ſatis oſtendit ipſe Paulus in Epiſtola ad Romanos; non potuit illa Epiſtola ſcribi à Virgine Deipara, anno quadrageſimoſecundo Chriſti, poſtquam Rhegyum appulerat Paulus. Præterea quis non videat Nonas Romanorum eſſe non Iudæorum, & Indictiones inuentas fuiſſe anno Chriſti centeſimo decimo tertio, Conſtantino, & Licinio ſecundùm Conſulibus, vt ex Faſtis Græcis colligit Onophrius libro tertio Faſtorum, aut ſicut Cedrenus cùm alijs vult in Hiſtoria Eccleſiaſtica, ſi ad Octauium Auguſtũ referamus earum exordium, tertio anno ante Chriſti natiuitatem: quadrageſimus ſecundus annus Chriſti non potuit incidere in primam Indictionem, qua numerum quindecim complectitur annorum. Nec ergo conuenit tempus, nec Pauli profectio, ideoque pugnantia continet Epiſtola, & propterea à Virgine non eſt ſcripta. Nec mireris* (pergit Caſtro) *optime Lector, exiſtimans nos Virginis honori detrahere, quam toto hoc opere conati ſumus debito*

[l] *Hiſtoria Deipar. c. 84.*

proſequi

Digitized by Google

proſequi honore, non enim honor defertur illis ſi falſa affingamus, ſed ſi falſa non dixiſſe probemus, & ſibi non cohærentia, & in hoc aſſeramus ſicut & in alijs filium ſuum imitatam, vt nil in ſcriptis reliquerit nobis, cùm nobis eſſet minimè neceſſarium. Hæc Caſtro, animo vt apparet indagandæ veritatis, non pietatis opprimendæ.

Vidi alium quẽdam libellum ſine auctoris nomine copioſis ſanè argumẽtis inſcriptum, ſed quæ tabe quadam, & liuore animi virulenta magis eſſent ac mordacia, quàm ſyncera, & fortia. Ferebatur vulgò vnius è noſtra Societate artem & opus eſſe, quò calumniarum faber famam ſibi conciliaret, noſtri verò Ordinis nomen apud pleroſque grauaret. Sed enim patuit apud ſapientes arbitros impoſtura non alio magis ſigno, quàm aliena à Scriptoribus Societatis in ſcribendo intemperantia, ne quid dicam de plena rimis eruditione, & balbutiente in hiſtorijs infantia. Placuit hæc paucis, & tantùm leuiter aduertere, quò ſuſpicaces corrupti iudicij ſequeſtres officij commonerem, & procliues nonnullorum ad iudicandum animos continerem, ſuo nihilominus loco ſi quæ ex ea colluuiè puriores emergere videbuntur rationes, inter aliorum argumenta afferentur, alioqui nulla habenda numero.

Alia quędam magis accurata è manuſcripto quodam ſuggeſſerunt amici, auctoris nomine celato (niſi ipſe ſuppreſſerit) vel de induſtria in peregrinam appellationem commutato, ne cùm emunctior ſibi videretur, ſi pro natura ad lenitatem appoſita mollius à nobis remiſſiuſque tractaretur, modeſtiam noſtram pleriqve in conſcientiã ducerent. Quare cùm neque deinde quippiam exploratum de homine habuerim, iraſci mihi nemo poterit, niſi qui ante de ſe voluerit confiteri, ſi interdum ramenta quædam, ne dicam quiſquilias ratiuncularum magno ſtudio conquiſitas (pace meliorum argumentorum) apertius ac ſignificantius eleuauero, neque enim quæ dicturus ſum in hominis animum cadere volo, ſed in congeſtas ad ſpeciem veri, noua quadam obtrectantium intemperantia calumnias eſſe contorta. Ea verò argumenta bona fide ſicut accepimus huc in medium ſuo ordine digeſta conferemus. Interim licebit auctori latere poſt tabellam, & iudicium aliorum de ductis a ſe lineis tacitè obſeruare.

TERTIVM igitur argumentum eſt Anonymi, quod alijs dentatum, & rabioſulum, mihi potiùs ſcrupuloſum videtur, atque ab animo nimiæ religionis pleno profectum, quòd cùm ex vna parte nefas ducat Deiparæ Virginis ſcripturam corrumpere, ex altera verò tam diſcrepantia paſſim circumferantur exemplaria: vel nimium dubios eſſe velit de fide talis Epiſtolæ, vel plane irreligioſos qui variare audeant in multis, cuius vel apicem ſummè venerari deberent atque ſuſpicere. Nimirum pro certo accipit, optimus putator, Meſſanẽſes de induſtria tot mendis velle affectam Epiſtolam, alioqui religionem illi non habituros.

QVARTO loco venit argumentum à comparatione huius Epiſtolæ cum alijs quæ vulgò feruntur datę à Virgine, ad Ignatium martyrẽ, ad Ciuitatẽ Florentinam. Collatis enimuerò ſibi inuicem tribus his Epiſtolis, nihil videas diſſimilius ſiue ſpectes initia, ſiue exitus earum, vt de argumento, ſtylo, diuiſione, nulla interim mentio fiat. Quippe Epiſtola ad Ignatium ſalutationem præfert modeſtiorem, ad Florentinos nullam, ad Meſſanenſes confertiſſimam. In illis prætereà nullus anni numerus, menſis diei, nullæ temporum lociuè inſcriptæ notæ; at Epiſtola ad Meſſanenſes, quibus non munita præſidijs? neque vllum inuenias inſtrumentũ à quouis Actuario conſcriptum, quod pluribus obuolutum ſit notis rerum, temporum, locorum. Quæ ſanè diſſimilitudo literarum ex eo ſuſpicionem ingerit falſitatis, quòd apud Hebræos, ſicut apud ceteras nationes ſcribendarum Epiſtolarum eędem ſunt formulæ, eædem initio ſalutationes, eædem in extremo clauſulæ, à quibus temporum moribus MARIA VIR-

GO

Digitized by Google

GO prę ſua modeſtia non diſceſſiſſet, vt proinde ſi inuicem collatæ attendantur Epiſtolæ, altera alteram prodat & ſubuertat neceſſe eſt.

QVINTVM ſuperiori penè affine militat à ſuffragio Sapientū, ac primò eorū, qui Epiſtolas omnes MARIAE Virginis nomine vulgatas inter Apocryphas cenſent, tametſi non deſint graues alioqui, & ſancti patroni Epiſtolæ Ignatij ad Mariam, & MARIAE ad Ignatium, Bernardus videlicet, Marcus Michael Carnotenſis, Dionyſius Richelius, Sixtus Senenſis, Petrus Caniſius, & alij, quibus tū antiquior eſt Hieronymus & alij qui Ignatij Epiſtolas cēſuerunt, & extra numerū habuerūt. Hieronymo accedit Baronius eiuſdē auctoritate permotus, nec non Martialis Meſſineus, qui recens Ignatiū Græcè & Latinè dedit, & plures alij quibus eiuſmodi Epiſtolę nuſquā in Gręcis codicibus exploratæ, certumq́; eſt ante Bernardum nullum veterum Patrum earum meminiſſe. Verùm ſi hęc vniuerſim de Marianis Epiſtolis, illa certè ad Meſſanenſes paucioribus probatur, qui tamen ferè Conſtantino Laſcari ſubnixi, eo ruente ruant neceſſe eſt, nam nonnulli alij, pietate tantum ducti, animum magis accommodant quàm fidem, Caniſius videlicet, Franciſcus Arias, Ioannes Bonifacius, Laurentius Maſellius, & ſi qui ſunt eiuſdem pietatis, ſecus facturi ſi Epiſtolam vidiſſent ac legiſſent, Audentius tamen inter Apocrypha reijcit Baronius, & poſt ipſum Chriſtophorus de Caſtro, ob pugnantia quæ in ſe continet penitus videtur exauctorare.

SEXTVM huic ſuccedaneum ducitur à coniecturis. Cur tantū facinus ſiluit Lucas, indiuiduus alioqui Pauli comes minutus in minoribus conſcribendis? Quo fato admiſſum, vt nemo veterum tam inſignis facti meminerit? primus duntaxat Conſtantinus Laſcaris centum & viginti ante annos Bizantio Meſſanam profugus prodidit, vir doctus quidem, ſed Meſſanenſium gratiæ obſtrictus. Credine poteſt duabus Pauli concionibus Ciuitatem vniuerſam, in qua plura capitum millia cenſentur ad Chriſtum traductum? ac nemine prorſus contradicente, eam ſectam fuiſſe complexam, cui toto Orbe contradicebatur? Dei virtute factum vis. Id enimuerò vrgetur, an miraculum tacuiſſet Lucas? an fama apud Scriptores? quin hominibus tacentibus Legationem adeò nobilem ad Dei genitricem, lapides etiam prædicaſſent.

SEPTIMVM à iudicio magnorum virorum, & à modeſtia Virginis, quæ vel vnica ſit teſſera rerum ab illa factarum. Quorſum enim illa à Virgine vſurpata, ex Tribu Iuda, Stirpe Dauid, quonam pertinet commemoratio Tribus ac generis? quò Regię ſtirpis? inania hæc & Regibus ſolita Dei Mater tranſmiſiſſet. Quid illa Filium noſtrum Dei genitum, Deum & hominem fatemini, & anno Filij noſtri? Faceſſant hęc à modeſtia ſanctę Matris. Obſeruatum eſt nonnullis nihil ſe commoueri ad pietatem dum eam legunt Epiſtolam. Quin Ferię Dux Siciliæ Prorex, Vir ſapiens, & pręſtanti iudicio, ſępe cùm de ea ſermonem haberet, Virginis ſpiritum haud ſapere teſtatus eſt; nam procul eius ſanctitate & modeſtia prædicare ſe Virginem, appellare ſe Matrem Dei, quæ ancillam Domini ſe dixerat, quę Dei Mater appellata, ac laudata à cognata Elizabetha, ad Deum Deiq́ue laudes animum vertit.

OCTAVVM multa ex iam propoſitis iterum acceſſit, mutato quamuis in parte ordinis filo. Nempe hęc Epiſtola vertit mores temporum ac Gentis, inducit nouos, nec niſi poſt ſecula exorituros. MARIA VIRGO Ioachim filia. Id primùm contra mores temporum & Gentis, neque enim tum mulieres à parentibus, ſed à Viris cognominabantur, vt Maria Iacobi, apud Matthęum & Marcum, Maria Cleophę apud Ioannem. Interdum à filijs, vt Ioſeph mater apud Marcum. Cur ergo Maria dicta à patre Ioachimi filia? cur non ab Anna matre? cur non ab vtroque ſi à parentibus ducendum nomen, ſeu potiùs à Sponſo MARIA Ioſeph? rectius à Filio MARIA IESV, à quo inditum penes Hagiographa cognomentū, & MARIA IESV à S. Igna-

tio

Digitized by Google

tio legitimè dicta neque aliter dicenda. Itaque rectè obſeruat S. Thomas [m] Mariam Virginem non niſi à filio ob dignitatem ſui nominatam. Sed nec alio nomine ſe quiſque appellat, quàm quo vulgò ab alijs appellatur; proinde & Beatæ Virgini MARIA IESV ſcribendum fuit, idque pro vſu gentis ac temporis, vt liquet ex Ioanne, Luca, Ignatio. Addi poteſt, nec ad rem nec ad mores feciſſe congeriem titulorum ex parentibus, filio, auis, atauiſque, quid enim ſi ab ijs temperarunt Apoſtoli in Epiſtolis ad Eccleſias ſcriptis, quanto magis Beata Virgo exemplar ac magiſtra modeſtiæ?

[m] 3. p. q. 28. a. 3. ad 6.

NONVM argumentum ipſa penetralia Epiſtolæ inuadit. Sed iterum à ſilentio Lucæ ſeipſum fatigat. Qui factum Rhegyo euocatum Meſſanam veniſſe Paulum, biduò ibidem prædicaſſe, Meſſanenſes ad fidem adduxiſſe, Legatos Hieroſolymam deduxiſſe, & nihil horum Lucam in Acta retuliſſe, qui & Vrbes, alteram Siciliæ, Calabriæ alteram quæ Paulum acceperunt, dieſque in illis extractos ſedulò adnotauit. Quid interfuit exſcenſionem Syracuſanam nulla rerum memoria illuſtrem commemorare, præterita admirabili Reipublicæ Meſſanenſis conuerſione, nobiliſſimæ Legationis ad Dei genetricem inſtitutione, quod multum referebat ad religionis decus, ad gloriam Dei? Pugnat deinde cum libris Canonicis Paulum vinctum illo tempore Romam perrexiſſe, & ex ſententia Laſcaris Rhegyo Meſſanam accerſitum, & à Meſſanenſibus Legatum ad Deiparam Hieroſolyma miſſum, quid iſtud commenti? Lucæ an Laſcari credendum, homini præſertim Græco? Sed inquies affixa iſta à Laſcari Epiſtolæ Virginis præfatio fabuloſa eſt, ea reciſa conſiſtere Epiſtolam. Accipio. Sed adhuc falſum quod ipſa loquitur Epiſtola, Meſſanenſes à Paulo ad fidem adductos, Legationem ad Virginem deſtinaſſe: contrarium Hiſtoriæ demonſtant, imò fides Canonica. At Meſſanenſes (inquies) conuertit cùm Rhegyo ad illos acceſſit, deinde verò exactis Romanis vinculis reuerſus, Legationem obiuit. Verùm ſi huc confugias, caue ne precium ſententiæ ſit pudor: recta in aduerſum pugnat chronologia. Nam Paulus quinquageſimo nono Chriſti anno ductus eſt primùm Romam, ac tum Virgo Deipara aſſumpta in cælum in humanis eſſe deſierat. Vis teſtes? adi Chronicon Euſebij, qui ex antiqua traditione Virginem migraſſe tradit anno quadrageſimo octauo, idemque probat Baronius in Annalibus, nempe vndecim annis poſt aditam Romam. Quid hic ais? ergo Legati à Meſſanenſibus ad Virginem miſſi cum non eſſet? ergo Epiſtola illa è cælo ſcripta? Sed & illud vanum, Legatum iuiſſe Paulum poſt Romana vincula, anno ſcilicet ſexageſimo ſecundo, adeoque poſt exceſſum Virginis decimo quarto, niſi alia vice raptum nec tantum vſque ad tertium cælum, verùm vſque ad empyreum Meſſanenſium gratia, deridiculè quis fingat Paulum, ſecumque eò traxiſſe legatos Meſſanenſium, longè rariori fabulę commento, quàm vt in Metamorphoſi extare queat. Viden' vt mentita eſt iniquitas ſibi?

DECIMVM argumentum, in noxam falſi vocat Scriptores, qui Virginis Epiſtolã in Archiuio Meſſanenſi tam Hebraicè quàm Græcè ſcriptam aſſeruari memorant, Philippum Gothum in primis, Petrum Caniſium deinde, Franciſcum Arias, Ludouicum Maſelium, & alios. Sed nihil tale inueniri compertum eſt omnibus nedum externis ſed indigenis ac ciuibus Meſſanenſibus, qui omnia ſublina, & ſcrinia Ciuitatis ſtudio in Virginem diligenter peruoluerunt, & excuſſerunt. Furto ſublatam dixeris? Exquiratur fidiculis à Laſcari, qui enim detrita æuo, aut caſu deperdita? quis dixerit fato abſumptam diuinam epiſtolam, in cineres conſediſſe Deiparæ manu contactam? ſed nec amiſſam dixeris, id ſceleris non admiſiſſet Meſſana, quæ velut diuinæ particulam matris, auro argentoque & gemmis incluſam, & quæ rerum omnium pretia ſuperat, diligenter conſeruaſſet. At ſaltem, ſi Hebræum interijt,

M Græcum

Græcum exemplar ex quo Laſcaris Latinè reddidit exhibeatur, quomodo id inter manus Laſcaris perijt, quod plus mille quadringentis, & quadraginta annis, in tot rerum ac Regni cladibus illæſum permanſit, à centum viginti annis deſideratur, vt Laſcaris duntaxat verſio in luce verſetur? Magna hæc ſanè nota Laſcaris.

VNDECIMVM vertitur cõtra murum in hac Epiſtolæ defenſione vt videtur aheneũ: Traditionem ſcilicet qua ſuam Meſſanenſes religionem vallatam, hactenus ſartam tectamque conſeruarunt; Ea nunc demum euerſa, ipſa quoque Epiſtola ruat, vnaque dicta religio in nihilum recidat, neceſſe eſt. Inde verò arceſſit, quòd non quicquid traditione aliqua deriuatum ſit, id continuò ſanctum eſſe habendum, cùm multas alioqui traditiones haudquaquam Chriſtus improbaret in Euangelijs, Iſaias in oraculis ſuis, neque Paulus appellaret inanem fallaciam, nec Hieronymus aniles fabulas. Probandæ igitur tanquam aurum ad lapidem Lydium priuſquam recipiantur. Sanè traditio originis ſolida eſt, ſed firmata antiquitate. Nam permagni intereſt noſſe, à quo & quando quippiam traditum ſit. Præcipuè verò ſolida traditio eſt, quã ab Eccleſia Patribuſque vniuerſis vt ait Auguſtinus accepimus, vel in quam omnes conſentiunt vt tradit Hieronymus; demum quæ nec diuinæ legi, neque fidei, neque hiſtoriæ ſacræ refragatur. Quæ notæ huic de Epiſtola Virginis traditioni minimè conueniunt, Primùm enim à Laſcari cæpit, certè ante ipſum hoc eſt ante annos centum viginti, quo is æuo græcas literas Meſſanę cum laude profitebatur, nihil de ea Epiſtola à quopiam auditum, ſcriptum, dictumue: Deinde neque in eam omnium conſenſus eſt, plures contra ſunt, euertuntque, qui Viri? probi doctique; Denique pugnat cum libris ſacris, & canonica fide probatis, vt ſuperiùs oſtenſum eſt. At pia eſt traditio, fateor. Haud tamen illi ex veritate ad pietatem robur.

DVODECIMVM his ex alio quodam Anonymo acceſſit argumẽtum, diuerſo tamẽ à ſuperioribus genio excogitatum. Deiparæ nimirum Virgini donum linguarum fuiſſe collatum, vel ipſo die Sacro Pentecoſtes, quo & Apoſtoli varijs linguis cæperunt eloqui magnalia Dei, vel multò ante à Spiritu Sancto vt credere par eſt, infuſum. Poterat ergo Deipara Virgo patria Meſſanenſium lingua reſpondere Legatis, nec opus erat interpretem Paulum, ſiue ad reddendos Virginis conceptus inter colloquendum, ſiue ad Hebræam Epiſtolam Græcè conuertendam adhibere.

DECIMVM TERTIVM deniq; ac poſtremũ argumentum, repentina quadã velut ex abrupto conſecutione illud obiectat, quo contra ius auitum Meſſanæ conclamatum putet, facileque Meſſanenſes in pœnitudinem commenti inducendos. Nam cùm ipſi conuerſionem ſuam, & illati Euangelij lucem Paulo acceptam ferant, illo verò tempore iam pridem miſſi à Petro Antiochia diſcipuli, vbique Siciliarum præterquam Meſſanæ fidem prædicauerint, locisque Antiſtites dederint: nihil antiquius erit quàm Meſſanenſes, vocatione omnium poſtremos, dignitate quoque cenſendos eſſe extremos, & quod hinc conſequitur, primatus Eccleſiæ iure caſſos, fruſtra ſpecioſum nomen inani faſtu iactare, fruſtra antiquitatem Metropolitanæ dignitatis per ambages venari, fruſtra diſquiſitis priuilegijs contra aliorum iura ſeſe obarmare.

Atque hæc ſunt argumenta precipua, plerunque etiam in circulis iactata, quæ non parum viſa ſunt poſſe labefactare huius Epiſtolæ religionem, ſi non è medio tollere; fortia nimirum ſi ad pauca reſpicias; copioſa, ſi in ijſdem exundare velis; aperta, ſi obuias tantum rationes, & coniecturas ſpectes; pro religione decertantia, ſi excuſes: deniquè planè concludentia, ſi diſſimules. In quibus quidem recenſendis ita me verſatum eſſe oportuit, vt Baronij, & Chriſtophori de Caſtro auctorum grauium dicta verbis proprijs afferrem; Anonymi verò argumenta incorrupto ſenſu quantum

duntaxat

Digitized by Google

duntaxat ad rem facerent, alioqui reciſis, & caſtigatis ſententijs, quòd interdum aculeis incederent viro graui minimè dignis, interdum iuuenili quadam oſtentatione, exclamationibus quibuſdam, & exaggerationibus nō neceſſarijs abundarent, ſæpè etiam eadem, maximeque leuia abſque operę pretio repeterent, quò ſaltem calamus luxuriaret, non quò vis aut eruditio ineſſet, quæ in argumenti robore verſaretur. Et quamquam pleraque ex ijs, iam à nobis ſuperius preſſa ſint ac profligata, quatenus vel cogitantibus incidebant, vel ex occaſione eorum quæ dicebantur ſeſe ingerebant; placuit nihilominus eadem ex proprijs caſtris arceſſere, & in propria claſſe nouis pro re nata rationibus refellere, ne fortaſſe fraudem feciſſe videremur auctori, ſi non genuina ſuis locis redderemus, quamquam foret vt in manuſcripto ſponte (quod dicitur) in ſpongiam incumberent omnia, vel certè ſecundis meditationibus recentiores lituras admitterent. Id verò dum facturi ſumus, illud ſubinde Hieronymi [n] ante oculos habebimus, *In terra aurum quæri, & de fluuiorum alueis ſplendentem proferri glaream, Pactolumque ditiorem eſſe cæno quàm fluento*. Sed iam ad rem propius accedamus.

[n] In Epiſ. ad Miner. & Alex.

RESPONDETVR ARGVMENTO CARDINALIS Baronij.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

ARgumentum à Baronio vel potius ab alijs ex ipſo inductum, quo velut præſidio multorum fides vanè ſe continet, non plus incommodi quàm ad iumenti noſtrę cauſę afferre cuiuis palam eſſe poteſt. Enimuerò ſi Baronius modicum adhuc ſuperſtes in deploratum ſibi Lucium Flauium Dextrum incidiſſet, dubio procul Virginis ad Meſſanenſes Epiſtolam auctoritate carere minimè cenſuiſſet, (quamquam, & Caniſium [o] eximium habere poterat, cuius laudem per omnes eſſe Eccleſias alicubi ſpontè dixit) neque ſolum ex apocryphis erutam in ſuorum annalium lucem verſari voluiſſet, verùm etiam antiquata ſi quam antea contra ſuſcepiſſet, & abolita penitus opinione, calamum ad nouam ſententiam ſcribendam attemperaſſet. Quidni enim id præſtaret, vir ſummè ſapiens, cuius proprium eſſe ſolet, mutatis interdum conſilijs, ingenium ad æquiora apponere, idque longè ſatius ducere, quàm arrepta ſemel animi ſenſa, tametſi non adeò firma, ſemper eodem iuditio veluti fato quodam circumſcribere. Neque verò auctoritas Flauij Dextri non flexiſſet Baronium in cauſa Virginis, quem nimia quōdam religio Ruderici Toletani à patrocinio Iacobi Apoſtoli facilè abduxit, vt quem ad Hiſpanos conceſſiſſe pridem haud obſcuris argumentis retuliſſet, obliterata deinde cum ſcriptis fide priſtina, mentem ad placitum Ruderici non inuitus appelleret. Quamquam ſi res ad viuum reſecanda ſit, neceſſe non erit Flauium Dextrum producere teſtem, quando vt ceteros taceam, quod modo inſinuaui, vel vnius Caniſij dignitas eo loco ſemper ſita ſit, vt non modo Baronium permouere debeat, verùm etiam ſi auctoritate certetur, legem de fide poſcenda vel in Areopago figere poſſit.

[o] Ad ann. 9.

Non me fugit delectu inter auctores habito, recentioribus vetuſtiores anteferri, quòd hi rei geſtæ propius adfuiſſe, & quodammodo inſpectam certiùs hauſiſſe credantur. Verùm id tum demum locum habet, vbi cùm cetera paria ſunt, auctoritate

ſingularium fides fulcitur. Nam ſi iniuria fortaſſe temporum, auerſis antiquiorum monimentis, neſcia originis ſuæ fama, domicilium fixit apud recentiores, fruſtra teſtes ab antiquitate repetuntur, adeundusque eſt fons ipſe veritatis, quem tanta ciuium religione in hæc vſque tempora effluentem, digitus famæ probè intendit. Atqui hoc loco, ſi explicato paululùm argumento illud Chryſoſtomi [p] obtendatur *Eſt Traditio nihil quæras amplius*, & illud Tertulliani [q] *Obſeruatio inueterata præueniendo ſtatum fecit, quam ſi nulla ſcriptura determinauit, certè conſuetudo corroborauit quæ ſine dubio de Traditione manauit*, non dubito me ſatis locupletem auctoritatem Baronio [r] editurum, apud quem teſtimonium Traditionis, ſacra & inuiolabilis eſt fides. Sed cùm ipſe in ea auctoritatis mentione potiùs, quàm inquiſitione, forum contentionis minimè nobis indicat, non obſcurè ſignificaſſe credendus eſt, quàm ſpontè in noſtras partes ſit conceſſurus, ſi præterita etiam auctoritate, ad incorruptam perpetuæ conſtantiſſimæque Traditionis legem, hiſtoriæ fides reuocetur.

p In 2. Epiſt. ad Theſſ. hom. 4.
q De coron. milit.
r Sub. an. 53. fol. 282

Nam qui Chryſoſtomum [s] ſanè omni exeptione maiorem, Rhetorum more amplificando potius, quàm vt ex authentica probari poſſet hiſtoria, locutum eſſe opinatur, dum veſtibus, & vmbra Pauli Apoſtoli mortuos ad vitam reuocatos adſtruxit: ſatis luculenter oſtendit, ſe non adeò obſtrictam gerere mentem, vt cuiuſuis auctoritate non potiorem ducat Traditionum commendationem, quarum ipſe non modo fontes aperire, verùm etiam qui puriſſimi latices ex illis dimanarint, oſtendere ſe profitetur. Qui præterea Traditionem illam Orientis, Damaſceni [t] quoque authoritate firmatam, de Traiani anima Gregorij Papæ precibus ab inferis liberata, ſeuera planè ſententia configit, ne quemadmodum ipſe loquitur, [u] ea leuitate Chriſtianæ religionis maieſtatem amplius traduci patiatur, apertiſſimè declarat Traditionibus etiam quouis prætextu pietatis per tempora deductis, atque adeò planè palmari auctoritate roboratis, fidem non eſſe adhibendam, ſi vel in ſpecie cum ſacris literis videantur pugnare, nedum è diametro (quod aiunt) aduerſari. Qui denique illapſum primò in diſcipulos Domini de immortalitate Ioannis Apoſtoli errorem, ab Hyppolito [x] Portuenſi deinde paulatim propagatum, ac demum conſecutione temporum non paucis conſtanter aſſertum, graui cenſura notauit, liquidum omnibus ac manifeſtum fecit, quàm non modo è faſtis, verùm etiam ex animis eradendas putarit opiniones, quæ quantumuis pietate prælata, nonnullorum auctoritate fultæ, conſenſione plurimorum approbatæ, aſcititio quoque ſacrarum literarum colore veſtiantur, ſi tamen deprauatus ſcripturæ ſenſus, abludente ratione religionem reddat vitioſam.

s Ad an. 55.
t In orat. de defunctis.
u Tom. 2. ad an. 100.
x In tract. de conſum. mundi

Quæ omnia cum longè ſeiuncta ſint ab hac Epiſtolæ Virginis Traditione, non dubito quin Baronio maximoperè probari debuiſſet, niſi mentis aciem inſtituto citius ad alia deflexiſſet. Eſt enimuerò noſtra hæc Traditio, ſcripturæ, fideique minimè repugnans, auctoritate humana non infirma, diuina ſignificatione longè præſtantior, pietate creſcente in dies validior, religione per tot tempora propugnata ſacratior, denique certa apud exteros fama percelebris, ſed innata ciuium conſenſione quæ veritatis lingua eſt, conſtantiſſima. Et fortaſſe, ſi qui animus alibi fuit, à Baronio ad Baronium prouocemus, nuſquam ipſum corrupti iudicij ſequeſtrem patiemur, qui multa de Virgine tradita, quantumuis inter apochrypha cenſeat, non tamen impugnat quaſi minus certa. Audiamus ipſum [y] loquentem. *Cum non ſit* (inquit) *impoſſibile apud Deum omne verbum, ſicut nec ob eam cauſam, quòd feratur in Melitonis apocrypho eadem reſurrexiſſe, & vnà cum corpore aſſumpta in cælum, id negamus vel in dubium reuocamus accidiſſe, quæ præſertim Iuuenalis Hieroſolymorum Epiſco-*

y Ad an. 48

rum Epiſcopus, non ex ſcripto aliquo commentario, ſed potiùs ex antiqua Traditione ſe accepiſſe teſtatus ſit. Hæc Baronius. Itane verò qui Iuuenali, vel potiùs traditioni à Iuuenali ſuſceptæ credit ea, quæ ſupra humanam fidem videri poſſint, non crediturus foret Flauio Dextro, rem non modo traditione firmatam, ſed quæ nec conicturam vulgi, nedum ſapientum opinionem queat ſuperare? Abſit hoc à Viro ſupra communem aleam poſito, quid enim hic videri queat impoſſibile? quid vel vnico pugnatum argumento? vbi ſi cetera deſint, ſola vnius Flauij Dextri ſufficere debeat ſcripta traditio, quando nulla contrariæ memoriæ, ſi recentiora tempora demas, queat eſſe ſatis explicata recordatio.

Habet igitur auctoritatem huius Epiſtolæ Baronius, habet non recentem ſed antiquam, quidni ergo ſi ad ſeipſum redeat, plenis votis in noſtram ſententiam eat? Quamquam ipſe non auctoritatem antiquiorem, ſed duntaxat auctoritatem requirat, quò hanc de Epiſtola traditionem apocryphis eximat: habuit verò Caniſium, quem vtique virum? ipſi ſanè Baronio planè Apoſtolica vt conſtat laude dignum, cuius non dico firmiſſima aſſertio, ſed vel tenuis conicctura, imo verò ſimplex ſine teſte narratio, in ijs præſertim lucubrationibus quas ipſe Baronius ſuſpexit, Orbis hodieque veneratur, ad faciendam fidem ſatis eſſe poterat ſapienti, nedum illa Reipublicę Meſſanenſium collaudatio, aut quod maius eſt, pietatis Virgineæ in reſcribendo commendatio. Habuit & Conſtantinum Laſcarin virum in paucis eruditum, in multis notum, & cui ſtataria Græcarum, & Latinarum Bibliothecarum ſcrinia non ſemel peruoluta; & cuius ille noxæ tam reus, quin claſſem auctorum explere poſſit, quantumuis fingas Flauium Dextrum nondum in lucem emerſiſſe? neque enim conficies ab illo ſumpſiſſe auctoramentum, ſed ad ſummum exulantem apud exteros famam reuocatam, intermortuam apud ſuos præ iniuria temporum celebritatem reſtitutam, nunquam certè ſepultam veritatem excitatam. Ecquis adeò deſipiat, vt hominem vel in omnes à natura, & arte fraudes inſtructum, in tanta luce velit tenebras quæſiuiſſe, quibus Meſſanenſes ciues, genus planè acutũ ac circumſpectum, imò vt quidam ait ſuſpicioſum affunderet, in re præſertim ſi nunquam audita fuit, tam inopinata ac admiranda, tam præterea ſacra, quam inuidiæ popularium, dicam gentium etiam exterarum æmulationi obiecta, vt ſine cauſa inanis cuiuſdam glorioloæ captato rumuſculo, eoque apud omnes deridiculo, leues haberentur apud omnes, ſed præſertim in cæteris quoque ſanctitatibus religioni ſuæ ac pietati in Diuos perpetuam labem inurerent.

Age verò neſcio quam ob cauſam Conſtantino Laſcari, nullius vnquam comperto flagitij fidem abroget Baronius,[a] qui Procoro mortalium mendaciſſimo, vel qui (vt ipſe loquitur) *in multis mendaciſſimus auctor fuiſſe conuincitur* in non paucis mentem ac religionem ſanctam habeat, cuiuſmodi inter alia ſunt, Epiſtolas Domitiani, & proconſulis Aſiæ vltrò citròque datas, de Ioanne Apoſtolo reo impietatis conſtituto Romam mittendo, de eodem à Domitiano ignominiæ cauſa tonderi iuſſo, denique Romæ in feruentis olei dolium ſiue ſolium demerſo, quod præſertim vltimum tam certum eſt Baronio, quam alijs religione totius Eccleſiæ ſacrum. At (inquiet) eadem habet Tertullianus, eadem Hieronymus, quid tum? Hieronymus ex Tertulliano ſuſcepit, quid ſi Tertullianus ex Procoro, idque non quia Procorus dixit, ſed quia nihil cum vero pugnans aſſeruit? vt proinde in re noſtra nõ quia Laſcaris attulit, ſed quia verum adſtruxit, fides illi credenda, eoque cummaximè, quòd cetera dictorum integer, noxæque purus, ſimile mundo flagitium haud intulit. Vel ſi primus hiſtoriam fama circumdedit Tertullianus, aut perperam excogitarit oportet, (quam libidinem nemo illi affinxerit) aut à Traditionę maiorum

Ad ann. 92.

de pręſcript. c. 36.

compara-

comparauit, quò proinde fruſtra quauis alia auctoritas imploretur, eoque magis ſi per ſecula deerrans fama neſciat originem, raramque interdum in ore paucorum ſedem fixit.

Multa id genus alia, ſi augendis certaretur argumentis produci in medium poſſent, eodemque tandem relaberentur, vt conflictatis pro libitu auctorum nominibus, Traditio maiorum duceretur in partes, quod mihi quidem non ante videtur neceſſarium, quàm cùm hiſtoriæ, temporum, & auctorum nomina vacua ſunt, vacuum quoque ſit in pietatis ac religionis conſcientiam, Traditionem adſciſcere. Sed enim cum non adeò contento certamine adoleuerit, aduerſus noſtrum conſilium auctoritas Baronij, qui tectè duntaxat inſinuauit Epiſtolas à Virgine ſcriptas, quà auctoritate ſunt caſſæ, inter apocrypha eſſe conijciendas, vereor ne quis exiſtimet parandæ ſolùm cauſæ noſtræ, tot quæſitis rationibus extra quàm res poſtulat, morem geri. Verùm is vnà cogitare debet, altè deſtinare ictum, cui ima ferire eſt animus, proinde in adumbrata cum Baronio pugna, illis verum ac præcipuum deſignari certamen, qui ſecundùm contemptum Virginalis Epiſtolæ, grauiſſimè de Conſtantino Laſcari opinantur, quaſi homuncio leuis ac fama perditus, gratioſum à Virgine commentum, gratiam ipſe Meſſanenſium nundinatus prætenderit, ac planè in religionem ipſe primus conuerterit. Ceterùm aduerſus iſtos deinceps erit enitendum. Nunc quod in re Baronij ex profeſſo militat, capitali bello cenſendum haud videtur, ſi cauſæ facies latiùs aperiatur. Enimuerò ſi eadem illi cum Gelaſio de apocryphis ſedet ſententia, (alia certè eſſe non debet) quemadmodum cum illo peræquatis ex delectu rationibus alibi tranſactum eſt, ita cum Baronio nullum intercedet diſſidium. Alioqui repetendum ab eodem erit arbitrium, cur interdum ſeuerè de apocryphis cenſeat, interdum verò pro re ac voto ſuo conniueat, & in vnius propemodùm inſtituti tractatione, ſicut initio capitis vidimus ne in diuerſa abeamus, ab apocryphis auctoritatem accerſat, hiſtoriæ fidem ſufficiat.

RESPONDETVR ARGVMENTO CHRISTOPHORI de Caſtro pro nota Anni quadrageſimi ſecundi.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

ARgumentum Chriſtophori de Caſtro tripartito velut agmine Græcorum more acies explicat: à nota videlicet anni quadrageſimi ſecundi, quo nauigatio Pauli in Italiam nondum fortaſſe adhuc cogitata, nedum pro occaſione fuit inſtituta: à Romano Nonarum ſed præſertim Indictionum inuento, quod vel ſeculari à Chriſto decurſo ſpatio in Faſtos immiſſum, vel ſi tertio ante Chriſtum anno, geſtis Octauij Auguſti adnatum, primam ex quindenaria præferre nequit Indictionem: denique à minimè neceſſario Virginis inſtituto, quatenus ipſa perfectum ſui Nati exemplar in alijs, ſicut ipſe à ſcribendo abſtinuit, ita Virgo nihil manu ſua exaratum poſteris debuit commendare. Cuius quidem argumenti, quò clarior in medium afferatur ſolutio, differendæ ſunt in capita partes, ſuiſque ex ordine obiectis inſiſtendum.

Viderat porrò non ita multò ante in ſua Meſſana Ioſephus Bonfilius illam vacillantis anni poſitionem, neque ſolùm ſibi viſus eſt errori exemiſſe, verum etiam de tota

Digitized by Google

de tota controuerſia ita ſtatuiſſe, quaſi nihil amplius reliqui feciſſet calumniæ. Vnum verò ſibi delegit conſtantis ſententiæ velut præſidium, ex quo infirmatas omnium vt putabat rationes proſterneret. Nimirum ſi aſſereret pridem antea Paulum in Italia diuerſatum, quàm cum vinctus ad Cæſarem duceretur quinquageſimo nono Chriſti anno, Virgine dudum extra mortales poſita, ſi temporum ſpatia rite à rerum curſu exigantur. Tum verò, ſi non præſentem Meſſanæ, alibi certè in Italia gentium prædicaſſe Apoſtolum, eiuſdemque prædicationis fama duntaxat audita Meſſanenſes lucem frugemque reſpexiſſe. Nempe Bonfilio communis error tametſi minime doloſus, fucum fecit ad æſtimandam veritatem, quòd mendoſo ſed tamen noto codice vſus, in Actis [c] Lucæ pro Attalia quæ Ptolomæo, & Straboni ciuitas eſt Pamphyliæ, ipſe legit Italiam, quaſi Paulus, & Barnabas tranſeuntes Piſidiam, venienteſque in Pamphyliam, & loquentes verbum Dei in Pergen, deſcendiſſent in Italiam, & inde nauigaſſent in Antiochiam: minimè verò ipſe auctor falſi, ſed tãtum ſectator erroris, procliui alioqui lapſu etiam Geographiæ peritis quos notat Lorinus, [d] & in ſimili inter alios aduertit Baronius [e] haud ſemel Miletum pro Melita, viciſſimque mutatis appellationibus alteram pro altera vſurpatam, vt taceam ſimilitudine vocabulorum in deſcribendis locis peritiſſimos quoſque Scriptores interdum aberrare, quaſi in hoc ſtudio ratum ſit veritatem errando conijcere.

c Actor. 14 lib. 5. c. 10. lib. 14.

d In Act. c. 14. n. 24.

e Ad an. 58. & 56.

Sed enim neſcio an maioris inſcitiæ quàm imprudentiæ ſit notabilis quorundam error, nominibus Attaliç atque etiam Italiæ eo Scripturæ loco ſignari pagum qui intra Meſſanam ac Taurominium ſitus, Paulo Syracuſis relictis reliquam Siciliæ oram legenti exſcenſum præbuit, de quo iam alibi ſatis diximus, quaſi quod vulgaris appellatio Italæ nonnihil adluderet, hoc ipſum à Scriptura ſit intentum, quod iſtis ridciule in mentem venit: niſi non tam ſibi ea interpretatione lenocinari voluerint, quàm intempeſtiuæ calumniantium obtrectationi illudere, quo fere modo non ita pridem, haud obſcuri nominis Catholicus, importunam rudiorum quorundam Hæreticorum calumniam de non adſalutanda Deipara Virgine (vt aſſolet inter Catholicos, dato mane, meridie & veſperi conſueto ſigno) eò quod nihil de eiuſcemodi cultu Scriptura ſacra præciperet: obiecto illo Pauli ad [f] Romanos. *Salutate Mariam quæ multum laborauit in nobis*, extemplò ita confecit, vt quemadmodum canes ad vmbram Hyænæ faceret obmuteſcere, non intelligentes [g] de Maria Caſſobolite ad quam Ignatius quoque martyr ſcripſit, ſermocem eſſe.

f Ad Rom. 16. n. 6.

g Bened. Iuſtin. in Ep. Pauli ad Rom. 16.

Cæſar Muſarra peritus Ephemeridum ſupputator, non indiligenti calculatione rem eò deduxit, vt ſtatis quibuſdam hypotheſibus ex Ioanne Lucido aliiſque id genus gnaris, illas Epiſtolç notas certa cum anno lege fixas deprehenderet, nihil opinor penſi habens an illo quadrageſimo ſecundo anno aliquod temporis interuallum fuerit Paulo relictis Orientis oris, in Siciliam adnauigare, illis id curæ permittens quibus precariam in ea ſupputatione operam condonarat. Itaque iſti præcipuo quodam ſtudio in id vnum enixi ſunt, quo propoſitum tuentes, ſpiramenta quædam & quaſi rimas ex hiſtoria Lucæ elicerent, quibus Paulum data rebus Iudeæ atque Aſiæ vacatione, ſeceſſiſſe ad tempus comprobarent. Quod cùm difficile factu videretur intra limites anni quadrageſimi ſecundi, operæ pretium duxerunt laxata quadam opinandi licentia, eaſdem numerorum notas vel in ſuperiorem annum aliquem reſtringere, vel ſaltem in non longè proximè conſequentē defigere, nouo plane ſiſtemate, quaſi quod in veneris iactu ſæpius, id perinde in annorum characteribus eueniret, quemlibet cuilibet perperam affingendo, niſi etiam in tam breui curriculo Platonicos ſyderum poſitus coercendos putarint, quibus omnia ad eoſdem redire ſtatus aſſererent. Non me latet Pauli peregrinationem tot ac tam diuerſis

peractam

peractam tramitibus, vix ad vnguem poſſe delineari, [h] *quis enim certus ſit*, vt recte inquit *Lorinus quem curſum exacte tenuerit Paulus, & à recto itinere vtrum non aliquando deflexerit, prout varia ferebat occaſio*; ſi tamen non diuerticula reſtrictiorum quærantur itinerum, ſed præcipuè longiores, ac vt ita dicam regiæ peragrationes, qualis ex Syria in Italiam ſolet eſſe nauigatio, ſicut reticeri non debuiſſet, ita dubio procul quadrageſimo ſecundo Chriſti anno comprehendi potuit minimè, quando illo eodem anno qui conuerſioni Pauli ſeptimus labebatur, [i] idem Paulus cum Barnaba non interrupto, in Eccleſia Antiochiæ conuerſati perhibentur. Sed neque illud annorum ſpatium, quod à prima ex Vrbe Hieroſolymorum profectione interceſſit vſque ad acceſſam Troadem, vacuam Paulo dedit nauigandi moram, multoque minus ille temporis decurſus, quo Troade Cæſaream breuioribus itinerum flexibus remeauit, quando id interualli ſi Chryſoſtomo [k] credimus, haud pluribus quàm duobus ſupra quadraginta diebus exæquatur.

h In cap. 20. Act.

i Actor. 11 Corn. a Lap. in Chronot. ad Acta. an. 42.

K Apud Lorin. in cap. 21. Act.

Hos vt alij ſcopulos deuitarent, alias atque alias cogitationes ſuſceperunt, quemadmodum vel caſtigatas Epiſtolæ notas ritè reponerent, vel illis inſuper habitis, anticipatam nihilominus Meſſanę conuerſionem aſſererent, eamque à Virgine Epiſtolam non tam ſerò exaratam, quin tardiora primę in Italiam profectionis vincti Pauli tempora longe ante præciperet. In hanc verò cogitationem ea de cauſa impulſi ſunt, ne ſi poſteriores tempore in ſuſcepta Fide Meſſanenſes exiſtant, potiores Eccleſiaſtico iure veteris Siculis minimè habeantur, eoque, primatu cadant. Verùm hoc conſilio ſemel indepto, quo pacto cetera tueantur, ne ignorantia rerum inexperta illis Traditio, neſcia religio credatur, imò narrationis inconſtantia crimen offendat, hactenus non inuenerunt. Id verò qua ratione factum putari queat, abſq; noxa deſertæ Traditionis ſuo loco palam erit, vbi etiam ſi res feret, exacta viarum ac morarum Pauli in momenta conſideratione, rimæ omnes temporum præcludentur, quibus è medio laborum Orietalium curriculo Paulus in Siciliam euaſiſſe ſuaderi queat, retectis etiam parachroniſmis qui aliorum calculis inciderunt, & deſcriptis è ſyderum motu argumentis, quæ alienas poſitiones fefellerunt. Interim quod præſentis eſt inſtituti peragendum.

Georgius Gualtheri nouus Antiquæ Tabulæ Siciliæ auctor, qui biennio abhinc Melita redux, quò ſe operis Magno Ordinis Magiſtro dicandi gratia contulerat, infauſto Melitenſium cum Vticenſibus vulgò Biſertinis Triremibus ad Syracuſas conflictu, ſibi, ſuiſque pene laboribus ac eruditorum ſtudijs perniciem fecit, longiori ſanè vita dignus: Is inquam cùm in tabularijs ſuis monumentis, huius quoque Epiſtolæ ſanctitatem extare vellet, multa ipſe ſecum, non pauciora cum alijs, mecum etiam nonnulla contulit, quòd forte inaudiuiſſet Meſſanenſium religioni me ſcripto velificari, tametſi eo tempore nondum concepiſſem an ad ſcribendum animum appellere expediret, eoque præſertim cogitatione pendens in media (quod dicitur) agina hęrerem, quòd alium eſſe non neſcirem qui eius argumenti tractationem ſuſcepiſſet, doctiori dubio procul Minerua excolendam. Sciſcitanti nihilominus quid de veritate Virginalis Epiſtolæ meæ menti ſediſſet, reſpondi per Epiſtolas non adeo ſanè meditatas quæ typis commendarentur ad plurium notitiam, ſed quæ Viro erudito ſatis eſſent ad fontes vt dicitur indigitandos, quos ipſe in latiores amnes ac fluuios Marte proprio explicaret; Verum ipſe ſuæ abſtinens ſententię, peregrinum proſtare voluit auctoramentum, vnam ex illis in qua non minimi operis videbatur ineſſe argumentum ſuæ inſertam lucubrationi, amicorum gratiæ condonauit. In ea verò cùm velut in reſtricto foro ſigna quędam extent rationum ac reſponſionum, quę in hac materia verſari poſſunt, & quaſi in ampliore mercatu proponi; placuit, & hoc loco

carceres

Digitized by Google

carceres deficere, à quibus ad eneruandam vim argumentorum, filum quodammodo rationum duceremus.

Quod igitur ad continendum in præſens Chriſtophori de Caſtro ſpectat argumentum: Ita tunc in ea epiſtola ſcripſimus. Iam characteres Anni, Indictionis, Menſis, Lunæ, Diei, Feriæ eidem Epiſtolæ ineptè ſuffixi, cordatos haud mouere debent; quid ſi error Notarij, aut extemporanei alicuius Actuarij ſuopte ingenio adlaborantis id factum, num ideo manus iniectæ veritati? Et paulo poſt. Quin vacillat æra Chriſti Dionyſiana, dies vitæ in ligno pendentis fallit tabulas Aſtronomicas; cum deliquio Solis, quo nullum certius ſignum, omnis pœnè lux ademta; ergone Chriſtum natum & in Cruce denatum inficiabimur? Itaq; ſi ſemel eiuſcemodi characteres refigas, ſiluam argumentorum penitus (quod dicitur) excaudicaſti: quamquam ſi tantum in calculo annorum erratum putes, quadrageſimo ſecundo pro ſexageſimo ſecundo ingeſto, ſimilitudine præſertim elementorum ad mendum faciente, in ſolido cetera locaris, ſi modo memineris, Indictioni, Lunæ, feriæ, dieique ſuos etiam inducendos apices. Ratio quippe calculorum eſt, vt nuſquam in vno hæreat primus error. Id ſatis oſtendit ille quem noſti, qui ætatem Lunæ in Epiſtola ſignatam adeo peritè (ſic ipſe ſecum) ad Aſtronomiam ſubduxit, vt nihil certius eliceret, quàm impugnatas à ſe anni, menſis, dieiq; notas. riſiſſes Thaletem in puteo, & fortaſſe modo Mercurius aliquis apud Vraniam pro diuinante peroret. Iam cetera quæ ex vſu Indictionum, Lunæ, Feriæ, conſuetudine ſignandorum temporum apud Hebræos, forma ſcribendarum epiſtolarum, deniq; ex moribus Virginis ab eo ſcribendi genere, ceu longe alienis afferuntur, plus operæ quàm olei, ne dicam rimas ſapiunt. Atq; hæc ſi quis eiuſce ſubſcriptionis ſit patronus. Et poſt pauca. Si ſapis, vt maximè ſoles, Paulum Apoſtolum, non cùm primùm ex Iudæa in Italiam nauigauit, Meſſanam appuliſſe dixeris (intellige ad moram ibi trahendam) ſed poſt exacta Romæ biennij vincula, cùm inde rurſus in Orientem nondum viſis Hiſpanijs remeauit, anno videlicet à Chriſto nato ſexageſimo primo, vt rectè conſtet eam Epiſtolam anno vel eodem, vel certè proximè conſequenti à Virginea manu exaratam, quoquo tandem menſe dieue, nam expuncto ſemel aſcititio charactere omnia in vado ſunt. Hæc ibi, in quibus tamen nonnulla in argumentum Chriſtophori de Caſtro non conueniunt, ſed illos tandem petunt, quibuscum deinceps fortaſſe concitatior erit diſputatio.

Nunc quod ad erroneam anni quadrageſimi ſecundi notam propiùs attinet, ſiquis ſicut dicebam eius ſubſcriptionis velit eſſe patronus, luxatiſq; numerorum ſedibus alterum pro altero poſitum aſſerat, vſq; adeo nihil inſolens in medium afferet, vt quamuis argumentorum copiam vno verbo eleuet, verſet, euertat. Quid enim quæſo magis procliue, quàm in notis præſertim Romanis, præpoſita denarij figura characteri quinquageſimi, pro ſexageſimo reddere quadrageſimum? vt proinde paſſim pro ſexageſimo ſecundo, quadrageſimus ſecundus annus, fortuitò an magis imperitia ſcriptorum irreperet. Poſſem innumera huiuſce rei exempla afferre, niſi experientia lectoris viderer diffidere, & niſi hæc ipſa Deiparæ hiſtoria, quam alioqui P. Chriſtophorus de Caſtro accuratè vt cetera ſolet pertexuit, atq; adeo locus ipſe ex quo tanquam ex arce oppugnatur Epiſtola Virginis egregiè ſufficeret, vbi in codice quo vtor pro quinquageſimo octauo, decimus ſeptimus Chriſti reponitur annus, errore minus tolerando quàm ſi in re noſtra quadrage-

ſimus ſecundus pro ſexageſimo ſecundo inducatur, vt mittam in ipſa Virginis chronologia non abſimiles offendi lapſus, ex quibus tamen omnibus, impotentis planè ſit animi qui cauſam labefactatam putet, & non potiùs ab erroris improuiſo illapſu, indagandæ veritatis ſumat occaſionem. Quod ſi ea in annis variatio, non tam velocitate ſcribentis, quàm exiſtimatione in Græcum ex Hebræo conuertentis inciderit, multò etiam facilius fuit pro ſexageſimo reddere quadrageſimum, quando vt norunt, qui Hebraica elementa vel primoribus labris attigerunt, vix adeo ſunt ſimiles interdum gemelli inter fratres, quàm apud Hebræos horum numerorum characteres; quod equidem ita dixerim quaſi nondum conſtitutum velim eam conuerſionem Pauli Apoſtoli Marte factam, quamquam ſi ita ſit, longe etiam facilius fuerit [l] Paulum characteribus Græcis, pro more minus graphicè formatis, eam latinè vertenti porrigere occaſionem errandi, quando minus dextrè ſcribentis velocitate ſupinè poſita ſexageſimi nota, facile potuit ſimilitudinem quadrageſimi exhibere.

[l] Ad Gal. 6.

Cæterum ſi obliterato mendo, ſexageſimus ſecundus annus reſtituatur, ita ſuis anſis reliqui hærebunt anni, vt diuaricationem minimè patiantur. Primùm enimuerò quinquageſimus nonus à natali Chriſti annus, idemq; à Paſſione ſi Euſebio, & Hieronymo ceteriſq; cum Baronio [m] credendum eſt vigeſimus quintus, is erit qui Pauli in Italiam nauigatione Siculis oris habetur percelebris, deinde verò nondum lapſo plene triennio, ſexageſimus ſecundus ſuo vertetur curriculo, inſignis ille quidem grandibus geſtis poſt Romana vincula, Pauli reditum in Oriente manentibus, ſed Meſſanenſibus longè illuſtrior, quos iactæ iam ſementis indoles iterato Pauli aduentu facta maturior, ad maiora pietatis ſtudia prouocaret, vt non contenti domi duntaxat religionem colere, foris quoq; ſpecimen, miſſa cum Paulo ad Virginem Legatione præbere affectarent.

[m] In Chrono. De Scrip. Eccl. in Paulo Ad an. 59.

RESPONDETVR SECVNDAE PARTI ARGVMENTI

Chriſtophori de Caſtro pro nota Nonarum & Indictionum.

CAPVT DECIMVM NONVM.

VEREOR ne cùm de aſcititijs Epiſtolæ notis non ſemel ſentẽtiam dixerim, omnis de cetero ſuper hac re gratis à me ſuſcepta videatur diſceptatio, quaſi reiectæ pridem patronus ſim cauſæ, in longiores contentiones protrahendæ, quas cum tota argumentorum vi, ex antiqua formula hoc vnico verbo ſufficit exarmare. Reijcio. Quia tamen interdum ipſa ſecum quantumuis fortia ſolutionem afferunt argumenta, ne penitus diſcincta videantur, non eſt aduerſantium eruditio leuiter obterenda.

Itaquè ſi de Nonarum inuento ſermo ſit apud eruditos cùm nemo hactenus iure dubitarit antiquiorem eſſe eius vſum, quàm vt à CHRISTI ſeculo originem repetat, & non potiùs ad Vrbis incunabula propè referat, aut ſaltem à quo tempore cæpit noui poſt interlunium ſeruandi menſis religio,

Digitized by Google

religio [n] vnde etiam Nonæ inter alias cauſas dictæ cenſentur quaſi nouæ propter initium obſeruationis: eam inquam ob rationem, niſi quippiam aliud intercedat, negari non poteſt Deiparæ quoq; Virgini exploratam fuiſſe eiuſmodi Romanorum in ſignandis temporibus conſuetudinem, nec quippiam vetat vſu quoq; fuiſſe receptam ſi quando ſcribendum foret, non more patriæ, ſed ſtudio gentis vt adſolet ad faciem Vrbis Imperatricis conuerſo, cuius ſicut ferebat imperium, ita facilè mores imitabatur, quò ſe ad genium Dominæ placitura componeret. Nam qui interdum infra infimas preces ſe ſe prouoluere ſoliti ſunt, quò iuris tuendi poteſtatem redimerent, eáq; de cauſa nihil non Cæſari gratum ſponderent, factiſq; ipſis antecaperent: quid quæſo cenſendi ſunt præſtitiſſe in re, quæ ad fouendam neceſſitudinis gratiam, & pernecesſariam in negotijs gerendis formam, non parum ponderis poterat adiecisſe? quando præſertim eo tempore mutato Reipublicæ veteris foro, ſub Præſide Romano penè arbitraria iura dicerentur, [o] Quid etiam, ſi Hebræi ipſi interdum, neq; duntaxat in profanis, ſed quæ ad ſacros ritus propè attinebant, nouis ſibi legibus præſcribebant, idq; in Tekuphis ſuis, hoc eſt in æquinoctijs ceteriſq; cardinibus, alio atq; alio modo ſeruandis, anniſq; ex eo ſtudio ritè vt putabatur ordinandis, [p] quò proinde ſciſſis in factiones partibus, non ſolùm ordines rerum perturbarentur, verùm etiam Paſchalis celebritatis ſedes moueretur, [q] vnde etiam hodie illa experientium manauit ſententia, fruſtra pleroſq; Chronologos è Cyclis lunaribus decimas quartas Iudaicas & paſchata anxiè admodum explorare. Id verò ſi in ritibus ſeruandis religionem Iudæorum minimè gentium antiquauit, an ideò contempſiſſe ſua ſacra, patriamq; exuiſſe quiſpiam dixerit eos, ſi ſtudijs ad aliena tempora moreſq; compoſitis, Romanos characteres adſciſcere ſcribendo voluerunt. Atq; in hunc morem ſi Virgo prudentiſſima conceſſit aliquando, tantum abeſt conſuetudini aduerſatam, nouis exemplis ſtuduiſſe, vt ſingularibus modeſtiæ ac humilitatis placamentis apud omnes, ſed præſertim apud Meſſanenſes, religionis cauſam promoueret.

n Philipp. Fanson. de reduct. an. de Cal. Idib. Non.

o R. Moses c. 1. & 6. Kiddusch.

p Epiph. heres. 51.

q Dion. Petau de doc. Temp. l. 12 cap. 2.

Iam verò ſi ad notas Indictionum conuertatur diſputatio, nemo non eſt eius ſententiæ laudator, qui earum originem in Auguſti tempora, vel etiam in ſuperiora ſi poſſit, nolit refundere, eoq; tueri intentum, quò ab ipſo argumento latam habet opinandi poteſtatem. Id vero cùm fecerit nihil argumentanti quod obijciat reliquum eſſe neceſſe eſt. [r] Nam vt verum ſit, Indictionibus ad rationem Maximi Monachi, & nonnullorum aliorum, ab anno ſecundo Auguſti, ſiue melius Iulij Cæſaris deriuatis, in annum Chriſti quadrageſimum ſecundum minimè cõuenire primam Indictionem: id ipſum tamen ſi ad Deckerianum calculum ceteris meo iudicio certiorem exigatur, non quidem ab anno ſecundo principatus Auguſti à nece Iulij, verùm a ſecundo propriæ eiuſdem Auguſti Aeræ, quæ quinquennio dirimitur à prima, vix latum vnguem diſcedit à quadrageſimo ſecundo Chriſti anno, quando annus ille ſecundus Aeræ, anno quarto Olympiadis centeſimæ octuageſimæ quintæ prope affinis, & conſulatui M. Agrippæ, & L. Caninij Galli connexus, trigeſimus tertius eſt ante Chriſti in terris ortum, cui ſi duo cum quadraginta iungantur, quini Cycli Indictionarij numerus in ſeptuaginta quinq; exequatur, adeoq; parua inter hanc & primam ſexti Cycli Indictionem incidit differentia, quæ meritò vel in tabulis Actuariorum nulla cenſeri queat. Quid verò ſi iuxta epocham Antiochenam quæ in hoc inſtituto creditur eſſe vetuſtiſſima, cum ineũte Maio principia vertantur Indictionum, hæc verò Virginalis Epiſtola tertio non. Iunij data vel reddita ſuo prodatur charactere, tam certò refert Indictionem primam, ſexti cycli quindenarij principium, quàm verum eſt in Pythagorico ludo proportiones haud deficere, haud redundare.

r In Computo.

Sed quid ego peregrinas aliorum induco poſitiones, cùm ex ipſo argumento ſuffragium accedat longè præſtantius, quàm vt extra numerum habeatur, imò verò quod vel ſolum ſi cetera deſint, vel etiam in aduerſum adſint, omnium vices ſupplere, omnium pugnas valeat elidere. Nam ſi quemadmodum concedit Chriſtophorus de Caſtro, tertio ſupra Chriſtum anno ſua capiant elementa Indictiones, cùm ab illo eodem anno vſq; ad quadrageſimum ſecundum nati iam Chriſti annum, tertius exeat quindenarius, quidni adhibita epochæ Antiochenæ ratione, vt certum in circulo ita rectè in Epiſtolam Virginis prima cadat Indictio? Nolo hanc rem pluribus exaggerare, ne vel inſultare videar, vel rationi ſeipſa conſtanti ſtatumina ſufficere, cùm præſertim vt ſæpe alias dixi, in huiuſmodi propoſito non ſit animus pugnare ceu pro aris & focis, ſed duntaxat vim elidere argumentorum, quæ veritati alioqui maioribus ex cauſis conſtitutæ, impedimenta videntur poſſe obijcere.

Ceterùm ſi meam roger ſententiam, non me fugit quæſtionem hanc de ſeculo quo ingreſſæ ſunt Indictiones, non paucorum exercuiſſe ingenia; alijs quidem Iulianam à menſe Maio, alijs Auguſteam a Septembri, annis circiter quadraginta quatuor antè Chriſtum inducentibus Indictionem, alijs deniq; Conſtantinianam primam in vſum veniſſe contendentibus, anno poſt Chriſtum ſupra ter centenos duodecimo, eamq; Olympiadibus exauctoratis ad tempora rerumq; ætates ſignandas ſubrogatam: neq; ſolùm, ſed inter alias quę aliorum fortaſſe Imperatorum nomina poſtmodum oſtentabant, huic ſoli conceſſum eſſe, vt faſtos ſignaret, firmaret inſtrumēta. Quin verò ſicut Græcus aliquis[s] Indictionem appellatam eſſe voluit ab Actio promontorio, & Octauij Cæſaris Victoria à qua ſecundùm quoſdam notari cœperunt, quacumq; tandem vocabulorum inter ſe vt ſic dicam affinitate, & ſympathia: ita[t] Latinus quidam alius idemq; fortaſſe ſolus Conſtantino ſtudens, à Crucis indicio quaſi ab indicatione dictam tradidit Indictionem, non ignobili rei occaſione, quòd eo ſigno in ſublimi aëris regione diuinitus edito, victoria Conſtantini aduerſus Maxentium ſit deſignata ac decreta. Sed enim Gordonus noſter[u] totam hanc controuerſiam ita exiſtimat cōponendam, vt ſi quæcunq; epocha, vel etiam quæcunq; largitio Imperatoria, ſolemnis, habenda ſit pro Indictione, huiuſmodi Indictiones dubio procul longè ante Conſtantinum fuiſſe inſtitutas, nec male in ea re ſenſiſſe putat Scaligerum, cui tamen probandum erat ea largitionum tempora conſtanter fuiſſe in vſu, & inducta ad annos putandos, quod certe non præſtitit, nec præſtare potuit, cùm nullum certum huiuſmodi Imperatoriæ Indictionis ad tempora colligenda inſtitutæ habeatur veſtigium ante quinquennalia Conſtantini. Hæc fere Gordonus: cui cùm libenter in eo ſubſcribam, quòd Indictionum originem altiùs quàm à ſeculo Conſtantini repeti poſſe cōcedat, dum non velit cum auctore nouæ Chronologiæ, anno Chriſti decimo tertio Tiberianam inducere Indictionem, quando Quirinio faciente Palæſtina poſt Archelai relegationem cenſita eſt atq; deſcripta; quam coniecturam nouam & inauditam vocat noſter item Petauius[x] temporum ex ratione callentiſſimus; neq; tamen facile dederim à Largitionum duntaxat temporibus huiuſmodi ſuppoſitiones eatenus fuiſſe aſſumptas, vt ad colligendas temporum vices & rationes illis minimè videatur profectum, quando vt omittam antiquam Romanorum induſtriam, in cauendis temporum erroribus haud fuiſſe perfunctoriam, ſanè tam inſigne & excellens ſtudium; accuratum Cæſaris à quo repetitur ortus Indictionum, minimè præteriuit ingenium, qui cùm multas alias leges Reipublicæ vtiles rogauit, tum in primis dies anni parum inter ſe conſentientes,[y] Alexandrinorum inſtitutis auctus, ad eum qui poſtea diu viguit ordinem adduxit. id verò vt præſtaret ex Indictionibus non mediocre tulit emolumentum, ſi non ad cæleſtes motus ritè digerendos, ſaltem ad annos populares à ſecula-

s Conſtant. Porphyrog.

t Onuphr.

u Ad an. Chriſti 312

x Lib. de doct. Tẽ. c. 39.

y Xiphil. in Iul. C.ſ.

cula-

Digitized by Google

cularibus euentis ordinandos, non minori compendio, quàm Olympiades Græcis inſeruirent.

Et vero Beda[a], cùm de Origine Indictionum haud pauca dixiſſet recenſitis etiam aliorum ſententijs, Conſtantinianæ quod ſciam Indictionis memoriam non induxit; induxiſſet autem in tam præſenti ac tam neceſſaria occaſione, niſi antiquiorem huius inſtituti cognouiſſet, vel ſaltem conieciſſet originem. Cauſam porrò eiuſmodi per Indictiones irrogandæ putationis ipſe ſuis verbis ad mentem noſtram, hanc explicat. *Dum enim quilibet Imperator medio anni tempore vita vel regno decederet, poterat euenire vt eundem annum vnus hiſtoricus eiuſdem regis adſcriberet temporibus, eò quòd eius partem regnaſſet, alter verò hiſtoricus eundem ſucceſſori illius attitulandum putaret, eò quòd & hic partem aquè eius haberet in regno. Verùm ne per huiuſmodi diſſonantiam error temporibus inoleſceret: ſtatuerunt Indictiones quibus vterq; ſcriptor, imo etiam vulgus omne, temporum curſum facillime ſeruaret, quas pro facilitate quoq; calculandi xv. eſſe voluerunt, vt planiſſimo numero & ad multiplicandum promptiſſimo, compendioſius tranſacti temporis ſtatus in memoriam poſſit induci.* Hæc Beda. Ex quo facile quis deducat, attento nominis etymo, indictiones appellatas, quaſi quæ Hiſtoricis leges ſcribendi indicerent, vel foris & iudicijs, temporum curſus, quà ritè ſeruandos indicarent: quamquam Petauius originem vocabuli propriam multis probet non poſſe ſciri, neq; id videtur gratis dictum, ſi tam latè manantem coniecturam ad certiora minimè aſtringamus. Illud tamen de facilitate numerandi per quindenarium ceu per capitalem quendam numerum, ità rectè nonnulli intellexerunt, ſi vel quindenarij minimè diſtribuantur, vel certè diſtributi cum ſuis annis currentibus ſingulatim efferantur, vt quemadmodum olympiades cum primo, ſecundo, tertio, quartoue contentis annis Græcorum more proferuntur, ſic prorſus Indictiones ab æra fixa Romanorum ritu, cenſitis in ordine quindenis, ſingulisq; quindenarum vnitatibus ſeorſim exſignentur: quem equidem numerandi ritum ante ſecula Conſtantini ſeruatum nolim ambigere, attentis quibuſdam vetuſtis marmoribus in Vrbe eruderatis quæ Vrbis natalem Indictionibus exaratam præferebant, niſi illa recentiora fuerint monimenta ſed ob terræ ſitum vetuſtatem mentita, vtiq; tamen ad ætatem Vrbis religioſè recolēdam, multum feciſſe Indictiones eò pacto numeratas, idq; non politicè verum Aſtronomicè, non facile dubitabit, qui errore quodam maiorum, Vrbis fata ex deliquio ſolis diem ac horam fundatæ Vrbis occupante, pendere cogitabant, multaq; poſt ſecula ritè numeratis annorum momentis metuebant; in quem lapidem cum inter alios Plutarchus etiam[a] impegerit, Tullius tamen & Solinus plerisq; alijs errorem exemere, quòd Vrbis natalem ex Tarrutio Firmano Mathematicorum illa tempeſtate nobiliſſimo, luce diei non exarmatam, ſed Luna duntaxat in iugo exiſtente notatam tradiderunt. Quamquam etiam abdicata iſta meticuloſæ opinionis ſuſpicione, licuit ad numerādi compendium Indictiones adhibere, quò & natam Vrbem gentium Dominam ab incunabilis certius recolerent, & palilia quotannis ex momento rata, non minori quàm Iudæi ſua paſchata, religione peragerent. Ad quam conſuetudinem, niſi etiam ad plura alia his magis neceſſaria videtur reſpexiſſe Gloſſa[b] cum dixit. *Nota quod Romani ante natiuitatem Chriſti computabant annos ab Indictione, Hebræi à diluuio, Græci à ludo Herculeo qui fiebat per ſingula quinquennia in monte olympo*, idemq; confirmat Azo[c] non infimæ vir notæ, pluresq; alij accedunt, ſi auctoritatum cenſentur ordines, vt hinc etiam robur illa coniectura ſumat, quæ Inditiones à legibus hiſtoriarum indictis velit appellatas, quæ præſertim res Romanorum geſtas, hoc eſt totius pene orbis acta narranda ſuſcepiſſent, eaq; claritudinis velut nota populi magnificentiam, Imperatorum potentiam, & vno verbo nomen Vrbis Orbi exarandum. Ce-

a De Tēp. Rat. c. 46. Et I Trac. de Arg Lunæ.

a L. 2. de diuin. c. 1 I

b L. Omnes C. de Indictionib.

c Sūma de Indiction.

Digitized by Google

Ceterùm qui Indictiones à Conſtantino deriuant, rectè illi quidem ſi non tam ab eodem inſtitutas, quàm aliquo modo reſtitutas, quemadmodum Cæſar fecit in annis reducendis, vel melius pro ludis ſecularibus velint eſſet ſubrogatas; nec aliud voluiſſe faſtos Græcorum, aut etiam Conſulares, liquidum eſt ei qui non per transennam, ſed penitius hiſtorias inſpexerit. Idipſum non obſcurè ſignificat Gordonus,[d] ſed clariſſimè fatetur Ioannes Deckerius[e] cùm inter cetera *Inſtituta ſunt* (inquit) *a Conſtantino Indictiones vt ludos ſeculares, & impiam Gentilium ſuperſtitionem, cum in illis tum in Olympiacis certaminibus adhiberi ſolitam aboleret, & facilior ratio ad præcauendum errorem, qui in Temporibus facile oboriri poterat induceretur*. Hæc ille. Quæ facilitas in eo maximè videtur conſiſtere, quòd cùm antea per quinquennalia, vel etiam vt ſuperius diximus (idq; colligitur ex Gloſſa[f] de Iuſtiniano Codice confirmando) per quindennalia fere progrederetur ea ſupputatio, ne quis obreperet error in annis ſingularibus, Conſtantini ſtudio perfectum eſt, vt ſingulares quoq; anni vulgò aſſumerentur, nec tantùm Imperatorum medio anni tempore decedentium geſta conſcribentibus, verùm etiam rudiori populo facilis & expedita eſſet ea numeratio. Quamquam ſucceſſu temporum abolita quinquennali numeratione, quæ antea facile cum Olympiadibus confundi poterat, factoq; per ſingulares annos Indictionum progreſſu, quindennalis cyclus ex vſu vulgari dilapſus ſcriptorum duntaxat diligentiæ relictus eſt, nec niſi labentibus ſeculis ad numeranda longius excurrentium Indictionum tempora adhibitus. Quamquam etiam deinde voluentibus annis ne fractiones annorum procliui lapſu pro integris obreperent, ſiue quòd a Kal. Septembris olim cæpiſſent, ſiue quòd à Conſtantino ad octau. Kal. Octobris reſtitutæ fuiſſent Indictiones, optimo conſilio cautum eſt à Iuſtiniano,[g] vt in omnibus geſtis & Actis tabelliones primùm Imperatoris nomen, & Imperij annum, deinde Conſulis appellationem, deniq; Indictionem, menſem ac diem, præmitterent.

d Anno Christ. 312
e De Ind. initio in Cõpus. Eccleſ cap 5.
f Ad cap. Summa.
g Nouel. 15. cap. 2.

Quæ omnia ſi fortaſſe nimia ſunt ad argumentum P. Chriſtophori de Caſtro, vel ſoluendum, vel explicandum, inſtrumenta quædam erunt ad vertendas Anonymorum machinas, quibus inter alia non minimum putatur eſſe ab Indictionis nota contra Virginis Epiſtolam firmamentum. Quod hoc loco ſupremum eſt, ipſa nobis auctoritas Caſtri deinceps ſuffragabitur, vetuſtiores eſſe Indictionum cenſiones, quàm vt originem Conſtantino referant acceptam, idq; vel eo ſolùm, quòd trinis ante Chriſtum antecapiatur annis, quam etiam rationem aſſignat gloſſa Ioannis Andreæ[h] cur ad annum Indictionis eliciendum, annis à Chriſto per quindenarium in ſe ductis, trinæ ſint affigendæ vnitates vt quæſita prodeat nota, quia ſcilicet vt ipſe ait, Anno Natiuitatis Domini tertia erat Indictio.

h Extra de Fide Inſtrum. Inter dilectos

Id verò deniq; pro comperto habendum, in tanta epocharum, & ærarum varietate, quæcunq; diuerſitas incidat Indictionum, ſapientum iuditio rei veritatem haud variari, non ſolùm quia fortaſſe anni à ſingularibus alijſq; ab inuicem deducti principijs, rectè tandem in ſuam ſedem conijci queant, verùm etiam quia vel eliſis ex induſtria numerorum elementis rei narratę fidem non inuoluant. Id quod adeo ſine crimine eſt, nedum in libellis gratiarum, cuiuſmodi hæc iure exiſtimari debet Virginis Epiſtola, verùm etiam[i] in actuarijs iudiciorum inſtrumẽtis, Indictionis videlicet errorem dummodo annorum integra conſiſtat ratio, ſcripto vitium haud inferre.

i Felin. extra de Fide Inſtr. Inter dilectos

RE.

RESPONDETVR TERTIAE PARTI ARGVMENTI Chriſtoph. de Caſtro, non eſſe contra morem Virginis aliquid ſcripſiſſe.

CAPVT VIGESIMVM.

NIHIL nobis ſcripto reliquiſſe Deiparam Virginem, ſatis explicatè adſtruit intentum argumentum, idq; his potiſſimum de cauſis; tum quia minimè erat neceſſarium; tum quia ſicut in ceteris, ita etiam nihil ſcribendo filium ſuum eſt imitata, vt hinc aptè conſequatur primùm ne epiſtolis quidem exarandis generatim, deinde verò ſingulatim ad Meſſanenſes ſcribendo vllam operam præſtitiſſe. Sed enim nihil eſt adeo exquiſiti, quod hoc argumentum ex parte leuet, nulloq; pene labore dimoueri poteſt omnis controuerſia, niſi abiectè quiſpiam præfractèq; defendere velit alteram partem.

Atq; vt ab vltimo incipiam, illud niſi probet Apoſtolos etiam, hoc ipſo quòd pro virili gratiæ parte Chriſtum ſunt imitati, nihil ad inſtruendas Eccleſias ſcripto tradidiſſe, planè ſit mutilum ac mancum argumentum, vel ſi ſcripſerunt illi quidem, ſed iuſſis Magiſtri obſequentes, ductuq; Spiritus Sancti, in neceſſaria intendentes, aliquid ſaltem fecerunt, in quo magiſtri mores non expreſſerunt, quippe qui non ſcripto ſed verbo Eccleſiam docuit, Epiſtolis verò ad priuatos quaqua tandem cauſa ſcribendis, ex vi argumenti nunquam intendit; omnino verò ab eiuſdem exemplo defecerunt, ſi quando alijs priuatæ neceſſitudinis, mutuæq; cohortationis, ne dicam officij duntaxat, vt adſolet, gratia, literis dandis ſtuduerunt. Vel ſi Chriſto ſcribendum non erat, quòd iure magiſtri doctrinæ ſuæ ſcriptores haberet Apoſtolos; id verò ſi Virgo non fecit, quamquàm iure matris potuiſſet, & in re præſenti vel ſpontaneum habuiſſet amanuenſem Paulum Apoſtolum, ſummæ humilitatis, & modeſtiæ præbuit exemplum, ne priuato miniſterio quod ipſa gratioſè obitura erat, deſtinatos ad ediſſerenda filij myſteria adhiberet Apoſtolos; vel certe ſi hoc quoq; genus Epiſtolæ multum faciebat ad firmandam in animis recens conuerſæ gentis religionem, fouendamq; pietatem, poterat illa quidem ſicut conſilio, & luce doctrinæ præluxit Apoſtolis, ita eoſdem habere ſuæ meditationis exceptores, nec minus ſcripto quàm facto executores: Vtiq; tamen quamcunq; in partem animum intendamus, eximio humilitatis documento fecit, quæcunq; fecit, neq; ſolum ſcribendo, ſed quod ea ratione ipſa ſua manu, non aliena, ſcriberet, filij ſui mores expreſſit, exemplar fuit.

Et verò placet hac in parte ſapiens & ad pietatem accommodatum Caniſij iudicium,[k] qui cùm in ſuis eruditis lucubrationibus de hac Virginis Epiſtola narraret, tantum abfuit eiuſmodi ſcriptionem alienam à Deiparæ moribus iudicare, vt maximè cenſeret caritati conſentaneam. *Hæc* (inquit) *ego velut Marianæ charitatis Symbola dixerim, quibus talem tantamq; matrem de multorum etiam abſentium, longeq; diſſitorum ſalute non parum ſollicitam fuiſſe res ipſa declarat.* Hæc ille. Sed non minus ſignatè Ioannes Bonifacius,[l] vbi de hac ipſa Epiſtola aliaq; ad Florentinos data ſermonem intulſſet. *Quod mihi* (inquit) *pro cetera beatiſſima Matris facilitate & humanitate non magnopere videtur eſſe mirandum. Si enim Florentini, & Meſſanenſes, ſuam vtraq; Reſpublica ad Beatam Mariam Virginem Epiſtolam miſerunt, non eſt dubium, quin Virgo reſcripſerit, & ambas Ciuitates cæleſti qui Virginis*

k Lib. 5. c. 1

l Lib. 2. de Deipar. c. 8

mos

mos erat conſolatione repleuerit. Ita Bonifacius, longe alia ſanè temperatione quàm vt offenſos inde mores Virginis cenſeret, præſertim ſi primi ſcripſiſſent Meſſanenſes, quod hactenus compertum eſt: quamquam Caniſius, hac ipſa reſtrictione tacitus præuerſa, Marianæ duntaxat caritatis argumento facturam fuiſſe Virginem innuit, quod è pietate de abſentium ſalute ac religione conſultum foret.

At enim miſſis vel centurijs auctorum, qui probent Deiparam Virginem ſcribendo moribus Filij ſui minimè illuſiſſe, vnicum Abagari Regis Edeſſæ exemplum, conſtanter depellit rationem aduerſam, nec minus probat Chriſtum Virginis Filium, quam vultu præferebat, etiam ſcriptis teſtatam feciſſe pietatem, idq; multò magis ſi prius ipſe literis quæſitus fuit, qui beneuolentia omnes præuenire conſueuiſſet, quod ipſum ſpontaneo de cælis in terras deſcenſu, vix hominum precibus imploratus, quin ſceleribus præpeditus, abundè comprobauit, ſæpius etiam Crucem ſubiturus ſi poſſet, dum ſaluti mortalium proſpectum foret, id quod aliquando Carpo niſi fallor Pauli diſcipulo diriora in peccatores optanti, [m] nocturnis viſis commonſtrauit.

Eius porrò Epiſtolæ Abagari ad Chriſtum, viciſſimq; Chriſti ad Abagarum ſcriptæ, idoneus teſtis eſt Euſebius Pamphili, [n] qui vtramq; ex Tabulario Edeſſæ Ciuitatis depromptam è Syriaca lingua tranſtulit in Græcam, ſuaq; ætate in tabulis publicis perhibet fuiſſe conſeruatam. Teſtes præterea ſunt apud Baronium [o] Darius Comes, [p] Ephrem Diaconus Ciuitatis Edeſſæ, [q] Theodorus Studita, [r] Cedrenus [s] in ceteris eximij, quorum vltimus etiam addit integrã IESV epiſtolam temporibus adhuc Michaelis Paphlagonis Imperatoris, ante ſexcentos circiter annos in honore fuiſſe habitam. Deniq; inter poſtremos teſtis eſt Baronius, qui vtriuſq; exemplar latinitati donatum non immeritò ſuis inſeruit annalibus, quando non ſolum abſq; vlla dubitatione ab antiquioribus fuerunt approbatæ, quod euidenter teſtatur dicta Darij Comitis Epiſtola, verùm etiam maiorum religione quondam habitæ percelebres, nec alia de cauſa à Gelaſio [t] ſunt notatæ, niſi quia non reperiantur ab Euangeliſtis conſciptæ, non verò, quia penitus ab Eccleſia proſcribantur, ſicut nec plures alij libri quos eodem canone cenſet, noſq; ſuo loco ad inſtitutum expendimus.

Et ſane ſi his Epiſtolis fides inconſultè derogetur, pari periculo laborabit effigies illa ſaluatoris ad eundem Abagarum poſt prædictam epiſtolam, miſſa, quam tamen præter Euagrium Scholaſticum, Ioannem Damaſcenum, alioſq; complures apud Baronium [u] Scriptores grauiſſimos, quam præter acta Sanctorum Samonis & Guriæ, [x] præter inſignia miracula, præter approbationem Patrum Nicæni Concilij, & celebrem quotannis Græcorum memoriam, Summorum quoq; Pontificum, Hadriani ad Carolum Magnum ſcribentis, & Stephani in Concilio Romano recipientis auctoritas atteſtatur. Rectè verò Alphonſus Paleotus [y] eiuſq; commentator Daniel Mallonius benignitatem vterq; ac comitatem Chriſti in hac ſine manu formanda effigie collaudant, quando iſte. *Quid hoc loco inquit mirer magis vix ſcio, anceps hæreo Chriſtiane, comitatem in pictorem? an bonam pictoris ſortem? grandi enim Chriſti effigiem excipiendi deſiderio, at magnificam Chriſti formam penicillus excipere non poterat: ars fruſtrabatur, tabulam abſtergebat pictam, mutabat penicillum, nil tamen efficere poterat: Diuinus enim ſplendor ſe fingi non patiebatur, nec maieſtatis radius coloribus exprimi valebat, inſtabat tamen operi pictor anxius*, & paulo poſt *Deſperat labore victus pictor. At hoc videns Chriſtus, qua illi innata benignitas fuit, linteum poſcit, faciei admouet, figuram imprimit, ac pictori reddit, ſcilicet vt facto ſuo auream Veſpaſiani Imperatoris ſententiam comprobaret*, Non decet à facie Principis quemquã triſtẽ abire, *o felicem, fortunatumq; pictorem*. Ita ille. Sed ego fortunatiorem puto longè Abagarum, cuius cauſa Chriſtus id fecit, ſicut feliciores Meſſanẽſes propter quos Maria ſcripſit, quam

m Sur. In vit. S. Dionyſ. Areop. 9. Octob.
n Lib. 1. Hiſt. c. 13.
o Sub. an. 31.
p Epiſt. ad S. Aug.
q In ſuo Teſtam.
r In epiſt. ad Paſchas Papam.
ſ In compend. hiſt.
t Hiſt. 15. Sacro Sancta.
u Sub an. 31.
x Apud Metaph. 15. nou. & in vita S. Alex.
y De Stig. Ieſu cap. 3.

quam per quos ſcriptam epiſtolam miſit, niſi aliunde magis iſti felices, quod MARIAM oculis viderint, ſicut pictor ille inde magis fortunatus quòd Chriſtum ipſe aſpexerit, vtiq; tamen vtrobiq; par benignitas Matris ac Nati, conſimilis caritas Chriſti, & Mariæ, perfectum pietatis exemplum Chriſtus, perfectum pietatis exemplar MARIA. Qui ergo credit Abagaro Chriſtum id præſtitiſſe, cur negabit Meſſanenſibus MARIAM hoc feciſſe? an minus iſto fuit illud, cùm in vtroq; miſſa ſit effigies ſimili penè ex cauſa, ſed in vno effigies vultus, in altero animi: in vtroq; ſimilis color non diſſimilis pietatis; niſi forte illud opinione hominum ſit maius quòd CHRISTVS fecit, hoc reipſa minus quod MARIA geſſit; detur itaq; minus Matri, quæ maiora quoq; habuit à Nato, demus ſtuduiſſe Meſſanenſium Reipublicæ ſcribendo, ſi filius officio placuit, imò & miraculo Edeſſæ regulo, vtrobiq; par pietatis cauſa, vtrobiq; gentium conuerſio, ſimilis ad religionem inſtitutio: licuit facere Matri quod fecit Filius, vbi religio fuit imitari, indecens non obſequi petentium deuotioni, niſi forte leuitatis fuerit, ſtatim ſupplices admittere Meſſanenſium viros, non iteratam expectare legationem, quò tandem Regina cæli, ſeriò, grauitate quadam præter morem compoſita, longè venientes aſpectu tantum, vix verbo, niſi per alium prolato dignaretur. Abſit enimuerò importunam huiuſmodi & difficilem Virginis moribus affingere grauitatem, vix iſta politicos decent nedum Matrem Dei quæ regnum in hoc mundo non affectauit, longè aliud edocta exemplo nati, qui quondam venientibus Gentibus, Hiſpanis puta, IESVM videre cupientibus, idq; deſiderij per Philippum, & Andream indicantibus, extemplo ſe viſendum præbuit, venientium vota probauit, in ea fortaſſe prima Hiſpanorum agnitione, futuram gentis cum religione gloriam deſignans, ſe quoq; clarificatum teſtatus eſt, nec dubium quin ſi vel ipſi à ſuis literas attuliſſent, vel ſi remigraturi petijſſent, vltro fuiſſent obtenturi, quod ſeriùs aliquando à Collegio Apoſtolorum obtinuerunt. Quod igitur Hiſpani apud IESVM, hoc Meſſanenſes apud MARIAM, illi ſine literis, iſti per ſupplicem Epiſtolam, illi per Philippum, & Andream, iſti per Paulum principem Apoſtolum effecerunt, clarificatus in illis Filius, clarificata in iſtis Mater, vterq; demum in vtriſq;

Verùm vt prætendebam, ſi fides Epiſtolæ Chriſti ad Abagarum fidem haud mereatur apud Orbem, eius quoq; Sacræ effigiei cadat religio neceſſe eſt, totq; grauiſſimorum virorum auctoritas, quæ vel Eccleſiæ ſanctiones firmare poſſit, intereat, vnàq; in poſterum omnia, quantumuis rata ac ſtata pro vanis & inſuper habeantur. Quæ enim quæſo maior vnius ratio quàm alterius? an plus potuit pia curioſitas vt paſceretur oculus Abagari, Chriſtum in effigie aſpectu contrectans, quàm neceſſaria petitio, vt in legenda propitia Epiſtola, animus ab infidelitate, corpus ſanaretur ab infirmitate, & exemplo ſui Principis Ciuitas Edeſſæ conuerteretur ab errore? Non dubium idem potuiſſe præſtare potentiam Chriſti in effigie, quod in Epiſtola, idem vno, quod alio modo, præſtitiſſe vero vtrumq; vtroq; modo, & petentis fides quæ Chriſtum ſemper ad magna patranda illexit, & pietas ipſa præſtantis, ſupra omnium vota perſuadet. Id cùm ita ſit, ex ſententia veri perſpicuè arguitur Deiparam Virginem ab exemplo filij, hanc Meſſanenſibus ſcripſiſſe Epiſtolam, id quod pietas lectiſſimæ genitrici inſerta, quæ mater quoq; futura erat fidelium, ſuo etiam quodammodo iure ſuadebat, cùm præſertim filio cælis recepto, refugium eſſet egentibus, auxilium petentibus, ſolatium credentibus à cuius proinde conſpectu

O nemi-

Digitized by Google

neminem docemur triſtem recedere. Quamquam ego ſicut non continuò in omnibus alijs filium ſuum imitatam adſtruxero Matrem, alioqui ipſo adhuc viuente, & miracula patrante, & prædicationi inſtiterit, & Apoſtolis præceperit: ita neq; ſi vllum foret nati ad Abagarum ſcribentis exemplum, inficiabor piam Virginem ad Meſſanenſes alioſue pro re nata ſcripſiſſe; quando pietas in omnes eaq; Matris, non ducitur exemplo ſed natura & occaſione.

Sed enim quod ex occaſione hoc loco incidit, non minimum rei noſtræ robur addit, dum non modo Nati exemplo Virginem Matrem, proximorum ædificationi ſcribendo ſtuduiſſe probet, verum etiam ipſa penè ſcriptionis forma, eundem exactè imitatam confirmet; neq; id ſolum quà diuinam vtriuſq; verba redolent pietatem, ſed quà præterea ſtylum attemperant ad eandem penè in re non adeo ſimili mentis conceptionem. Id quod vtriuſq; exempla conferenti non obſcurum erit ſi liuidis oculis animoq; nolit intueri. Eadem in vtraq; ſed concinnæ breuitatis aſtrictio, par credentium ad quos ſcribitur collaudatio, non diſpar gratiarum benedicendo repromiſſio; ſola dumtaxat poteſtatis ac dignitatis intercedit diſcretio, quòd CHRISTVS quà Deus ſingulariter ſeipſum atteſtatur, Virgo Mater inuoluta ſui mentione ius prærogatiuæ filio reddit, quaſi non ipſa præcipuè, ſed participato ab ipſo iure, nec ſola, ſed cum eodem ex priuilegio rem gerat, nec præterea tam ſui agnitionem, quàm Nati in Meſſanenſibus confeſſionem, idq; Pauli electi ab illo prædicatione factam, commendat; nec deniq; illa, ſuâ velut auctoritate, ſed collata à filio poteſtate & tanquam Vicaria gratiarum, benedictionem impertit, protectionem repromittit. Sed recenſeamus Epiſtolam Chriſti vt in luce verſetur iudicium. extat verò illa apud pleroſq; (nos ex Baronio * exſcribimus) in hanc ſententiã.

* Ad an. 31

Reſcripta IESV ad Abagarum principem, per Ananiam curſorem miſſa.

Abagare, beatus es, qui cum non videris me, in me tamen credidiſti. De me enim ſcriptis proditum eſt. Eos qui me viderunt in me non credere; vt hi, qui me non viderunt credant, & vitam conſequantur. Quod ſcribis ad me, te velle, vt ad te veniam: eas res, cuius gratia ſum miſſus, debeo hic neceſſariò obire: quas cùm plenè perfecero, ad eum recipi, qui me miſit. Quò ſimul ac aſſumptus fuero: aliquem ex diſcipulis meis mittam ad te, qui morbo quo tantopere torqueris, faciat medicinam, & vitam tibi, tuiſq; impertiat. Hæc ſacra illa Epiſtola, *licet breuis, plena tamen* (vt ait Baronius) *virtutis & efficacitatis* in qua ſicut de Achille * dicebat Statius, Plurima vultu Mater ineſt: ita dici poteſt totam ineſſe Matris ad Meſſanenſes ſcriptam Epiſtolam, hoc eſt, modum ſcribendi conceptamq; ſententiam, vt Epiſtola filij, typus ſit Epiſtolæ Matris, & hæc velut explicatio quædam illius, illa viciſſim tacita huius præceptio; hæc iterum in quibuſdam compendium illius, illa deductum in myſteria exemplum iſtius; vtraq; eò ſanè mirabilis, quòd vno propemodum ſchemate; quaſi diuerſa prætendat, in diuerſis proximè ſimilia iungat, verumq; ſit omnino, Natum ineſſe Matri, nato Matrem.

* Lib. 1. Achilleid.

Quid enim illud in principio Epiſtolæ Nati. *Abagare*. quàm ſimile huic in capite epiſtolæ Matris *Vos omnes*. & rurſum illud conſequens, *Beatus es qui cùm non videris me, in me tamen credidiſti*. nonne duobus primùm verbis in Epiſtola Matris exprimitur *Magna fide* deinde etiam pluribus quòd ad myſterium referret, explicatur? *Filium noſtrum* (intellige Patris æterni, & Matris in tempore) *Dei genitum, Deum & hominem eſſe fatemini*. Præterea quo argumento in progreſſu

greſſu Chriſtus beatum confirmat Abagarum. *De me enim ſcriptis proditum eſt, eos qui me viderunt in me non credere, vt ſi qui me non viderunt credant, & vitam conſequantur*. Nonne illud ipſum, ſed reſtrictum, & adhuc ſuo clauſum cortice, facile tamen enucleandum, in principio, proponit Mater. *Per publicum documentum ad nos miſiſſe conſtat*. Quod enim eſt publicum documentum, niſi quod à Chriſto ex ſcripturis allegatum. (*de me ſcriptis proditum eſt*) Apoſtolis ſæpius ab eodem fuit explicatum, ab his deinde publica prædicatione promulgandum, deniq; in re noſtra, poſt tempora Meſſanenſibus à Paulo etiam prædicatum, qui cùm Chriſtum ac Mariam non vidiſſent, ex auditu tantùm & per publicum Apoſtoli documentum crediderunt, propter quod etiam *conſtat illos miſiſſe Nuntios ac Legatos*, conſtat coram Virgine fidem ſuſceptam fuiſſe proteſtatos, conſtat Apoſtolica non minus prædicatione quàm teſtificatione *viam veritatis cognouiſſe* conſtat deniq; Chriſti, Virginis, Apoſtoliq; approbatione, nuntios miſiſſe, dictorum factorumq; Chriſti vades, proinde in Meſſanenſes quoq; appprimè conuenire illud, Beati qui non viderunt, & crediderunt.

Iam cetera. *Quod ſcribis ad me, te velle vt ad te veniam, eas res, cuius gratia ſum miſſus, debeo hic neceſſariò obire, quas cum plenè perfecero ad eum recipi, qui me miſit*: hæc inquam penè omnia in illis Deiparæ verbis. *Dei genitum, Deum & hominem eſſe fatemini, & in cælum poſt reſurrectionem ſuam aſcendiſſe*, vel inuolutè contineri vel adimpletum explicari, nemo eſt qui inſita fidei luce non videat. Quid enim eſt *cuius gratia ſum miſſus* niſi Dei genitum de cælis vt homo fieret deſcendiſſe; quid? *debeo hic neceſſariò obire, niſi Deum & hominem eſſe*, qui pro ſalute humani generis hic in mundo conuerſari, ac pati, demum deberet obire, vt proinde in eo quod dicitur, *Dei genitum Deum & hominem eſſe fatemini*, tota Chriſti ſententia, ſed peractis reipſa myſterijs proferatur. Quid deniq; *cum plenè perfecero, ad eum recipi, qui me miſit*, niſi *in cælum poſt reſurrectionem aſcendiſſe*, ſed tunc primùm cùm obito pœnarum ac mortis pro homine ſupplicio, multiſq; poſt reſurrectionem ſignis patefacta in humanitate diuinitatis potentia, & hoc ipſo *plenè perfecto* ſalutis opere, in cælum vnde diuinitas nunquam receſſerat, humanitas ſubleuata, recepta eſt.

Poſtremò quæ illa coronis eſt epiſtolæ. *Quò ſimul at aſſumptus fuero aliquem ex diſcipulis meis mittam ad te* iuxta decretam primùm diſcipulorum in orbem miſſionem, deſtinatas deinde ſingulorum adumbrat prouincias, at in Thadæo ſingulari quodam promiſſionis iure, pro Regis & Vrbis Edeſſæ ſalute delecto, electum quoq; Paulum ad Meſſanenſes, vel adducendos vel firmandos non vulgari priuilegio ſignificat, quò proinde velut antecepta in mente Matris, Nati Idea, re quoq; pro voto cadente, illa in epiſtola ad Meſſanenſes inciderit ſententia, qua ipſi laudantur. *Pauli Apoſtoli electi prædicatione mediante, viam veritatis agnoſcentes*: niſi etiam addere libeat, Virgine poſt receptum in ſuperna Chriſtum, præſide in terris gratiarum conſtituta, pro legata ſibi poteſtate, eundem cum filio modum in ſcribendo, eandem rerum diſpoſitionem ſeruaſſe in exequendo, nunquam tamen ita arrogata ſibi pleno diſponendi iure, quin memor arreptæ ſemel humilitatis, quicquid in hominibus ageret, ſemper cum nato tametſi in cælis regnante, indiuiſim agere videretur. Quam ob cauſam neq; cùm poſſet ſuæ prærogatiuam dignitatis anteferre, proprioq; nomine ratam Meſſanenſibus impertire benedictionem, firmare Ciuitatis protegédæ Sacramentum, voluit præteritum eſſe Nati Principatum, ſed iuncta quæ pluralitatem ſignificaret vocis vi ac forma, vnitam cum regno filij ſuam declarauit poteſtatem, & pendentem ab eiuſdem voluntate dominatricem facultatem: *Ob quod vos & ipſam Ciuitatem benedicimus cuius perpetuam protectricem nos eſſe volumus*. Qua quidem

O 2 for-

formula dicendi, illam quoq; ex imitatione quadam meditato expreſſit ſententiam, qua filius etiam ſuam ad Abagarum concluſit epiſtolam. *Mittam ad te qui morbo, quo tantoperè torqueris, faciat medicinam, & vitam tibi, tuiſq; impertiat*, niſi quòd particulares beneficientiæ in morbo leuando, vitaq; danda effectus, generali benedictionis ac protectionis appellatione circumſcriberet. Nam quod Chriſto in terra moris erat, nunquam ſanare corpora, quin animis quoq; meliorem ſanitatem conferret, par fuit immenſam per omnia potentiam ſingularibus beneficijs exſignare: at enim quia mater collatam ſibi in res creatas poteſtatem gratiæ, ſui, Deiq; filij referebat acceptam, decebat apprimè generali appellatione peculiares complecti beneficiorum modos, ne non quod ipſa poſſet, ſed vnde, & cum quo omnia poſſet, præfixo vbiq; velut quodam humilitatis ſymbolo proponeret; quantum verò potuit, quantumq; ex ea repromiſſione Meſſanenſibus deinde præſtiterit, ſuo loco cenſebimus.

Atq; ex hactenus dictis niſi fallor conſtitutum manet, non modò Deiparam Virginem contra mores Nati non veniſſe ſcribendo, ſed perfecto ad eius imitationem animo compoſitam, feciſſe interdum quod ipſi fuit conſuetum, neq; ſolum feciſſe, ſed ad ideam Nati, animi ſui ſenſa cogitationeſq; finxiſſe, eademq; verbo & ſcripto quã proximè expreſſiſſe, quidni enim quæ aliquando à Paſtoribus dicta de filio, [b] *conſeruabat omnia verba conferens in corde ſuo*, ab eius ore excepta non altiùs in animum admitteret, diuinaſq; mentis eiuſdem conceptiones, non ſuas vellet eſſe ſententias? quin credibile eſt, non dicta ſolum filij, in penetralia Virginei cordis inſediſſe, verùm etiam ſi quæ alia ab eodem vel ſcripta ſunt, vel ab ipſa Virgine ex auditis ab illo, in ſacra quædam aduerſaria illata, continuò fixa manſiſſe ob oculos, exemplo in agendis & cogitandis fuiſſe perpetuo.

b Luc. 2.

Ad extremum, duo quædam licet aduertere, in quæ noſtra hæc defenſio videri poſſet incautè offendere. Alterum eſt, quod cùm illa Chriſti ad Abagarum Epiſtola, lingua Syriaca fuerit exarata, (ex illa quippe Euſebius Pamphili [c] Græcis loquentem reddidit,) ad perfectam Filij imitationem videtur in matre ſpectare: ipſam quoq; non Hebræa ſed genuina Syris, & conſueta Chriſto lingua ad Meſſanenſes reſcribere debuiſſe. Id verò ſi ſemel aſſeratur, hærebunt primùm dicta de verſione Pauli ex Hebræo in Græcum, tum deinde non pauca inde in argumentum ducta, fidem Traditionis retardent neceſſe eſt. Alterum verò eſt, ipſam epiſtolam Chriſti ſine vlla gentilitatis nota, ſine titulorum longis illigaturis nudè & ſimpliciter incedentem, nullis item ſubſcriptionis, & nominis velut ſigillis, temporumq; munitam ſignis, haud parum eluctari, quò Virginis Epiſtolam vel dubiam reddat, vel certè demutato in alienos mores ingenio non ad exemplum filij conſtitutam.

c Lib. 1. hiſt. c. 13.

Verùm quod ad primum ſpectat, cùm ſi mores & tempora illa repetantur, promiſcuum fuiſſe vtriuſq; linguæ vſum facile deprehendamus, non eſt cur ſi altera alteri pro re nata interdum ſucceſſit, ſtudijs ſcribentium diuerſos inceſſiſſe mores ab vſu temporum longe deiunctos illico reputemus, ac proinde Virginem Deiparam in exaranda Hebræa Epiſtola in exemplum Nati peccaſſe arguamus, quando ipſe etiam Chriſtus ita pro inſtituto loquelam accommodauit, vt diuerſis diuerſa elocutione animi ſui ſenſa proferret, vel certè ad idem genus eloquij percipiendum, diuerſorum ſenſa temperaret. Nam quæ multorum eſt ſententia non vno recentioris Teſtamenti loco firmata, Chriſto Syriacam, vel vt quibuſdam placet Syrochaldæam, pro vſu veniſſe linguam; non ita cenſeri debet in probatis, quaſi non alio ſermone vulgi quoq; auribus perinde & domeſticis influeret, ſed quod plerumq; inter docendum & prædicandum, alienum idioma, idq; affine potius quàm penitus differens, velut ſeſamum inſpergeret, ad emolliendum quod in vſu vulgati ſermonis non adeo

erat

Digitized by Google

erat attritum, vel clarius explicandum, quod erat inuolutum; quin etiam interdum patrandis virtutibus [d] Chaldaicum adiecit velut adagium, non quod in verbis idiomatis, peculiaris ineſſet uis, ad occulta rerum elicienda, vel admiranda efficienda, quod fortaſſe ex hoc loco iactent arioli, verùm quia ad aſtantium fidem, qui id profitebantur idioma, non minimùm valebat vel augendam vel conciliandam: ſeu quod mihi magis arridet, ne ſi vnum duntaxat linguæ genus, ſigna ſequerentur, in ipſis verbis natiua virtus ineſſe crederetur, nec vis Sacramentorum effectrix, alienis vocabulis eiuſdem ſignificationis conuenire; cur verò non etiam Chriſtus interdum Græcam, aliamue peregrinam adſciuerit elocutionem, cùm in ea Vrbe Hieroſolymorum tam ampla, tam omnium nationum quæ ſub cælo erant frequentia percelebri, extra inſtitutum eſſe non potuit omnium linguis vti? id enim ſi vſquequaq; ſit verum, non aliam ob cauſam factum reor, quàm quia vel nondum rata fuit pro tempore gentiũ vocatio, cùm primùm Iudæis oportuerit prædicare Dei regnũ, vel quòd Iudæi quorum ſalus tunc curabatur, nunquam non prædicante Chriſto affluentes, etiam inter alienos, ſi Ioſepho [e] credimus non ſuſcipiebant eos, qui multis loquerẽtur linguis, quòd ſtudium profanum apud eos haberetur, & ſeruis commune cum ingenuis: ſolos autem ſapientes ſuo ſuffragio pronunciabant, qui legis & ſacrarum literarum, tantam aſſecuti fuiſſent peritiam, qua eas valerent interpretari, ad quam functionem cùm lingua Chaldæa, vel potius Syrochaldæa non parum authoritatis afferret ex antiquitate, nec minus facilitatis ex affinitate, præter hanc, niſi alia ſimilis huic eſſet, nulla Hebræis pretium habuit ac dignitatem, vt proinde mirum non ſit præter hanc, in prædicationibus, aliam à Chriſto non fuiſſe in vſum adſcitam.

Sed quid multis moror, cùm verbo liceat linguam aduerſi argumenti compeſcere. Chriſtum nimirum Syriacam à Syro Abagaro accepiſſe Epiſtolam, proinde nullius egentem interpretis Syriacè reſcripſiſſe non ſolum appoſitè ad gentium mores, verum etiam pro inſtituto Chriſti ſanctiſſimè, quippe qui omnibus omnia factus, in ſimilitudine ſermonis, ſimilitudinem venabatur animorum. Neq; tamen hinc velim inferas Deiparæ quoq; Virgini Græcè aut Latinè ſcribendum fuiſſe ad Meſſanenſes, quando niſi doctrinę gratia, quemadmodum ſcripſerunt Apoſtoli ad Gentes lingua minimè affines, id faciendum non erat, longeq; deiunctum ab exemplo Chriſti, cum interea Hebraicè an Syriacè loqui, ſi id in vſu erat, ac literas ſcribere officioſas perinde eſſet, longeq; magis commendaret minimè curioſam Virginis ſimplicitatem, & quę omnem oſtentationis ſpeciem deuitaret, quòd pręſertim Paulus Apoſtolus Hebraicè ac Græcè à primis infantiæ rudimentis peritus, interpres Virginis adeſſet, ne ſine cauſa miraculis rem geſtam eſſe prætendamus, ſi vel pluribus linguis loquentem Virginem, ad quandam fortaſſe oſtentationem, aut Hebraicè duntaxat proferentem, à Meſſanenſibus ignaris nouo dono intellectã, ad ſtuporem inducamus. Vt mittam plus feciſſe ad religionem Meſſanenſium, ea lingua exarare, quæ cùm interpretatione egeret, velut arcana quædam ac myſteria continens, maiorem venerationem conciliaret, quàm ſi vulgato ac trito prolatum idiomate, per ora omnium, ceu minimè ſacrum vileſceret.

Iam quod de titulis Epiſtolæ Virginis præfixis obuertitur, quo vno mirum quantum ſe iactat Anonymi argumẽtum, infra in ſuſcepta cum eodem ex inſtituto diſputatione peragetur, vnaq; conficietur, nihil in illis redundare contra Virginis humilitatem ac modeſtiam, nihil non neceſſarium præferri, nihil penitus exemplo Chriſti aduerſum, quamquam ille alijs de cauſis temperaſſet, longeq; plus religionis ineſſe eiuſcemodi prænominum aggregationi, quàm vt à quopiam iure in calumniã vocari queat. Nam de cetero quod ad temporũ notas aliaq; ad calcem epiſtolæ affixa videtur

[d] Marc. 5. 7

[e] Antiquit. l. 20. c. vlt. in fin.

Digitized by Google

reur pertinere, ex ſentẽtia ſatis hactenus dictũ eſt, ex animo diſceptandi plura dicẽtur cùm res feret.

Atqui hoc toto capite, conſtitutum eſſe oportet, nõ ſolum exemplo Chriſti ſcripſiſſe Virginem, verùm etiam quod altera pars argumenti poſcebat, neceſſarium fuiſſe vt ſcriberet, non abſoluta quàm Scholaſtici vocant neceſſitate, hanc enim qui requirat, quid ipſe velit, ignoret neceſſe eſt; verum quæ attenta Virginis humanitate, & pietate, immenſaq; in omnes propemodum caritate, conſiderata etiam Meſſanenſiũ religione, ad quam firmandam augendamq; id genus officij vel ſolum omnia poterat, in rem venire potuit ac debuit: & alioqui væcors ſit, ne dicam ſenſus ac humanitatis expers, qui vel hoc negare auſit, vel perperam plura requirat. Itaq; ſatis cauſæ habuit pia Meſſanenſium imploratio, nec alienum à Virginis clementia fuit, ſolamen pietatis conferre poſcentibus, fouere fidem recens acceptam, augere ſpem ſalutis arreptam, incitata deniq. ſtudia flectere ad omnem religionis ardentioris occaſionem. Nam ſi vt dicebam reſtricto vocabulo neceſſaria minimè fuiſſe dicatur ea Epiſtola, quia quod philoſophicè dici conſueuit, abſq; illa Meſſanenſium ſaluti proſpectum fuiſſet, iam ſuperflua erunt in Eccleſia Pauli ceterorumq; Apoſtolorum ſcripta, tot pia Sanctorum Patrum monimenta, tot canonica Pontificum decreta, quando ad ſalutem adipiſcendam egregiè ſufficiunt quatuor Euangelia. Quin verò redundabunt & quatuor Euangelia, quando vnum horum abundè ſanctioris vitæ conſulta ſuppeditat, aut deniq; nec pretium erit Euangelio, quando per traditiones non ſcriptas, rectè viuendi præcepta vim habere poſſunt in animis fidelium non infirmam. Verùm deinceps vtrum ad alios quoq; Deipara Virgo ſcripſerit videndum.

B. VIRGINEM AD IGNATIVM QVOQVE Martyrem ſcripſiſſe.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

ILLVD etiam non obſcurè intendit P. Chriſtophori de Caſtro argumentum, vt nihil planè ſcripſiſſe Deiparam Virginem nedum epiſtolas ad Meſſanenſes alioſq; exaraſſe perſuadeat. Ceterùm an ipſa quicquam ſua manu, ſcripto relinquere debuerit ad vtilitatem Eccleſiæ, quæ magiſtra Apoſtolorum ac totius Eccleſiæ, quodammodo manibus omnium ſcripſit, ſcribitq; quotidie, eo definiendum eſt iudicio, quo qui ſapit nec Chriſtum ſimile quippiam, factitaſſe cenſebit, cuius Spiritus ore omnium ſigniſq, locuturus erat in Eccleſia vſq; ad conſummationem ſeculorum. Quare quod dicitur in argumento, neceſſarium non fuiſſe Deiparam Virginem ad exemplum Nati comparatam, ſcripto erudire Eccleſiam, in ea ſignificatione rectè accipi debet, quia demandato prædicationis officio, probè iã inſtructis Apoſtolis, nihil adeo ſupereſſet; quod ad ipſam maioribus de cauſis referri oporteret, idq; illo tempore præſertim, quo Chriſto iam cælis recepto, non ſolùm orbitatem Eccleſiæ Mater ſolabatur, verùm etiam velut commendatam filiorum hæreditatem, iure materno quà debuit adminiſtrabat, filioſq; Apoſtolos in eadem functione conſilio dirigebat. At tum potuiſſe ſcribere, imo verò debuiſſe ſi res tuliſſet, nemo cui pectus ſapit inficias ibit. Nam quod Paulus[f] mulieres in Eccleſia tacere iubet, non niſi quibus ipſe præcipere poteſt, & quæ à maritis domi docendæ ſint; [g] culpa ſcilicet

f ad Cor. 15
g Anſel. in 1. ad Cor. c. 15.

cet primò illius mulieris quæ cùm loqueretur, viro ſuo ſuaſit peccatum; ceterum mulierem illam [h] quæ mater capitis & magiſtri Eccleſiæ facta, ius quoq; obtinuit in membra, & magiſtræ in diſcipulos, non ſolum extra inſtitutum habet Paulus, verùm etiam tanquam eum ex qua plurimum ipſe cum ceteris didicit, & cum qua etiam aliquando proculdubio contulit Euangelium, [i] tametſi non ab homine acceptum ſupra mortales veneratur. Etſi enim Spiritus Sanctus de Cælo miſſus omnem Apoſtolos docturus erat veritatem; & ſuggeſturus quicquid Chriſtus ipſis voluiſſet dictum, ille tamen idem Spiritus ad conſuetum ſibi diuertens in mente Virginis ſacrarium, longè ſublimiori & manifeſtiori veritatis cognitione quàm ceteros ipſam affudit, in ea, fontem lucis eſſe voluit ex quo in alios radij dimanarent, non ſecus ac de fonte olim è terra aſcendente, [k] aquæ vniuerſam terræ ſuperficiem irrigantes: quò proinde multa per Virginem reuelarentur Apoſtolis, quæ in ſe non ſolum ſimplici cognitione, ſed ipſo effectu, didicerat, ipſo experimento comprobarat, ipſo inſtituto ad Eccleſiæ vtilitatem conuertebat, vt non immeritò Rupertus [l] tantam Virginis prærogatiuam hac aliquando acclamatione extulerit: *Tanquam malum punicum in medio tintinnabulorum tu præcipuè fuiſti Virgo Virginum in adiutorio, vel etiam in regimine prædicantium Apoſtolorum, cuius etſi verba non loquuntur vel audiuntur vbi prædicauerunt, opera tamen vel merita non ignorantur, non minora imò maiora tinnitu prædicantium*: quia ſcilicet cùm ipſa non prædicaret ſed prædicantes doceret Apoſtolos, non ipſius vox ſed Apoſtolorum ſonus audiebatur, in quo tamen maiora doctrinæ opera, maiora prædicatione Apoſtolorum merita in Mariam redundabant; quamquam cùm in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum, dubium non ſit eos verba quoq; Mariæ circumtuliſſe, quando ipſa non alia quàm Verba Chriſti quæ in corde ſuo conferebat, Apoſtolos inſtruendo proferebat, multoq; magis eſſet organum Chriſti in Eccleſia loquentis; quàm olim Ioãnes in deſerto fuit vox clamantis, vt nõ aliena videatur à pietate cogitatio, quod Chriſtus dixit Apoſtolis, [m] *cum venerit Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*: & iterum [n] *ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunq; dixero vobis*: ita accipiendum eſſe, quaſi Spiritus Sanctus docturus ſit per Mariam, ſuggeſturus ſit omnia per Mariam, ſiue tandem velut per ſingulare inſtrumentum, ſiue conſiliorum Dei ſupra Angelorum merita participem, ſiue ſalutis humanæ præcipuam in omnibus promotricem. quidni enim id faciat per Mariam, qui omnia nos habere voluit per Mariam, ſed præſertim inſtituere in omni veritate per eam, quę ſola interemptura erat omnes hæreſum in mundo vniuerſo falſitates. Sed nec abſurdè quiſpiam dixerit diuiſo inter ſe officio nauaſſe Spiritum Sanctum, & Virginem Mariam, quò Veritas cælo deuecta, inter mortales nota euaderet, ſedibuſq; & Templis in orbe terrarum fixis, contra delubra falſitatis eualeſceret, vel certè quemadmodum Heſychio [o] vniuerſum Trinitatis complementum dicta eſt illa Virgo, *in qua Spiritus Sanctus hoſpitabatur, Pater obumbrabat, Filius vtero geſtabatur*, ita complementum magiſterij eiuſdem Spiritus Sancti meritò dici debet, quam omnipotentis manus tãta repleuit ſapientia, quantam ne ipſa quidem niſi Dei contempletur eſſentiam poſſit perſpicere, recteq; ab Heſychio nuncupetur mater lucis, Dei domus templum maius cælo, cathedra non inferior cherubica. Nempe quæ vt notat Rupertus, [p] quãdiu Filius manſit in terris, tamdiu velut hortus concluſus, ſeptam ſilentio mentem ferebat, illo verò aſſumpto, quia tempus erat loquendi, talia protulit amicis hoc eſt Sanctis Apoſtolis *qualia* (vt ipſe ait) *priùs portare nõ potuiſſent*. Quin *vbi venit* (inquit) *Spiritus veritatis primus quidem & princeps ipſe illos omnem veritatem docuit, ſed & ipſa Beata Virgo teſtimonium ſuæ vocis adhibuit, & taliter locuta eſt auribus fidelibus, vt*

proin

h Gen. 3.
i Ad Gal. 1
k Gen. 2.
l Lib. 3. in Cant.
m Ioan. 16
n Ioan. 14.
o Heſych. Hieroſ. Ser. 2. de Sãcta Deipara.
p In cap. 2. Matth.

q Cant. 4. *proinde rectè dicat dilectus eius Deus:* q *Fauus diſtillans labia tua, mel & lac ſub lingua tua, &c.* Hæc Rupertus, ſed non minus ſanctè Bernardus r ita Deiparam a Chriſto Filio ſentit *in ſacris fuiſſe edoctam, vt rerum Euangelicarum tempus & ordinem tenens ipſa poſtmodum Scriptoribus & prædicatoribus Euangelij veritatem reſeraret, quæ ſcilicet plenè de omnibus à principio fuiſſet inſtructa myſterijs.* Sed ſanctiſſimè Euſebius Emiſſenus, ſ vbi primùm adnotaſſet *Deiparã Virginem vt matrem ſapientiſſimam, omnia verba in corde ſuo contuliſſe, nobiſq; conſeruaſſe & memoriæ commendaſſe, quò tandem ipſa docente, enarrante ac nuntiante ſcriberentur, & vniuerſo mundo prædicata, cunctiſq; nationibus redderentur communia*: tandem ſubiungit. *Ab ipſa enim hæc Apoſtoli audierunt, & ipſa dictante ſcripſerunt, nobiſq; legenda mandauerunt. Quis igitur Euangelijs non credat? quis eis contradicere præſumat, quæ aut Matris, aut Filij auctoritate muniuntur?* Hæc Emiſſenus. Ex cuius verbis illud in primis elicitur, tantam eſſe Virginis in docendo auctoritatem, cui vel ſoli fides ac veritas Euangelij poſt primam Veritatem niti queat; deinde verò multa ipſa dictante ſcripſiſſe Apoſtolos nobiſq; legẽda tradidiſſe, vt proinde ratum ſit quod initio cenſuimus, & ſcribere potuiſſe Virginem pro Eccleſiæ firmitudine ſi res tuliſſet, & debuiſſe niſi per manus aliorum id præſtitiſſet; quamquam quod epiſtolas ipſa ſua manu exararit ad diuerſos, humilitatis præcipuũ fuit exemplum, quæ ſacratas rerum Euangelicarum ſcriptione manus Apoſtolicas, priuato velut familiarium literarum inſtituto noluit adhibere. Quin etiam mihi perſuadeo Lucam Euangeliſtam, Virginis alioqui Notarium ac Secretarium, eiuſdem abſtinuiſſe præcepto, quò à multis ad eam ſpectantibus in ſua hiſtoria temperaret, vnaq; duntaxat vice non renueret, ſed tamen vltimo loco inter perſeuerantes in oratione nominari. Sed de his hactenus, neq; enim opinor amplius aliquid in quæſtionem veniat, niſi quod à principio velut prætextu roborandi argumẽti vertebatur, vtrum præter Meſſanenſes aliæ quoq; Ciuitates aut viri, datas ad ſe Virginis epiſtolas in gloriæ ſuæ, & felicitatis contentione poſſent adducere. Id igitur deinceps agendum.

Et verò quod attinet ad Florentinos, ipſos quoq; non minimam pietatis laudem quærere poſſe ſi velint, de vna Virginis Epiſtola ad ſe miſſa, dubium non eſt apud illos qui rem ſuis momentis pendunt. Hactenus illa fama neſcio an ab aliquibus fuit contempta, ſi non omnibus credita, & verbo forſitan reiecta, ſcriptis quod ſciam non eſt oppugnata, niſi quòd ſemel Chriſtophorus de Caſtro incertæ ſibi incompertæq; auctoritatis eſſe renuntiet, tametſi alioqui pietatem præ ſe ferre non neget. At enim auctoritatem ſufficit Caniſius, t nec refert vnde accerſat, ſi ab ipſo fides repetatur, neq; enim ipſe famam inuenit, ſed acceptam commendauit. Antiquior illo eſt ſed ab eodem laudatus Hieronymus Sauanarola, qui ante annos centum triginta Florentinis pro concione de ea Epiſtola fertur dixiſſe, nec minus rei veritatem eruditè explicaſſe, quàm explicatam inde Ciuium gloriam pro facultate dicendi altius extuliſſe. Huius verò viri auctoritas quantum valere queat, ex teſſera Sixti Senẽſis u licet opinari, quæ cùm in primis excellentis ingenij virum, multarumq; ſcientiarum copia præditum collaudat, tum deinde Sanctitatis opinione ita omnibus admirandum fuiſſe narrat, *vt Florentinæ Vrbis populus apud quem ſeptem annis in magna auditorum frequentia conciones habuit, exiſtimaret eum cum Deo loqui, & ab eo futurorum euentuum prophetiam accipere, & ob id nollet Rempublicam, & communia totius Ciuitatis imperia niſi eius nutu adminiſtrari.* Ex qua commendatione, iuncta ſimul Ioannis Franciſci Mirandulæ Principis qui eius vitam conſcripſit auctoritate, multa poſſent in medium adduci, quæ abolita ſupplicij mortis perlatæ noxa, ſi quid ea pro re obeſſet, fidem adſtruerent opinione grauiorem. Verùm hæc velitatio illis relinquenda, qui

r Hom. ſuper miſſus eſt.

ſ In Euãg. de feſto Aſſumpt.

t Lib. 5. de Deipara Virgine cap. 10.

u Lib. 4. Bibl. Sa.

qui ſi ex ea religione gloriam velint aucupari, vel non laceſſiti, pro ingenio, rem gerent, tutamq; reddent.

Iam verò pro Epiſtola Virginis ad Ignatium Martyrem data, piè admodum militat deuotus Virgini Bernardus, is enimuerò, cui nõ tuto nõ credas, credere verò debeas, tametſi nemo antiquior illo ſit aſſertor, plures vero poſt ipsũ oppugnatores, ſed quorum præ Bernardo flocci eſt auctoritas, rationes infra notam. In eandẽ cũ Bernardo ſentẽtiã eunt, Marcus Michael Carnotẽſis, Dionyſius Rickelius, Marianus Victorius, Symphorianus Champerius, aliiq; cõplures, & horũ omniũ religioſus laudator Caniſius,[x] qui vel iſtorũ auctoritate nixus ſi cetera deſint, de Ignatij Epiſtolis nolit dubitare, tametſi, quod in re ẽt noſtra facere poterat, eius, quę ad Ignatiũ à Virgine ſcripta eſt fidẽ, penes prudentẽ piumq; Lectorẽ velit eſſe Baronius,[y] ac planè contra velitetur Chriſtophorus de Caſtro cũ quo decernimus. Enimuerò omnes in aduersũ rationes facile conniuebunt, ſi in primis Ignatiũ Martyrem non arbitremur fuiſſe eum, quem puerulũ Chriſtus cõplexus, humilitatis argumentũ voluit eſſe diſcipulis,[z] quãquã id cõtẽdat Metaphraſtes,[a] perinde habẽs Ignatiũ ac Martialẽ,[b] quẽ à Petro Gallis deſtinatũ, Lemouicenſium ſedes accepit Epiſcopũ;[c] deinde ſi accipiamus Ignatiũ Ioannis fuiſſe diſcipulũ, nõ quaſi fixus auditor eſſet Hieroſolymis, ſed quòd alibi degens, vel literis Ioannis,[d] vel ſermone aliorũ, audita ex ipſo referentiũ, de Chriſto ac MARIA doceretur, tametſi nihil intercedat quin extra Hieroſolymã interdũ præſẽtem audiret, eoq; Chriſti IESV amore incaleſceret, quẽ Ioannes pridẽ è ſinu Saluatoris potũ, vbiq; ſpirare conſueuiſſet: neq; enim ita ſẽper obſequijs Virginis mãcipatus inhæſit Ioãnes, quin aliquando iuxta Domini præceptũ, ipſa cõniuente ac monẽte, teſtis reſurrectionis Iudæam ac Samariã obiret, manente interea cum Virgine ex eiuſdem Caſtri ſententia Iacobo fratre Domini, cui Hieroſolymis pedem efferre ex officio non vacabat. Nam quòd ſententia Patrum indiuulſus Virgini comes fuerit Ioannes, rectè intelligi poteſt, ſi vel longiùs abeuntem, quemadmodum cùm Epheſum in Aſiam profecta eſt, continuò comitarit, vel quod Dexter[e] notat[f] Hieroſolymis[g] *frequentiſſimè loca ſacra paſſionis ac reſurrectionis Filij* viſenti nunquam non adfuerit, pietatis vnà viarumq; comes; vel deniq; quòd non niſi ea volente, idq; rariùs abfuerit.

Sed neq; aberret qui Ioannem Antiochiam vſq; pro re natà excurriſſe contendat, ibidemq; Ignatium poſt annos Deo diſponente, Antiochenſis Eccleſiæ Paſtorem futurum, fidei inſtitutis iam antea formatum, firmaſſe magis amore Chriſti, non vacillantem, ſed ad maiora euehendum, vt non immeritò, emollita vi ac nominis ſignificatione Neophytum ſe dicere voluerit Ignatius, nõ à fidei lacte, ſed ab igne amoris, ſed ab humilitate cordis iam nomine IESV exſignati, ſed deniq; plura de Chriſto ac Virgine ſciendi deſiderio, diſcendi ardore. Quid enim vetat hæc omnia fieri potuiſſe, imò reipſa fuiſſe, ac tum ex Ioanne ſtupenda quæq; de Chriſtifera Virgine Sacramẽta edoctum, tanta poſtea viſendi cupidine ſanctè flammantem, ad eundem ſcribere decreuiſſe? Nã quòd puer[h] Chriſtum poſt reſurrectionem in carne cum ceteris diſcipulis conſpexerit, & fortaſſe dulci etiã Virginis aſpectu[i] Hieroſolymis fruitus ſit interdum, minus profectò fuit,[k] quàm vt ſatiare potuerit, nouis æſtuantem flammis nouis agitatũ penè mentis exceſſibus, præſertim cum iã Chriſto in ſublime recepto, cæleſte prodigiũ, MARIA Virgo, inſolito ſanctitatis ſplendore creſcẽti Eccleſiæ prefulgere cępiſſet, & quæ maieſtatẽ Nati, vultu, exẽploq; ferebat, recõditum etiã in pectore haberet diuinorũ conſiliorũ, & ſecretioris doctrinæ prõptuarium, vnde cum Apoſtolis vniuerſa Eccleſiæ poſteritas diteſceret. Vt proinde Virginis in eo ſtatu conſtitutæ, ita potuerit deſiderio videndi flagrare Ignatius, quaſi nunquam antea

P vidiſ-

x Lib. 5. c. 2

y Tom. 1. ſub an. 10[?]

z Matt. 18

a Luc. 9.

b In vita Ignatij.

c Iãſenius & alij apud Petr. Ribbad. In vita Ignatij.

d Dexter ad an. 52.

e Dexter ad ann. 41. Concil. Epheſin. c. 27.

f Baron. in notis ad 29 Decemb.

g Ad ann. 37[?]

h Epiph. l. 3. hiſt. c. 30.

i Niceph. l. 3. c. 19.

k Hieron. de Script. Eccl. in Ignatio.

viſiſſet, quòd præſertim Chriſtum in ea ſpirantem ac agentem, ſpectare & legere nimium quantum cupiuiſſet.

Quæ omnia ſi quemadmodum dicimus, citra incómodũ euenire potuerunt, potuit dubio procul ſuauiſſima Virgo reſcriptis ad Ignatiũ literis, ſolari cupiẽtis animũ, eundemq; mellitis hiſce lenire ſimul ac munire documẽtis. *De IESV quæ à Ioanne audiſti & didiciſti vera ſunt. Illa credas: illis inhæreas & Chriſtianitatis votũ firmiter teneas, & mores & vitã voto conformes: veniã autẽ vna cũ Ioanne te & qui tecum ſunt videre. Sta & in fide viriliter age, nec te commoueat perſecutionis auſteritas, ſed valeat & exultet Spiritus tuus in Deo Salutari tuo Amen.* Potuit inquam certum reddere Ignatium Virgo, ſe vnà cum Ioanne venturã, ipſumq; cum ceteris qui cum eo erant viſurã, quãdo plus nimus ſæuientẽ perſecutionẽ declinatura, vel etiam ſponte ad viſendã Euangelij ſementem Apoſtolicæq; prædicationis iuuãdæ gratia [1] quod tunc feminæ fide illuſtres factitabãt, itura, Epheſum in Aſiã à Ioanne deducenda erat, ac per Antiochiã terrã prope neceſſariũ iter factura, & fortaſſe Ignatiũ Antiochia comitẽ habitura, vel ſi hic iã Epheſi eſſet, ibi eũ cõſpectura. Alioqui potius accerſẽdus erat Hieroſolymã, vndecunq; tandem gentium Ignatius, ſponte præ deſiderio videndæ ac adorãdæ Virginis aduolaturus, niſi eã Virgini migrãdi occaſionem aut furor Iudæorum, aut amor Euangelij maturaſſet. Potuit deniq; ob eaſdem cauſas, perſecutione præſertim lõgius extra Iudæam manatura, ſicut credebatur à multis, Virgo ad omnẽ & ipſa, ſi res tuliſſet pro Chriſto ferendam iniuriam paratiſſima, Ignatio quoq; animũ addere, illis ipſis verbis quibus plenã fortitudinis Epiſtolã concludit. *Sta & in fide viriliter age, nec te cõmoueat perſecutionis auſteritas, ſed valeat & exultet Spiritus tuus in Deo ſalutari tuo:* eius videlicet perſecutionis, quæ iam ſuis initijs gliſcens maior in dies fieri poterat, & Ignatium ſi nõ tunc attingere, fama ſaltem plus ſatis commouere: cui etiam Virgo ceterùm fortiſſima, cedendum ad tẽpus duxiſſet, melioribus Eccleſiæ tẽporibus conſeruanda; niſi forſitan ipſa exceſſit, vt alios cõſeruaret animoſè; ad tolerãdũ fortiores præpararet. neq; tamen mirũ videri debet, exemptã aliquãdo perſecutioni Iudæorũ, quando à pernicie Stephani, Magdalenam quoq; cum ceteris inuoluit, hoc loco iniquiori forſitan ſorte obijcere Virginem Deiparam: diuerſarũ quippe viciſſitudinũ diuerſæ ſunt cauſæ, & ratum Dei conſilium fuit, per ſumma rerum ſeu tranquilla, ſeu diſcrimina, ad apicem gloriæ ipſam euehere.

Quòd ſi ea Virginis verba ad ſecuturas ſub Nerone, Domitiano & Traiano turbelas reſpicere credantur, quarum poſtrema Ignatio quoq; exitium datura erat, quis ambigere queat Virginem diuinitus iniecta mente præſagam, Martyris animum præparare voluiſſe, frumentumq; Chriſti, dentibus Leonum molendum, melle verborum ſuorum in maſſam ſuauitatis, ac demum in panem cæleſti menſa dignum effingere? Iam verò vt cetera quoq; huc aptentur, nihil omnino incauti proferet, qui Ignatio vicenos plus minus ætatis annos adnumeret, cùm primùm Chriſtum in carne vidit, hos vero binis circiter accumulet, quo tempore graſſante iam perſecutione Iudæorum, Virgo proximè in Aſiam migratura, eidem reſcripſerat; iterumq; ſeptennij ſpatium quo Petrus (niſi ante ſedere cœpit) Cathedram Antiochenam tenuit, illiq; vicenos Euodij (qui Petro ibidem ſucceſſit) cum ſenis annos adiungat, ac demum Ignatij ipſius Euodium ſecuti, vno ſupra quadrageſimum anno, tempora connectat; totum hoc annorum curriculum, quantumuis emergenti calculo deductum, vnius ſeculi conuerſionem haud ſuperat, nec minus idoneam id genus Martyrio reddit viri centenarij ætatem, quãdo nõ ſicut quibuſdã videtur, iuſſus ſit armatus, pugna corporis cũ beſtijs in arenã deſcẽdere, ſed fidei ac animi certamine inuictus Chriſti Athleta, Leonibus laniãdus ſit obiectus, quos etiã præparatos, orabat ſibi veloces eſſe

ad

ad interitum & ſupplicia,ne ſicut aliorum,ſuum quoq; corpus non auderent attingere, vt proinde ſi irruere noluiſſent, ipſe vim facturus eſſet,ipſe ſe præceps inferret ac vrgeret,non ſanè ictibus arcendo more pugnantium, quò depulſa pernicie, legum quoq; ſententiam depelleret,ſed ſeipſum vltro obijciendo, imò vltro faucibus hiantibus inijciendo,vt deuoraretur. Et quamquam id ætatis illa tempeſtate non adeò viribus caſſum erat,quin ſi res tuliſſet exerta maſcula virtute,& ciendis pugnis,& tolerandis valeret; Martyrem tamen Chriſti non decebat,vili pacto redimere vitam pretiosè prodigendam, quem ſi è re fuiſſet, vel inermem virtus diuina protexiſſet, vel non pugnantem,victorem effeciſſet.

Atq; hæc de Virginis ad Ignatium Epiſtola,vel tenuiter dicta ſatis oſtendunt, eiuſcemodi argumentis non facile ſubrui traditiones maiorum,ſi,quacunq;tandem piorum auctoritate nitantur;quantumuis interdum calculi temporum, noſtras effugiant putationes, longeq; ſatius eſſe pietatis cauſæ patrocinari, quàm offendiculum abſq; neceſſitate obijcere. Id quod prudenter cauit Baronius, in diiudicando cetera fortaſſe religioſior, qui cùm minutiora quæq; conſectetur,& ad rationes temporum velut ad Lydium lapidem ſingula examinet, huius tamen Epiſtolæ fidem, vel ſola Bernardi auctoritate perculſus,penes iudicium prudentis pijq; lectoris reliquit; idq; feciſſet dubio procul in re noſtra, ſi paulò antiquiorem teſtem, quem nos produximus,inueniſſet. Idem vero teſtis,nempe Lucius Dexter exceptione antiquior, cùm pro Ignatij[m] quoq; ad Virginem Epiſtolis egregiè vadatus ſit, non dubito quin æquiores impoſterũ arbitros hęc ſit habitura ſententia:nã ſi quemadmodum ipſe ait, illo tempore,anno ſcilicet poſt Chriſtum decimo ſexto ſupra centeſimum, nec longè à martyrio Ignatij celebres illius ad Virginem habebantur epiſtolæ, vetuſtiorem vtiq; ſectatus eſt,quam tempeſtatis ſuæ famam an auctorem, quod etiam de Bernardo niſi temerariè negari non poteſt, ac proinde neceſſariam extorquet fidem datarum in primis Ignatij ad Virginem Epiſtolarum, deinde Virginis ad eundem ſaltem vna vice reſcriptæ Epiſtolæ,ſi Virginis tùm humanitati & caritati,tum iudicio ſapiẽtum aliquid eſt deferendum; id quod indubia planè conſecutione conſtaret, tametſi expreſſis alioqui verbis,quod tamen ſit,à Dextro aſſertum haud fuiſſet.[a]

m Ad ann. 116.

a Ad ann. 116.

RESPONDETVR TERTIO EX ORDINE PRINCIPI Argumento, quod eſt primum Anonymi.

CAPVT DECIMVM SECVNDVM.

NON dubito ex ijs quæ pro facultate hactenus ſatis explicatè dicta ſunt contra alios in contentione Virgineæ Epiſtolæ, me in-poſterum ſtudio fortiùs agendi leuatum iri, cùm nemo ſit paulò æquior arbiter qui non videat ad ea, quæ bona fide diſſeruimus, nihil quod admodum leuet aduerſam partem poſſe reſponderi. Sed enim Anonymus iſte, niſi demiſſo ardore contentionis calumniæ relangueſcat, plus iuſto videtur controuerſus, ne de ſuſcepta opinor cauſa ſe facile depelli patiatur. Iactat imprimis,per multa eſſe rerum capita quibus rationes aduerſum nos pugnantes continentur, in ijs tamen vt quatuor,ad ſummum quinq; validiora ſint & firmiora pleraq; ponuntur ad numerum augendum, & quæ ſcriptionem pleniorem & refertiorem efficiant, ne fortaſſe alius aliquando futurus ſit, qui in hac materia liberius

Digitized by Google

maiorique cum rationum copia verſari ſe poſſe confidat. Faciendum nihilominus, vt ſingulis quantum ſatis eſt ad argumenti robur in medium allatis, reciſiſq; leuibus & ſuperfluis; res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione committatur.

PRIMVM itaq; argumentũ quod vt dicebam alijs dentatum, mihi nimis religioſum videtur; Nefas putat Deiparæ manu exaratam ſcripturam adulterare. vnde ergo (inquit) tam diſcrepantia paſſim exemplaria, cur non ſuus ſacris apicibus ſeruatur honos, cur non ſuus cum religione cultus? hinc enimuerò Meſſanenſes arguuntur aut plane dubij de fide talis Epiſtolæ, vel prorſus irreligioſi qui temerare audeãt, imo ſine lege barbari, qui æſtimare neſciant, contemnant.

Rectè ſanè, ſed num quis in iudicium vocet Aſellum qui baiulando ſimulacrum Iſidis impegit in lapidem, aut ſi vapulet ille, num hoc quoq; comminuendum? Manus exſcribentium errauere; num ideo Epiſtola plectenda tanquã falſa, ſuppoſititia, conficta, aut Meſſanenſes poſtulandi ceu Sacrilegij? nempe incuria & oſcitantia præter crimen id factum; quid inde ſi vno deprauato plura emerſerint, vitiata exemplaria, cùm fortaſſe non vnus eſſet qui integritati ſuæ Epiſtolam donaturus, verbis & conceptibus in patrio alluderet; & plures ex Notarijs facti ceu commentatores, imprudenter fateor, ſed candidè & abſq; ſimulatione falſi, quod nitori puræ ac putæ veritatis nihil inde labis afferri cogitarent. At mutata ſunt pleraq; & in alijs atq; alijs addita, dempta, perturbata: hoc ipſum ago, ſed ſi excurrentes riui colluuione ſordium, minuantur, creſcant, turbidi reddantur; num ideo fontis lympiditas vitium cõtraxit, quo minus ipſe potetur? nihil in ea Epiſtola eſt adeo redundans, quod intentum non reddat, nihil ita deficiens quod obſcurum efficiat, nihil eò vſq; perturbatum quod ſenſum tollat, ordinem minimè ſeruet, mores & pietatem Virginis genuinam haud referat: omnis mutatio conſiſtit, vel in verbis reſtrictis, vel in explicatis, quorum alterum pro altero poſitum idem ſignificat, vel alteri additum ſententiam explicat; vel in affixis temporum notis, quæ cùm exterius adhæſerint, penetralia non vitiant; vel deniq; ex appenſo nominis velut chirographario ſigillo, quod cùm ex ſtylo actuarij imprudenter an inſcitè irrepſerit, rem ipſam inficere minimè poteſt, opinando præſertim hiſtoria decernitur piæ nixa traditioni, non ex elephantinis libris, aut nominum aduerſarijs rationes repurgantur.

In quatuor Euangelijs diuerſa interdum, nec eadem ſerie narrantur, mutilumq; videtur in vno quod redundat in altero, eodemq; modo ſuppreſſum in iſto quod explicatum in illo. Sed quis niſi Iulianus quidam Apoſtata, eiuſdemq; farinæ homunciones dictitent Euangeliſtas falſa venditare pro veris, commentitia non diſiungere à fabulis, quò mentes incautas doctrinæ Chriſti factorumq; ſuppoſitionibus circumſcribant? etiam nimis rigidus ſit cenſor, qui hanc Virginis Epiſtolam, ob Scriptorum varietatem nonnihil verbis luxatam, acerbiori ſententia configat, & euariantes ceu de crimine ſtellionatus, intoleranter velit poſtulare. Nihil in hiſtorijs eſt adeo commune quàm temporum euariatio, eiuſdem rei factiq; diſſentiens à diuerſis narratio, de origine rerum & perſonarum ambigua relatio, de mentibus auctorum controuerſa diſceptatio: num ideo quæ ſcribuntur aut dicuntur continuò repellenda ſunt, aut etiam ignominia notanda, & non potius priſca quadam temperantia ad æquitatem reuocanda, vel certè ſi minus placent modeſtè diſſimulanda? Quo die vel anno ſalutis auctor filius Dei natus ſit in carne, quo die vel anno denatus in cruce, hodieq; controuertitur apud Scriptores, multis diuerſa, ne dicam abſona ſentiẽtibus; nũ ideo quiſpiam exitioſè contendat, nunquam Chriſtum in mundum veniſſe, nunquam hominibus Saluatoris benignitatem apparuiſſe? Eundem alij ternis, quaternis alij clauis, pedibus aliquantùm diuaricatis patibulo confixum ſcribunt; num ideo ipſe

nun-

nunquam crucifixus eſt,num ideo nunquam pendens inter latrones deputatus? De immortalitate Ioannis,de ipſius Deiparæ demigratione, quàm variæ; quàm exorbitantes feruntur etiam grauiſſimorum Patrum ſententiæ, num ideo Ioannes, aut Virgo Deipara nunquam in rerum natura extitere, num ideo inter mortales minimè in carne vixere?

Quare ſi tam vago calculo ab imprudenter nec ſponte euariantibus definita ſit ætas Virgineæ Epiſtolæ,nemo iure mirari debet,quando vel ipſi Salutis anni ſi ſapientibus credimus,nondum fixo apud Scriptores cardine voluuntur,quod etiam in re certiſſima perdifficile ſit ipſis exactam per omnia reddere rationem temporum, & à vero nunquam aberrare, maximè cùm memoria hominum breuis, retroacta longè ſecula reſpicere nequeat eatenus,vt annorum lapſus legitima ſerie deducat; niſi fortaſſe ſua quiſq; ætate ſenectutem reparatæ ſalutis metiri velit. Adeo tempus ſui ipſius edax,memoriam quoq; rerum abſumit, vt quæ nuperrimè geſta in oculis vidimus,vix ordine ſuo ſuiſq; annis, nedum menſibus ac diebus conſignare ſine errore valeamus,quid igitur de ijs dicendum putabimus, quæ priſcis annorum ſtadijs præterierunt,& quæ in ſuo ortu citiùs conſenuerunt,quàm cum ætate virentis famæ ad nos peruenirent,quantumuis adeſſe ſuis momentis tempora nimium feſtinarent? Iam verò cetera quæ nondum occidentibus annis, in varijs Hiſtoricorum libris ſpirant, aut principijs annorum mutila ſunt,aut in ipſa ſerie vitiata, vt iam in fine ſecula non ſubſiſtant,niſi à fine reditus pateat ad principia. Iniuria ſanè poſtera ætas conqueſtura eſt de nobis, niſi & nobis ius expoſtulandi cum antiquis oboriatur, quòd adeo confuſa tranſmiſerint tempora, quæ nec à Decemuiris fatalium librorum euolui queant,ſuaq; luce colluſtrari.

Sed enim quorſum hæc tam altè repetita & fortaſſe hoc loco non neceſſaria, niſi quòd me pigeat ac penitus pudeat conſecutionum adeo crudeſcentium,vt intempeſtiuum Anonymi argumentum,me cogat rationes meliores quodammodo inceſtare. Pergam ad ea in quibus maiori cum libertate certatur. Agatham Panhormitani Ciuem ſuam eſſe contendunt,Catanenſes ſuam, ſuis vtriq; nixi firmamentis; an propterea ſuo illa loco & gradu deripietur, ſuaq; Patriæ veræ honoris ac religionis inſignia minimè ſtabunt ſi ſuperis placet in perpetuum? Panhormitani item cum Meſſanenſibus de dignitate capitis non vna ratione legum dimicant,num ideo alteri Ciuitati ſua minus proderit auctoritas,& obſoleſcet diplomata illuſtrium titulorum ac dignitatum,quæ tantopere tantaq; admirabilitate ſolent deprædicari? Gallorum originem alij deriuant à Græcis, alij referunt ad Germanos: Auſtriacorum item capita non pauciores è Gallis quàm è Romanis volunt emerſiſſe;num ideo ſuis iſti carebunt initijs,vt nunquam hominum more propagati,ſed cælo ſeminati, aut quouis alio fabuloſo ortu extitiſſe credantur? Sexcenta ſunt huiuſmodi cuiuis elementario paſſim obuia,ſed piget plura vel ſine delectu ſponte incidentia renarrare; ne plus nimis lectoris exerceatur patientia, cùm vel hæc vnica crambe toties repetita ſufficiat ad opplendum neotherici animum,niſi ſtomaco ſit ad vomendum facto.

Ceterùm nollem eſſe adeo ſcrupuloſum vt cùm nefas putet ſtylo vulnerare Virginis Epiſtolam, religioni ſibi minimè ducat tacitè falſi inſimulare Meſſanenſes, quaſi tàm proruptè ſint audaces, vt Virginis Epiſtolam, tot ambeſam morſibus temerare ſint auſi. Quis enimuerò mortalium eſſe poteſt adeo inſigniter impudens, vt ea mendacij affectatione,gloriam ſibi voluerit aucupari, tam multis obnoxiam probris & contumelijs: quis præterea tam hebes, qui cùm ſplendidè mentiri velit, non omnem fucum exquirat,quo minus cohærentia obtegere, per omnia verò præuiſis cauillis ſpeciem veri queat obtendere? profectò nimium vt ita liceat loqui, ſit bardus,

qui

Digitized by Google

qui ſibi perſuadeat, ſi Meſſanenſibus confingere animus fuiſſet, carituros fuiſſe arte concinnandi, qua omnes eluſiſſent, quantumuis emunctorum argutias, nedum plumbeos huiuſmodi ratiuncularum aculeos, quando vt Lex dicit *Nihil aliud eſt falſitas* (nempe compoſita) *niſi veritatis imitatio*, quò proinde nemo ſapiens ſit, qui varietatem huiuſmodi non arte ſed incuria natam deprehendat, eamq; ob cauſam de falſitate minimùm ſuſpicetur.

Sed erit fortaſſe qui petat, vnde Meſſanẽſium ingenijs tàm alioqui prouidis ac ſagacibus, animiſq; tam religioni Virginis deditis, tanta potuit inceſſere oſcitantia, vt qui priuilegiorum ſuorum tabellas ſanctiores ducant, quàm quòd multi vel apicem immutatum eſſe ſinant, neq; tamen accuratè cauerint, quò minus ea Virginis Epiſtola, omni auro ſacratior, tot mendis ſcateret, quam vita ipſa potiorem eſſe oportebat. Multa ſanè ſunt quæ hoc loco mihi ad dicẽdum vltro citroq; occurrunt, verenti præſertim, ne ſi de ſupina negligentia Meſſanenſes in culpam vocauero, indulgentior ſim tempori, cuius iniuria rerum memorandarum ſolet eſſe fatum. Ceterùm ſi veritatis inquiſitio coniecturæ committatur, ſicut falſa ſæpius inuoluũtur, ita vera interdum prætereuntur, nemo tamen iuxta legem *diuinare cogitur*, ſed ex ijs quæ vſuvenire ſolent, prudentis eſt ea colligere, quæ contingere poſſunt; vt proinde mihi perquàm veriſimile ſit, eam in tot exemplaribus tabellis varietatem, non aliunde profectam eſſe, quàm quòd non omnes ex eodem autographo tranſcriptam diuulgarent, ſed iam tritam, & vt ſic dicam per compita decantatam, prout quiſq; memoria recoleret, priuatæ duntaxat religioni commodaturus, in ſcripta referret, minimùm penſitans an eæ chartæ quandoq; poſteris fidem repoſcentibus, velut in acta tranſirent. Hinc factum vt alij mutilam verbis, alij redundantem, varijſq; modis demutatam exhiberẽt, nihili ducentes eiuſcemodi variationem, dũmodo ſenſus integer ſine vulnere memoriam rei contineret, quòd præſertim non ad contentiones fori temperandæ forent tabellæ, quibus interdum vel ad apicem odioſæ cautiones reſtringuntur, ſed quæ latiſſimam Gratiæ formam, nutu potius animiq; ſenſis, quàm verborum ligaturis præ ſe ferrent. Quamquam deinde nonnulli ſapientiores præuiſis argumentis, quæ aduerſari volentibus aliquando capitalia forent, expunctiſq; anni Lunæ, feriæ, ceteriſq; in Epiſtolæ clauſula notis, omnes vno velut præcipuo neruo inciſo, rationes infirmas reddiderunt; quòd eiuſmodi temporum characteres non iam ſimplici animo, ſed imprudenti quadam minus eruditorum coniectura, ne dicam fortaſſe occulta proteruorum calumnia crederent irrepſiſſe, ad fidem ſcilicet ea impoſtura apud incautos eleuandam.

Horum equidem opinionem non improbo, quia tamen alibi ſemel in animum induxi, admiſſa etiam in ſuam arcem calumnia, appoſitoq; ad mentem aduerſariorum ingenio, nihil inde ſequi, quo magnopere prematur huius Epiſtolæ fides; non antea ſententiam me dixiſſe putauero, quàm cùm ſingulis rationibus euolutis, apertiùs demum pro ſuſcepta cauſa licebit perorare. Quod vt magis copioſè fiat, non ſolum oſtendendum erit, verſatas hactenus & verſas Epiſtolæ demutatæ rationes, nihil nocuiſſe ſynceræ veritati, ſed neq; diuerſam quæ ſe inferius offeret hiſtoriæ totius narrationem, quicquam decerpere Meſſanenſium religioni, alioq; ex capite non parum facere ad promouendam dignitatem. Nunc cetera proſequamur.

RE-

Digitized by Google

RESPONDETVR QVARTO ARGVMENTO QVOD EST Secundum Anonymi.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

QVARTVM Argumentum ducitur à comparatione huius Epiſtolę, cum alijs quæ vulgò feruntur à Virgine miſſæ ad Ignatium Martyrem, ad Florentinos. Nihil quippe toto cælo diſſimilius, ſiue ſpectes initia, ſiue finem, vt de argumēto, ſtylo, ac diuiſione, nulla interim inducatur mentio. Ignatij quidem Epiſtola ſalutationem præfert modeſtam, Florentina nullam, Meſſanenſis exaggeratiſſimam. In illis nullæ temporum & loci notæ, in hac omnes inſtrumentorum actuariorum characteres. Deniq; apud Hebræos ſicut apud ceteras nationes, eædem ſcribendarum Epiſtolarum formulæ, eædem initio ſalutationes, non diſpares in fine clauſulæ; à quo ſcribendi more pro re & tempore, non eſt putandum Virginem modeſtiſſimam diſcedere voluiſſe; vt iam quot fere continet apices ea Epiſtola, tot propemodum manifeſta ſigna falſitatis.

Vix hoc loco quiſpiam ſe contineat à graui & ſeuera in argumentum adeo ridiculum animaduerſione: ſed me amici monent, quæ acutius contentiuſuę dici poſſent, lenius ac lętius agere, quòd huiuſmodi lenitatem ac moderationem, in optimam partem omnes accepturos, & inſtitutum probaturos putent; quamuis contra, non deſint alij, qui moleſtè ferant, & quodammodo indignentur ceu volenti diſſimulare, & negligentius quàm calumnia poſtulet, flaceſcente quodammodo calamo reſpondere. Nempè vir iſte limatiſſimi iudicij, non cenſebit vterinos fratres ab ijſdem parentibus progenitos, niſi qui gemelli ſint, vnoq; partu fuſi, ac per omnia ſimiles vt ouum ouo. Non cenſebit Epiſtolas ab eadem Virgine ſcriptas, niſi argumento, ſtylo & diuiſione, nuſquam ſint diſſimiles. Ergo ſi impoſtor quiſpiam, ſimilem commentus fuiſſet Epiſtolam, ac Virginis nomine diuulgaſſet, facile ſe ab hac calumnia liberaſſet; quin verò apud Anonymum iſtum fidem inueniſſet, phyſicis exploratiſq; rationibus, à ſimilitudine, argumenti, ſtyli ac diuiſionis confirmatam.

Tres ſunt Epiſtolæ, nec idem ſingularum argumentum. Mihi verò nouum planè & inauditum videtur ſcribendi genus, apud mortales nondum viſum, vt plures ad diuerſos, diuerſis de rebus exaratæ Epiſtolæ, idem contineant argumentum, niſi neſciā quid nouus iſte conſcribendarum Epiſtolarum magiſter vocet argumentum. Nam ſi id putet, quo Virgo ſanctiſſima, pio planè conſilio hortatur ad rectè beateq; viuendum, animoſq; addit ad conſtanter pro fide, & Chriſtiana pietate agendum; nemo nō videt, ſub alijs atq; alijs verbis idem planè verſari argumentum, niſi quòd benedictio quæ reliquis ſenſu potiùs quàm verbis explicatur, Meſſanenſibus pro re nata, clariori quadā ſignificatione impēditur: qua in re ſi pietatem Matris incuſabit, quaſi non perinde his atq; illis inſinuatam, facile etiam redarguet Natum, qui nec omnes diſcipulos ſinu fouit, nec coram omnibus in monte diuinitatem ſuam manifeſtauit, nec deniq; omnes in tertium vſq; cælum dum viuerent ſublimauit. Iam verò ſi argumentum ſit Epiſtolæ, materies ipſa qua de agitur, quis adeo eſt excors, qui non videat alio atq; alio modo ſcribendū fuiſſe his atq; illis; Ignatio aliter ac Florentinis, vtriſq; ac ſingulis diuerſimodè quàm Meſſanenſibus? Ignatius videre Virginem cu-

pit;

Digitized by Google

pit;huic reſcribit illa,ſe venturam cum Ioanne, ipſumq; viſuram, occaſione videlicet itineris Aſiatici. Florentini petunt, quid agendo cælo, terráq; gloriam comparare queant;his reſpondet Virgo, teneant fidem, orationibus inſtent, patientia ſe roborēt, hoc pacto ſalutem apud Deum, gloriam apud homines conſecuturi. Deniq; Meſſanenſes Legatione miſſa, ſuſceptæ fidei rationem reddunt, ſe ſuamq; Ciuitatem commendant, perpetuam protectionem implorant: petitionibus ipſa clementer annuit, cauſam Reipublicæ in ſe recipit, patrocinium benedictione data repromittit. An fortaſſe ſicut pro omni edulio Xenocrates caſeolum, pro omni genere potus, ſiſer admiſcuit Tiberius, ita pro omni materie ſcribendi, vnum cenſendum eſt argumentum, vnus in ſcribendo modus concedendus? proh nouam ſententiam, in Athenæo promulgandam.

Sed etiam illud videtur ridiculum, quòd cùm apud Anonymum iſtum fidem non habeat Epiſtola Virginis ad Ignatium miſſa, vt ex quinto liquet argumento, nihilominus ad eam reuocare velit hanc ad Meſſanenſes ſcriptam, & velut ad Theophraſti paragonem examinare, non ſecus ac ſi quiſpiam cum nonnullis nimium ſapientibus, ignem neget eſſe calidum, ad quem tamen vrgente frigore ſe ſe excalefaciat; aut ſi quis Iudex arbitrum det veritatis, quem de crimine falſi conuictum, ſua ipſe ſententia condemnauit.

Pergamus ad cetera. Stylum huius Epiſtolæ diuerſum obijcit egregius conîectator. perbellè verò: quid ſi hanc manu & Marte proprijs exarauit Virgo, ſtylo ac ſucco ſuo, illas verò ſcribentis tantùm induſtriæ commiſit? quid ſi ex Hebræo vel Syro vertentium ingenijs, diuerſa quoq; formanda erat elocutio? quando ſicut vultu & ore omnes differimus, ita ingenijs ac ſcriptione quæ partus eſt ingenij, nunquam per omnia conuenimus. Enimuerò nouus iſte cenſor, verſionem Scripturæ à Hieronymo elaboratam, vix inter ſcruta habebit, quia diuerſo ſtylo quàm vulgatus incedit contextus: antiquabit præterea tot doctiſſimorum virorum labores, qui Baſilium Chryſoſtomum alioſq; Patres Græcos, alia atq; alia elocutione, ſtyloq; differenti in lucem latinam euocarunt: quid plura expectamus, niſi vt Epiſtolā Pauli ad Hebræos tollat, plura ex reliquis eiuſdem ſcriptis expungat, quia non eodem vbiq; ardore loquuntur, non iiſdem Rhetoricæ neruis vbiq; aſtringuntur; parum eſt, niſi etiam Euangelium Lucæ conuellat, quia ſtylo differt ab Actis Apoſtolorum, aut hæc minimè legitimum Lucæ partum definiat, quia diſſimili ab Euangelio commendatur elocutione. Mentiar niſi nouus hic Popilius Lenas, Marcum Tullium iam ſemel capite plexum, iterum ſtylo ac oratione plectat, quia pro re & occaſione, nunc forenſe dicendi, nunc quietum ſequitur diſputandi genus, nunc maiore eloquentiæ contentione, nunc temperata vtitur oratione, vt planè non ſtylo modò, verùm ingenio & natura diuerſus videatur. Puderet me ad tam longè petita, ſi non pro inſtituto abiecta deſcendere, niſi nuces nucibus vt adſolet in ludo, eſſent elidendæ.

At non eadem in ſingulis Epiſtolis eſt diuiſio! Ecce nouum dicendi Magiſtrum, qui Beatam Virginem Rhetoricam docere velit: an potius dixerim Ariſtarchum, qui tam ſeuerè à Virgine eloquentiæ præcepta penſumq; exigat, quaſi non familiariter ſcribere, ſed pro Prytanæo diſceptare debuiſſet. Quamquam ego neſcio de qua diuiſione intelligat Anonymus, an de partitione rerum oratione contentarum, quæ cùm non verbis grauida, ſed ſenſu ſit fæcunda, non aliam in hac reſtricta, ac penè Laconici generis Epiſtola poſtulabat propoſitionem, quàm vnicæ petitionis claram explicationem; an potius de ordine quadam accuratæ diſpoſitionis, in quo rurſum quæri poteſt de diuerſis orationum generibus, Aſiatico an Romano eloquio, de argumentorū acie iuxta Græcos, vel more Latinorū aut etiam Hebræorū inſtruenda:

quæ

Digitized by Google

quæ cum ille non explicet, neq; nobis pluribus hæ nugæ refellendæ. Quamuis neq; ipſe in hoc ſcirpo nodum quærendum eſſe exiſtimauit, cùm vix vno aut altero verbo ſatis inuolutè, argumenti, ſtyli & diuiſionis meminiſſet, quaſi tranſiturus, ac nobis cōdonaturus ea quæ leuiora ſunt, dummodo ad grauiora vel rogati reſponderemus. At quænam ſunt iſta.

In Epiſtola ad Ignatium principium & ſalutatio modeſtior, ad Florentinos nulla, ad Meſſanenſes confertiſſima. Cedo principium & ſalutationem ad Ignatium. *Ignatio dilecto diſcipulo humilis ancilla Chriſti IESV.* Ad Meſſanenſes, MARIA Virgo, Ioachim filia, Dei humillima, & Chriſti Ieſu crucifixi Mater, ex Tribu Iuda, ſtirpe Dauid, Meſſanenſibus omnibus ſalutem & Dei Patris omnipotentis benedictionem. Hæc ſunt initia & ſalutationes, ſit ita, ſed inſulsè dicitur in Epiſtola ad Florentinos nullam præire ſalutationem, quid enim ſibi volunt verba illa, tametſi non ſeiuncta a reliquo Epiſtolæ corpore *Florentia Deo & Domino IESV Chriſto filio meo & mihi dilecta*, quàm explicatam quandam amoris ſignificationem, quæ totius ſalutis nedum ſalutationis eſt indicina. Sic enimuerò Ioannes Apoſtolus ad Aſianos ſcribens, nullam conceptis verbis præmittit ſalutationem, quod vt egregiè aduertit Lorinus, idemq; innuit Hugo Cardinalis, [o] primis Epiſtolæ Verbis continetur fauſta precatio, vel potius iam impetratæ rei denuntiatio, ſalutatione maior, quæ tamen longè ſunt explicatiora in hac Virginis ad Florentinos, quàm in Ioannis ad Aſianos data Epiſtola.

Sed enim illa ad Ignatium modeſtior eſt ſalutatio! fortaſſe quia reſtrictior & breuior, ſine nomine Virginis, ſine faſtu titulorum; hęc ad Meſſanenſes minus caſtigata, intemperans, ſine more, quia confertiſſima, quia multis agnominum, & velut ſtemmatum illigata flexuris. Fateor me tanto doctore non minimum hodie profeciſſe. Neq; enim ſciebam Paulum Apoſtolum in omnibus ferè ſuis Epiſtolis intemperanter vti ſalutationibus, tam longo circuitu verborum inflexis, quorum pars maior in prædicatione ſui muneris, tot nominibus exaggerata conſumitur: nihil ego in his putabam redundare, nihil inutile, ſed pro re & tempore ſummè neceſſarium, frugis & fructus pleniſſimum, vt dubitare modo incipiam ne tam emunctæ naris ac iudicij Anonymo, ſalutatio quoq; Angelica de cetero ſuperfluat, quando ſine tot ambagibus, ac prærogatiuarum coloribus, dixiſſe ſatis fuiſſet Aue gratia plena, vel breuius. Aue Maria. Nollem in hoc argumento pluribus verſari, ne extra gyrum flectere ſe cogerem aduerſarium, cui verbo reſponderi poſſet iuxta græcum [p] prouerbium *nihil ad rem*, pręſertim cum ceteri perridiculam putent huiuſmodi ratiunculam nedum miſerabilem, ſed mihi aliorum error miſericordiam potius quàm riſum mouere ſolet.

Itaq; tribus de cauſis, ſi benè conijcio, videbitur Anonymo Salutatio Meſſanenſibus præmiſſa, minus temperata, & à moribus Virginis aliena. Primò quod præfixum Virginis nomen humilitatem minimè ſapit; deinde quod explicata illa proſapiæ ſeries, ſeculari quodam faſtu, nobilitatis imaginibus velut antiquitus in prima ædium fronte collocatis affulgens, non modò Virginis moderationem infra mortalium animos ſe demittentis non commendet, verùm etiam elati cuiuſdam ſupercilij intolerant er obtendat arrogantiam. Deniq; quòd eximiæ Virginis modeſtiæ non videtur fuiſſe conſentaneum, peregrino velut affectato ingenio, à patrio ſcribendi inſtituto diſcedere, hoc eſt non iiſdem initijs & clauſulis, non iiſdem per omnia formulis, qui Hebræorum mos erat ſcribendo vti.

Verùm ſi his duntaxat columellis nitatur aduerſa ratio, ijs ſubtractis cetera quoq; machina vertatur neceſſe eſt. Nego enimuerò quippiam in hoc genere ſcriptionis admiſſum, quod Virginis humilitati non fuerit appoſitum, par patrijs inſtitutis, temporum

[o] In præf. in 1. Ioan. epiſt. c. 1.

[p] Luc. in Philopſ.

porum moribus haud impar. Nam vt à remotioribus incipiam, quę Virgo Auguſti de-
creto nominis ſui profeſſione in tabulas recenſita, [q] Ciuitatem Romanã adepta fue-
rat, quid alienũ à iure ſtatuq; ſuo commiſit, ſi nominis ſui præpoſitione quod Roma-
nis [r] ſolemne erat, ſalua religione, nedum legibus, ſed etiã liberæ conſuetudini morẽ
gereret? Quin verò id Virginis vrbanitatem, ingenij facilitatem, morumq; lenitatem
ad omnia honeſta, ſuperiorumq; vſu probata appoſitam, mirum in modum commen-
dat, tantum abeſt vt modeſtiam premat, humilitatem affligat, animi demiſſionẽ quo-
uis modo notatam condemnet, quando vt rectè aduertit Lorinus, [ſ] veterum inſtitu-
to in Epiſtolarum initijs cùm ſalutarent, præponi conſueuerat nomen ſcribentis no-
mini eius ad quem ſcribebatur, quod ipſum Apoſtoli ſcribentes in morem ſuum con-
uerterunt, adeoq; videntur ſeruaſſe exactè, vt non immeritò idẽ ipſe Lorinus, ſentiat
eum, qui nomen Ambroſij gerens in Epiſtolas Pauli ſcribit, non ſatis tenuiſſe antiqui,
ac etiam ſui temporis morem, dum ait Paulum [t] ſecus quàm alij facerent, ſuum in
Epiſtolis nomen nomini eorum præpoſuiſſe ad quos ſcribebat; quemadmodum Iudi-
ces ſeculi conſueuerunt ad eos, in quibus munus & prouinciam exercent ſcripta diri-
gere. Nec probatur quod accerſit de oppoſita conſuetudine, quando contrarium
exemplo Lyſiæ Tribuni ad Felicem [u] liquet, dum ſic orditur *Claudius Lyſias optimo
præſidi Felici, ſalutem*. Ex quo vlterius conſequitur, eum nominis præfigendi mo-
rem, tenuiſſe etiam inter inæquales, nec ratum eſſe, quod nonnulli tradiderunt, hono-
ris cauſa Romano Senatui datum, vt ad Senatorem qui ſcriberet nomen eiuſdem prę-
mitteret: tametſi minimè peccaret qui ad incrementum honoris & obſequij, vel amo-
ris ſignificationem, ſuum nomen, non ſolum nomini alterius, verùm etiam dignitatis
vocabulis poſtponeret, vel ſi ſuperior & dignior interdum nomini inferioris ſuum
præfigeret, quod quidem plurimùm feciſſe Apoſtolos [x] nemo neſcit ſingillatim ſcri-
bentes, aliquando verò communi etiam rogatione ceteris per Epiſtolam conſulẽtes,
dum ſic ſcriberent. *Apoſtoli & Seniores fratres, his qui ſunt Antiochiæ Syriæ, & Ciliciæ
fratribus & Gentibus ſalutem*. Nec verò hodie præter decorum fecerit quiſpiam, ſi
Ambroſium alioſq; ſecutus, ad æquales & inferiores ſcribendo eorum nomina poſt-
ponat, præponat ſi ſint ſuperiores; quo pacto Lorinus [y] ſcribit ſe obſeruaſſe Ambro-
ſium Epiſcopum ad Imperatorem ſcribentem, nomen eiuſdem præmittere, contra
Gregorium Papam vt pote Summum Hierarcham, poſtponere. Quamquam conſue-
tudo illa ſui nominis præmittendi, nulla alieni ſtatus ac dignitatis habita ratione,
apud poſteros etiam quodammodo religioſa fuiſſe videatur, vt ob eam Auſonius Am-
broſio [z] æqualis ſe ſe excuſarit, quod ad Paulinum ſcribendo nomen ſuum nomini il-
lius metro aſtrictus minimè præfixiſſet. Qua in re ſi proinde Virgo morẽ geſſit, in om-
nẽ intenta obſeruantiſſimi animi tẽperationẽ, nõ poterit in hac ad Meſſanenſes data
Epiſtola, iure à quopiã niſi proteruo & citra moderationem temerario reprehendi.

Sed cur inquies tã paucis ad Ignatium, ac ſine nomine Virginis, tam multis & ver-
bis & agnominum titulis ea cumulatur ad Meſſanenſes ſalutatio? Nihil moror, Igna-
tio ſcribit tanquam ſibi ſæpius à Ioanne commendato, apud quem & ipſa notior erat,
quàm vt ea nominis adſcriptione primùm clareſceret, ſatiſq; fuit vna humilis Ancil-
læ CHRISTI IESV nuncupatione, nota iam Ignatio myſteria duntaxat inſinua-
re; miſit præterea Epiſtolam per Tabellarium vtriq; perſpectum, dubio pro-
cul ab ipſo Ioanne inſtructum, qui ſalutationis officium abundè ſupplere poſſet,
& ſi quæ alia ſupereſſent oratione explicare. Hanc inter ceteras cauſam, non
ſine cauſa probat Salmeron, cur idem Ioannes [a] in prima ſua Epiſtola quam ad A-
ſianos exarauit, nomen ſuum cum ſalutatione reticuit, quamuis id in Apoca-
lypſi luculenter præſtiterit, niſi etiam, ſi laudetur aliorum opinio, id fecerit

Ioan-

q Sigon. ex Leuino; Cicerone, & alijs l. 1. c. 14. de Iure antiq. Ro.
r L. In orbe ff. de Statu hom. in orbe Rom.
ſ In Act. Apoſ. c. 15.
t In 2. ad Cor.
u Act. c. 23.
x Act. 15.
y In Epiſt. 2. Ioann. cap. 1.
z Epiſt. 20.
a In 1. Epiſt. Ioan. diſp. 1.

Digitized by Google

Ioannes, ne detectus mortis periculo caput obijceret, quod cùm religionis cauſa ſtatutum in ſe exilium lueret, nihilominus de religione ſcriptitare præſumeret; non abſona coniectura de Virgine quoq; cogitari queat, eam præfecto nomine ſcripſiſſe ad Ignatium, ne Iudæis exitium Euangelio machinantibus, proritamento eſſet, quæ iam iam erumpente Chriſtianorum ſtrage in Aſiam profectura erat, meliori tempori fidei bono reſeruanda. Ceterùm quia Meſſanenſes non antea Virgini explorati, per Legatos agebant, iactiſq; recentiùs ab Ignatio, fidei fundamentis, ingens religionis domicilium à protectione Virginis ſubſtructuri erant; non modo decens fuit, verùm etiam admodum neceſſarium, ijs nominis, generis, ac dignitatis titulis datam formare Epiſtolam, in quibus & cum ſumma demiſſione admirabilis eluceret excellentia Deiparæ, & in ſyncera veritatis velut explicatione, ſolidius exiſteret ſuſceptæ religionis firmamentum. Neq; enim aliud putandum eſt eſſe eam Virginis cum inſcriptione titulorum adſalutationem, quàm ingenioſum quoddam prædicationis Paulinæ compendium, cui dubio procul in ea concione, quam de Virgine apud Meſſanenſes habuit, quemadmodum initio huius operis oſtendimus, nihil eſſe debuit antiquius, quàm de MARIAE proſapia parentibus, ortu, vitæ progreſſu, Virginitate, ſed etiam de electione in Matrem filij Dei, tantaq; ſupra mortalium honores dignitate & id genus alijs perorare, quibus etiam illa Meſſanenſinm ex re ipſa naſcens eliceretur interrogatio, Vbi nam gentium Virgo illa Mater Dei degeret, filia nempe Ioachim ex Tribu Iuda, de ſtirpe Dauid, Ancilla Dei, Mater crucifixi? nec non multò appoſitiſſima Virginis in Epiſtola reſponſio, qua ſe illam, quam Paulus prædicauerat non negaret, ſed nec ſupercilioſo quodam vt videri poterat faſtu affirmaret, verùm in illa ſuperſcriptione velut in imagine quadam, ipſa tacente petentibus exhiberet.

Huc accedit illa etiam perneceſſaria talis ſalutationis ratio, quòd cùm de Virgine variæ ferendæ erant ſententiæ, quæ plurimos in errorem abducere poterant, optimè conſultum videbatur ea Virginis explicatione, non tantùm aliorum ſcriptis ac ſermonibus, verùm etiam eiuſdem mente ac manu edenda, illis cummaximè temporibus, quibus fama, Virginei vultus, habitus, morumq; nuntia, maieſtatem humanam maiorem conciliabat; ne quemadmodum Dionyſio, ita Meſſanenſium Legatis, diuinitatis opinionem de Virgine conceptam ingereret. Nam quod euenit Dionyſio, cùm à Ioanne (vt alij volunt à Paulo) [b] duceretur ad conſpectum Virginis, ſicut ipſe narrat his verbis. *Cùm à Ioanne vertice & Euangelij & Prophetarum, qui in corpore habitans quaſi ſol fulget in cælo, ductus ſui ad Deiformem præſentiam altiſſimæ Virginis, & tantus me diuinus ſplendor circumfulſit exterius, & plenius irradiauit interius, tanta etiam in me omnium odoramentorum ſuperabundauit fragrantia, vt nec corpus infelix, neq; ſpiritus poſſet tantæ felicitatis inſignia ſuſtinere. Defecit cor meum, defecit & Spiritus tanta gloria maieſtatis oppreſſus. Teſtor qui aderat in Virgine Deum, ſi tua diuina concepta mente non me docuiſſens, hanc ego verum Deum credidiſſem, quoniam nulla videri maior poterat gloria beatorum quàm felicitas illa quam ego infelix nunc, tunc verò feliciſſimus deguſtaui* hæc inquam Meſſanenſium quoq; Legatorum animos occupare poterat admirabilitas, nec dubium quin ipſi ita perfuſi maiora relaturi fuiſſent ad ſuos, faciliq; occaſione, vt ſunt animi procliues in magnis ac ſpecioſis, religio nimia declinaſſet in eum errorem, qui Collyridianos abripuit emotæ mentis homines, vt putarent Virginem ab humanitate longè ſubleuatam, diuina fuiſſe natura præditam, ſimiliq; ac Deum immortalitate, communis debiti fuiſſe expertem, quos tametſi multis conuellat Epiphanius, [c] dum tamen Antidicomarianitarum calumnias contra Virginitatem Deiparæ feruentius verſat, ipſe ſe quodammodo implicat,

b *Refertur à Chriſtophor. Caſtro in hiſt. Deip. c. 19.*

c *In Panar. hæreſ. 79.*

plicat, vt cùm ex Scripturis elicere Virginem vita functam minimè poſſit, neq; tamen abſq; mortis alea cælum ſubijſſe ſatis expreſſum habeat; neutrum definire præſumat, *Non* (inquit) *dico quòd immortalis manſit, neq; affirmo an mortua ſit, excessit enim Scriptura mentem humanam, & in ſuſpenſo reliquit vas preti oſum, & excellentiſſimum, vt ne quis in ſuſpicionem veniat carnalium de ipſa rerum.* Hæc Epiphanius, cui Baronius [d] condonandum eſſe ait ſi quod alijs ſanctiſſimis & eruditiſſimis ſæpe accidiſſe videtur, dum ardentiori ſtudio in hoſtes inuehitur, in contrariam partem actus, lineam videatur aliquantum veritatis eſſe trangreſſus. Vt proinde ſicut dicebam pernecesſarium fuerit Deiparam in ea ſalutatione præmiſſa, & Virginem ſe ſe nominare ad cōtinendam eorum procaciam, qui aliquando puritatem eius temeratam fuiſſe impiè dicturi erant; & præterea filiam Ioachim, atq; adeo ex humano ſemine progenitam manifeſtare, quò omnem à ſe diuinitatis opinionem, ab alijs verò periculum errandi longè dimoueret. Et ne ſupra homines ad generandum in carne Deum eleuata, ſi ſe Matrem IESV diceret, tanta excellentia ſibi lenocinari putaretur, oportuit etiam inuſitatæ gratiæ conſciam, priùs humilitatis meminiſſe, adeoq; humillimam Dei ancillam familiari cordis oriſq; vocabulo ſe ſe confiteri: neq; ſolùm, ſed cùm dictura Matrem ſe eſſet, per omnia decuit Chriſti crucifixi recordari, non eò duntaxat, vt inuiſum illo tempore abiectumq; nomen, conſtantiſſima aſſertione, nec minus eximio humilitatis quàm fortitudinis exemplo tueretur, verùm etiam vt quem reſurgentem pridem, iam in cælis regnare Meſſanenſes crediciſſent, pro ſe in Cruce mortuum, velut expreſſa quadam ſpecie, in oculis animiſq; fixum ferrent: deniq; vt quæ iam ab Euangeliſtis Matthæo præſertim, & Luca de Virginis origine diuulgata erant, ab eiuſdem quoq; confeſſione vim haberent, conueniens planè fuit, ex Tribu Iuda & ſtirpe Dauid natalis ſuæ ſeriem deductam enarrare, vel eò maximè quòd iam diuulgata familiæ profeſſione, quando olim Auguſti decreto in Ciuitate Betlehem Dauidica cenſita fuit, illis ipſis nominibus vbiq; inclaruiſſet.

[d] *Ad ann. 48.*

Verùm ne rationibus quæ pro re noſtra confertiſſimę ſunt, Anonymum ad pauca aſpicientem obruamus, aut lectoris animum, ſi in vnum omnes congerantur tædio grauemus, neq; tamen aliquid intactum & minimè verſatum in argumento relinquamus, quæ ex illo reliqua ſunt capiti ſequenti committemus.

RESPONDETVR AD RELIQVAS PRAECEDENTIS Quarti Argumenti partes.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

RELIQVVM Argumenti, à moribus Virginis, à temporum notis iterum inducitur. Vtrumq; iam antea ſatis profligatum, ſed libet rurſum, ac pro re nata ſæpius, alijs atq; alijs rationibus euertere, ne ſi non diſceptetur, contemptum grauetur Anonymus. Itaq; ceteris iam ritè conſtitutis, videndum deinceps erit, an ſaltem eo ſcribendi genere Virgo à patrio ritu deſciuerit, vt propterea ſupra conſuetæ, & quod dicitur Lararij modeſtiæ limites euaſiſſe putanda ſit, quòd non iiſdem initijs ac clauſulis, quibus Hebræis mos erat Epiſtolam inſigniuit. Equidem libenter hoc loco accepiſſem explicatius, qui nam iſte mos fuerit Hebræorum, ne gratis multa congeſſiſſe putarem Anonymum, nec per ignara ſibi veſtigia incedere. Id cùm ipſe

minime

Digitized by Google

minimè præſtiterit, in culpam vocare non poterit, ſi quæ dicenda proponuntur, à diuinatione longè ſeiuncta erunt.

Atq; vt primùm de initijs agamus, nec latius per omnia Hebræorum volumina, ſcribendiq; artes an mores eſfluamus; in libro priori Machabæorum, quem ſaltem Hebraicè primùm exaratum fuiſſe teſtis eſt Hieronymus, [e] nam poſteriorem Græcum eſſe, ex ipſa quoq; phraſi conſtare exiſtimat, (quamquam Origines [f] vtrumq; vidiſſe putetur Hebraicum) in eo inquàm libro nihil eſt frequentius, quàm ſalutationes interdum reſtrictiores, interdum explicatiores in epiſtolis præfigere. Et quidem Machabæorum Legati ad Romanos [g] miſſi, non ſolum viua ipſi oratione multis perorant, verùm etiam in illatis literis ſalutem pluribus præferunt. *Bene ſit Romanis, & genti Iudæorum in mari, & in terra in æternum, gladiuſq; & hoſtis procul ſit ab eis.* quorſum hæc tam amplificata ſalutatio, tam prægnanti affectu ſonans, quando ſufficiebat dixiſſe, Bene ſit Romanis & Genti Iudæorum, aut etiam compellatis Romanis haud meminiſſe Iudæorum, vt iam, non putet Anonymus flagitij ratus, Deiparam Virginem à patris more diſceſſiſſe, cùm Meſſanenſibus breuiori ſane oratione, ſalutem & Dei patris omnipotentis benedictionem apprecatur. Quòd ſi congeſta nomina dignitatis & originis crimini, vertantur; plus erat hoc loco nomen Romanorum, aut Gentis Iudæorum, quod vno velut complexu, multorum regnorum titulos continebat, quàm in Epiſtola Virginis minutiæ illæ appellationum, non faſtus ſed piæ tantùm agnitionis religioſa inſignia. Nimius ſim ſi alia perſequar exempla quæ præſertim liber ſecundus ſuppeditat, vbi interdum breuibus initijs ingreſſus fit ad animum Epiſtolarum, [h] velut cum pares ad pares, vel ſi dignitate minores, fama tamen claros adſalutant; interdum tamen longiora etiam capita, nec tam ſalutationibus, quàm dignitatum honorumq; vocabulis, pro re & tempore exaggerata porriguntur: velut cùm *Ionathas* [i] *Summus Sacerdos, & Seniores gentis & Sacerdotes, & reliquus populus Iudæorum Spartiatis fratribus.* & rurſum. *Rex Demetrius Simoni* [k] *Summo Sacerdoti & amico Regum, & Senioribus, & Genti, Iudæorum* ſalutem impertiunt: vel etiàm caſtigatis officiorum titulis. [l] *Fratres qui ſunt in Hieroſolymis Iudæi fratribus per Aegyptum Iudæis,* multiplicatis tamen animorum votis, *ſalutem, pacem bonam, cor magnum, animum volentem* & plura ſimilia longa verborum ſerie comprecantur. Vt proinde iniurius ſit in Virginem, qui non ſine modeſtiæ nota, ipſam à patria conſuetudine degeneraſſe redarguat, quando potius totum ſcribendi inſtitutum, vnica ceu exili tabella, fortaſſe non fortuitò complexa videri poſſit, cùm & Meſſanenſibus iam fama ſuper æthera notis, vna duntaxat vice nominatis, ipſa quæ ad ſe pertinebant ob rationes ſuperiùs adductas meritò pluribus expreſſerit.

Sed veniamus ad recentiora. Quid tam commune in Epiſtolis Apoſtolorum, quã nunc extenſas, nunc contractiores præmitti ſalutationes, eaſq; ſubinde mutatis formulis nunc his nunc illis proferri gratiæ, vocationis, Apoſtolatus verbis ac titulis; in quo tamen nemo ſanæ mentis eſſe debet, qui Apoſtolos in modeſtiam offendiſſe auſit obmurmurare. Et verò Paulus ad Romanos [m] ſcribens, apertè primùm prænuntiat ſe ſeruum IESV Chriſti, vocatum Apoſtolum, ſegregatum in Euangelium Dei: Deinde poſt pauca ſubdit, *Gratia vobis & pax a Deo patre noſtro & Domino IESV Chriſto.* Ad Corinthios autem, retenta quamuis in vtraq; Epiſtola eadem forma comprecandi, in altera tamen miſſo vocabulo Serui, ſe tantum ſcribit vocatum Apoſtolum IESV Chriſti, per voluntatem Dei: in altera vero, non vocatum, ſed ſimpliciter Apoſtolum; quaſi id vocabuli omnium prærogatiuarum vices ferat, ſe appellat. Rurſum ad Galatas, turgentiori quadam oratione præmittit quidem ſe Apoſtolum, ſed etiam addit, *non ab hominibus neq; per hominem ſed per IESVM Chriſtum, & Deum*

patrem,

[e] Epiſt. 100
[f] Nicol. ser rar. in lib. Mach. prœloq. 2.
[g] cap. 8.
[h] Mach c. 10. c. 11.
[i] Mach. c. 12.
[k] Cap. 13
[l] 2. Mach. 1.
[m] Cap. 1.

Digitized by Google

patrem, qui ſuſcitauit eum a mortuis; ſed etiam mutata ſalutatione, non amplius dicit *Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro*, ſed exaggeratis ſententijs myſteria accumulat. *à Deo patre & Domino noſtro IESV Chriſto, qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, vt eriperet nos de præſenti ſeculo nequã, ſecundùm voluntatẽ Dei & Patris noſtri, cui eſt gloria in ſecula ſeculorum*. Quæ bone Deus tanta variatio, non ſolùm in Epiſtolis pluriùm ad diuerſos, ſed vnius Apoſtoli ad eoſdem exaratis, nec eadem, ſed modò preſſo ac humili, modò elato & propemodum inflato dicendi genere concinnata? Mentiar niſi Anonymus iſte non duntaxat contra morem Patriæ veniſſe Paulum, verùm etiam minus caſtigato ſpiritu ſcripſiſſe contendere audeat, ſi ſuis principijs inhæreat. Quid verò ſi Paulum de Viſionibus gloriantem, de illuſtrium factorum & fortiter toleratorum memoria ſibi quodammodo lenocinantem, ac plaudentem legat? omnino ruptis modeſtiæ repagulis exceſſiſſe inclamabit, virum iactabundũ, ſuperciliosum, gloria immenſùm gliſcentem detonabit.

Sed pergamus. Paulus idem, in epiſtolis ad Epheſios, & Philippenſes, & Coloſſenſes ſeruato eodem benedicendi modo, & in duabus extremis eadem ſui nominis præfatione, in media ſola, ſerui IESV Chriſti appellatione contentus eſt; qua tamen in prima ad Theſſalonicenſes expuncta, ſalutationem quoq; in hæc ipſa verba. *Gratia vobis & pax* tantùm non anguſtè coarctat; in vtraq; deinde ad Timotheum reddit auctiorem, ita quidem, vt in altera ſe Apoſtolum vocitet *Ieſu Chriſti ſecundum Imperiũ Dei Saluatoris noſtri, & Chriſti Ieſu ſpei noſtræ*: in altera verò Apoſtolum *Ieſu Chriſti per voluntatem Dei ſecundùm promiſſionem vitæ in Chriſto IESV*, vtrobiq; autem non ſolum gratiam & pacem, verùm etiam miſericordiam cumulatè impertiat. Mitto quàm rurſum exaggeret eiuſmodi nomina in Epiſtola ad Titum, mox aliquantum dehiſcat ſcribendo ad Philemonem, omnino verò deficiat ac nulla ſalutatione Hebręos afficiat. Quid de ceteris Apoſtolis dicemus, quos inter Iacobus & Iudas, prætenta Apoſtoli nuncupatione, ſeruos duntaxat IESV Chriſti ſe dicunt, niſi quod Iudas præterea frater Iacobi vocari velit, an fortaſſe gloriam inde venatus, placito Anonymi. Petrus verò in vna quidem Epiſtolarum, Serui, in altera Apoſtoli etiam nomen aſſumit, Deniq, Ioannes, in prima Epiſtola nedum nominis, ſed apertioris ſalutationis immemor, in duabus poſtremis Senioris tantùm vocabulo inſignitus, adeo in ſalutando varius eſt, vt cum nullo ceterorum, quãtumuis inter ſe differentiũ aliquatenus conueniat. An igitur hos omnes ſpiritu Dei ductos, abrogata lege modeſtiæ, patriæ, gentium ac locorum conſuetudini crimen intuliſſe putandum eſt, quo ſanè nihil magis præpoſterum, magiſq; inconditum ac monſtruoſum cogitari poteſt; an potius Anonymum iſtum à cognitione veteris inſtituti deſciuiſſe, ad pauca reſpexiſſe, præproperè ad ferendum iudicium prorupiſſe? quin procliue eſt, vt ſi Matris Dei modeſtiæ, præfixos illos in Epiſtola Meſſanenſium titulos derogare, quemadmodum facit, contendat; ceteros cum Ioanne Apoſtolos planè perfrictæ frontis & impudentis animi poſtulet, quòd interdum Seniores [a] peculiari quodam ac ſpecioſo dominantium titulo, vel qui ſummo Principi aſſidere ſoliti eſſent, dici ament; quid verò ſi in cælum os apponat, ſi in Filium Dei intorqueat, quòd ſe Paſtorem ac Regem publico iudicio coram Senatu ſit profeſſus.

[a] Sigon. li. 6. de Rep. Heb. c. 4.

Diximus de Epiſtolarum initijs, videamus nunc quæ ratio ſit clauſularum, quæ tã longe à priſco more exorbitarit, vt vel hinc, ſi lacerata cauſa eſt, quoquo modo ſarciri queat. Inuitus in hanc arenam deſcenderem, iam toties antea facto periculo quid poſſent vires aduerſæ, non ſemel ſecum ipſæ conflictatæ, niſi opprobrio ſibi verteret Anonymus, ſi quaſi ab ipſo primùm excogitata, tametſi omnibus obuiæ rationi, ex oppoſito nihil amplius redderetur, cum quo tamen facile tranſactum putauero, ſi

con-

Digitized by Google

conſtitutis ijs, quæ pridem Chriſtophoro de Caſtro ad idem argumenti reſponſum eſt, obuia quæq; & facilia, quatenus eiuſdem Anonymi rationes ferent, congeſſero.

Vnum igitur eſt hoc loco quod tanquam firmum, certum & inexpugnabile ponitur, eamq; ob cauſam perſæpe alias ab alijs intolerantius quam par eſt iactatum. Illas videlicet anni, menſis, lunæ, feriæ, loci, notas adeo exorbitari à vetuſto Hebræorum vſu, vt nedum gratuita Epiſtola, ſed nullus planè ſit libellus quotuis nominibus in publico foro conſcriptior. Non quæro modo an eæ notæ ſuis ſint fixæ locis, & cum temporum rationibus exactè concordent, ſed quod Anonymus expoſcit, an Hebræis adſolitum fuerit aliquando, ſimilibus Epiſtolas ſuas aſtringere clauſulis. Qua in re ſi quiſpiam repudiata omni alia ratione, hanc duntaxat vnicam ederet; id nempe factum, præter communem vſum, pio Virginis arbitrio, quò pro lenitate animi Meſſanenſibus Romano claudendi more vtentibus, præſertim ſi id ipſi flagitarent, ſe ſe conformaret; omnes ſanè quæſtionum quiſquilias ad angulos compelleret: neq; ſolùm nihil alienum à modeſtia Virginem feciſſe, verùm pro ſumma modeſtia, quibus placere vellet, citra errorem ſe accommodaſſe comprobaret.

Ceterum vt non inconſulta ratio eſſet Anonymi, oportuiſſet hoc loco ſignificantius explicare, qui nam Hebræorum mos erat in concludendis vel ſignandis Epiſtolis, ne ſicut ipſe arguendo volitauit, ita nos reſpondendo cogeret eſſe longiores, & diuinare quid vellet. Equidem ſi Epiſtolas Apoſtolorum inſpiciam, nulla in re minus eſſe ſimiles animaduerto, quàm in eiuſmodi claudendi formulis, vt liberum cuiq; fuiſſe videatur, qui modus animo ſediſſet, eum pro occaſione adhibere, atq; etiam ex tempore pro voto ſi luberet effingere. Enimuerò Paulus interdum ſicut in principio ita in fine gratiam apprecatur, eaq; nota ſuas diſcerni docet Epiſtolas, dum in ſecunda ad Theſſalonicenſes capite vltimo: *Salutatio* (inquit) *mea manu Pauli, quod eſt ſignum in omni Epiſtola, ita ſcribo Gratia Domini noſtri IESV Chriſti, cum omnibus vobis Amen.* Quem modum cùm ſubinde in alijs Epiſtolis variet, in ea verò ad Romanos planè prætereat, verendum eſt ne non ſolùm in morem modeſtiamuè peccaſſe redarguatur ab Anonymo, verùm etiam plurimis mulctetur Epiſtolis quaſi nō legitimis, eandemq; aleam reliqui ſubeant Apoſtoli, quos clauſulis inter ſe differentibus vti, nemo niſi cæcus non videt: Vt nihil dicam de alijs extra ordinem poſitis, atq; inter ceteros de Ignatio Martyre, cui quemadmodum Baronius [o] teſtatur conſuetum erat, in ſingulis Epiſtolis duo tantum hæc verba *Amen Gratia* ad calcem apponere, tanquam peculiare quoddam ſignum Epiſtolarum, quo fortaſſe ipſe in ſuis ſcriptis agnoſci vellet, alienaq; à ſuis tametſi Apoſtolica quadam imitatio in ſingulis eluceret, diſcerni. Idem verò character eiuſdem etiam ſucceſſoribus poſtea ſolemnis fuit, tanquam rato ab Epiſtolis Ignatij argumento: quamquam ipſe Baronius neſcire ſe fateatur, qua incuria vel oſcitantia librariorum admiſſum ſit, vt non niſi in Epiſtola ad Epheſios, & in ea quæ eſt ad Polycarpum ſcripta eadem verba, ſupremo loco poſt ſalutationem poſita habeantur. Egregio ſanè exemplo, ſi quiſpiam è diuerſo incautam librariorum diligentiam incuſet, de ſignata illo charactere Virginis Epiſtola, quo abductis in varia multorum opinionibus, ipſa quoq; temere apud multas traducta eſt. Sed hæc pro noſtro cogitatu, non pro voto Anonymi.

[o] Sub ann. 109.

Quod ſi cuipiam veniat in mentem Epiſtolas Apoſtolorum præter eam quæ eſt ad Hebræos, idiomate Græco apud Gentiles communi, fuiſſe exaratas; rectè ille meo quidem indicio cogitabit; ſed continuò etiam fatebitur, non eandem apud omnes Græcos fuiſſe claudendarum Epiſtolarum formam, & quod è re noſtra eſt, licuiſſe Virgini, Græcos Romanoſuè mores ſequi, ſicuti licuit Apoſtolis Græcè ſcribentibus, Hebræas Græcaſuè formulas adamare; quin verò laudabilius fuit, ab eorum

ſcri-

ſcribendi vſu penitus diſcedere, à quorum ritu pridem deſciuiſſent, vt vel hinc friuolum reddatur multoq; magis incautum Anonymi argumentum, qui ſine modeſtiæ nota, Deiparam Virginem haud velit à conſuetudine Hebræorum ſe ſe potuiſſe eximere. Certè Tertullianus [p] dum aduertit Paulum in ſuis Epiſtolis non ſalutem præmittere, ſed gratiam & pacem, diſertè fatetur *non id facere Paulum vt iudaicum morem ſequatur, ſed vt officio defendat prædicationem creatoris* quaſi minimè dignum dicat cum ijs in ratione ſcribendi conuenire, quibus cum mente, & religione diſſentias. Quamquam ego non adeo ſim religioſus vt ſi aliter fiat, in conſcientiam ducere velim, ſed duntaxat contendo, ſuo cuiuis olim ſtetiſſe, hodieq; ſtare arbitrio, quo quo tandem modo ſcribere velit, dum tamen rectè ſapiat, quod vt quidam ait [q] *qui probus eſt ſcriptis, probus eſt moribus*, idq; ita intelligo, vt non ſolum in ſacro ſcribendi genere, quale fuit Apoſtolorum in ſuis Epiſtolis, verùm etiam quo cum abſentibus vſu colloquimur domeſtico, non nimium referat ſi his vel illis clauſulis animi ſenſa aſtringamus, hæc vel illa ſigna Epiſtolis affigamus, tametſi vbi res in publicis honorum aut vtilitatis commodis verſatur, quæ præſertim fide agitur Legatorum, nó modo par ſit ijs notis inſignire chartas, quæ annum, menſem, diem, & ſi quid aliud ad memoriam recolendam iuuat, exactè quà ſatis referant, verùm etiam id multò pluris æſtimari debeat, quàm ſi recenſionum libelli, aut codicillorum tabellæ quò ſuppoſitiones euitentur, in acta notariorum inferantur. Id equidem eo dixerim libentius quò temperem Anonymo, qui eiuſmodi notas ab Actuarijs tantum putat ſolitas adhiberi, vt minus videri poſſit verſatus in bullarijs, ne dicam in Sacra Scriptura, niſi de induſtria cauillis rem agere induxiſſet.

[p] Q. 1. Contra Marcion. c. 5.

[q] Sidon. l. 9. ep. 13.

Quid enimuerò vel in hiſtorijs Machabæorum vt alia mittam videre eſt frequentius, quàm datas vltro citroq; [r] Epiſtolas, Anni, Menſis, atq; etiam diei præferre characteres, imò verò, quod fortaſſe ab Actuarijs acceptum [ſ] dicat Anonymus, interdum ſalutationi in capite notas annorum præfigi? Nam ſi vis fiat in poſitione Lunæ, eiuſmodi notationes celebres fuiſſe apud Hebræos, nimis ieiunè ſit eruditus, qui dubitet, multumq; deſertus mente ſi in ſigna Epiſtolarum aſcitas continuò redundaſſe iudicet, quando ad diſcernendas à calculo menſis Solaris Lunares notas, apprimè facere poterant, neq; ſolùm religionis auctoramento valituræ, ſed multò maximè compendio ratæ exactæq; ſupputationis, cuius ſtudio non ſemel horarum quoq; vices accerſere, mos fuit haud vnquam Iudæis antiquatus, velut inter alia ſecundùm lugubrem illam næniam, qua, recurrente quotannis Vrbis exciſæ memoria, flebiliter accinunt, neq; ſolùm ſtatum Synagogis diem dicunt, [t] quæ menſis AB nona vergebat, verùm etiam horam Veſpertini temporis tantorum malorum vectricem, fatalemq; Ioiarib vigiliam, velut calamitatis punctum figunt. Iam verò ſi his omnibus de induſtria ſeruatis Virgo in hac Epiſtola feriam quoq; ſignauit, aliorum ſcilicet vſui concedens, quod ſibi ſcitum duntaxat vellet, quid quæſo adeo præter decorum admiſit, quo patrium morem flagellaſſe credatur? Certè ſi Iudæis interdum, [u] vno eodemq; loco menſis eiuſdem notas, ne quid poſteros falleret, aliter atq; aliter placuit efferre, cur Virgo Deipara nullius præſertim exemplo mortalis aſtricta, minimè potuit Lunæ poſitionem, adiectione feriæ reddere magis explicatam? neq; enim id quiſpiam vitio verterit, quaſi in tam arcta breuis Epiſtolæ clauſula, permixtæ variarum gentium formæ non parum præferant nouitatis, quando in ea Epiſtola [x] quam Apoſtoli, & Seniores fratres, fratribus ex gentibus Græcè (vt putatur) exararunt, vno ferè vocabulo trium quatuorue diuerſarum nationum ſalutandi mores, iuxta differentes eduntur verſiones; maiori ſanè nouitate, quàm ſi temporis eiuſdem in hac Epiſtola characteres, alijs atq; alijs pro vſu & cognitione præſertim eorum ad quos

[r] 2. Mach. c. 12.

[ſ] 2. Mach. c. 1.

[t] Goſſonidis Epiſt.

[u] 1. Mach. c. 4. n. 52.

[x] Act. 15.

quos ſcribitur, modis efferantur. Quæ omnia tametſi non ita velim conſtituta, quaſi in re noſtra ſententiam hoc ipſo dictam quis exiſtimet, id enim non ſemel hactenus exceptum eſt, verum vt liquidum euadat, quàm parum ſit firmamenti & roboris in contraria ratione, quæ tam exiliter adpugnata collabaſcit.

Sed neq; de nota Indictionis ſi rurſum recurrat diſputatio, tantum iactari aliquid poteſt, quantum vnica reſponſione haud facile retundatur; ſi præſertim Indictiones ab Octauij Auguſti inſigni accerſantur. Potuit enimuerò Virgo Deipara Meſſanenſibus ſcribendo eam adhibere formulam, quæ ipſi exemplo Romanorum quibus parebant, vti iam conſueuiſſent, idq; non ſolùm pro lenitate Virginis, qua ſe facilè ad honeſtos aliorum mores apponeret, verùm etiam pro inſtituto nationum, quæ ſe procliues ad exempla, nedum ad præſcripta Regum effingunt, ſi factum quis putet, facile etiã inducet, quemadmodum ſermone, ita modo ſcribendi Romanis placerè ſtuduiſſe Hebræos, à quibus Virgo ſi ſemel aliquid valet argumentum Anonymi, præ modeſtia deſciſcere non debebat: non quidem vt ipſa Latinè Romanorum more perſcriberet, ſed vt ſeruata ſacratioris linguæ maieſtate, eam duntaxat claudendi formam Myſterijs indulgeret. Neq; enim Hebræi tametſi Latinè periti, crebrò leguntur Latinè ſcripſiſſe, multoq; minus locuti eſſe pro vſu, ſiue id ex religione, ſiue ex ſupercilio, ſiue quód de ſe expertus fatetur Ioſephus [y] ex difficultate proferendi, quod tamen ceteris ſub iugo Romano, Aſianis præſertim & Græcis ſolemne fuit, edicto primùm Tiberij, [z] deinde etiam Claudij latius accepto, idq; non in Senatu tantum Iudicijs & ſententijs, verum etiam in quotidiano ſermone, quo ſcilicet Latinæ vocis honos vt inquit Valerius, [a] per omnes gentes venerabilior diffunderetur, nullaq; non in re pallium togæ ſubijceretur, quaſi indignum foret illecebris, & ſuauitate peregrinarum literarum, Imperij pondus & auctoritatem domari.

y Lib. 20. Antiq c. 20.

z Sueton. in Tib. c. 71.

a Val. Max. lib. 2 c. 2.

Reliquum eſſet vt ſubſcriptionem quoq; Virginis à calumnia vendicaremus, quo ſolo fortaſſe, de qua agimus, Epiſtolam tanto firmatam præſidio, rectè ſibi videntur aduerſarij inter inſtrumenta Actuariorum cenſere. Verùm ſicut illi non facile oſtenderint eiuſmodi ſuſcriptionem cum vſu temporum illorum pugnare; ita Paulum Apoſtolum, [b] facile redigent in ordinem notariorũ, qui non ſemel manu ſua ſubſignatas, iterum nomine ſuo muniuit Epiſtolas, ipſo identidem atteſtante. [c] *Ego Paulus ſcripſi mea manu. Salutatio mea manu Pauli quod eſt ſignum in omni Epiſtola, &c.* Fecerit id ſanè Paulus [d] ſicut Hieronymo placet, ad remouendam ſuppoſitarum ſuſpicionem: nihil vetat Virginem id feciſſe alia de cauſa, quò ſe ad mores eorum quibuſcum agebat, componeret. Quæ profectò vnica ratio, tametſi nullæ ſint aliæ, omnem ſicut in ceteris, vim labefactat argumenti; nec præterea ſi quæuis alia vſu recepta, huic nectantur Chirographo, tanquam aliena redundabunt in Virginis mores quaſi peregrinos, habebitq; locum probabilis circa Epiſtolas Pauli, [e] Ioannis Lorini coniectura, nempe ſubſcriptionis formulam præter nomen, certamq; ſententiam, figuram aliquam graphicè expreſſam continuiſſe; ſed in hac Virginis Epiſtola maiori ſupra opinionem fide, vnde Matris in humilitate magnitudo commendetur, vt proinde videri poſſit eiuſmodi figura, Crucis fuiſſe ſignum, nondum Regum coronis, & ſceptris impoſitum, quin apud pleroſq; infame & auerſum, ſed quod in Deiparæ Virginis Epiſtola, ſupra omnia in terris ſumma euectum, futuram Meſſanenſium gloriam, in collata ab Arcadio Cruce aurea, præclaro ſymbolo adũbrauit. Certè Virginem Sanctiſſimam non in animo ſolùm atq; oculis, Crucis effigiem continuò ferre, verum etiam in chartis vbi ſcribendum foret, calamo ſolitam efformare, qui cogitet, nihil abſurdi opinetur; In eadẽ verò ad Meſſanenſes ſcriptione, cùm ſe Matrem Crucifixi initio fateretur, quin crucis ſigno finem quoq; ſacraret Epiſtolæ, dubitari cum ra-

b Ad Philem. c. vlt.

c 2. Ad Theſſ. c. vlt.

d In cap. 6. ad Gal.

e In Act. c. 15. n. 25.

tione minimè poſſet, vnaq; Meſſanenſibus prælusiſſe Myſteria, tùm religionis, tū honoris vix negari. Quòd verò ad certam quandam ſententiam ſpectat, quæ Virgineæ mentis velut ſchema quoddam credatur, cùm nihil ipſa frequentius animo verſaret, quàm quod olim Spiritu Sancto intus moderante apud Eliſabetham emodulata eſt, *Magnificat anima mea Dominum*, quippe quæ Sanctorum opinione, in perpetuas infra intermiſſionem Dei laudes intenta, ſingulis momentis pendebat, quam cælo penè immenſam gratiæ copiam ſuſceperat; id etiam ſententiæ, chartis ſuis intuliſſe credenda eſt, cui procinendæ in præcipua Dei magnificandi contentione, velut temperata ex arte Spiritus Sancti cythara, paratam ſe exhibuit, eaq; teſſera, quàm ipſa magnificatura foret, quibus protectionem repromiſit, ſacrataq; ſcriptione id ſymboli exarauit, luculenter deſignauit.

RESPONDETVR QVINTO ARGVMENTO QVOD eſt Tertium Anonymi.

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

QVINTVM Argumentum velut in Prytanæum aduocat Viros ſapientes, qui pro Marianis Epiſtolis ſententiam dicūt, eoſq; inter ſe commiſſos, illos quidem auctoritate, alios antiquitate, nonnullos pietate tantùm aliquid proficere, plures deniq; præter hæc omnia, ratione quoq; præſtare, qui ſcilicet Epiſtolas omnes Mariæ Virginis nomine cenſitas, extrà ſanctitudinē habent; velut data cuiq; teſſera ſecernit, arbitratur. Itaq; pro Epiſtolis Ignatij ad Mariam, & Mariæ ad Ignatium loquuntur, S. Bernardus, [f] eumq; ſecuti Marcus Michael Carnotenſis, Dionyſius [g] Rickelius, Sixtus [h] Senenſis, [i] Caniſius & alij. At S. Hieronymus eoq; antiquiores alij, qui Ignatij Epiſtolas cenſuerunt, negant, penitus reſpuunt. Hinc Hieronymus [k] Vailernius Siluius, qui poſt Valentinum Pacæum, & VVillermum Morelium Ignatij Epiſtolas Græcè Latinèq; edidit, vtramq; Epiſtolam tametſi à vetere interprete adiectam, meritò ſuſtulit, quòd neutram in Græcis Codicibus Tilingano & Pariſienſi reperiſſet. Accedit [l] Baronius Hieronymi auctoritate permotus, nec non Martialis Meſſineus, qui recens Ignatium Græcè Latinèq; dedit, eoq; nomine dictas Epiſtolas inter apocrypha numerat, quòd nec Græcè ſcriptæ reperiantur, nec antiquiorem Bernardo auctorem agnoſcant.

Sed enim plures Epiſtolam ad Meſſanenſes reijciunt quàm recipiant, illi quidem conſtanter, hi facilè dimouendi ſi vrgeantur. Recipiunt præter ſcriptores patrios [m] Mutius Iuſtinopolitanus, Ioannes [n] Maria Tarſia, Alphonſus [o] Villegas, ſed fide Conſtantini Laſcaris. Inclinant pietate [p] Caniſius, Franciſcus [q] Arias, Ferreolus [r] Locrius, ſed hi non videntur legiſſe, alioqui ituri in omnia alia. Dubitat Ioannes [ſ] Bonifacius, non vult eſſe arbiter Laurentius [t] Maſellus: Sed audacter reſpuit Baronius, [u] fortiſſimè conuellit Chriſtophorus [x] de Caſtro, deniq; multi docti & prudentes Viri, addo etiam religione pollentes, viua voce ſpuriam, ac ſuppoſitiam me ſæpe audiente conſtanter aſſeruerunt. Hæc ferè Anonymus, quoad argumenti vim ac ſummam, alioqui verbis plus iuſto profluis & inanibus ſententijs impeditus.

Videtur nimirum artificioſus hic Epeus; omnes quos recenſere potuit literarum Heroas,

- f Serm. 9. in Pſ. 90.
- g De viris illuſt.
- h In epiſt. de diu. no.
- i L. 2. Bibl. in Maria.
- k Lib. 5. de Virg. Deip. c. 1.
- l Ad an. 45.
- m Hiſt. ſua l. 1. c. 13.
- n In Monarch. Vir.
- o In vita Virg.
- p Lib. 3. c. 1.
- q De Imit. Virg. c. 50.
- r In Maria Auguſta l. 3. c. 97.
- ſ Lib. 1. Hiſt. Virg. c. 5.
- t In Vita B. V. l. 6. c. 18.
- u Ad ann. 48.
- x In Vita Deip.

Heroas, velut in Equum Troianum incluſiſſe, vt penitus in noſtræ cauſæ arcem inuadat. Verùm cùm hæc machina minimè nobis fatalis ſit, iamq; omnia, quæ hic adſtruuntur alibi ſatis demolita ſint, non eſt vt hoc loco diutius laboremus, ſi modo ſumma capita velut papauera decutiamus. Itaq; de Epiſtola Virginis ad Ignatium, & Ignatij ad Virginem, quamquam ea cura non integrè nos tangat, quid tamen in medium conſuli queat, quamuè facilè rationes in contrarium adductæ reuincantur, alibi planum ac palam fecimus. Sanè ſolius Bernardi auctoritas, magnam fidem facere poteſt ac debet, qui cùm Hieronymum alioſq; legerit, neq; tamen abnuit quin prædictas Epiſtolas vt legitimas reciperet, nihil eſt verò ſimilius, quàm vt eas ex antiquiorum, nec minus fide dignorum ſcriptis hauſerit, vel certè pia ac conſtanti omnium traditione commendatam acceperit, niſi iam ipſe ceù fabulæ auctor in ſcenam traducatur, quod de tanto Viro nefas eſt cogitare, nedum aſſerere. Quid ſi Bernardus ſua tempeſtate nondum ſepultam legit omnimodam Flauij hiſtoriam, quam Hieronymus nondum natam morte ſua præuertit, Baronius poſt tot ſecula deſideratam non aſpexit, Anonymus cum ceteris, quos citat, ne fama quidem accepit, alioqui haud dicturus nullum veterum patrum ad Bernardum vſq; earum Epiſtolarum meminiſſe, ſi legiſſet ea, quæ Flauius [1] narrat, dum *Epiſtola* (inquit) *B. Virginis ad S. Ignatium & eiuſdem ad Sanctiſſimam Virginem manibus fidelium teruntur*. quibus verbis non tantum in libris doctorum huiuſmodi memoriam viuere, ſed enim per ora quoq; vulgi volitare, atq; adeò manibus fidelium tritam, viuaciori quodam Spiritus, ac deuotionis calore ſpirare ſignificauit. Et profectò ſi id propter reijciendæ ſunt prædictæ Epiſtolæ, quòd nemo veterum Patrum ad Bernardum vſq; meminerit eius famæ, amputanda quoq; erit Traditio de aduentu Iacobi in Hiſpanias, cuius ante Iſidorum (ſi tamen eius ſunt, quæ de ea re ſcripta feruntur) per ſexcentos & vlterius, vel ſaltem ante Flauium per quadringentos amplius annos, antiquiorum nullus ſcribendo meminerat.

[1] Ad an. 410.

Illi etiam obſcuro planè iudicio decernunt, qui has Epiſtolas à vetere interprete adiectas velut ſuperfluas eradunt, cuius enim iuſſu? qua auctoritate freti ſuum arbitrium, menti antiquiori, imò probiori præferunt, ignari conſilij, expertes vetuſtioris inſtituti, nulla inſtructi ratione potiori? an quod earum exemplar in Græcis codicibus non reperiatur? quaſi Matthæi & Marci quoq; Euangelia repudianda fuerint, quando illud Hebraicè, hoc verò Latinè ſcriptum, per multa tempora in Græcis codicibus non extitere; aut quaſi omnia, quæ Græcè ſcripta in quouis ampullario indice inueniantur, fidem & auctoritatem mereantur, vt iam fabulæ non ſint generationes Deorum, vel propiùs, omnino verum ſit, animas Socratis & Platonis aureo nimbo cælo inuectas, Florianum ad portas Paradyſi terreſtris inter monſtra gladio eluctatum, ab ipſo ingreſſu à Dracone accubante impeditum, deniq; vt ſexcenta mittam, nec à fabulis illudam, Magdalenam & Lazarum Epheſi defunctos, diu ibidem iacuiſſe, deinde Conſtantinopolim Leone Philoſopho Imperante translatos, ad Gallos ſaltem in vita nunquam acceſſiſſe.

Sed enim quomodo Baronius in ſuis Annalibus auctoritate Hieronymi permotus, vt loquitur Anonymus has Epiſtolas reijciat, videamus. Cedo locum ad Annum Chriſti quadrageſimum octauum, quem iſte citat. *Fertur* (inquit) *eiuſdem Dei genitricis Epiſtola ad Ignatium reddita, eiuſdemq; Ignatij vna ad ipſam ſcripta, duæ verò ad Ioannem Euangeliſtam de eadem ipſa loquentes. Sed Hieronymus & alij antiquiores qui eiuſdem Ignatij recenſuerunt Epiſtolas, eas non nouerunt*. Hæc Baronius. Cuius verba nimis acidè, ne dicam inſulſè interpretatur Anonymus, quaſi ſemper idem ſit non noſſe, ac reijcere, vt qui iam aliquem Diuorum è terris in cælum euocatum non no-

ſcat, continuò etiam putari poſſit reijcere. Nimirum & ipſe reiecit Baronium, * quē non nouit, nec legit alibi de Ignatij Epiſtolis agentem, poſt nonnulla ſic loqui. *Hæc circò dixerimus, quòd leguntur eiuſdem Ignatij titulo tres Epiſtolæ, quarum priores duæ ad S. Ioannem Apoſtolum & Euangeliſtam, tertia verò ad Sanctiſſimam Deiparam datæ habentur, cui nouiſſimo loco poſita iuncta eſt Epiſtola Sanctiſſimæ Mariæ Virginis ad ipſum reddita, quæ cuius fidei ſint iudicium eſt penes prudentem piumq; lectorem. Scimus tamen eas S. Bernardum citaſſe aliquando, earumq; meminiſſe alios recentiores.* Hæc Baronius, quibus verbis an reijciat potiùs quàm optima mente caueat, ne vel pietati periculum creetur, vel auctoritati Bernardi contemptus irrogetur; viderit quæſo cui pectus ſapit; Omnino namq; ſi de Anonymi diſceptatione velit ſtatuere, dubio procul vel Baronium præuaricatorem cogetur aſſerere, vel Anonymum falſi conuictum ad deſerendam cauſam compellere, quippe cui ſolemne eſt in Baronij * ſcriptis oſcitanter, ne dicam mala fide verſari (id quod in peregrinis auctoribus facilius credas) eiuſq; auctoritatem, quemadmodum alibi oſtendimus, ad male tuendum propoſitum auertere, imò peruertere.

* Tom. 2. ad an. 109

* Supra cap. 9.

Verùm ne præcipitem feramus ſententiam, videamus quæſo, quo loco Hieronymus, ita quemadmodum loquitur Anonymus, reſpuerit eas Epiſtolas, vt Baronium quoq; nauſeare, imò penitus cogeret reijcere. Citat ipſe Baronius locum Hieronymi de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Ignatio. Cedo. *Scripſit* (inquit) *vnam Epiſtolam ad Epheſios alteram ad Magneſianos, tertiam ad Trallenſes, quartam ad Romanos, & inde egrediens ſcripſit ad Philadelphios & ad Smyrnæos & propriè ad Polycarpum commendans illi Antiochenſem Eccleſiam*, &c. Hæc Hieronymus nec aliud quippiam de Epiſtolis ab Ignatio ſcriptis. vnde quæſo tanta ſagacitas Anonymo, vt hinc eliciat Hieronymum reſpuiſſe eas Epiſtolas? nempe quia non meminit earum: acutè ſanè ſi Philoſophicè; ſed neq; meminit ibidem Epiſtolarum ad Mariam Caſſobolitem, ad Tarſenſes, ad Philippenſes, ad Antiochenos, ad Heronem diaconum Eccleſiæ Antiochenæ, quas tamen omnes tanquam germanas Ignatij recenſet Baronius; quin verò & plures ab eodem fuiſſe conſcriptas, ex eiuſdem Verbis ad Romanos facilè colligi poſſe oſtendit, dum inquit *Ego omnibus Eccleſiis ſcribo, quòd voluntarius morior ſi modo vos non prohibueritis*, vt proinde rectè ſic inferat Baronius: *Sanè equidem niſi ad Hyperbolem eiuſmodi verba referantur, multò plures oportuit eum ſcripſiſſe Epiſtolas, cùm alioqui plurimas ab eo ante vincula diuerſis occaſionibus ſcriptas fuiſſe, neminem puto dubitare, cùm id præſertim poſtularet munus Epiſcopale.* Ita Baronius; quibus deinde ſubiungit ea quæ paulò ante retulimus de tribus alijs eiuſdem Ignatij Epiſtolis, vt vel ex ipſo contextu liquere poſſit, quàm præcipitem de Iudicio Baronij Anonymus ferat ſententiam, quàm præpoſterè & alogicè ſuas inferat conſecutiones, nē vno verbō dixerim quàm peruersè & fluxa fide agat. Sed nimirum ea ſolet eſſe cæcitas calumniæ, vt quæ pro ſe, quæ aduerſum ſe faciant, (quod in maximis malis ducitur) non videat, non dijudicet. Atq; hæc circa Epiſtolas Ignatij iterum dixiſſe iuuat, non quò inde firmamentum, vel ſaltem commendationem Epiſtolæ Virginis aucupemur, ſed ſi nihil aliud, vt oſtendamus quàm parum nerui habeant Anonymi argumenta, quæ inde robur accerſunt, vnde nobis adiumento ſint, ſibi verò plurimum incommodent.

Sed fortaſſe hæc tantùm copiæ cauſa dicta ſint ab Anonymo, vt ex nutanti quoquo modo fide Epiſtolarum Ignatij, fortiùs adpugnet quàm tuemur Virginis Epiſtolam, atq; inde ceu capta Troia Meſſanenſium religionem expugnet, excindat. Videamus igitur quos cuniculos agat. *Virginis Epiſtolam, ad Meſſanenſes plures ſunt qui reijciant, quàm recipiant*: Saluares eſt vbi numero teſtium, non genere velitatur,

An

An qui a plures fuerunt Iudæi Chriſtum crucifixum cupientes, quàm qui defenſum & abſolutum, iccircò rectè ille à Pilato morti fuit adiudicatus? Iniqua ſanè contentio, in qua multitudo vim affert, non ratio modum conſtituit. Verùm vt obſecundemus Anonymo, demus & iſtud, vincat numero ſi poteſt. A nobis ſtant Flauius Dexter, Conſtantinus Laſcaris, Mutius Iuſtinopolitanus, Alphonſus Villegas, Petrus Caniſius, Franciſcus Arias, Ferreolus Locrius, Ioannes Maria Tarſia, Martinus Nauarrus, Petrus Antonius Spinellus, Ioannes Carthagena, Georgius Odeſcalcus Epiſcopus Vigueuani, Franciſcus Faſanus, Ioannes Paulus Ferella, Felix Aſtolphus, Clemens Donatutus. Ioannes Baptiſta Laurus, Franciſcus Biuarius; præterea Scriptores Patrij, Franciſcus Maurolycus, Philippus Gothus, Ioſephus Bonfilius, & qui recenter ſcripſit Albertus Piccolus, viceni omnes ac bini, præter eos qui ad noſtras manus partim haud peruenerũt, partim iuſta ſatis volumina à nobis relecta, quibus inter alia hoc quoq; aſſeritur, publicam lucem nondum aſpexerunt, vt miſſos faciam quos iſte ad ſe conatur auertere Ioannem Bonifacium, Laurentium Maſellum, quorum ſenſa per ſe ſatis aperta, omnem quoq; retegunt calumniam, deniq; non vnum alium quem ſuo loco, ſuoq; ordine cenſebimus.

Prodeant modo acies aduerſæ, tam copioſæ, tam inſtructæ ſi Superis placet. Baronius eſt vnus, vir ſanè exceptione maior, ſed quàm liquido teſtimonio nobis aduerſetur, palam eſt ex ijs, quæ alibi mentem eius interpretati, in medium attulimus, vt vehementer mirandum ſit, cùr tam præfractè, ac intemperãter à quopiam dici queat, Baronium audacter reſpuere, hanc de Virginis Epiſtola traditionem, cùm ea ſola de cauſa reijciendam cenſuerit inter apocrypha, quòd auctoritate careret, puta antiquiori, quaſi legitima foret, ſi Scriptor quiſpiam vetuſtior emerſiſſet, quem quia nos alibi Baronio etiam laudatore, non vulgarem produximus, facile cum eodem de fide danda tranſactum putamus. Sed enim qui Baronium nobis tanquam murum aheneum opponit, meminiſſe debebat, apocrypha non eatenus ab eo dici, quaſi nullam mereantur fidem, ſed quia non ſunt alicuius Euangeliſtarum vel Apoſtolorum monimentis conſignata; ſic enimuerò eorum quæ de Epiſtolis Abagari ad IESVM, & IESV ad Abagarum traduntur, ipſe Patronum ac defenſorem agit, vbi inter alia, [b] *Quod pertinet* (inquit) *ad prædictarum Epiſtolarum fidem, eò quòd non reperiantur ab Euangeliſtis conſcripta, idcirco Gelaſius Papa recenſet illas inter apocrypha, quaſi nõ hagiographa, non tamen vt ea ab Eccleſia omnino proſcribat, ſicut nec plures alios libros quos proximè recenſuit.* Hæc ipſe. Quæ omnia quantum roboris noſtræ cauſæ ſufficiant, nemo eſt tam exilis iudicij qui non facile diiudicet. Nihil nobis obeſt, imo multùm proficit Baronius, nimium verò, & Baronio & nobis imponit, qui Baronij ſenſa aliter quàm accipienda ſint, pro re ſua diſtrahit perinde ac peruertit. Reijcitur hæc Epiſtola, non alia nota, niſi quia non ab Euangeliſtis aut Apoſtolis conſcripta, vel ſaltem memoriæ prodita: neq; nos id contendimus, ſufficit ſcriptam fuiſſe à Virgine, quod Baronius nuſquam negat, ſed vnum duntaxat teſtimonium requirit antiquius, quod paratam iam fidem fortius inclinet. dedimus. quid amplius reſtat niſi vt ipſa Baronij verba pro ſe vocem mittant. Plus eſt à Virgine quàm ab Euangeliſtis, vel Apoſtolis ſcriptam fuiſſe Epiſtolam, ſed quia iſti ad Eccleſiam moreſq; fidelium formandos ex officio ſcripſere, Deipara Virgo ſolo pietatis inſtituto ad Meſſanenſes in ſuſcepta fide roborandos, non abs re fides huius Epiſtolæ tam ſacræ, tam vniuerſorum votis adorandæ, ex ſcriptis aliorum canonicis repetitur, quò feruentiori cultu ac religione ſuſcipiatur. Sed enim ſatis eſt Traditione fuiſſe ad hæc vſq; tempora propagatam, quamuis literis Euangeliſtarum non ſit commẽdata, dummodo nec his, nec alijs ſcriptis Canonicis pugnet, aliaq; probatæ ad pietatis & religionis normam

[b] *Ad ann.* 31.

præ

præ ſe ferat ſigna traditionis, quæ vel ſola interdum veritati ſcriptis incompertæ fidem facit indubiam. Qui verò ſint ij libri quos proximè recenſuit Gelaſius inter apocryphos, neque tamen ab inſtituto fidelium voluit eſſe reuulſos, alibi pluribus oſtendimus. Nunc ad reliqua pergamus.

Alter à Baronio, qui nobis opponitur eſt Chriſtophorus à Caſtro, cuius eruditionem ſicut non diſſimulauimus, ita eiuſdem argumentis alibi ſatisfactum putamus. Tertium, qui pugnæ ſuccedat, hactenus equidē vidi neminem, niſi manuſcriptos dubia luce volitantes Anonymorum libellos, nec tam ſuo ſtrepitu, quàm amicorum indicijs proditos, quorum rationes quemadmodum bona fide adduximus, ita currente iam calamo reuincimus, ne maiora dixiſſe ſibi videantur, quàm quæ nullo ferè ſtudio remoueri poſſunt. Verùm ne non iuſto manipulo in aciem prouocaſſe videatur bonus iſte athleta, cum quo agimus, alios ſubrogat in militiam, nullo alioqui Sacramento dicto, ceù Volones. Nam cùm pietate tantùm in Virginem motos, velit ad noſtras partes inclinare Petrum Caniſium, Franciſcum Arias, Ferreolum Locrium, qui ſi legiſſent Epiſtolam, in alia omnia abiuiſſent; exiſtimat opinor pietatem mendacio & falſitati ſuffragari poſſe: corrupto ſanè iudicio, nec ſcio quàm peregrino genio; quaſi aut tantorum virorum grauitas, temerè etiam non viſis Epiſtolis aſſentiri debeat, aut quaſi alij, non minus exquiſiti iudicij viri, cùm viderint, in omnia alia abiuerint. Sed dubitare prætereà de eius Epiſtolæ fide aſſerit Ioannem Bonifacium, Laurentium verò Maſellum, etiam defugere vt arbitrum eius agat. Quo loco quantumuis & ego defugiam, quò acrius inſecter huiuſmodi rationis intemperantiam, non poſſum tamen non dubitare de acerbo Anonymi ingenio, quo hanc Epiſtolam ſtudet conuellere, ne dicam de fide, qua circumſcriptis aliorum dictis contra nos agit. Cedo Bonifacij verba. *Fieri etiam fortaſſe potuit* (inquit) *vt hoc tempore literas illas ad Ciuitates Florentiam Meſſanamq; dederit*. Ita ille. Sed Anonymus elumbata oratione ita legit, *fieri fortaſſe poteſt vt literas ad Ciuitates Florentiam Meſſanamq; dederit*, quaſi aduerbium dubitandi non ad tempus, ſed ad literas referatur, cùm tamen Bonifacius de tempore magis, quàm de literis addubitarit, vt manifeſtum euadit ex ijs, quę continuò ante de Dionyſio ad Virginis aſpectum, velut fulgore quodam diuinitatis perculſo refert, quibus etiam nulla alia interpoſita narratione ſubdit, *fieri fortaſſe potuiſſe, vt eodem tempore litera illa ad prædictas Ciuitates data ſint, quas ipſa iactant, & à Virgine ſe habere gloriantur, quod mihi* (inquit) *pro cetera beatiſſimæ Matris facilitate, & humanitate non magnopere videtur eſſe mirandum*. Hæc an dubitantis ſit oratio potiùs, quàm ob Virginis innatam lenitatem omne dubium ex animo euellentis, iudicet, cui vel ſcintilla rectæ rationis ineſt. pergit Bonifacius. *Si enim Florentini & Meſſanenſes ſuam vtraq; Reſpublica ad Beatam Mariam Virginem Epiſtolam miſerunt (fides ſit penes Hiſtoricos, quorum eſt religionis in vtraq; Vrbe antiquitatis indagare veſtigia) non eſt dubium quin Virgo reſcripſerit, & ambas Ciuitates cæleſti, qui Virginis mos erat, conſolatione repleuerit*. Sic ille. At qua (proh Deum) fronte, quo ore dicitur Bonifacius dubitare, cùm expreſsè, non inuolutè fateatur, non eſſe dubium, quòd paulò ante dixerat non magnopere ſibi videri eſſe mirandum; hoc eſt miſſam à Virgine Epiſtolam, ſi Florentini, aut Meſſanenſes primùm ſcripſerunt, cuius duntaxat miſſionis fidem, ſaluis ceteris ipſe remittit ad Hiſtoricos. Senſit ni fallor ſuam imprudentiam Anonymus, ideoq; noua fretus peruicacia, hoc *Bonifacij teſtimonium labefactandum aſſerit ab eo, qui probauerit fieri non poſſe vt Meſſanenſes* ad Virginem ſcripſerint. Sed quàm inconſultè ſemetipſum inducit in eas captiones, quas nunquam explicet: ſi enim dubitat de fide Bonifacius, qui poteſt ferre teſtimonium, quod contra pugnandum ſit argumentis, neq; enim dubitantis, ſed affirmantis infirmandæ

ſunt

ſunt rationes, vt proinde nulla ſuſcipi queat diſceptatio contra Bonifacium, niſi ſemel ſtatuatur pro oppoſita ſtare ſententia, ac tum demum locus ſit probandi, nullam à Meſſanenſibus miſſam ad Virginem Epiſtolam, nullam inſtitutam Legationem, quod quidem ſi probauerit Anonymus, omnium iudicio herbam feret.

Cedo nunc Laurentium Maſellum. Recitat hic Virginis Epiſtolam ad Meſſanenſes, eamq; multis teſtimonijs laudatam ac probatam à Conſtantino Laſcari Latinè redditam aſſerit, deniq; addit ſe nolle huius deuotionis (vt ipſe loquitur) eſſe Syndicum (Anonymus nimis ſcitè vertit Arbitrum) *nihil enim quod ædificat, charitatem augets, diuotionem excitat, debet à Spiritu ſapienti ac deuoto refutari*. Hæc Maſellus, quo quid clarius, firmius, magiſq; pium ac ſanctum pro re noſtra dici poteſt? cuius tamē verba non modo corrumpit, verùm ſententiam deprauat, ac planè ſtudium & intentionem peruertit Anonymus dicam an cognomento falſarius; non quæro amplius qua fide, viderint alij quo inſtinctu, cui æquè iam procliue ſit Sacram paginam, vt ſtudio ſuo patrocinetur, pro libidine inuertere, ne dicam iura omnia humana ac diuina confundere. Sed pergamus.

Addit demum coronidis loco, præter hos, multos Viros doctos auctoritate, doctrina, & religione pollentes, ſpurias literas ac ſuppoſitias conſtanter aſſeuerare. Viros ſcilicet, quos vt opinor vel ipſe audiuit ſuam ſententiam eloquentes, vel aliorum ſaltem meminit ſenſa & iudicia proferentes. Ridiculum ſanè argumentum; quæ enim ſecta ſit quæ non ſuos habeat defenſores, & vt ſic dicam Zelatores? An non idem dicere queant Meſſanenſes, & quidem potiori iure, non ſolùm multos ſe audiuiſſe contra ſentientes, ſed plures etiam legiſſe quos ſupra retulimus, non vnius Ciuitatis aut municipij, ſed plurimorum regnorum, Italiæ, Germaniæ, Hiſpaniæ Scriptores, nō obſcuros Anonymos & lucis oſores, ſed qui in die ac propatulo, non minori nominis, quàm vitæ & doctrinæ claritudine verſantur, nō affectu, ſtudioue partium, ſed pietatis amore ductos, non nugis & calumnijs obſtrepentes, ſed rationibus exquiſitis & modeſtia rem gerentes. Quibus equidem libenter ſubſcribo, vel eo nomine, quòd cùm ad hæc perſcribenda animum appuliſſem, ex multis Viris doctiſſimis ac religioſiſſimis, quos partim in Italia, partim in Germania, Hiſpaniaq; conſultos volui, neminem acceperim, quamuis ſeuerè dijudicantem, qui vno vel altero errore ſcribentium potius vitio quàm ſecus, incidente, rem ſummè probabilem non cenſeret, falſitatis certè arguere minimè auderet. Vt nihil dicam de patrijs Scriptoribus, quorum licet aliqui candidè pro veritate dixerint, aliqui tamen interdum aculeis magis quàm neruis armati, viſi ſint decertare, fortaſſe laceſſiti ab ijs, quos terriculamenta quædam angebant, ne ſi aliquis hinc honos prærogatiuis Meſſanenſium acceſſiſſet, deſerēda deinceps ac planè abijcienda foret, de primatu Vrbiū ſuſcepta cauſa: obſcuro ſanè iudicio, quaſi non aliunde magis, quàm hinc pendeat ea controuerſia. Verùm his penes ſuos arbitros conſtitutis, quòd huc ſpectat, ſatis erit redarguiſſe Anonymū, qui plures velit eſſe huius Epiſtolæ impugnatores, quàm defenſores, cuius contrarium ſi de Scriptoribus agitur, ex hactenus dictis clarius euadit, quàm vt aliena luce egeat. Quamquam ſi plures ſint, qui garritu, vulgi more obſtrepant, nihil inde detrimenti facturi ſint Meſſanenſes, quibus exploratum eſt, non quod plures ſentiunt, verùm quod ſentire debent ſequendum, alioqui quemadmodum dicebam, plures erant Hieroſolymis Viri auctoritate, doctrina, & religione eius temporis florentes, qui Chriſtum perditum vellent, quem pauci præſertim exteri ſeruatum cupiebant.

RE-

RESPONDETVR SEXTO ARGVMENTO, QVOD EST Quartum Anonymi.

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

SEXTVM Argumentum ſumitur à coniecturis quibus equidem ſemper deferre ſoleo, ſi cum ratione ſint coniunctæ. Primo itaq; non parum videtur hanc Epiſtolam premere ſilentium Lucæ, deinde quo fato factum vt nemo veterum, illius meminerit, primus Conſtantinus Laſcaris Bizantio profugus, Meſſanenſibus obſtrictus publicarit, quomodo nemine contradicente duabus tantum Pauli concionibus, Ciuitas tot millibus capitum cenſita, illi ſectæ addicta, cui toto Orbe contradicebatur, vel ſi miraculo ea repentina inceſſit mutatio, cur ſiluit Lucas? cur Scriptores? quin hominibus tacentibus Legationem adeò nobilem ad Dei genitricem lapides etiam prædicaſſent. Hæc Anonymus, tametſi ille pluribus verbis, & quidem coniecturis vt videri poſſit, haud tenuiter collectis, quibus tamen nemo paulò diligentior in aſſequendo, facile fuerit innixus.

Ac primùm quod ſpectat ad ſilentium Lucæ, nemo vel mediocriter in ſacris literis, Patrumq; ſcriptis verſatus ignorat, Lucam quàm plurima Pauli geſta præterijſſe, quæ omnia ne rurſum hic repetere cogamur, ad ea quæ diximus libenter lectorem remittimus, proinde ne triuio quidem dignum cenſemus argumentum, quod ex hoc loco proferatur. At qui tacuiſſet Lucas accitum Paulum à nobiliſſima Republica? nempè qui tacuit eundem Neapolim Vrbium celeberrimam acceſſiſſe, quod tamen apud Ciues traditione antiqua certius eſt, quam vt in dubium vocari queat, idq; inter ceteros Lorino placet, [c] dum inquit *Tradunt Neapolitani, nec huius rei obſcura veſtigia demonſtrant, ad eos etiam Paulum in tranſitu diuertiſſe: probabile id eſt, ob vicinitatem, & quia Romam Puteolis tendentibus modicè illac deflectunt*. Sic ille, nec aliter puto dicturus eſſet ſi hanc controuerſiam de acceſſu Pauli Meſſanam, vel ſpontè ſua ob vicinitatem, ne dum accita ad ferendam fidem, verſaret. Quin etiam ſicut diſcedẽs Samo prius [d] Trogillium appulit, quàm Miletum, tametſi id Latina exemplaria non referant vt etiam aduertit [e] Baronius, quia ſcilicet tam proximè adiacet Samo Trogillium atq; adeo ſecundùm [f] Strabonem quadraginta duntaxat ſtadijs diſiuncta eſt, vt facilè præteriri non debuerit: ita nihil vetat Meſſanam acceſiſſe, quæ nauigantibus in freto, vel modico flexu ſe ſe offert, nec minus ſui celebritate portus ſpectaculum, quam itinerum vſu præbet hoſpitium. Id verò ſi tàm latina quàm græca exemplaria prætermiſerunt, ſicut etiam appulſum ad Neapolitanos, ſilentio Lucæ ſine grauiore accuſatione tribuendum, ob cauſas fortaſſe ſæpius quàm oportuit inductas, neq; hic vllæ ſalebræ, dum oſtendi queat, eo temporis ſpatio, quo Rhegij ſtatio tenuit, Meſſanam inde Paulum diuertere potuiſſe, quod abundè præſtitum, non vno hactenus capite liquidum eſt.

[c] Act. cap. 28. n. 14.
[d] Act. 20.
[e] Sub. an. 58.
[f] Lib. 14.

Sed enim quod ſecundo loco quærebatur, quo fato factum ſit vt nemo veterum ſcriptorum tantum Meſſanæ bonum commemorarit; communem cum multis habet quæſtionem. Quamquam ſi iterum obtendatur Lucius Dexter, nihil reliquum ſit argumenti, quod non elidatur, vel ſaltem quod non æquè militet in multis alijs quorum cauſas coniecturis quo quo modo expendimus, cur enim nemo ante Iſidorum vt

huc

huc vſq; creditum eſt, per ſexcentos ferè annos meminit Iacobi in Hiſpanias ingreſſi, vel à pauco tempore nemo ante nominatum Lucium Dextrum per quadringentos annos, eam ſi accepit, ſcriptis dedit memoriam? cur non ante Bernardum, ſi eundem Lucium Dextrum recẽs agnitum excipias, notus aliquis producitur auctor, qui Marianæ ad Ignatium Epiſtolæ fidem ferat, vt iam Bernardum non traditione, ſed antiquiore auctoritate nixum commendet? quod vt hoc tempore dici queat, ante Luciũ tamen Dextrum in lucem emergentem, cogitari tantùm potuit, non certò affirmari. Sexcenta ſuppetunt exempla rerum, quæ ſua vetuſtate ſepultæ, ſeriùs aliquando fidem apud ſcriptores recentiores inuenerunt, quæ ab antiquiore auctoritate non repetebatur, ſi traditio famam commendaſſet; ſed vt ſimilibus inſiſtamus. Olim Iudæi in Hiſpanijs [g] Carpetani, literas à Hieroſolymitanis Iudæis acceperunt, quibus aſſenſus eorum in necem Chriſti poſtulabatur, ipſos verò non ſolùm auerſatos facinus impium, verùm etiam miſſis literis acriter dehortatos, traditione tantùm ferebatur antequam Lucius Dexter reſpirare incæpiſſet: ſed num ideò quiſpiam neſcius Dextri, caſſuſq; fide, ſapiẽter à Carpetanis præter traditionem antiquioris auctoritatis ignaris quæſiuiſſet, quo fato factum ſit, vt nemo veterum Scriptorum tantum Toletani regni bonum commemorarit, vt ea interrogatione non tam indagaret, quàm elidere tentaret veritatem? Quin etiam vno ante plus minus ſeculo reperta eſt in Eccleſia Metinę Campenſis [h] Epiſtola Iudæorum Hieroſolymitanorum ad Zamorenſes, qua petentibus indulgent copiam interpretandi Pentateuchi, nõ tamen ſine acriori quadam exprobratione, quaſi ea gratia minimè dignis, quod decreto illi de morte (vt ipſi aiunt) præuaricatoris haud ſubſcripſiſſent: eius rei certitudo, tum religione potius famæ vigebat, quàm auctorum ſcriptis, neq; tamen prudenter feciſſet, qui animo proſcindẽdi traditionẽ, cur eius veritatis nemo vetuſtus ſcriptor meminiſſet, poſtulaſſet.

[g] Dexter ad an. 37. Binar. ibidem.

[h] Ioan. Salazar. in Ap. de aduentu Iacobi c. 10.

Verùm vt ad inſtitutum redeamus. Si ſepulto iniuria temporum Lucio Dextro, poſt multa ſecula Conſtantinus Laſcaris ſit, qui ceteris diligentior an felicior, ſcriptis iterum famam Epiſtolæ Virginalis intulerit: non ſanè à memoria hominum, ſed tãtùm à libris Hiſtoricorum exulantem velut poſtliminiò reuocauit; vt icciò non ipſe primus eiuſce opinionis faber & parens, ſed celebrioris duntaxat cultus auctor pro tempore dici queat, idq; potiùs quàm apud Ciues apud exteras nationes, quibus eam memoriam latiori ſinu commendatam voluit; quamquam fortaſſe non ſine queſtu laudis Vrbi illi, quam reliquis vellet excellere. Potuit verò id præſtare Vir doctus, & in abdita reconditaq; eruditione, plus ceteris ea tempeſtate verſatus, qui ſanè nec fingere voluiſſe credendus eſt religionis cauſa, nec ſi magnopere voluiſſet, in re tam manifeſta Meſſanenſes circumueniſſet, vel certè ſi mentiri animus fuiſſet, Græcus homo, vt vult Anonymus, ac ingenij verſatilis ita numeros omnes mendacij concinnaſſet, vt omnem aduerſarijs dubitandi, nedum facilè calumniandi occaſionem auerteret, quò proindè vel ſtylus ſimplex & rudis cum ea argumenti, ac totius Epiſtolæ diſpoſitione, longè aliud præ ſe ferant, quàm hominis eruditi, ac comminiſci volentiſ induſtriam. Sed vt dicebam Conſtantinus Laſcaris eam famam ſuo ſeculo fortaſſe tãtùm apud Meſſanenſes concluſam, ad exteros etiam conatus eſt deriuare; vel ſaltem ab obliuione in recẽtem memoriam aſſerere. Id quod initio ſuæ præfationis clarius ipſe inſinuat, quàm vt noſtræ coniecturæ committatur, dum *non omittam* (inquit) *vnum quòd ab exteris penitus ignoratur, in laudem B. Mariæ Virginis & ipſius Ciuitatis, &c.* Potuit enimuerò id apud exteros maximè Septentrionales ignorari, quãdo penuria ſcriptorũ, abrupta per tot ſecula celebriori fama, memoria quoq; eius rei, vel penitus interciderat, vel certè confuſa cũ multis alijs rerũ monumentis deliteſcebat. Video quàm multa hoc loco adduci queant in vtramq; partem, quæ tamen alibi

lectiori copia recurſura, de medio excindentur. Interim de Conſtantino Laſcari illud aliquando à ſapientibus auditum, venit in mentem, illum huius Epiſtolæ famam, non tàm à Meſſanenſibus accepiſſe, aut illis ignaris intuliſſe, quàm longè ante Bizantij cognitam, ſed Meſſanæ traditione tantùm ac religione recognitam, Latinè euulgaſſe; non quaſi in Tabulario Meſſanenſi exemplar à Paulo Apoſtolo græcè redditum inuenerit, quod plerię; opinati, in varias deindè ſententias ſunt abducti, quando pridem ante, infelici illa tempeſtate, vaſtato penè cum Vrbe Tabulario, plurima quoq; temporum, locorum, hominum, rerumq; geſtarum & penè literarum monumenta, paucis ſeruatis interierunt; ſed quòd allatum è præſtantiſſima Bizantina Bibliotheca Græcum exemplar, Meſſanenſibus Latinè reddiderit, vtrumq; verò Ciuitati donatū, tantæ rei velut veſtigium quoddam reliquit, quo iam manifeſtè retecto, certius iretur in antiquam memoriam, in caput manantis per ſecula traditionis. Hinc factum vt ſeruato in ſecretioribus aduerſarijs Greco Laſcaris exemplari, errore vulgi, quod interdum imagines à veris vultibus haud diſcernit, fama deerraret, genuinam Virginis per ea etiam tempora conſeruari Epiſtolam, eademq; in nonnullorum ſcriptis procliui calamo obreperet. Niſi fortè iſti non de Conſtantini Laſcaris ſcripto magis, quàm de proprio Virginis exemplo, ſed à retractis longè ſeculis aſſeruato famam vrgeant, vel de hoc ipſo non amplius in genuinis, ſed in alienis apicibus viuente, ac ſpirante, veræ Epiſtolæ refricent memoriam. Atq; hanc ob cauſam Caniſius, tametſi annum Rhetoricæ docendæ cauſa Meſſanæ verſatus, qui fuit à Chriſto quinquageſimus nonus, ſupra milleſimum, ac quingenteſimum, ſatis argumenti à populi religione ſe nactum arbitratus eſt, quò ſexdecim poſtea plus minus annis, inſigni illo de Deipara Virgine opere in lucem miſſo, vbi de hac Epiſtola ad Meſſanenſes data, verba facit, ita inter alia diceret: *Vt audio reuerenter in ſcrinijs ſuis aſſeruat*, Reſpublica ſcilicet Meſſanenſis, Epiſtolam Virginalem; ſtabilita quippe ſemel eius rei veritate, ſiuè ab auctoritate, ſiuè à traditione, parum videbatur facere ad religionem ſcribentis, an genuinum Epiſtolæ exemplum, an potius imago eius in verſionem cuiuſquam recentiorem miſſa, aſſeruaretur. Niſi etiam fidem faciat opinione maiorem, Caniſium, antequam Meſſanam veniſſet, operi illi iam conſcripto, quamuis longè poſt edito ſententiam ſuam de Epiſtola Virginis intuliſſe, neq; tamen poſtea mutaſſe, aut quippiam explicatius addidiſſe, quòd non aliter præſens ipſe Meſſanæ, rem eſſe comperiſſet, quàm pridem fama duntaxat, niſi etiam literis Sociorum Meſſanæ degentium didiciſſet. Quæ quidem opinio non mediocre firmamentum ex eiuſdem Caniſij verbis ſibi videtur ſufficere, dum enim inquit, *Apud Siculos extat inſignis Reſpublica Meſſanenſis, quæ aitam Epiſtolam ab eadem Virgine Matre miſſam prædicat, atq; vt audio reuerenter in ſcrinijs ſuis aſſeruat*, ſatis apertè oſtendit, de loco ſibi nondum oculis comperto ſe loqui, facturus alioqui certiorem à præſentia famæ fidem, & oculatum ſe teſtem, non auritum laudatorem illaturus: quamquam poſtea cùm oculos etiam aurium teſtes habuiſſet, nihil inde ad maiorem auctoritatem conciliandā voluit aſſumere, ſiuè quod vt dixi ad ſcribētis religionē haud magnopere ſpectare iudicaſſet, ſiuè quod minimè exiſtimaſſet, aliquando quempiam fore, qui communem aliorum religionem, & firmatam piæ traditionis Sanctitatem, in iudicium quaſi de falſitate auderet prouocare.

Iam quod non minori contentione vertitur in dubium ſimul, ac admirationem: *credi ne poſſit duabus Pauli concionibus Ciuitatem vniuerſam ad Chriſtum traductam, nemine contradicente effecta, cui toto Orbe contradicebatur?* multa ſanè inuoluit, ſapientum pectoribus indigna, & hoc loco ſiletio premenda potius, quàm acri & vibrāti oratione perſtringenda, ne Anonymus tantum ſuo nomini dedecus obtuliſſe ceſeatur, quaſi

Eccle-

Eccleſiaſticas hiſtorias ne à limine quidem ſalutarit. An verò non iam fabuloſa Scyllæ, Charybdiſq; portenta Meſſanenſium oris, ſed Cerberus ipſe quoq; ceruicibus inſediſſe tunc putandus eſt, vt Spiritu cœleſti in cordibus multorum efficaciter nauante, non in momento emolliri & ad credendum Salutari Dei potuerint inflecti, in gyro ſapientiæ cæleſtis inſtitui. Nec ſanè id tam inſolito miraculo perfici debuit pro re nata, quo vel Lucæ copia ſcribendi pararetur, vel alijs ſingulare argumentum hiſtoriæ texendæ relinqueretur, quando nec vſpiam innumeræ gentium conuerſiones; Apoſtolicis ſudatæ laboribus in hiſtorias miſſæ, ad poſteros peruenerũt, nec Lucas omnia Pauli geſta, ſcribendo ſuarum partium eſſe duxit, multaq; præſertim à ſe non viſa de induſtria præterijt. Profectò enim ſi ardentis columnæ miraculum Rheg gyj patratum, cui pręſens non eſſe vix potuit, minimè recenſuit, mirùm eſſe nõ debet ſi Meſſanenſium quoq; conuerſionem, cùm fortaſsè Rhegyj relictus, Paulum minimè comitarit, intermiſit; quando præſertim animorum quamuis diuinitus facta repentè mutatio, non adeò videatur hominibus inſolens, quàm marmoris ſenſui ſubditi, cõtra naturam ignea flammatio: ſicut neq; Publij Melitæ Principis ſecuta Paulo ſtimulante conuerſio, tam perculit, permouitq; mentes Inſulanorum, quàm viperæ de manu Pauli abſq; vulnere pendentis in ignem excuſſio.

Illud etiam perridiculè quæritur ab Anonymo, quo pacto tam breui temporis ſpatio, tam nulla præter morem concertatione, tot millia hominum ſpontè manus dederint Euangelio: quaſi neceſſe fuerit, aut longa diſſertatione cõuincere, à quibus ob diuulgatam prædicationis famam, iam Euangelio cælitus præparatis, ſtudio fuit acerſitus; aut omnium animis ſingillatim tractatis, ac verſatis religionem indere, & ſingulorum corpora baptiſmo tingere, & non ſatis fuerit, paucis initio ad Chriſtum adductis, alijs deinde, quod ſoliti ſunt Apoſtoli, curam commendare, à quibus ad reliquos inſtitutum fidei dimanaret. Non eſt operę pretium hæc pluribus expedire. Norunt enimuerò, qui vel tenui Minerua Sacras Hiſtorias tractarũt, quibus vbiq; initijs religio Chriſti gradum fecerit, antequam ad ſumma perueniret; quamquam interdum per Vrbes, populos, regna, ac nationes, ſubitaneis quoq; cumulata fuerit incrementis, quod videri poſſit in duorum regum Stephani Hungariæ, ac Lucij Britanniæ, vt innumeros mittam, conuerſione eueniſſe. Quin ipſe ego aliquando vidi vnius Catholici Sacerdotis concione, intra paucas horas, ſeptem millia hæreticorum obſtinatiſſima capita, in mancipium ſanctioris fidei veniſſe, quidni Paulus duabus concionibus aliquos ſaltem ex primarijs Ciuibus, iam Chriſti opinione captos, eamq; ob cauſam ipſum accerſentes ad lucem, ac frugem, reduxerit? neq; enim cum barbaris aut Iudæis, quos vel ignorantia legum ab humanitate ſeiunxerat, vel irrogatæ pridem obſtinationis pæna tenebat, res erat Paulo, ſed cum gentibus Romanorum Societate deuinctis, à legibus probè inſtructis, ac ſuopte quodammodo ingenio ad honeſtiora quæq; ſtudia capeſſenda præparatis. Verùm in his non amplius redundandum.

Non paulò inanior eſt illa quæſtio vel potius admiratio, cur nemo Hiſtoricorum, rem ſcilicet multas apud gentes diffuſam literis mãdarit, cur Legationem adeò Nobilem ad Dei Matrem homines tacuerint, quam vel lapides prædicare debebant. Id enimuerò quæri poſſet de multis alijs præclarè in Eccleſia geſtis, quæ vel in acta publica Principibus Vrbium adhuc à fide auerſis, commodè referri non potuerunt, vel ſi aliquando ab exceptoribus excepta, & in proconſularia relata ſunt, mox iterum ſæuiente odio Chriſtiani nominis, ſuperſtitione vaſtatis omnibus, ea quoq; tanquam impij cultus venena direptioni, flammiſq; tradebantur. Quanta creduntur patrata in Oriente, atq; adeò in ipſa Palęſtina, cum ipſis Eccleſiæ naſcentis incunabulis, quæ tamen apud nos hodie deſiderantur, & paucorum duntaxat notitia, traditione po-

tius & religione maiorum, quàm poſterorum ſcriptis commendantur. Magis profectò referebat Chriſti Saluatoris noſtri geſta, literis conſignare, quàm eius à Virgine miſſæ Epiſtolæ famam hiſtorijs diuulgare: at enim [i] ſi illius facta non omnia, & multò minus dicta, Euangeliſtæ ſunt proſecuti, vix culpandi videntur eius præcipuè tempeſtatis Scriptores ſi inter alia miſſa, huius quoq; Epiſtolæ & Legationis Meſſanẽſium famam compreſſerunt. Ceterùm ſicut penuria Hiſtoricorum laborante Hiſpania, vel potiùs diſtractis ad belli curas ingenijs, iacturam fecere Iacobi, aliorumq; Apoſtolorum geſta; idem contingere potuit rebus Meſſanenſium, Sicilia præſertim toties bellis vexata, tot Regum ac Tyrannorum iugo exercitata, impio barbarorum dominatu, oppreſſa præſertim cum tota Inſula, Ciuitate Mamertina. Quamquam ego Meſſanenſes, ſicut alias, non penitus immerentes dixero, qui vel paucis ab hinc annis collata Patronæ Virginis, non ſine ſingulari miraculo beneficia, in publicas tabulas referre neglexerunt, contenti duntaxat anniuerſaria celebritate eius facti recolere memoriam, vt dum hæc ſcriberem non parum adlaborandum mihi eſſet, quò certum rei geſtæ annum, menſem, ac diem explorarem, nec niſi tandem magno ſtudio conquiſitam narrationem, in domeſticis quorundam aduerſarijs inuenirem, quaſi minus hæc referret in acta Ciuitatis, quàm priuilegia Principum inſerere.

Baron. ad an. 34.

Quo loco ſi mei muneris eſſet, cautos iuberem eſſe Principes magnæ potentiæ, ne in poſtremis ducerent dignos habere rerum à ſe geſtarum ſcriptores, ſi non ſibi ſed patriæ, ſed poſteritati, ac communi mortalium vtilitati, cum eximia nominis ſui gloria ſtudere velint: quandoquidem, nihil ad virtutem omniaq; præclara vertenda procliuius, quàm ſi exempla deſint domi, quibus animi ad ardua facinorum excitentur, nec niſi aliorum facta mirentur ciues, qui ſuæ ſegnitiæ iuſtam non habent excuſationem, eamq; ob cauſam cum indecoro vultus rubore, vulnus in corde gerant fortunæ exprobrantis. Sed etiam illud conſequens ex hoc principio malum, vt peregrini ſcriptores, arrepta auidè ſcribendi materia, parum decorè alienæ gloriæ interueniãt, quando ſtudia partium ſecuti, pleraq; ad aliorum laudes trahant, ipſos verò quorum virtute res præclaræ geſtæ ſunt, à longè circumeant, vel ſi aliter facere nequeunt, parcè tantùm commendent, ac vbi fortuna interdum minus arriſit, virtutem in crimen vocent, omnia maiora quàm ſint, efficiant. Id quod nuperrimè ſapientes quidam Viri non ſine ſtomacho narrarũt, de recentiore quodam ſcriptore, qui in ſuſcepta rerum ſeculi currentis, ſatis ieiuna, ne dicam emaciata ob artis penuriam narratione, quò ſuæ ſolum gentis merita, laudemq; nũdinetur, omnium ferè Principum ſed præſertim Catholicorum gloriam obterit, itaq; omne decus auitum, longis retrò ſeculis magna virtute comparatum in ventos ſpargit, quaſi ludibria ſint famæ, non virtutis inſignia, idq; adeò ſine fronte ac mendaciter, quaſi ad hoc vnum à natura ſit factus, vt nihil de ſuæ gentis rebus niſi per vaniloquentiam, nihil de alienis niſi mentiendo dicere poſſit. Etquis enim neſciat, quàm profuſa nominis gloria cluat in Orbe hodie Ferdinandus Cæſar, pius, fortis, glorioſus, magnitudine rerum pro religione geſtarum nulli maiorum ſecundus, in quo & fortuna, quam antiquitas cæcam finxit, mille oculata luminibus, & virtus antiquis diuini brachij miraculis eſt obuallata, qui in difficillimis rei Chriſtianæ temporibus, conſpirantibus vndiq; in excidium Imperij & Euangelij, hæreſum & hæreticorum capitibus, præcipitantem Imperij dignitatem ſuſtinuit, nutantem religionis firmitatem roborauit, inuaſorem regni ſui Tyrannum è ſolio non deturbauit modo, verùm etiam è ſede propria eiecit, fugauit; vt qui alienum iniquè affectando occupaſſet, ſuo quoq; regno iuſtè pelleretur, & incertis ſedibus profugus deerraret; neq; ſolùm, ſed potentiſſimos hoſtium exercitus, non ſemel atq; iterum, ſed ſæpius ſine ſuorum ſanguine fudit; Regna, Pro-

uincias,

Digitized by Google

uincias, Vrbes, ac nationes in poteſtatem redegit; Templa, iura, cenſus, antiquæ religioni reſtituit; hæreſibus vbiq; ad angulos compulſis, & vix extremum ſpirantibus, Euangelio patentiſſimam per omnem Germaniam viam aperuit, muniuit, priſtinam libertatem recuperauit; deniq; ſublata non ſemel cæſis hoſtibus ſuperba hæreſum inſignia, ceù Victoriarum teſtes, in arcem Religionis Romanam miſit, ad pedes Vicarij Chriſti depoſuit, & inde in Orbis capite victricia Catholicæ Fidei ſigna extulit, vt quàm nihil vnquam præualeant inferorum portæ aduerſus Chriſti Eccleſiam, toti Orbi teſtaretur. Et tamen hæc omnia Scriptor iſte circumforaneus potiùs, quàm hiſtoricus, non ſolùm grauatè, nec maiora, quæ facta ſunt, narrat, verùm etiam quæſitiſſima occaſione minora quędam ſeligit, eaq; quà poteſt extenuat, & quaſi fortuitò, non virtute ac prudenter facta, traducit; Ducum fortiſſimorum, quorum auſpicijs tanta confecit Ferdinandus, fortitudinem ac præſtantiam, tacitis quamquam nominibus ſugillat ac obterit; cùm è diuerſo res Hęreticorum vſq; ad adulationem, & ſordes inanium laudum efferat, belli originem ſimulata conſcientia fingat ac probet, à religionis cauſa quàm longiſſimè poteſt auocet, quò iam tot exercituum interneccionem, tot Vrbiũ ac prouinciarum amiſſionem, non vltioni diuinæ, aut virtutis in hoſte profligatæ, ſed fortunæ duntaxat aleæ, quæ ſæpe res humanas vertit, quoad melioribus ipſa ſyderibus affulgeat, adſcribat. Cuius tamen friuolas cum mendacijs ineptias, pluribus, & fortioribus eleuabunt viri eruditi, quorum muneris & animi erit res cum præſenti ſeculo coniunctas, in monumenta mittere & è recte factis maiorum, cùm ipſorum gloriæ iuſtè, tum poſteritatis ſtudijs, exemplo veraci ac ſyncera fide conſulere. Nos hoc loco, ne pluribus quantumuis non abs re excedamus, ad intermiſſa redeamus.

Nulla ſanè iis temporibus tanta potuit eſſe diligentia Scriptorum, quæ non varijs ſubiecta caſibus eſſet, adeòq; ſaluis duntaxat ijs traditionibus, quę Dei prouidentia, bono totius Eccleſiæ conſeruata eſſe oportuit, plurima rerum geſtarum monimenta exciderunt, vel certè longo poſt interuallo reperta, nón pauca mutila & mãca emerſerunt. Porrò in omni temporum iniuria, nihil adeò fuit Hiſtorijs inimicum, quàm immaniſſimæ Tyrannnorum cautiones, quibus nedum actis Chriſtianorum ad abolendam memoriam, ſed ipſis etiam corporibus ad tollendum penitus Chriſtùm, exitium inferre ſunt conati. Quem enim lapidem non mouerunt, antiquiſſimæ illæ Romanorum Pontificum primitiæ, quò Chriſtianorum facta fortia, ac præcipuè res Martyrum præclariſſimè geſtæ, perpetuæ memorię Scriptorum monimentis traderentur, quę tamen omnia ſęuiſſimis illis Diocletiani edictis, quibus omnes Chriſtianę religionis codices igne cremari ſunt iuſſi, ingens detrimentum fecere. Pluribus id perſequitur [x] Baronius, & inter alia meminit eius feralis ſanctionis Euſebius [l] his verbis. *Diuinas & Sanctas Scripturas medio foro in rogum impoſitas, oculis noſtris aſpeximus.* Nec dubitat Baronius in illo incendio factam eſſe lacrymabilem illam actorum Martyrum iacturam, ſublataq; illa nobiliſſima rerum geſtarum monumenta, tanto labore collecta, tot cognitionibus comprobata, ac tanto deniq; ſtudio cuſtodita, vixq; ex eo velut naufragio perpaucas tabulas remanſiſſe, & quidem verè tabulas, quando acta illa Martyrum, quę titulo Notariorum Romanę Eccleſię circumferuntur, minimè numeris omnibus ſint abſoluta, adeoq; perpauca reperiantur, quę aliqua ſaltem ex parte non arguantur erroris, vt perinde ſit aliqua fortaſſe extare, quæ emendatione non egeant, ac poſt vindemiam vnum eſſe racemum, ac alterum, quẽ manus decerptoris fortuitò præterijt.

x *Init. Martyr. c. 8.*

l *Hiſt. l. 8. c. 2. & 3*

Quę omnia quàm appoſita ſint ad rem noſtram, nemo non videt; Vt enim mittam haud facilè reuinci poſſe eum, qui dicat illo Romano rogo, potuiſſe etiam huius Epiſtolę arſiſſe hiſtoriam, ſi non in Romano foro, ſed quis id etiam neget obſtinatius? profectò

profectò in ipſa Vrbe Meſſanenſi, quò eadem conflagratio, vuiuerſali, vt cum Baronio loquar, incendio peruaſerat: nemo mirari debet, ſi poſt non minorem ſtragem Meſſanenſium libris illatam, multa poſt ſecula vel ex cineribus erutę reliquiæ, ab exacta ratione tēporum euarient, plurimiſq; propagata exemplaribus varios etiam ſecum errores traxerint, diſſiparint. Non puto autem opere pretium hoc loco retexere, quæ nam illa fuerit Meſſanenſium librorum calamitas, quando in tanta rerum ac Regum à Chriſti inſtitutis diuerſorum viciſſitudine, nihil eſſe potuit tam proximum, quàm vt vaſtatis ac pollutis omnibus, nihil pēſi, nihil ſancti in libris haberetur. Illud certæ memorię traditum, aliquando tria codicum millia [m] in Cęnobio S. Saluatoris numerata, eaq; ferè omnia manuſcripta, ex omni Gręcia, Rogerij Comitis labore, ſumptu, atq; induſtria fuiſſe collecta, eorum tamen omnium, vix ac nè vix quidem in ducentis voluminibus tenue veſtigium extare. Ita ſanè magno Reipublicę malo tot præſtantiſſimorum luminum Gręcię, atq; adeò totius Orientis monimenta perierunt, non tàm à tineis & blattis exeſa, quàm hinc inde diſtracta, & incuria vſurpantium, ne dicam iniuria, imò fraude exciſa. Quidni verò in tot etiam, ac tantis Regni reuolutionibus, quę tandem in Vrbe Capite vertebantur, interuerti, ac penitus interire potuit, non modò exilis Epiſtolæ tabella, ſed inter plurima Ciuitatis acta, is etiam libellus, qui ſeriem Legationis inſtitutæ, nomina Legatorum, mandata Ciuium continebat. Nam ſi quis hoc loco intempeſtiuè inquirat, qua fortuna, an induſtria factum, vt priuilegia Meſſanenſium tot prærogatiuis iactata, diſcrimen euaſerint, ſarta tecta flammis armiſq; præſtiterint, imò reſtiterint: vnico verbo facillimè occuritur, Sacram Virginis Epiſtolam vno in loco aſſeruatam, eoq; velut ſummæ religionis Sacrario, deſtinatis malorum fulminibus impetito, perire potuiſſe; priuilegia verò Ciuitatis pluribus in locis cùm publicè, tum priuatim in domeſticis multorum aduerſarijs extantia, quin etiam eadem ipſa Principum ſigna, quæ priuilegijs vim darent, non in Tēplo, ſed domi inter profanas rationes cuſtodita, periculo fuiſſe exempta & vindicata, quod Tyrannorum ac barbarorum furor, non tàm ſæuire in domos Ciuium, quos ſeruitute premere ſatis habebat, quàm in Templa Sacrorumq; penates ſolitæ eſſet, quò deuotum ſuperſtitionibus animum expiare crederetur. Similem enimuerò cauſam reddit Baronius, [n] cur in conflagratione illa Diocletiani iuſſu in libros Chriſtianorum immiſſa, volumina Sacræ Scripturæ vaſtitati ſuperfuerunt, ceteris penè omnibus quantumuis Eccleſiaſticis, ac perneceſſarijs libris, vnà cum peculiaribus Martyrum actis, in cineres conſidentibus, quòd nimirum illa, non penes vnam aut alteram, ſed penes cunctas Orbis Eccleſias, ſiue ob publicam ſacrarum functionum, ſiue ob priuatam miniſtrorum neceſſitatem cuſtodiri ſolita, & vno verbo cùm plurima eſſent, vnius aut alterius, vel etiam plurium locorum funeribus mergi non poſſent omnia, facile quod dicitur extra vndam & fumum pericula deuitarent: iſta verò cum perpauca eſſent, imò verò interdum penes ſingulares Eccleſias, quarum præcipuè intereſſet ea habere, illis compilatis, ac verſis, neceſſe quoq; fuit interire. Quid ergo dicendum de Sacra Virginis Epiſtola, quæ cum vnica fuerit, eoq; loco publicè aſſeruata, vnde religioni ac venerationi omnium pateret, dubio procul barbaricæ direptioni occulta eſſe non potuit, quin eò magis obnoxia periculo, quòd quemadmodum altos feriunt fulmina montes, ita barbarorum furor in præcipuos ſæuit theſauros, & vbi pro Idolis arma gerit, in res Chriſtianis maximè ſacras pergraſſatur.

Atq; ex hactenus dictis facili coniectura liquet, cur de illo ordine Legationis ad Virginem inſtitutæ, de nominibus Legatorum, aliiſq; cum re tunc nata coniunctis, vel nihil omninò tranſmiſſum ſit ad poſteros, quamquam firmior eſſet ea veritas, quā vt à nominibus Legatorum velut à ſignis quibuſdam penderet; vel quod mihi in Chro-

[m] Poſſeu. in appar.

[n] Init. Mart. c. 3.

Digitized by Google

Chronicon Lucij Dextri penitiùs introſpicienti certum eſt, diffuſam quidem apud multos per aliquot ſecula famam, iniuria temporum fuiſſe impeditam, quo minus per annales Scriptorum latiùs apud gentes dimanaret, ipſa etiam veritate Epiſtolæ, traditione duntaxat interdum nixa apud Ciues Meſſanenſes. Quamquam ſi rem ad vnguem expendamus, nec ita ſolemnem eſſe oportebat eam Legationem quę repentina fama, vel finitimos ad ſpectãdum exciret, vel deinceps aliorum Hiſtoricorum ingenia pluribus fatigaret, illis præſertim initijs, quibus nondum preſſa ſuperſtitione, vix libera ſpirabat aura Chriſtiana religio, ſed paulatim carpebat incrementa. Quòd ſi fortaſſe tam ingens eius Epiſtolæ theſaurus, non tam ſit penitus interuerſus, quàm metu periculi, maiorum prouidentia ſecretiori quodam abditus loco, ſed qui poſteris ſimili rerum viciſſitudine, ac diſcrimine conflictatis, vt aſſolet, innoteſcere non potuit; illuceſcet aliquando dies illa, quæ tempeſtate magis opportuna, tam neceſſarium pietati bonum repoſcet, facietq; rurſum è tenebris lucem ſplendeſcere, quę cùm in primis in inuenta ea Epiſtola Meſſanenſium vota ſecundabit, tum maximè noſtros hoſce labores illuminabit, & quæ hactenus in dubium, aut quæſtionem verti potuerunt, demonſtrabit. Neq; enim illa duntaxat emerget in auras, ſed opinor ſepultam quoq; ſecum totius rei geſtæ hiſtoriam euocabit. Sic enimuero quòd alibi dixi, Hiſpanis Carpetanis poſt Chronicon dextri recens inuentum, ſua propemodum luce & voce claruit Epiſtola à Iudæis Hieroſolymitanis miſſa, de qua ad ea vſq; tempora traditio tantum loquebatur, quamquam olim in publicis Toletanæ Vrbis Tabularijs, Alphonſi iuſſu repoſitam multi non neſcirent. Sic prætérea [o] nomina Legatorum, quos Hiſpani ad Apoſtolos miſerunt, Iacobi Apoſtolatum [p] deprecantes, Euphraſij videlicet ac Indalecij, poſt repurgatas primùm Toletani Tabularij rationes; inclareſcere cæperunt, ſed Dextro rurſum noua quadam luce & aura aſpirante, latius etiam coruſcarunt. Sic deniq; ſuperiori ſeculo, inuenti in Granatenſi Monaſterio non pauci libri, in laminis plumbeis exarati, plura ſecum & magis admiranda in lucem extulerunt, quàm quæ ad pauca reſpicientes vera eſſe credidiſſent, ac in primis de miraculis Chriſti & Virginis Matris, à conceptu Verbi vſq; ad receptum in cælum, ea prorſus expoſuerunt, quæ ſi Anonymus noſter traditione tantùm accepiſſet, vt eſt purgati iudicij, Scripturis tantùm fidem habens, ſtomacho penitus auerſo reſpuiſſet.

[o] Biuar. Ad ann. Dext. 35.
[p] Iulian Archip. ad an. 36.

Poſſem hoc loco multa congerere, eaq; Meſſanenſibus propria, vnde rerum ſuarum imaginem, ad ſpem haud dubiam inueniendę aliquando huius Epiſtolæ retrahere poſſent; ab inuentis non ita pridem Diuorum tutelarium Placidi, & ſociorum Martyrum ſacris corporibus; à retecta item ante triennium in Eccleſia parochiali Diui Leonardi Deiparæ Virginis icone, quæ à multis retro ſeculis, obiecto muro craſſiori, Lateri Eccleſiæ coęquato, latuit penitus obducta, fortaſſe, quæ multorum coniectura eſt, ne infidelium, qui tunc Meſſanæ rerum potiebantur ludibrio pateret, eò præſertim loci à frequentia populi remoti, vbi idem paries, & latus Eccleſiæ, & Vrbis murus erat cuſtodiæ militum contiguus; illa tamen anno currentis ſeculi vigeſimo quinto, dum fortè ſuggeſtui aptando paries altius effoderetur, inopinato ſui patuit obiectu, mirantibus qui operis inſtabant, nec tam citò fama per Vrbem ferri cæpit, quàm crebra miraculorum coruſcatione religionem conciliare, idq; cum maximè opportuno tempore, quando nimirum timebatur, ne quæ peſtilentia reliquum penè Inſulæ corpus fœdè occuparat, ipſum quoq; Caput quàm proximè foret inuaſura. Diuinitus tamen effectum vt longiuſculè extra fines deerrans, Vrbem Deiparæ Virginis protectione ſacram, cum ſuo diſtrictu contingere minimè auderet, quaſi in inuenta illa Icone, & ſignum repromiſſæ olim per Epiſtolam protectionis extitiſſet, & ſimul ad-

uerſus

uerſus vim mali debellandam vexillum gratiarum fuiſſet elatum. Sed enim ſi iſta etiam deſint exempla, vel ab ipſa Epiſtola ſubimpetrare licebit argumentum, quæ interdum Reipublicæ periculis interuerſa, cærimoniam quoq; templorum viſa eſt ſuſtuliſſe, ſolis memoriæ veſtigijs hærens apud pleroſq; donec iterum emendata ſorte fortuitò inuenta, difficilioribus temporibus intercederet. Certè cùm Lucius Dexter disertè primùm aſſerat, celebrem fuiſſe Epiſtolæ à B. Virgine miſſæ apud Meſſanenſes memoriam, circa annum videlicèt à Chriſto ſextum ſupra octuageſimum, deinde verò circa annum quadringenteſimum cum trigeſimo, repertam fuiſſe eandem in Tabulario Meſſanenſi, hebraicè exaratam; luculenter quoq; oſtendit aliquando inter id ſeculorum ſpatium latuiſſe tam ingens bonum, non tam votis & religioni, quàm oculis Meſſanenſium, quos maiorum induſtria non ſecura temporum celauerat, quod equidem opinor accidiſſe, vel cùm exoſum Domitiano Chriſti nomen, [a] furorem in omnes è Dauidis ſtirpe proſeminatos, quo è medio tollerentur inflammaſſet, vel cùm poſtea Diocletianus decreta libris, ac ſcriptis Chriſtianorum voraciori flamma, mortuorum quoq; memoriæ perniciem ſtatuiſſet, quo vtroq; tempore, vix alia poterat eſſe conuenientior exſatiandæ Tyrannidi materia, quàm ſi in perdita Sacra Deiparæ Epiſtola, quam plurima non ſolùm ad Chriſti Virginiſq; proſapiam ſpectantia, verùm etiam vniuerſæ propemodum religionis rata perirent monimenta. At enim difficillimo Eccleſiæ tempore, cùm Neſtorij ſuperbia, & Cęleſtini Papę minis, & Cyrilli adhortatione, & eruditione facta fuiſſet efferatior, in cuius partes etiam Theodoſius Auguſtus circumuentus, venire videbatur, tunc ſicut vndiq; libri & Viri docti conquirebantur, ad reſcindenda pertinacis hominis contra Dei Matrem, natiq; diuinitatem nefaria dogmata, ita velut deſtinato è tenebris emerſit in lucem Epiſtola diu votis expetita, quaſi aduerſus impietatem, contentam diu vocem miſſura, in eo præſertim Patrum Concilio, quod proximè conſequenti anno Epheſi indictum, ceù ſacratiori Orbis theatro, tantæ impietatis auctorem configendum ſuſcepiſſet. In quo genere & illud admirationem habet, ac planè vt inquit Baronius, [b] *miraculo factum eſſe videtur, vt concremata anno ſequenti Hipponenſi Ciuitate à furentibus Vuandalis, ijſdemq; Arianis, ipſa Hipponenſis bibliotheca illæſa permanſerit, Angelica quidem ſi non humana vallata cuſtodia, qui enim conſideret ferociſſimos barbaros, longa præpeditos obſidione, redditos ſæuiores, reputetq; ſecum, eoſdem pariter perfidos fuiſſe Arianos, ſciſſetq; etiam ex recentioribus aduerſus Arianos ipſos diſputationibus, nempè contra Maximum atq; Paſcentium Comitem publicè habitis, Auguſtinum acerrimum ſibi hoſtem: quis inquam iſta conſiderans non miraculo ducat, vt Vuandali pepercerint Auguſtini ſcriptis.* Hæc Baronius. nempè id diuinitus factum, vt extra humana iam poſito Auguſtino, quippè qui ad Synodum Epheſinam literis à Theodoſio miſſis accerſitus, antequam illæ perueniſſent, in cælitum Concilium eſt euocatus, extarent doctrinæ argumenta, quæ contra impietatem Neſtorij eiuſq; ſequacium, vice, ac propemodum voce Auguſtini depugnarent; Ita planè diuina ſapientia viciſſitudines rerum moderante euenit, vt adulta occaſione, reperta Deiparæ Virginis Epiſtola, velut cælo delapſum exiſteret argumentum, quod vel hæreticam cæcitatem luci ſubmitteret, vel tenebris ſuis magis implicatam perpetuò condemnaret.

Nolim equidem diuinare, ſed ſi à ſignis prudenter coniectare licet, neq; facilè inficiabor, huius auctoritate Epiſtolæ, preſſum inter alios Neſtorij fautores Theodoretum Cyri Epiſcopum, iiſdem penè Verbis ex initio mutuatis, ſed occulta vafricie, Catholicam ſimulaſſe tantùm ſententiam, ceterà ſophiſticis captionibus impietatem intendiſſe, cùm ad Irenæum hæc ſcriberet. [c] *Quid enim intereſt hominis ſimul & Dei genitricem appellare Beatam Virginem, vel dicere ipſam geniti Matrem & ancillam;*

[a] In Euſeb. ex Hegeſipp. l.3.c.15

[b] Tom. 5. ad an. 430

[c] Epiſt. 16

lam; & inferre, quòd Mater quidem eſt, vt hominis Domini Noſtri I E S V C H R I S T I; *Ancilla verò vt Dei* (ſubintellige quemadmodum ipſa initio Epiſtolæ ſuæ ad Meſſanenſes Matrem ſe appellat I E S V C H R I S T I Crucifixi, ſed humillimam ancillam Dei) *& quod quidem ſycophantiæ, & captionis vel erroris cauſam præbet, tacere, eundem autem dicere ſenſum, aliam vſurpando nuncupationem?* Hæc quidem Theodoretus, verùm vt dicebam technis veritatem circumſcribens, nè quo pacto ſinè tectorio, Beatam Virginem Matris Dei nomine cohoneſtaret, nec deprauatam mentem in ipſa Epiſtolæ penetralia intendens, ne ſi legiſſet. F I L I V M N O S T R V M, D E I G E N I T V M, D E V M E T H O M I N E M F A T E M I N I, ipſa ſe ſuis fallacijs, aut magis implicuiſſet, aut cum ruborepenitus impietas exuiſſet.

Atque in hactenus dicta ſi nemo offendat, ex vna coniectura continuò veſtigium retegitur in alteram, vt cogitare liceat illo Epheſini Concilij tempore, cùm omnes etiam Occidentales Epiſcopi vel in perſona, vel certè per ſuos Legatos, quemadmodum Acta referunt, Sacerdotali illi conſeſſui intereſſent, præſertim nomine Occidentalium omnium, exceptis trans Mare Africanis, ſi vnum admittas Baſſulam ab Antiſtite Carthaginenſi miſſum, quod Vuandalorum bellis impliciti eſſent, tres à Cæleſtino Romano Pontifice, Viri eo gradu non indigni, Arcadius, Proiectus, ac Philippus acceſſiſſent, illo inquam tempore, cùm iſtis neceſſarium, & hoſpitium, & iter Meſſana eſſet in Orientem, rato conſilio auectam fuiſſe, vel ipſam Beatæ Virginis Epiſtolam, vel certè exemplum inter cætera Codicum, vel Sacrorum Scriptorum (vt aſsolet) monumenta repoſitum, quò argumentum eſſet ad nouam impietatem elidendam non infirmum, ac tum apud Orientales, vel intercidiſſe multorum manu verſatum, vel certè in plura exemplaria propagatum, non vno hæſiſſe loco, tandemque Conſtantinopolim ad Theodoſium, eiuſdemque ſororem Pulcheriam Auguſtam, ferè vnicam illa tempeſtate in Oriente, fidei orthodoxæ columnam, quam ſingularis Dei prouidentia elegerat, vt per Reginam Virginem, Summa Virginis Matris Dei dignitas defenderetur; ad eam inquam dictum Epiſtolæ exemplum delatum, poſtea Conſtantinopolitanis quoque Sacrarijs, ac Bibliothecis foret ornamentum, vnde tandem Conſtantinus Laſcaris, accepta illic quoque à maioribus fama, ſi non inſpecta exempli veritate, Meſſanam veniens, vbi iam genuinum Beatæ Virginis ſcriptum iniuria temporum, vel auerterat, vel occultauerat, traditionem traditione confirmaret, Ciuium religionem exaugeret.

Sed enim ſi quo quo modo vel in perniciem conceſſit, vel ſecretis maiorum conſilijs, ab oculis mortalium intercidit tam ingens in Orbe theſaurus, aliquando rurſum in lucem eruendus; tum maximè id eueniſſe credendum, cùm vel decennio poſt vltimam [t] in Tabulario inuentionem, Vuandalis ſub Duce Genſerico Siciliam incurſantibus, omnia ſuſque deque ferebantur, vel cum, annis quindecim, à Cartagine capta Sicilia tota, [u] ab iiſdem deleta, cum ceteris Inſulis ſub tributo [x] cenſita fuit; vel deniquè cum trecentis poſt, ac ſexaginta octo annis, ante octo plus minus ſecula Amiras, ſeu Præfectus Africæ, ductu Euphemij transfugæ magnis Agarenorum copijs immiſſis [y] non ſolum Siciliam vniuerſam, ac Calabriam obtinuit, verum etiam pleraſque Italiæ partes fœdè occupauit, vagiſque paſſim populationibus vicos excidit, graues prædas traxit, omnia ſacra, & profana vel rerum euerſionibus in diſcrimen, vel hominum

t Baron. tom 7. ad an. 440.
u Ado Viennen. in Chron.
x Baron. tom. 7. ad an. 454
y Baron. tom. 9. ad an. 828. ex Ioã. Curop

Digitized by Google

minum oppreſſionibus in mortem adflixit. Quę tamen omnia, niſi rato iam periculo Virginis Epiſtola penitus interiuit, facere minimè poterunt, quin meliori rerum ac temporum paratu, lucem aliquando ſit aſpectura, nouiſq́ue Meſſanenſium, ne dicam totius Eccleſiæ, votis profutura.

Atque hæc ſatis prolixè dicta, non eò duntaxat referenda erunt, quaſi paucioribus elidi minimè potuiſſent inanes Anonymi quæſtiunculæ, verùm vt in maiori luce omnis hæc verſetur hiſtoria, ſi vel ea quæ ſapientiorum animis incidere queunt, ob oculos ponantur, vel quæ multarum, longiorumq́ue diſceptationum ſemina eſſe poſſunt, vnica narratione continenti præcidantur.

RESPONDETVR SEPTIMO ARGVMENTO *quod eſt Quintum Anonymi.*

CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM.

NON poſſum diſſimulare diligentiam Anonymi, qua nihil ſanè præteriuit, vnde vel minima ratione rei ſuæ commodaret. Iterum verò hoc loco relabitur ad modeſtiam Virginis, moreſq́ue ſanctiſſimos, qui huic Epiſtolæ plurimum, vt ipſe putat, aduerſantur, quò fit vt nos etiam non pauca repetere cogat ex ijs, quæ ad tam friuolum, & incautum argumentum diluendum, non paucis alibi adſtructa ſunt, id nempe facturos, quod ſolent pædagogi, vbi tardiores ad capeſſendum elementarios nanciſcuntur. Sed audiamus quibus lacertis pugnet. Feriæ Dux, Siciliæ Prorex, Vir ſapiens, & præſtanti iudicio, cùm de hac Epiſtola ſermonem haberet, ſpiritum Virginis haud ſapere pronunciauit, longè quippe ab eo diſtat ſpiritu, Virginem ſe prędicare, appellare ſe Matrem Dei, quę pridem ancillam Domini ſe dixerat, neque ſolùm, ſed Mater Dei vocata, ac laudata à cognata Eliſabetha, ad Deum, Deiq́ue laudes animum aduertit. Quorſum illa à Virgine vſurpata. *Ex Tribu Iuda, Stirpe Dauid*, quonam pertinet commemoratio Tribus ac generis, quo Regię Stirpis? inania hæc & regibus ſolita Dei Mater tranſmiſiſſet. Quid illa, *Filium noſtrum, Dei genitum, Deum & hominem fatemini*, & *Anno Filij noſtri*. Faceſſant hæc à modeſtia Sanctæ Matris. Obſeruatum à quibuſdam nihil commoueri ſe ad pietatem, cùm Epiſtolam hanc legerent. Quod manifeſtum indicium abhorrere à ſpiritu, & modeſtia Virginis. Hæc ferè ille & verbis plura eiuſmodi.

Actum nempè erat de cauſa niſi ad Proregem prouocaſſet, & Licæum cum palatio permiſcuiſſet. Sed enim oportebat eius dicti teſtes tabulas exigere, non contentum viuæ vocis oraculo, quis enim facile adducatur vt credat? quis ſibi non potius perſuadeat, non beneiſtũ, vix materna lingua correctè vtentem, verba Proregis Hiſpanè loquentis percepiſſe, minus meminiſſe, corrupiſſe, & id genus alia? Quæ quia contingere potuiſſe mihi compertum eſt, alijs verò, etiam reapſe contigiſſe, exploratum; non pluribus hoc leue genus argumenti cenſui verſandum; alioqui duos, vt de multis taceam, Siciliæ Proreges, Ioannem de Vega, & Ferdinandum Gonzagam, quos viros bone Deus? inter alia Mamertini inſtituti argumenta, hanc erga Virginè ob acceptam Epiſtolam religionem collaudaſſe, à Viris fide dignis non ſemel accepi, nec diuerſum pro pietate ſua quibuſdam narrantibus ſenſi, qui nuper rebus Siculis, Mariq́ue præfuit Philibertus Sabaudus, idemq́ue facturos crediderim ſucceſſores, ſi Mamertinam fælicitatem ament, ſi totius Regni Genium placatum

velint.

velint. Quid verò ſi à Proregibus prouocemus ad Reges, & Reginas, certè quod iam alibi diximus, Anna Philippi ſecundi coniunx tali marito digna, quemadmodum olim Euangelium Cæcilia Romana, ita hanc Epiſtolam in ſinu geſtabat ſuo, rectè dubio procul de illa ſentiens, alioqui longè à ſua religione rem ceù inanem ſepoſitura; nec dubium quin Rex ſapientiſſimus, ſimul ac pientiſſimus, voluntate coniugis probata, ſuam quoque pietatem illi accommodarit. Vin maiora? Summus ipſe Pontifex, an quæſo leuiſſimę rei animum aduertit, cùm anniuerſariam acceptæ Epiſtolæ memoriam, piacularibus indultis voluit eſſe ſacram, ac nobilitatam? abſit vt aliquis tam proiectè ſentiat, velitque Pontificem, longè ſecus opinantem ad inconſultam, atque improuidam connixiſſe ſententiam. Et verò ſi etiam ab ipſo Deo immortali ſuffragium repoſcat Anonymus, & cum generatione praua ſignum quærat, non vno ſanè miraculo vallatam huius Epiſtolæ ſanctitatem, non multò poſt accipiet ex eo libro, cui edendo recentioris cuiuſdam diligentia magno pietatis bono in horas operatur; à qua tamen ſanctitate ſi nihilominus auocet animum, aut ad concedendum flectere minimè queat Anonymus, non iam huius Epiſtolæ religionem, ſed ſuã affectam fidem in culpam vocet, quando diuinis argumentis humanas rationes, hominumque fortaſsè reſpectus, corrupto iudicio præire velit.

Ceterùm, qui neruus eſt intenti in præſentiarum argumenti; nihil alienum eſſe in ea Epiſtola à modeſtia Virginis, ſed omnia tam eximiæ ſanctitati paria, non eſt vt amplius oſtendamus, niſi repudiatam à grauiorum ſupercilio rationem iterum inducamus. Decuit enimuerò Deiparam pro re & tempore, ijs ſe nominibus non iam prædicare, ſed declarare, quibus in Sacra pagina nunc Virginis, nunc Matris IESV appellatione deſcribi conſueuit. Eſt ea nuncupatio plena conſilij, plena ſapientiæ, qua in dignitate velata, religioni conſulitur Meſſanenſium, vt qualem ex Pauli prædicatione accepiſſent, talem per omnia fide ac veritate conſona, ſcripto etiam Virginem didiciſſent. Nihil in ea conceditur laudi, ſed confeſſioni, nihil inani oſtentationi, ſed fidelium inſtructioni, nihil ſuperfluæ commemorationi, ſed Euangelij confirmationi, in quibus omnibus non magis eluceſcit veritas firma, quàm moderatio ſumma, verecundia maxima, humilitas abſtinentiſſima. Quid ſi eam ſe eſſe dixiſſet, quam Prophetę prædixerunt, figuræ myſticè adumbrarunt, oracula prænunciarunt, Angelus ſalutauit, Eliſabetha adorauit, Beatam dicturæ erant omnes generationes; profectò ne latum quidem vnguem à temperantia morum deflexiſſet, niſi meritis ſuis, non gratuitis Dei donis conſultum voluiſſet. Neque enim excellentiæ ſuæ laudes, ſed diuinæ præconia magnitudinis, explicaſſet, dum in encomijs magnificentiæ Domini, Virgineus ſpiritus in Deo ſalutari ſuo exultaſſet: alioqui arrogantes nimium ſint Petrus, & Paulus, qui ceteris nomen Apoſtolicum ſilentibus, tametſi æquali miniſterij ſorte vocatis, ipſi duntaxat pleno maieſtatis vocabulo, Apoſtolos ſe ſe prædicarunt. Et quidem Paulus inſolentior fortaſſe videri poſſit, qui cùm ſecundùm imperium Dei, ſe id nominis vſurpare prægeſtit, non ſemel poteſtatem ſibi cælitus traditam, diſſimulato principatu Petri oſtentauit, atque adeò quod mireris, in tot Epiſtolis ſemel duntaxat nuncupatione ſerui ſe ſe dignatus eſt. Quis verò faſtum Ioannis ferre queat, qui ferè ſolus, arrepto Senioris nomine, non præfecturam modo Apoſtolicam, & Epiſcopalem, verùm etiam in Clero, ne dicam in regno dominantis ambit principatum? [z] quid enim latinis olim, ſicut hodie, Gallis, Italis, Hiſpanis vocabulum Senioris exprimebat, niſi nomen iura dantis, non iuſſa capientis, regis, & imperantis, non ſubditi, & obaudientis, & vt verbo dicam, Principis, & Domini, non ſerui, & humilia conſectantis?

z Ioan Lor in 2. ep. Ioan. c. 1. n. 1.

Sed enim ſi Petrus Apoſtoli nomen ex officio aſſumit, continuò etiam ſeruum Ie-

ſu Chriſti ſe eſſe meminit: Paulus verò ſi vnica tantum vice vocabulo Serui ſe compellat, re ipſa tamen humiliorem ſeruitute Chriſti conditionem affectat, dum id quod eſt, gratia Dei ſe eſſe profitetur, miſericordiam conſecutus, vt eſſet Apoſtolus, minimus Apoſtolorum, omnium peripſema factus, & qui pro fratribus ſuis anathema eſſe à Chriſto peroptaret. Deniq́ue Ioannes in ea Senioris appellatione, non auguſtioris titulum dignitatis ambit, ſed altiori vocabulo Apoſtolum ſe ſcribere defugit, cui vt inquit Ambroſius, [a] *Cygnea quadam ſuppeteret gratia ſenectutis*, eò quòd iuxta mentem [b] Lorini poſt omnes ſuperſtes Apoſtolos, ad extremas ætatis metas perueniſſet. Niſi fortaſſe ex eiuſdem placito, Ioannes id nominis arceſſit in Epiſtolis, quas tantùm familiari affectu ſolitus eſſet exarare, ac velut priuatam indutus perſonam, ſermonem in illis miſcere, quemadmodum & Paulus [c] cum Philemone agens, tacito dignitatis vocabulo, Seniorem ſe dicere maluit quàm Apoſtolum, ceù poſita grauiori fronte, ad mores ſe componeret iunioris, parenſq́; cum filio colloqueretur. Ac demum Petrus, dum Seniores obſecrat, conſenioris nomen, miti quadam, ac molli appellatione aſſumit, non minus ad conciliandos animos, quàm ad ſtudium faciliùs præcipiendi appoſitum.

[a] In pſ. 30.
[b] In 1. Ioan. Ep. in præf. c. 4.
[c] In Ep. c. 5.

Non diuerſo planè modo Virgo Deipara, dum ſe Ioachim filiam appellat, quod ex natura ſuſcepit, veraciter prodit, [d] ne quid altius opinioni vulgi ſubreperet, ac vt futuro Collyridianorum errori ſanctiſſimè caueretur, qui Virgini ceù humanæ naturæ prorſus experti, ſacrificia decreturi erant. Qua in re quemadmodum loquitur [e] Epihanius, *Sanctum quoq́ue Euangelium nos præmunire voluit, in quo ita Christus loquitur: Quid tibi & mihi mulier? Nondum venit hora mea, vbi iccircò mulierem appellauit ne quis Beatam Virginem excellentioris alicuius naturæ crederet, eoq́ue vocabulo quaſi vaticinans ad ea ſchiſmata, hæreſeſq́ue refutandas vſus eſt, quas in Orbe terrarum olim excitandas cognouerat, nemo vt Sacroſanctæ Virginis vehementiori quadam admiratione permotus, ſeſe ad illius hæreſis nugas, & deliria conuerteret.* Dum præterea Virginem, & Matrem humili confeſſione ſe fatetur, eligentis gratiam, electæ prærogatiuam manifeſtat, quò circumdatam ſibi ab humana religione gloriam, eleuato ſuper rerum vices animo, in bonorum omnium fontem refunderet. Dum deniq́ue Tribus Iudę, Stirpiſq́ue Dauidicæ meminit, editam à ſe olim profeſſionem repetit, nec tam ſui generis ſeriem, quàm generationis IESV CHRISTI filij Dauid pandit propaginem, & vno verbo prædicationi Pauli, Euangeliſtarum auctoritati, non minùs neceſſariò ſubſcribit, quàm opportunè fidelium religioni, ſed in primis Meſſanenſium, ad quos ſcribit fidei patrocinatur, vt eam eſſe credant, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus. Ab initio quidem, & ante ſecula Deo deſtinante, ſupra mortalium gradus dignitate exceſſit, ſed Ioachim in tempore filia eſſe non deſijt. Virgo eſt nomine precioſo, ſed Mater Chriſti Crucifixi, vocabulo cælis glorioſo, mundo tamen non admodum ſpecioſo, cùm nondum in diadematis regum Crucis inſignia fulgerent, vt in hac etiam appellatione ſummam Virginis humilitatem dicam, an conſtantiam demireris. Exoſa quippe erat ea tempeſtate memoria Chriſtianorum, probroſum nomen Crucifixi, quàm infame, ne dicam execrabile, vocari Matrem Chriſti inter latrones patibulati? Sed hunc cùm Meſſanenſes, Paulo docente, calumnijs obtritis, non agnouiſſent modò, verùm etiam, qui Dei genitus eſſet, etiam de Virgine natum, pro peccatoribus in Crucem actum, eundemq́ue Deum, & hominem indubiè faterentur; quid antiquius erat, quàm tantæ teſtificationi arridentem Virginem, his ipſis verbis conſolationis pleniſſimis, *Filium noſtrum Dei genitum, Deum, & hominem fatemini*, Meſſanenſium fidem probare, ſtudia ad feruentiorem religionis cultum, Chriſtiq́ue amorem inflammare. Ancillam

[d] Epiph. hær. 79.
[e] Ex verſ. Dion. Petau. Ioan. 2.

Digitized by Google

cillam ſe Angelo adſalutanti, Virgo Dominum Angelorum vtero ſuſceptura profitetur, ſed à cognata Mater Domini dignè ſalutatur, nec ipſa beatam ſe dicendam per generationum ſecula diffitetur, quippe cui *fecit magna Dominus qui potens eſt, & Sanctum nomen eius*.

Quo loco nollem ego in mentem venire Anonymo, Virginem minus ſibi temperaſſe, & fortaſſe beatitudinem ſuam intoleranter iactaſſe, dum diuino plena ſpiritu, Magnalia Dei, myſticò prorſus elogio coram cognata perorauit, vt proinde, quod prouerbio verti conſueuit de ijs, qui nimium emunctæ naris in ſingulis dijudicandis ſibi videntur, appoſitè in ipſum cadere queat. *Hic nempè eſt, qui corrigit Magnificat.* Neque enim plus eſt apud ſapientes, dicere Virginem, ſe eſſe matrem IESV CHRISTI, quàm beatificandam à cunctis nationibus, ac populis, quando non aliùnde eſt beata, niſi quia Mater Dei eſt effecta, eamque ob cauſam inter omnes mulieres benedicta. Quid ſi Virgo Matrem Domini ſe vocitaſſet? ſanè & hæc ambitioſæ cuiuſdam prærogatiuæ ſpecies calumniantibus videri poſſet, niſi titulo Domini Rebecca [f] ſeruum Abraham, Magdalena [g] verò etiam exiſtimatum Hortulanum cõpellaſſet, quod ipſum nomen, & Auguſtus [h] vt maledictum, & opprobrium ſemper exhorruit, & Tiberio [i] tam alienum à ſua dignitate viſum fuit, vt ita compellanti denuntiaret, ne ſe amplius contumeliæ cauſa nominaret. At verò, ſi vox ea ſecundum Ambroſium [k] poteſtatis eſt interdum, nec non honoris, & magnificentiæ, idque potiſſimùm in Deo, cuius excelſum nomen ob eam fortaſſe cauſam [l] Domitianus, atque ante ipſum [m] Caligula non minus temerè, & impiè, quàm ridiculè vſurparunt, vt Domini ac Dij dici vellent ac haberi: vereor ne quid durius etiam de Chriſto ſtatuat Anonymus, qui ſe & Dominum libera oratione profitetur, & eo nomine compellantes collaudat diſcipulos, humilitatis alioquin magiſter, arrogantiæ contemptor, ſuperbiæ vltor acerrimus. Quin etiam ſeuerè cauebit, rigidus hic honorum maſtyx, ne quis deinceps Iacobum, fratrem Domini vocitare auſit, quid enim iſta inania, regibus ac regum fratribus conſueta? omnino verò Iudam coercebit, ne in poſterum fratrem Iacobi ſe ſcribere præſumat, quæ enim iſta ambitio? quæ tanta immoderatio? tam à moribus Apoſtolorum aliena, tam longè ſeiuncta? Parum dico niſi etiam impoſitam Cruci ſententiam conetur refigere, quid enim hic titulus ad rem Crucifixi, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum, ludibrium potius quàm elogium, non honos ſed vituperium; ſed tamen ſi inde Virgo MARIA Matrem Regis Iudæorum ſe inſcribat, non modò inſolentioris iactantiæ notam incurrat, vt quæ Ancilla cùm ſit Domini, tam repentino ad dignitatẽ gradu, Matrem ſe Regis ſtirpe Dauidica oriundi obtrudat, verùm etiam acerbiori extra ordinem legum ſupplicio plectatur, quòd inuiſo Romanis argumento, regium nomen in alienum genus Cæſaris auctoritate tranſcriptum, ab homine Crucis infamia exaugurato deſumat, & æmulatione quadam ad opprobrium compoſita, ex damnatione faſtum, ex infamia dignitatem, ex deiectione venetur honorum faſtigium. At enim ſi iſtud in Virgine eximiæ cuiuſdam infra mortalium animos ſit humilitatis exemplum, quæ ludibrium filij toto Orbe proclamatum, ſuarum prærogatiuarum velit eſſe decus, & ornamentum; dica ab Anonymo ſcribenda erit Pontio Pilato, nec Virgo in noxam vocanda, & expoſtulandum cum illo, cur reclamantibus Iudæis, quibuſcum & ipſe fortaſſe adpugnet Anonymus, id genus tituli Cruci affixerit, vnde tam decori elogij ad nomen Matris fecit acceſſionem, niſi totam fortaſſe cauſam in caput Chriſti anteuertendam putet, quod cùm quærenti Pilato, ſe Regem Iudæorum eſſe non negauit, immò citra ambages confeſſus ſit, illam præſidi iudicaturo eiuſmodi ſententiæ ferendæ anſam ad manus porrexerit, vt iam iudicatum ſemel à Pilato, crucique affixum Saluatorem, ibidemque de-

[f] *Gen. 24.*
[g] *Ioan. 20.*
[h] *Suet. c. 53.*
[i] *Tacit l. 2 Suet. c. 27*
[k] *De fide. c. 1.*
[l] *Suet. c. 13.*
[m] *Victor. in viſu Calig.*

que demortuum, alius quiſpiam ſit Iudex, qui nouo iuris inuento, nullibi gentium hactenus explorato, de nouo crimine rurſum poſt mortem, ad nouam mortis pœnam depoſcat. Sed hæc ipſe agat. Nos noſtra.

Iam illud, *Filium noſtrum*, *& Anno Filij noſtri*, quale eſt vt non ſimplici oculorum coniectu tranſmitti queat? Finge enimuerò quod alibi rati ſumus, exſcriptoris eas eſſe notas, extra epiſtolam, extra marginem habendas, num iccircò plectenda ipſa Epiſtola, repudianda vetus religio? Id ſi probè fiat, plura ſanè quæ pro Sanctis habet Eccleſia, vertenda erunt, & exterminanda, neque ſolùm quòd temporum notis fallant, ſed quòd rerum momentis ſuſpecta videri queant, etiam à profanis recidenda. Sed enim Eccleſia, de more, ſecreta prauitatis ſcoria, quod purum putumuè eſt, probat ac commendat, quod adulterinum minimeque ſincerum reprobat, ac condemnat. Quia in re cur ſatis exempli non habeat Anonymus ad recte iudicandum, haud video, præſertim ſi ipſe eruditus haberi velit, niſi liuore occupatum ferat animum, aut magis ſit factus ad calumnias, quàm ad veritatem inquirendam. Sed finge etiam aliquem eiuſce adſcriptionis velle eſſe patronum, ac ceù ſanctam ex animo tuendam ſuſcipere dicendi formam, quod equidem de geminis illis verbis *Filium noſtrum* quæ in penetrali continentur Epiſtolę, iam alibi à nobis receptum eſt, ad quorum imitationem incautè licet, non adeò temerè illa deinde ſubiunxerit exſcriptor *Anno Filij noſtri*: Finge inquam hoc ita eſſe; quid adeò contra leges aut mores temporum? quid præter Virginis moderationem ac humilitatem? an ſuperbè iactare Chriſtum filium ſuum, ſe Matrem eſſe eius quem Deum prędicarent Apoſtoli? at nomen Chriſti nec dum apud Iudæos, adeò glorioſum illo tempore fuit habitum, vt multum ex ea gloriatione Virgini concederent, quin probroſum, legibus, & ſupplicijs flagellatum, ipſi quoque eius nominis prædicatores omnium diris obnoxij, exoſi & peroſi. Apud Gentes fortaſſe recens conuerſos, Meſſanenſes dico, reris ſpecioſum, auræ populari expoſitum? at iſtis ea Virginis ſcriptio, neceſſaria fuit in religione inſtitutio, vt illam prorſus ipſam ex ea quoque confeſſione recolerent, quam non ita pridem Pauli prædicatione didiciſſent. Sed enim numerus multitudinis ſingulares Anonymi aures offendit; quid iſtud *Filium noſtrum*? diſcat verò myſterium, ſi ignorat ſcribentis intentum: ſumma in ea formula eluceſcit humilitatis nota cum veritate coniuncta, quando quæ Matrem ſe non negat in tempore, in Patrem qui æternus eſt, voluntatem quoque, ac poteſtatem ex electa Virgine poſt ſecula generandi refundit, vt verè ſit ille filius Matris Virginis, cui illa carnem dedit humanamque ſubſtantiam, verè ſit & filius æterni Patris, qui infuſo in viſcera Virginis Verbo, Spiritu Sancto nauante, mutuatam ex puriſſimis ſanguinibus ſubſtantiam, naturæ verbi in eiuſdem perſona copulauit, vt non immeritò, te præſertim flagitante Virgini dicendum fuerit ac ſcribendum, *Filium noſtrum*, Matris videlicet in tempore ſine Patre, Patris ab æterno ſine Matre, vtriuſque tamen diuiſim ac vnitim ſine verborum offendiculo genituram. Is verò ſcribendi modus ſi non eximiæ ſit humilitatis exemplum, affinge contrarium, vt nimirum Virgo ſingulatim edat *Filium meum*: id quidem veriſſimè dictum fuerit, minimè tamen opinor ad mentem Anonymi ſi caſtigatè ſentiat, non ſolùm quòd ea ſingularitatis nota, cummaximè diuinitatis vnitatem ſignet ac poteſtatem, vt planè idem ſit qui aliquando, [n] *voce delapſa huiuſcemodi à Magnifica gloria filium demonſtrauit, Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi complacui*; & qui grandiori interdum maieſtate detonuit. [o] *Ego Dominus omnipotens*, & iterum [p] *Ego ſum Alpha & Omega primus, & nouiſſimus, principium, & finis*: neque duntaxat vt vanitate quadam in oblectamentis ſibi eſſe filij nomen, quod iam apud credentes Meſſanenſes fauor habebat, oſtenderet; quod propter, [q] cùm aliquando

n 2. Petri 1.
o Gen. 17.
p Apocal. vlt.
q Luc. 2.

quando quæſitum anxiè, poſt triduum inueniſſet in templo ſedentem in medio Doctorum, tametſi huiuſmodi oratione, è viſceribus Matris pientiſſimæ profecta, illum compellaſſet *Filij quid feciſti nobis ſic?* obuoluta nihilominus expreſſiore ſignificatione Matris, ne quid in eo tam magnifici ordinis conſeſſu, glorioſæ captare videretur, non adiecit *Ecce pater tuus,* & ego Mater tua, ſed prætento duntaxat vocabulo patris, ſuique indicio Virgo ſummè humilis poſtpoſito: *Ecce* (inquit) *pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*: Non has inquam ſolùm ob cauſas, bene verſurum putes Anonymum, ſi virgo dixiſſet *Filium meum* verùm multò maximè ne vel ipſe concedere videretur, vel alijs hinc viam muniri minus vereretur in partes Ebionitarum, ea nempe ratione Virginem compellare potuiſſe [e] Chriſtum filium ſuum, qua illum ex Ioſepho conſueto fæminis modo concepiſſet, vel ſaltem, quæ [f] Iouiniani fuit inſipientia, ruptis Virginitatis ſignaculis in mundum edidiſſet. Atqui huiuſmodi improbæ opiniones, dementer quidem iſtis inciderunt, quibus tamen nulla ex eo quòd Virginem ſcribentem, dicentemuè audirent, *Filium noſtrum*, habito ad Patrem æternum reſpectu, deterior inceſſeret cogitatio, niſi fortaſſe magis ex eo quiſpiam Dei, quàm Virginis filium dicere vellet, quod hæc non humanis modis Spiritui Sancto acceſſum in vterum præbuiſſet, non autem quòd vel corpore phantaſtico Deum tuliſſet, vel certè tantùm ſuſceptum, velut per canalem tranſmiſiſſet.

e Clem. l. 6 Strom.
f Aug. l. de hæreſ. c. 82

Verùm vt, iiſdem inſiſtamus, quid cogitet Anonymus, ſi aliquando legat dilectum Domini diſcipulum, in hęc verba numero multitudinis de ſe proloquentem; [t] *Quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus*, & id genus alia, quid ſi Paulum [u] eo loquendi modo, cum maieſtate quadam [x] non ſemel ſe velut in medium inferentem? de faſtu, & fronte, maiore ipſe ſupercilio condemnet opinor, niſi eiuſmodi oratione teſtes quoque laudari, ſocioſque probari ceteros intelligat Apoſtolos. At hoc multò magis recipiendum in Virgine, quæ principem auctorem Deum laudet, ſe verò non tam ſociam laudis aut operis, quàm baiulam Dei, ancillam certè ſe probet, tametſi, & Matrem ſignificet, quæ cùm verè Mater eſſet, Deum ex ſe in carne genitum neceſſariò fateretur. Habet igitur eiuſmodi nota multitudinis, haud ſcio [y] quàm concinnam demiſſi in maieſtate animi gratiam, quæ iccircò magnis in orbe viris, qui rerum olim potiebantur vſurpata fuit; [z] hodieque ad clauum regnorum ſedentibus, ſed imperij præcipuè totius fræna moderantibus in vſum venit, [a] ne cùm ſummi ſint in terris, ſupra Numen poſiti videantur, ipſiſque ex ſe duntaxat factitare, quod immortalis potentia per ipſos decreuit efficere; quid mirum ſi cui adeo *magna fecit cui potens eſt*; *& Sanctum nomen eius*, vt ſupra omne quod non eſt Deus ipſam eleuarit; & humilitatem in accepta dignitate; nec ſe ſolam ſed Deum in ipſa, & per ipſam operatum profiteretur, & omnem vel minimi erroris, qui maiora temerè opinantibus, poterat incidere, præputaret occaſionem; niſi iam hoc ipſum, quod ſingillatim à Virgine dictum fuit: *Fecit mihi magna qui potens eſt*, ab inanis gloriæ cupidine profectum velit Anonymus, quemadmodum, & Ioanni quidam impegerunt Hæretici, quòd toties dilectum ſe Chriſti diſcipulum, pruritu quodam gloriolæ, ſuumque de ipſo teſtimonium quaſi præcipuum collaudaſſet. Id verò, ſi quod nolim, arrideat Anonymo, non iam hac amica diſputatione, ſed alia ſeueriore ſententia erit configendus.

t Ep. 1. cap. 1.
u Ad Theſſ. 1.
x 2. ad Cor. c. 11.
y L. 1. C. Quando imp. inter. pupil.
z L. noſtrū numen. C. de ſum. Trin.
a Guido Pancirol. l. 1. cap. 2.

Sed demum illa ab otioſa quorundam obſeruatione ducta calumnia, qui nihil ſe commoueri ad pietatem, huius lectione Epiſtolæ quæruntur, quàm ſit leuis ac ridicula, nemo ſapiens non videt; qui enim ſunt iſti adeo ſancti, ac religioſi obſeruatores, tam exquiſito iudicio pollentes, vt è priuato genio dicam an ingenio perturbato, tot populorum religioni præſcribant? quid ſi iſti pacatum à pietate animum non afferant ad

Digitized by Google

rant ad legendum? quid ſi liuore exulceratum? vt proinde iuxta dictum Philoſophi, talis videatur [b] Epiſtola, quales ſunt illi qui iudicant. Et fortaſſè ſi iſtis quemadmodum olim Auguſtino [c] viſcera commoueant errores Aeneæ, mors Didonis amando perditæ, Troiç incendium, vmbra Creuſæ, & id genus vanitatum nugæ, iccircò vera erunt, hæc omnia? longe à figmentis Poetarum deiuncta, dignaque exercitatione, vacua ſtudijs melioribus fatigabunt ingenia? contra verò, non pauciſſima, quç in Sacris Scripturis narrantur, quia interdum facilius riſum, quam pium cogitatum legentibus ingerunt, cuiuſmodi inter alia ſunt, Aſinam Balaam locutam eſſe, Thobiæ canem caudam mouiſſe, Samſonis vulpes, Philiſtinorum ſegetes ſuccendiſſe, & id genus plurima, iccircò hæc apocrypha erunt, commenta, fabulæ, mendacia? Non intelligit opinor Anonymus, vel quos ipſe obſeruatores laudat, humanis facile trahi humanos affectus, ſed ad ea quæ altiorem concernunt in diuina pietatem, non moueri mortalium animos, niſi indito primùm diuinitus ſenſu, quo ſopiti excitẽtur, præmoti alliciantur, allecti miris quibuſdam, & occultis modis, ſuauiter pertrahantur. Sed enim ſi vel inſita naturæ quædam pietas, propenſum facere queat animum, ad Virginis in hac Epiſtola mores adamandos, adeoque ipſius Epiſtolæ veritatem collaudandam, vt inde iniecta demum diuinitus mente ſe ipſum ad maiores humanis cogitatus conetur explicare; id verò ſi nec Anonymus, nec quibus hæc Epiſtola improbatur, vllo modo in ſeipſis animaduertant, quàm longè extra humanæ naturæ fines conſtituti ſint, iudicent ij, quibus pectus ſine felle ſapit, oculi mentis, liuoris caligine ſunt deterſi.

Verùm vt eidem argumento adhuc aliquandiu inſiſtamus, eſt enim ſicut in quouis alio genere nouum, & inuſitatum, ita in hoc planè inſolens ac ridiculum, ideoque accuratius expendendum. Ecquis enimuerò non videat, quàm in lubricas abeat eiuſcemodi ratio conſecutiones, quæ à priuatis paucorum ſenſis, argumentum ducit ad firmandas vel infirmandas veritates? Continuò quippe hinc enaſcitur, inſuper habendum, ac reijciendum eſſe prorſus Euangelium, quòd Iuliano Orbis tunc Imperatori viſum eſt mendaciorum, & abſonæ cuiuſdam infra hominum dementiam nugacitatis inſtrumentum. Sed etiam impio Luthero Machabæorum libri, quod ſuam inde ſectam flagellari ægrè ferret, ita bilem perturbarunt, vt expunctos vellet, inter apocrypha reijciendos: an iccircò à Catholicis non cenſentur in ordine Sacræ Scripturæ, pari cum ceteris auctoritate, quos Spiritu Sancto dictante ſuſcipit, ac veneratur Eccleſia? idem verò, iterum ignominiæ cauſa nominandus Lutherus, Catholicam Iacobi Epiſtolam, quòd Fidem ſine operibus mortuam teſtaretur, non ſolum cenſuit explodendam, ſed ſceleſtè iocabundus appellauit ſtramineam; an ideò ab Eccleſia non recipitur vt Canonica, Sancta, Spiritus Apoſtolici nota præſignis, nec non vnicum à probis operibus cum fide iungendis, comprimendæ hæreſeos argumentum? Ac ne fortaſſis accerſita duntaxat ab impijs Apoſtatis exaggeratione, Anonymum alioqui rectè cum Eccleſia ſentientem ludificemur, quia præter Lutherũ, Eraſmum, Oſiandrum [d] Centuriatores, etiam Caetanus [e] de eadem Epiſtola, in canonem Sacrorum referenda, & Iacobo tribuenda, fuit incertior; id propter Eccleſia nõ agnoſcit tanquam Iacobi legitimam, & prætèrita omni exceptione, meritò inter canonicas reponendam? Addo, & aliud quo ſtrictius implicetur Anonymus. Quot ſunt inter ipſos Catholicos, Viri alioqui à fide, ac pietate paratiſſimi, qui quòd originis labes Deiparam Virginem habuit eximiam, quaſi præter religionem ſit, in conſcientiam ducunt, aſſerere formidant, ferè vetant? num iccircò factum vt inſtitutus ab Eccleſia cultus ſit abrogatus, & non potius rogatæ à Summis Pontificibus ſanctiones, quibus ea ſententia ſeruaretur indemnis, habitiſque extra conſideratio-

nem pla-

[b] 3. Et 5. cap. 2.
[c] Lib. 1. conf. c. 13.
[d] In ſuis in illam epiſt. annot.
[e] Contr. l. 2. col. 54. & 589.
[f] Cõc. Trid. ſeſ. 24 cap. 1. & can. 1. 2. 4.

nem placitis contrarijs, religio quotidie radices ederet altiores, fructibuſq; ſanctioris pietatis animos ſanctiores efficeret, vt perindè ſit pugnantibus interdum, ſeriò an in ſpeciem, obniti rationibus, atq; candentem igne materiam, frigidæ reſpergere guttis, aut parturientes roſas maritare, quò iam non ſolùm id capitis vitium in Deiparam Virginem reapſe minimè deriuaſſe, ſed excellentiori prærogatiua neq; deriuare debuiſſe, [g] Viri ſapientiſſimi non minùs piè quàm fortiter tueantur.

[g] Catherin. l. de pec. or. c. vl. Et de côcept. par. 2. c. 1. Galat. l. 7. c. 10. Viguer. c. 18. §. 5. Salmeron. Salazar.

Non hæc dico quaſi hanc Virginis Epiſtolam, pari per omnia dignitate cenſeã, vel inſtitutam de ea diſceptationem æquè referre velim ad momenta rerum, vel deniq; vt criticos iſtos obſeruatores, quibus cum re Catholica rectè alioqui opinor conuenit, acerbius perſtringere ſit animus. Sed vt nouum hunc argumentatorem, Theramenis putes cothurno aſuetum commoneam, & modum arguendi inſolitum patefaciam, ne plus ipſe ſibi ſapere videatur, quàm ſuis apud alios ſapientiores, proditur argumẽtis. Quæ enim quæſo iſta, & quibus non ſibilis explodenda conſecutio? Aliqui non commouentur ad pietatem lectione huius Epiſtolæ, igitur abhorret à ſpiritu, & modeſtia Virginis; velut ſi inferas ex paulò ante dictis, Lutherus, Eraſmus, Oſiander, Centuriatores, vel vt Hæreticos mittamus, Caetanus & fortaſſe nonnulli alij non reputãt Epiſtolam Iacobi legitimam & Canonicam, ergo non eſt ſacra, ſed profana, non ſyncera & probata, ſed dubia & apocrypha. Et iterum quod huc apprimè facit, non pauci inter Catholicos, animum à religione conceptæ ſine labe Virginis, abducunt, igitur infectũ illa cũ origine ſuſcepit animũ, pari cũ ceteris periculo, quos traducta ſine exceptione culpa temerauit? Et profectò nõ pauci mecũ Viri alioqui nõ vulgares, vbi ſępius argumẽta Neotherici iſtius attẽtè relegiſſent, nõ ſolũ nullo ſenſu pietatis ſunt affecti, ſed meritò puerilibus ſuccenſuere calumnijs, quæ triuialibus digna videretur ferulis; Licebit igitur ſi cui animus eſt, hac præmiſſa veritate, & quidẽ magis appoſitè ad hominis mores, ita inferre; Ergo eiuſcemodi quiſquiliæ ratiuncularum abhorrent à modeſtia, & Spiritu ſapientis Viri, veritatem ſeriò conſectantis; ergo leuitatem produnt animi, cùm meliora non ſuppetunt, ad pueriles nugas deerrantis: à qua tamen conſecutione libenter abſtineo, ne calumniis videar obſecundare, alioqui ratus prudentiam aliorum, noſtramq; cauſam, factis, ſatis eſſe.

Poſſem ſanè hunc locum aliundè etiam, & quidem pleniore manu vrgere, niſi ipſe mihi parcerem, nec aliorum animos repetitis iterum Anonymi argutijs vellem aſperare. Illud omittere non debeo, me huius Epiſtolæ lectione atq; conſideratione, quamquam non adeò molli ſim pectore, ſemper aliquo religionis ſenſu perfundi ſolitum, id demum conſilij bonis approbantibus ſuſcepiſſe, vt hoc tempore calamum ad alia omnia temperatum, his quoq; pro defenſione lucubrandis, quantum liceret addicerem, tum vt calumnias, quæ non ita pridem gliſcere cæpiſſent retunderem, tum vt Deiparæ Virginis gloriam, hac etiam nondum apud omnes exteros vſitata religione proferrem, commendarem. Idem animi non paucis alijs eſſe pro comperto habeo, non iam dico Meſſanenſibus, quibus planè ad aras ea fixa religio, vel alijs in quos Meſſanenſium vota quoquo modo redundant, quorum tamen pietas præ paucorum, partium ſtudia ſequentium auerſione, ſacratior ſemper eſſe debet: verùm externis extra omnem eiuſmodi effectus aleam poſitis, viris doctis ac pijs, apud quos religio huius Epiſtolæ tantum poteſt, vt nihil moti calumnijs obſtrepentium, præcipuo quodam ſtudio ſuſcipiant, ac tueantur. Non eſt vt plura longè petam exempla. Hoc ipſo tempore, quo hæc ſcribere inceſſiſſet, adfuit Religioſiſſimus, vnà ac doctiſſimus Pater Aegidius Camart, gentis Gallicæ, ordinis Minimorum D. Franciſci de Paula Ge-

neralis, qui dudum ea traditione imbutus, nihil habuit antiquius, quàm vt è Tabulario Meſſanenſi exemplar publica fide traditum reciperet, nonnihil in hanc rem pro communi pietatis cauſa, quemadmodum animo conceperat, editurus. Et feciſſet votis omnium ex ſententia ſatis, niſi hinc Romā abeuntem, itinere propè medio, mors, non quidē ętati vel virtuti, ſed bonis cōnatibus immatura, humanis exemiſſet.

RESPONDETVR OCTAVO ARGVMENTO, QVOD EST *Sextum Anonymi.*

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

HOC argumentum longius eſt, pluribuſque implexum, quam à nobis
h Cap. 16. ſuperius h in ordine deductum eſt, in quo ſcilicet in varia flexus aduerſarius, extrema omnia intendit, vim, vocem, lateraque ſibi eliſurus, ni vincat, huiuſque Epiſtolæ religionem fruſtra habendam extorqueat. Id nos eò loci ſuo tantum initio cenſuimus, ſat habentes, quod in prouerbio dici ſolet, vrſum ex capite æſtimare, quem non fallentibus deinde veſtigijs, latiore campo liceret fatigare, niſi ipſe primùm vix è cauerna excluſus, ſeipſum irretiret. Multa verò ex hactenus confutatis repetit Anonymus, tametſi in aliā redacta claſſem, à moribus temporū, ac Gētis præcipuè ductā, ne non abſtinens verborum videatur, qui ſæpiùs eadem alij atq; alijs ſententijs Aſiatico more norit exaggerare. Quæ omnia, quia plurima ſunt, ac minuta propè ad Democriticas ineptias, nobis quoq; non ſimul coaceruanda erūt, ſed quòd in diſſectione humani cadaueris Medicis cōſuetū eſt, articulatim deſecāda, & enucleatè inſpiciēdā, ſi quid fortaſſe animaduertere licebit experientibus, quod hactenus nō eſt obſeruatū.

Itaque hæc inquit Epiſtola, vertit mores temporum ac gentis, euertit enim qui pro tempore apud Hebræos inualeſcebant, inducit qui nondum exorti, nec niſi multò poſt fuerant exorituri. Exempla ſufficit exordium, itemque finis Epiſtolæ. Prima verba ſunt *Maria Virgo Ioachim filia*. At tunc temporis Iudeæ mulieres non à
i Cap. 27. parentibus, ſed à Viris cognominabantur, vt Maria Iacobi apud i Matthæum, &
k Cap. 15. k Marcum: Maria Cleophæ apud l Ioannem. Interdum à Filijs vt Ioſeph Mater, a-
l Cap. 19. m Cap. 15. pud m Marcum. Cedo igitur, cur Maria dicta à Patre, Ioachim filia? cur non ab Anna Matre? cur non ab vtroque ſi à parentibus vocanda, ſeu potiùs à Sponſo, Maria
n Ioan c. 19. Audi... Ioſeph? Rectiùs à filio Maria n IESV, à quo ſeruatum in Hagiographis cognomentum, & Mater IESV à S. Ignatio legitimè dicta, neque aliter dicenda. Itaque re-
o 3. p. q. 35. a. 4. ad 4. ctè obſeruat o S. Thomas, Mariam Virginem non niſi à filio ob dignitatem ſui nominatam. Proinde cùm non alio nomine ſe quiſque appellat, quàm quo vulgò appellatur, B. Virgini Maria IESV ſcribendum fuit, quo nomine à cunctis appellatam, idque pro temporis vſu, Ioannes, Lucas, Ignatius ſatis oſtendunt. Adde longè à moribus temporum illorum, acerui titulorum ex parentibus, Auis, Atauiſque. Nihil tale in Epiſtolis Apoſtolorum datis ad Eccleſias. Sed Magiſtra modeſtiæ, B. Virgo, multò magis eius virtutis inſignia expreſſiſſet. Hæc ille, & quidem in ingreſſu tantùm prolixi, & verbis effului argumenti.

At enim ad hęc omnia ſi non ſuper copiam dictum fuiſſet hucuſque, vno verbo reſponderi poſſet, ita pro re & occaſione ſcribendum fuiſſe Virgini, non temeratis, ſed mutatis temporum, ac Gentis moribus, quod aliorum vtilitati concedendum erat, tametſi non auocatis à ritu patrio ſtudijs, ſed animo duntaxat aliorum beneuolentiæ commo-

Digitized by Google

commodato. Nam ſi is fortaſſe mutuus fuit vſus apud Hebræos, eundem tamen obſeruatum fuiſſe, cùm ad exteros ſcriberent, aut rerum cauſa apud eos factitarent, oſtēdi vix poteſt, aut ſanè perraro exemplo, quòd conſuetudinem præcipere iuxta placita ſapientum haud debeat. Ceterùm deridiculus ſit Anonymus, qui ſuper exceptionem feminas à Viris cognominatas velit, vt perindè habeat Virgines & viduas, ac Viris nuptas, & cum Sethianis rerū nomina, [p] cum Hydroparaſtatis, & Marcioniſtis nouo Euangelio genealogias confundat, perturbet, repudiet; Non nego ſanè Hebræorum inſtituto feminas in genealogijs texendis, extra ſeriem haberi ſolitas, idq; ex Scripturæ auctoritate euidentius eſt, quàm vt à Hieronymo, alijſq; fidem repoſcat: verùm an diſpoſitu legis vetitum fuerit feminis, cùm ad alios ſcriberent, legitimis ſe cenſere cognomentis, & maritorum ſuorum potiùs, quàm parentum nominibus inſignire, quæ hactenus occaſio experiendi fuit, mihi non oſtendit. Quin verò contrarium antiquius eſſe de Viduis, quæ tamen maritorum dignationem cum ipſis haud mortuam, præ oculis habere poterant, non vno exemplo palam eſt apud omnes. Sanè vbi famoſiſſimæ illius [q] Viduæ, de qua qui loqueretur verbum malum, non erat, gentilitiæ ſeries aſſeritur, principem locum tenet quòd fuerit filia Merari, poſtremum verò quòd Vir eius fuit Manaſſes, qui mortuus eſt in diebus meſſis hordeaceæ. De Anna item propheti ſſa, [r] eademq; laudatæ vitæ Vidua, quæ memoria clarior eſt in Scriptura, quàm filiam eſſe Phanuel, & ex Tribu Aſer. Itaq; ſi Iudith ſe filiam Merari, Anna verò filiam Phanuel ex tribu Aſer, innoteſcendi animo vocitaſſent, ſcriptiſq; ſignaſſent, num quæſo aliquid piaculi in mores gentis admiſiſſent? minimè gentium, vel ipſo fatente Anonymo ſi ſibi non ſit diſſimilis, quando quibus nominibus in Scriptura vulgiq; vſu vocabantur, eadem ipſæ ſibi iure, non arrogantia vendicaſſent.

[p] Epiph. lib. 1. Hæret. Eab.

[q] Iudith. 8

[r] Luc. 2.

Faceſſant igitur eiuſmodi ludibria longè à Virginis Epiſtola, quaſi in ea peccatum ſit in mores temporum, ac Gentis, & non potiùs erratum ſit præcipiti iudicio ad pauca reſpicientis. A Virginibus Hebræis exemplum non peto, otioſus enim ſit qui quærat, neſcius qui dubitet, ſi quando ipſas ſcribendo factitare decebat, familiæ tuliſſe nomen & notas. Prioribus inſiſto, quò rationes Anonymi in leuioribus habeam. Deipara Virgo, eo tempore Vidua fuit, neq; enim hæc appellatio indecorè cadit in Virginem Sponſo ſuperſtitem, aut etiam quæ virum non habuiſſet, eiq; nomini [s] conſuetudinem fecerunt leges, [t] tametſi alia de cauſa non continuò Sponſus maritus cenſeatur; quid igitur decentius, quàm vt Ioachimo ſatam, dicto ſcriptoq; ſe recoleret, quàm vt ex tribu Iuda, ſtirpe Dauid; ſuæ ortus initia, non ad faſtum, ſed ad claritudinem deduceret. Quamquam verò Vidua non fuiſſet, minimè tamen pro re nata è conſilio feciſſet, ſi in ea Epiſtola Sponſi Ioſeph memoriam induxiſſet, quid enim id adeò dignum erat pro illo tempore, vel ad elementa firmandæ religionis, vel ad grauiorem Meſſanenſium eruditionem, quo fortaſſe minus profectum fuiſſet apud illos, quàm prima ignoti Dei prædicatione apud Athenienſes, vt quibus opinio Virginis Dei Matris, tàm excellenti prærogatiua inhæſerat, iiſdem ſuſpicio Sponſi, neſcio quid apud homines nondum omnium myſteriorum gnaros, minus ſpecioſum ingereret. Mitto quòd alibi dictum ſatis, non inconſultò id à Virgine factum, quin maximè è re & ſingulari prudentia, ſumma cum humilitate coniuncta, geſtum, vt in Ciuitate quæ Romanis legibus vteretur, ipſa quoq; eas notas in vſu ſcribendi haberet, quibus Romani Cæſaris decreto profiteri iuſſa fuiſſet. Quis verò niſi Romani inſtituti rudis ignoret, in ea profeſſione ab vtroq; ſexu, exigi ſolita nomina regionis, Vrbis, familiæ, ſed præcipuè Patris, & id genus aliorum indiciorum, quæ ad diſcrimen gentis à gente faciebant. Quod ſi

[s] L. malũ. ff. de verb. & ver. ſignif. §. Viduam.

[t] L. Titius ff. Pro dote.

Digitized by Google

Maternum nomen Virgo reticuit, conſilij putes fuiſſe, non præiudicij, ſeu quia pro rei, vel cenſionis inſtituto, ſatis erat à patre characterem accerſere, ſeu quia Matres alienæ cùm plurimùm familiæ, interdum & [u] Tribus notas ferebant, id quod in præſenti inſtituto non abs re videri poſſit aſſertum, ſi in primis cum [x] Auguſtino velimus Deiparam Virginem, ex Iuda, & Dauid, linea deſcendiſſe paterna, deinde verò [y] Nicephoro conſentiamus Annam genitricem Virginis, filiam fuiſſe ex Tribu Leui Matthan Sacerdotis, ipſam verò Virginem, per quam & Chriſtus familiam, ac Tribum ſortitus eſt, (neque enim humanam niſi per Matrem, habet originem,) ex Tribu Iuda paternam duxiſſe proſapiam, quando quemadmodum Paulus [z] atteſtatur, *Ex Iuda ortus eſt Dominus noſter, ex qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt*, & paulo ſuperius, *de qua nullus altario præſto fuit*, vt prorſus neget Apoſtolus Chriſtum ex Tribu Leui extitiſſe, verùm per maſculinam duntaxat lineam, ne non Sacerdos legalis eſſe poſſet; & alloqui ſi ex Leui progeniem ſumpſiſſet neceſſariam, [a] non ad Iudam vel Dauidē, ſed ad Leui, iure merito promiſſio Salutaris reſpexiſſet. Neque tamen hinc efficitur Beatam Virginem, vnaque Chriſtum, non aliqua ratione flexus, ac ramos proſapiæ, implexoſque per vtriuſque ordinis dignitatem ſtolones, vt qui Rex, & Sacerdos futurus erat, ſicut à Regia, ſic à Sacerdotali, atque adeò à Tribu Leui produxiſſe, verùm quod animaduertebam, ex ea linea, quę fæmininam ſeriem in Matrem dirigebat. Atque hæc potiſſimum ratio conſuetudinem fecit, qua non modo in propaginibus familiarum texendis Matres præterirentur, verùm multò magis in hiſtorijs, ſeu narrationibus conſcribendis plurimùm inuoluerentur. Quæ proinde conſuetudo in vſum quoque ſignandarum Epiſtolarum facile aſcita, facere potuit, quò Virgo in ſua ad Meſſanenſes Epiſtola, patris ac nati, non verò Matris aut ſponſi mentionem intexeret, quod equidem præter alia contra Anonymum dictum velim, ne duntaxat ex illa in Bethlehemiticas tabulas receſſione, ſuffici pro re noſtra putet argumentū, quòd [b] cùm illa deſcriptio potiſſimū inſtituta fuerit ad facultates ac hæreditates, non tam ad perſonas cenſendas, confuſis omnia nominibus peracta velit, (quamquam id probare minimè valeat) nec inde modum ordinemque ſcribendorum, in vſu nominum poſſe ſuffragari.

Verùm ne aliquid in hoc genere prætermittamus, quod præſertim ratio poſcit Anonymi. Si interdum Matres à filijs appellari non inſolens fuit, quod fatetur ipſe; viderit inde ne inconſultè ſecum agat, dum in hac Epiſtola Deiparam Virginem, Matrem IESV CHRISTI Crucifixi, contra morem nominatam ſugillat. Nam quòd Mariam IESV vocandam ideo contendit, quia vulgò ſic appellaretur, gratis laborat, & immemor veri, neſcia Scripturæ loca ad fidem aduocat. Nuſquam enim legimus Mariam IESV nudè, ac reciſo quouis alio vocabulo vocitatam, ſed adiecta, quæ claritudinis ac ſignificantioris dignitatis eſt nota, Mariam Matrem IESV, quod quidem Anonymus in D. Thoma quem pro ſe contra nos ſtatuit, niſi oſcitanter legiſſet, vel niſi pro more ſuo, contra morem fideliter citandi facere voluiſſet, animaduertere debebat, neque obiter, ac tumultuaria Minerua perpendere, omnino enim Doctor Angelicus [c] atteſtatur Deiparam Virginem, *in Euangelio non conſueuiſſe nominari, niſi cum cognominatione huius dignitatis* quod eſſet Mater IESV, vt proinde in hac ad Meſſanenſes Epiſtola, non aliud Virgo nomen adſciuerit, quam quo vulgò, & ab attrito piorum vſu vocaretur. Sed enim quia nuncupatio Matris IESV, ſingularis cuiuſdam eminentiæ, nec non præcipuæ penè ſupra hominem dignitatis eſt elogium; ne Virgo ſemper ſui ſimilis, volantem per ora fidelium ex ea voce laudem captare videretur, humilitatis quadam ſignificatione temperauit eatenus, vt Matrem IESV CHRISTI Crucifixi, appellatione tum non

admodum

[u] *Lib. 1. Reg. cap. 16. Iudic. 21. Exod. 6. Paral. cap. 2.*
[x] *L. 23. contra Fauſt. cap. 3. & 4.*
[y] *Lib. 2. hiſt. c. 3. ex Hippolyto.*
[z] *Ad Heb. 7.*
[a] *Suar. 3. p. q. 27. lect. 3.*
[b] *Ioſeph. l. 18. antiq. cap. 1.*
[c] *3. p. q. 28. art. 3. ad 6.*

admodum vulgò grata, ſe dicere mallet ac ſcribere, nò tam vt eiuſmodi, additamento titulos exaggeraret, quàm quò breuem dicẽdi formam, ac longè plura ſignificantem, quàm exprimentem obtegeret; alioqui ſi ea nominis ſui vocabula cumulare Virgo voluiſſet, quibus de more non apud Ignatium duntaxat ac Dionyſium, ſed vulgò apud omnes celebrabatur, alia longè titulorum moles congerenda erat, quàm breuis Epiſtolæ pagella ferre poſſet.

Atque ex his liquet quàm tenuiter collectę ſint illæ ab Apoſtolorum ſcriptis ratiunculæ, quorum, & ſcribendi inſtitutum diuerſum, & occaſio longè fuit alia, nec vlla inde pro more gentis ſuppetit ratio, quando quot ſunt Epiſtolæ, tot ferè variantes inter ſe ſcriptionum, ac ſalutationum formæ, quæ tamen ſi conſuetudini derogant, modeſtiæ certè Apoſtolorum, notam non irrogant. Sanè Petrus vbique nomen Apoſtoli ceù ſtemma prætentat, ſemel præterea appellationi Petri vocabulum Simonis antemittit. Paulus etiam præterquam ad Philemonem, & Hebræos, Apoſtoli nomen intercidere patitur nunquam. Iacobus ſerui duntaxat cognomentum modeſtiæ cauſa, (Metaphraſti [d] credas,) ſufficit, tametſi non deſit, qui in vetuſtis Codicibus Latinis, ac Græcis nomen Apoſtoli compererit, [e] Iudas præter vocabulum ſerui, agnomen fratris Iacobi aſſumit, Denique Ioannes vel nullo expreſſim, vel Senioris titulo ſolus innoteſcit. Neque tamen Petrus, & Paulus immodeſtiæ poſtulari meritò poſſint, quòd ſoli præcipue nomen vſurpent Apoſtolicum, etſi reliquos etiam ex duodecim, nõ inſtituerit modò, verùm etiam [f] Apoſtolos nomine, ac poteſtate inſigniuerit ipſe Chriſtus. Certè in Petrum, ceù Principem Senatus Apoſtolici, peculiari quadam ratione cadit ea appellatio, ſed in Paulum exceptione quadam abſolutè, ſiuè ob peragratas miſſu Dei, nulla ſibi ſede fixa Prouincias Orbis, ſiuè ob priuatam quandam exhauriendi muneris in Apoſtolatu ſedulitatẽ, docendo Gentes, corrigendo mores, in ordinem redigendo aduerſus Spiritum Sanctum contumaces. Ita prorſus nemo Deiparę Virginis modeſtiã vellicarit, ſi pręfixo Matris IESV argumento, non tam ſuæ dignitati, quàm aliorum vtilitati voluerit eſſe conſultum.

d In vit. S. Iacob.
e Six. Sen. 7. Bibl.
f Luc. 6.

Non equidem memini à Filio Matris aliquando nomine compellatam Virginem, ſicut duodecim diſcipulos, nominatos fuiſſe Apoſtolos; verùm hoc præſtare officij erat in munere imponendo, illud omittere, non tàm auocare dignationem, quàm diſſimulare voce, quod exprimebat opere, certior quippe operis quàm oris confeſſio ſi inter homines ſapimus. Quid enim erat eſſe ſubditum illis, quàm profiteri obſequio Matrem ac patrem, ſed Matris Virginis non noua quadam electione, verùm ſtrictiori quodam iure naturæ, regnum in ſe agnoſcere, quandoquidem ſi communio Patris ad Filios Regni præſe fert effigiem [g] teſte Philoſopho, multò magis eius Matris, quam gratiæ prærogatiua, talis nati fecit eſſe parentem, vt idcircò nuſquam ille communi Matris appellatione affecerit, quam omnibus creaturis pręfectam, conſortem etiam Regni, atque adeò Reginam vniuerſi voluit eſſe, non vſitato apud mortales Reges exemplo, qui quas Matres vocant ac honorant, hæreditate ad ſe deriuata Reginas eſſe non patiuntur. Atque hac etiam inter alias de cauſa Deiparam Virginem, non vtique Matrem, ſed interdum mulierem à Nato legimus fuiſſe compellatam, quemadmodum etiam à cognata, non in Matribus ſed primò benedictam in mulieribus adſalutatam, quòd latior ea vocis ſignificatio, non modò fælicitatem Matris, verùm omnium mulierum dignitatem, tametſi Matres non eſſent, includeret, non ſecus, ac ſi ſola ſine hærede princeps eſſet. Qua tamen in re, eam ſemper Virgo Deipara moderationem tenuit, vt non priùs ipſa Matrem ſe nominare vellet, quàm cùm Chriſto in cælos abeunte, nec alia in terris digniore exiſtente natura, ad quàm omnis creatura ſpectaret, regnum in filium refunderet,

g Lib. 8. Eth. c. 11.

non

non reginæ,ſed Matris duntaxat nomine contenta,vt in ſumma dignitate, ſumma e-mineret humilitas,procul faceſſeret immodeſtiæ ſuſpicio; quæ neſcio qua immode-ratione ſubijt animum aduerſarij,pauciora quàm oportuiſſet conſiderantis. Sanè ſi Ioannes à ſerui appellatione abſtinuit in ſuis Epiſtolis, quòd vt inquit Oecumenius, vehementer à Domino dilectus,extra ſeruitutis timorem ſe eſſe confidebat, neq; ta-men vel ipſe arrogaſſe ſibi cenſendus,vel ceteros,qui ſe ſeruos vocarunt, quibuſcum ne nuncupatione quidem Apoſtoli communicauit,arguiſſe putandus; quantò magis à Deipara Virgine longè dimouenda voluntatis elatæ ſuſpicio,quæ in vocabulo Ma-tris,quod pridem oſtendimus,humilitatem quæſiuit,dignitatem affectare non nouit. Sed de his ſatis.

DE SALVTATIONE PRAEFIXA *in Epiſtola Deipara.*

DIFFERENDA ſunt, quemadmodum monuimus, in plures par-tes,quæ Anonymus in vnum coaceruauit, nè ſi velut integra, paucis in ora legentium immittantur, indigeſta crudam pariant diſcepta-tionem. Pergit igitur ille. *Verba tua: Salutem,& Dei Patris omni-potentis benedictionem, ex formulis literarum Pontificiarum videntur deſumpta.* Hunc nimirum in Epiſtola intolerandum cenſet erro-rem, quo, ſicut initio contendebat, inducuntur mores nondum exorti, exemplaq; multa poſt tempora ſecutura. Equidem ex hac adſtructione,duo mihi videntur elici poſſe ad mentem Anonymi argumenta,ſed magis aculeata,quàm robuſta. Alterum, eam Virginis Epiſtolam ab aliquopiam,nec admodum pio,nec ſatis erudito, & vno verbo,qui neq; fas, neq;fidem penſi haberet, qua qua tandem gratia cõfictam,vt qui comminiſci minus prudẽs,ſalutationem appoſuerit,poſt tempora Deiparæ literis A-poſtolicis immittendam. Alterum verò quod hinc conſequitur,ea Virginis, atq; A-poſtolorum antiquiori tempeſtate, eiuſmodi ſalutationes,ac beneprecandi formu-las,nedum adhibitas,ſed nondum fuiſſe excogitatas,id quod legenti eorundem Epi-ſtolas, luce meridiana clarius euadit.

Video quàm nullis hæreat neruis hæc inſabricata ratio, cui ſi quis ex abrupto vel parùm meditatè occurrat, Deiparam Virginem fuiſſe primam, à qua is dicendi ac ſcribendi modus,ad Apoſtolos primùm,ſi tamen illis in vſu fuit,deinde ad Pontifices per temporum interualla dimanarit,vel certè præuidendi dono præditam, longè an-tea feciſſe,quod poſtmodum facturi erant alij: ſanè vndiq; tenebit calumniam, à ter-go(quod dicitur)à fronte,à lateribus,& vno verbo ſubtilem calumniatorem deijciet. Quid enim vetat eam benedicendi formam,ſicut multa alia Sanctitatem Eccleſiæ ſpectantia, Virgine Apoſtolos docente,in vſum deinceps poſterorum veniſſe, quæ tametſi non cum principijs ſuis adulta,in conſuetudine verſarentur, ſed ſerò poſt ap-parere cæperunt,vt tunc primùm nata viderentur,omninò tamen vetuſtiorem quam putaretur,ſed tacita ætate ferebant originem. Certè [h] Cæcilius primus Iliberita-norum Antiſtes,idemq; vnus ex ſeptem Iacobi diſcipulis,inſignes prorſus ad miracu-lum,ſuper D. Ioannis prophetias confecit lucubrationes, verùm idiomate Hiſpanis vulgato,quod etiam in prẹſens vſu vertitur,ſed tunc mortalibus ignarum,multò poſt interuallo in Gentis forum inuectum eſt. Quid hic dicet Anonymus? ridebit an neſcius hærebit? at enim riſum illius & inſcientiam præuenit grauitas & ſapientia multorum,qui Cæcilium dono cæleſti noſcunt fuiſſe conſecutum, vt lingua loque-retur & ſcriberet, quæ in communem Gentium vſum, longè poſt pullularet, quo vel hanc

h Biuar. F Dext. ad an. 50.

hanc ob cauſam,ſi aliæ deſint, [i] Cęcilius ab Iſidoro non immeritò Vatis vocabulum ſit promeritus,vnaq; cum ſocijs eadem prærogatiua cenſitis,haud infimè dilaudatus. Quid ergo mirum,præuentum à Deipara Virgine in ea benedictione ſeculorum morem,quam ante ſecula in mente Dei electam,rerumq;miracula in tempore ſupergreſſam,omnis gratiarum,ac donorum copia præuenire ſolita eſt.

i In off. miſſ. s. Torquati.

Sed ne fortaſſe ſapientior ſe ipſo factus opponat Anonymus,Ioannem anno Domitiani decimo quarto, Chriſti nonageſimo cum ſeptimo, quod probat [k] Baronius, ſuam condidiſſe Apocalypſin,Cæcilium verò,Neronis ſecundo, Chriſti quinquageſimo ſeptimo, atq; adeò quadraginta annis ante, Martyrium ſubiuiſſe: addo & aliud quod maiorem admirabilitatem ingerat,neq; meo,ſed aliorum placito [l] minus improbando, Cæcilium Spiritu Prophetico potuiſſe longè ante præcipere, quod tandem publica teſtificantis voce,ac ſcripto denuntiaturus erat Ioannes,quidni Virginē Meſſanenſibus ante ex theſauro gratiarum benedictionem impertire,quam nondum conceptam,ceteri deinceps Eccleſiarum præſides latiùs erant in fideles populos explicaturi. Quamquam ſi verum eſt, Apocalypſim à Ioanne ſcriptam primo Neronis anno, quod non nemini placet,paululùm duntaxat, vel nihil à Tertulliani, [m] Epiphanijq; ſententia,quam Andreas, & Arethas Cæſarienſes Epiſcopi laudant, euarianti, res omnis in vado eſt,nec præſens diſceptatio longiùs protrahenda,tantoq; magis,ſi preter Apoſtolum alius ſit Ioannes,cuius vaticinium haud abſimile,ſed pluribus etiā in rerum futura ſpectans argumentis,illo ipſo tempore diuulgatum,Cæcilius cōuerterit;ſtabit enim quod huc attinet,Hiſpanica lingua fuiſſe elocutum, cuius vſus longo poſt interuallo penes illam Gentem fuit introductus.

k Ex Euſeb in Chron.

l Binar. ſup.

m Six. Sen. l. 1. & 5. Bibliot.

Quid enimuerò ſi altiori quoq; principio deriuatum illum benedicendi morem adſtruamus,vt hinc quoq; nihil ex aduerſo profici, niſi intra verba,oſtendamus?Certè ſi abiturum in ſublime [n] Chriſtum,hac Dei Patris omnipotentis benedictione,diſcipulos extrema voce affatum credamus,ita propè ad mentem piè ſapientum putauerimus,quàm proximè ad Scripturarum veritatem. Nam qui Deum patrem pro deſtinatis datiſq; ſibi clientibus identidem orare,palam etiam multiſq;conſueuiſſet,eidem illos quin ſupremis quoq; officijs & voluntate ſeruandos deuouerit, vecors ſit qui dubitet. Benedixit verò eis (inquit)Lucas [o] eleuatis manibus ſuis,vt quemadmodum Simon Sacerdos Magnus *manus ſuas extulit in omnem congregationem filiorum Iſrael: ita Chriſtus* (iuxta [p] Barradam) *extulit in omnem congregationem diſcipulorum ſuorum,& bona eis à patre precatus eſt*. Tum verò & diſcipulos eiuſcemodi benedicendi ſuſcepiſſe formam,ſed longè etiam ante Matrem à filio didiciſſe,qua poſtmodum ipſa in Meſſanenſes,illi verò in ceteros quibus vel ſcriberent,vel prædicarēt Euangelium,vterentur, antiquior eſt veritas,quàm vt commentum videatur. Quamquam in eiuſmodi benedictionibus,ac etiam ſalutationibus,non verba Apoſtolorum, ſed myſteria magis ducenda ſunt ad animum,alioquin haud probet [q] Auguſtinus in omnibus Epiſtolarum Sacrarum initijs, de Trinitate nos admoneri; appoſitè verò Lorinus [r] obſeruat, ſimilem in Epiſtolis Pontificijs contineri ſalutationem, ſenſu puta non verbis,ne quod antiquis [ſ] ieiuna boni ſignificatio, ſimplici [t] eademq; profana ſalutandi forma proferebatur, ita non vnius myſterij in Euangelio ſanctitates, adſtrictis velut ad Sacramentum verbis efferantur. Neq; tamen pernegarim, qui primùs ſalutem & Apoſtolicam benedictionem impertiuit,is verò [u] Cletus à Polydoro traditur,eum id benedicendi exemplum,à Virgine impetraſſe,quam proximus illorum temporum,antequam Lino ſucceſſiſſet,& videre potuit & audire,nedum fortaſſe ſcriptam ad Meſſanenſes Epiſtolam legere ac diſcere. Eam verò paucis mutatis,ijſdem propè verbis expreſſit,& expreſſiſſet omninò ijſdem,niſi ſeruata Virgineæ ſalu-

n Luca vl.

o Eccleſ. c. 50.

p Tom. 4. lib. 9. c. 10.

q In expoſ. ad Rom. tom. 4.

r In 2 Io. an. ep. n. 3.

ſ Senec. ep. 15.

t Lipſius ibidi

u Polyd Virg. l. 4. c. 4.

ſalutationi reuerentia, ſui muneris Apoſtolici meminiſſe debuiſſet.

Hùc reſpexit opinor Anonymus cùm dixit, Verba illa ſalutem & Dei Patris omnipotentis benedictionem, ex formulis literarum Pontificiarum videri deſumpta: perperam tamen iudicauit, ſi id cuiuſpiam inuento aggeſtum velit; minus conſultè, imò contra ſanam cogitationem, ſi Virginem animo præcipere potuiſſe non exiſtimauit, quod aliquando ex vſu alijs futurum erat, nec deniq; ex mente egit, ſi Apoſtolos ex Virgine, vel potiùs ex Chriſto, à quo etiam Virgo accepit, poſteros verò ex Virgine & Apoſtolis didiciſſe, non coniecit; niſi iam quòd diſceptando adſolet, cùm dubitatur, non arbitrum falſi, ſed quæſitorem veri attulerit animum, quo nobis proficeret ad rem declarandam. Hic ergo frangitur, ſi quæ eſt calumnia, niſi adhuc inde conteratur magis, vnde ipſa ex alterius Anonymi, cuius leuitatem alibi ſpreuimus, ſcurrilitate, forſitan auſit illudere; quaſi perinde foret Meſſanenſibus hoc quoq; affingere, Deiparam nempè Virginem, protentis in ſublime digitis, formatoq; ad benedicendum, quod ſolent Pontifices, ſigno Crucis, Legatos Meſſanenſium dimiſiſſe, eoſdemq; auctos non modò indultis in noxas animorum, verùm etiam priuilegijs in rem publicam, quibus tantopere ſe ſe efferunt exaggeratos receſſiſſe. Dignior ſanè riſu, quàm reſponſo calumnia, niſi vel non cogitanti, veritatem expreſſiſſet. Sic olim & Caiphas prophetauit, & Iudæi, illudendo licet, verum Iudæorum Regem Chriſtum adorarunt: planè & Anonymus proximè collimat, benedixiſſe nempè Virginem Meſſanenſium Legatis, adeoq; in Legatis toti Meſſanenſium Ciuitati, & omni per futuras ætates poſteritati, idq; puta manibus eleuatis, qui [x] mos erat Hebræis in orando, ac benedicendo, ſed præſertim exemplo Chriſti nouiſſima proferentis confirmatus; neq; ſolùm: ſed eiuſdem argumento, oculis etiàm in Cælum ſubleuatis,
[x] *Barrad. vbi ſup.*
quò donum [y] *omne perfectum deſurſum eſſe, deſcendens à Patre luminum* condoceret; vin plura? etiam Crucis ſigno, dum benediceret efformato, quod ipſum putes & Chri-
[y] *Ioan. 17*
[z] *Barrad.*
ſtum feciſſe, cùm ſæpè aliàs, tum præcipuè cùm in Cælum iturus eſſet, [z] non minus pia ſapientum, quàm mihi probata in non paucis ſententia, vt inde cæptus ſit qui po-
[a] *Epiſt. 22*
ſtea viguit, *ad omnem actum* vt cum [a] Hieronymo loquar & *ad omnem inceſſum*
[b] *De Spir. S. cap. 1.*
Crucis manu pingendæ vſus, nec non rectè ſentiat [b] Baſilius, *ab Apoſtolis* (Chriſto nempè docente) *in Eccleſiam fluxiſſe traditionem, vt fideles, tàm in Sacris, quàm in ce-*
[c] *De cor. milit. cap. 3. 4.*
teris rebus, quibus benedicerent, manu ducta Crucis ſignum exprimerent; Et [c] Tertullianus, *huius diſciplinæ, ſi legem* (inquit) *expoſtules Scripturarum, nullam inuenies: traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſeruatrix*, non quaſi velit Tertullianus, nullum in Scriptura Crucis formandæ extare veſtigium, aut à Chriſto exemplum, ſed vt ab ipſo docti bene precari per Crucis ſignum Apoſtoli, id ipſum ceteris etiàm rebus ad arcendas dæmonum inſidias imprimendum præceperint: hoc enim eſt quòd ait, *Ad omnem progreſſum, atq; promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, & cubilia, ad ſedilia quæcunq; nos conuerſatio exercet frontem Crucis ſignaculo terimus*. Quamquam
[d] *Ad Philip. cap. 3.*
nihil abſit à vero, in ipſis naſcentis Eccleſiæ exordijs, contra emergentes primùm inimicos Crucis Chriſti, *quorum* vt [d] Paulus ait, *finis interitus, & gloria in confuſione ipſorum*; hæreticos intelligo, Chriſtum verè crucifixum eſſe pernegantes, ſed imaginem duntaxat eius in Cruce viſam, ipſum verò ſe ſubtraxiſſe perhibentes, Eccleſiam Catholicam vehementiùs obnixam, non tantùm Chriſti Crucem verbis fuiſſe profeſſam, ſed ſignis quoq; & factis expreſſiſſe. Vt inde poſtea ductum ſit principium, inſtar Crucis, in qua paſſus eſt Chriſtus, ligno compactas erigi Cruces in titulum,
[e] *Ad Philip. Ep. 8.*
quas fideles venerarentur, hoſtis Dei, ac humani generis exhorreſceret, *velut*, quòd dicit [e] Ignatius, *trophæum erectum contra ipſius potentiam, quod vbi viderit horret, au-*

diens

diens timet, tùm verò demum idem ſignum ceteris quoq; rebus vt diximus, exaugurandis, ſacrandiſq; fuerit adhibitum.

Sed enim CHRISTVM Saluatorem, Crucis manu ducendæ cùm præſertim benedixiſſet fuiſſe Principem primumq; auctorem, cùm illa ratio probe ſuadet, nihil propemodum Apoſtolos quòd non à Chriſto, vel Virgine accepiſſent in Eccleſiam intuliſſe, tum [f] pia ſapientum cogitatio peruincit, præter voces facto quoq; præſtitiſſe, cùm iam ingreſſurus viam cæli manibus eleuatis, benedixit eis, hoc eſt diſcipulis quot in Bethaniam foras eduxerat, animoſq; cum oculis ſpectantium dum leuaretur poſt ſe ferebat. Quin etiam illa pietatem veri ſapit opinio, Chriſtum inter opellas infantiæ, paternis inſtrumentis ſæpè ligneas Cruces èlaboraſſe, tenelliſq; aptando humeris, interdum manibus ac pedibus paſſis, meditatum ſibi ſupplicium præluſiſſe, vt huc reſpexiſſe videri poſſit, cùm dixit [g] Tollite iugum meum ſuper vos, ſymbolicis verbis proponens in Euangelio, quòd ipſe ab infantia mente præceptum, nouiſſimo declaraturus erat exemplo. Tum verò cariſſimam genitricem, nunquam animo oculiſq; aliorſum digeſtis, in ſolas intentam nati actiones, didiciſſe imprimere cordi ſuo, quod ille edere ſolitus eſſet in ligno, exinde verò teſſeram ſumpſiſſe agendarum firmandarumq; rerum, nihil vt unquam mente, vel opere exequeretur, quod Crucis ſigno non eſſet auctoratum. Ita enimverò quòd alibi ſignificatum à nobis, & hanc ad Meſſanenſes Epiſtolam inſigniuit, & eorundem Legatos poſtremùm benedictione data, Crucis quoq; manu ductæ virtute vallatos dimiſiſſe, par eſt credere.

[g] Matth. 11.

Quo loco ſi iterum inſulsè ludit exauctoratus ſemel Anonymus, quaſi Pontificium Virgini, quod ipſa repudiet ingeramus nomen & poteſtatem, maiorem etiam leuitate præfert imperitiam, quàm quæ grauiori calamo peſtringi debeat, niſi tanta hebetudo ad Theopraſti quod aiunt cotem citra moleſtiam duci queat, & ad acumen iudicij ſi poteſt, euocari. Igitur Sacerdotes & Pontifices ſunt hodie omnes, qui benedictionem alijs impertiuntur, parentes filijs, maiores minoribus, amicis amici? quod hoc nouum doctrinæ genus, ex Collyridianorum, an ex recentiore Lutheri Schola proſeminatum, quo iam feminis etiàm, ſi filijs, alijſq; benedicant, Sacerdotibus ac Pontificibus eſſe liceat? An Sacerdotes Patriarchæ omnes, an [h] Iacob qui filijs benedixit, an [i] Ioſeph qui fratri, Moyſes qui Iſrael, an deniq; [k] Simeon [l] iuſtus qui CHRISTVM accepit in vlnas ſuas & benedixit Deum? negabit Anonymus: peritè ſcilicet, quia non à quacunq; benedictione arguit Sacerdotem, ſed quæ manu ducitur in formam Crucis; ita videtur innuere; indigna enimuerò ſententia, quæ ad aures hominum admittatur; num igitur Sacerdos [m] Iacobi qui nepotibus benedixit, commutans manus hoc eſt in formam Crucis componens? num Sacerdos [n] Moyſes, qui *poſuit ſuper Nun filium Ioſue manus ſuas*, & ex ea impoſitione *Nun repletus eſt Spiritu Sapientiæ*; aut etiàm hanc ob cærimoniam planè dicendus Apoſtolus? certè enim huiuſcemodi ritus, officium ſpectat Sacerdotis & Apoſtoli; benedicere ad Crucem ſi quæ Tertulliano fides, nullum habet eximium. Nulla ſanè impudentior quàm imperita calumnia.

[h] Gen. 49.
[i] Gen. 43.
[k] Deut. 33.
[l] Luc. 2.
[m] Gen. 48.
[n] Deut. 34.

Age verò nugetur adhuc Anonymus, ex ea benedictione remiſſionem criminum obueniſſe Meſſanenſibus, nec minus ſanctitudinem animorum quàm priuilegiorum, quæ illis ad omnem vim pro muris ſunt, acceſſiſſe, neſciat quid dicat, dum verum dicat: Nam & Caiphas quemadmodum dicebam ignorans prophetauit, & vtilem humano generi ſententiam explicauit. Enim verò ex ea benedictione, manante tunc in terris, nunc in Cælis Virgine, quin pios animorum motus Meſſanenſes concipere potuerint, eoſq; ad abolendas vi ſanguinis Chriſti noxas

dirigere, extorris ſit à fide, qui neget; nec minus imprudenter ſapiat, ſi putet eam Meſſanenſium felicitatem, quam per tempora magnis poſt ingreſſum Euangelij auxerunt incrementis, aliunde quàm ex repromiſſa cum benedictione Virginis protectione fuiſſe propagatam. Etenim ſi imponente manum Moyſe, Spiritus Sapientiæ Nun Ioſue filium inſedit, quid putandum, benedicente Virgine, manuſq; vt ſic dicam protectrices imponente, quantumq; gratiæ potuiſſe Meſſanenſibus accedere? Si benedictiones & comprecationes Patriarchales, ingentem bonorum copiam, quæ in terris ab homine cenſeri poteſt, filijs Iacob attulerunt; quam vim habeat, eius benedictio Matris, cuius vteri fructus ſuper ſumma rerum benedictus, imò fons totius eſt benedictionis, cogitet cui pectus ſanctè ſapit. Certè ſi adſalutationes, & apprecationes Apoſtolorum [o] ſecundum Origenem, veterum Patrum benedictionibus longè excelluerunt; quid quæſo cogitandum de benedictione Virginis eatenus gratia plenæ, vt ex eius plenitudine, non Apoſtoli duntaxat ditelcerent, verùm hodieq; totius humani generis inopia ſubleuetur, neq; ſolùm, ſed ad quam benedictiones omnium olim Patrum anhelarunt, donec [p] ex ipſa procederet *deſiderium collium æternorum*. Quidni ergo ſi quæ vnquam felicitas domi foriſq; rebus Meſſanenſium affluxit, affluetq; in poſterum, ex hoc certiſſimo fonte deriuare ſit dicenda? Quod quidem, ſi nihil aliud ſit, repetito duntaxat perſæpe ſedatæ peſtis exemplo clareſcit apud Orbem, quo non aliter ac olim Romæ, cum ad peſtilentiam [q] mortifera quoq; ſternutatio atq; oſcitatio acceſſiſſet, merſæ iam propemodum funeribus Vrbi, ſalutis imprecatio, quæ hodieq; tenet, ſalutem attulit; ita Meſſanæ ſæpius eo malo conflictatæ, Virginis illa ſalutatio ſanitatem patrauit, & ne in tot, belli cauſa confluentis populi colluuione, adhuc ſæpius periclitaretur, cauit; neq; ſolùm, ſed non ſemel præterea morte & fame afflictam, ad omnem iterum ciuium & victus vbertatem elicuit, vt qualem olim benedictionem [r] Ioſeph præ cæteris dilectus à patre Iacob morituro ſuſcepit. *Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli deſuper*; ſimilem ſimilibus ponè verbis, *à patre omnipotente* arceſſitam ſuauiſſima Virgo, in dilectæ Ciuitatis ſinus effuderit.

Verùm de huius benedictionis vi ac virtute erga Meſſanenſes, ſuo loco fortaſſe plura dicturi ſumus; nunc illud obiter incidit, quemadmodum olim attritæ ſæpè ingentibus terræmotibus, ac [ſ] penè ſuis ſepultæ ruinis Antiochiæ, ea ſententia ſecuritatem fecit, quam Diuinum oraculum in hæc Verba pro foribus inſcribi præcepit, CHRISTVS NOBISCVM STATE. Ex quo deinceps Antiochia, Theopolis, hoc eſt Ciuitas Dei dicta fuit; ita prorſus ex ſuſcepta benedictione, rataq; Virginis ex promiſſo protectione, contra omnium diſcrimina rerum, hæc ſententia (quã perinde cordibus ac foribus inſcriptam optauerim) MARIA NOBISCVM STATE virtutem ac ſalutem ſit allatura, vt quæ ab initio fuit, deinceps quoq; verè Ciuitas Matris Virginis dici queat, in ſuoq; ſemper decore ac ſplendore creſcat, perſeueretq;.

At enim ſi hactenus rectè diſceptatum ſit, compreſſaq; à tergo & lateribus calumnia, nunc, ſi paucis à fronte vrgeatur & ſimulata duntaxat, non mutata ſententia, quò ſe tandem diſijciet, quò colliget Anonymus? Quæro igitur quis vnquam Romanorum Pontificum, ea præciſa ſalutatione vſus eſt in literis Apoſtolicis; ne oſtendere cogar, ſolenne eſſe bono iſti uiro multa gratis & incogitatè aſſerere: nihil enim reperire eſt in bullarijs præter communem illam formam, à Cleto vt diximus primùm adhibitam, *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem*; qui ſanè conceptus, ſi formalia (quod dicitur) verba ſpectemus, longè diuerſus eſt ab eo quem ad Meſſanenſes Virgo præfert, in eodem tamen ſi attento ſenſu, non verbis, ſimiles contineantur gratiarum comprecationes, inconcinnè dicitur, poſt tempora exorituros

induci

[o] In cap. 1. ep. ad Rom.

[p] Gen. 49.

[q] Sigõ. lib. 1. de Regno. Ital.

[r] Gen. 49.

[ſ] Niceph. l. 17. c. 4.

induci mores, quando ſicut ea Pontificum præſalutatio Apoſtolorum inſtituto, (licet primus in exemplum miſerit Cletus) eſt introducta iuxta [t] Baronium, ita par tẽpore niſi etiam ſuperior, à Chriſto ante nominatos Apoſtolos accepta, in Virginis literis argumento data ſit ea ſalutandi, ac benedicendi forma, quò proinde minus cõſulta ſit omnis cogitatio, quæ non magis inanem & fictam putat eam ſalutationem, quàm quòd fingendi culpam in poſteros vertat. Quid ſi Virgo eandem cum ceteris Apoſtolis præfixiſſet apprecandi ſententiam? profectò longè magis efferbuiſſet calumnia, Dei; Matrem Apoſtolorum Magiſtram, de vſurpato Apoſtolatus munere poſtulaſſet, imò citius condemnaſſet. Quid ſi prætérita IESV CHRISTI mentione, miſſa Dei Patris omnipotentis benedictione, ſalutem duntaxat impertiuiſſet? parem dubio procul cum Epiſtola Iacobi ſubiuiſſet aleam, de qua legitima nec ne, eſſet, Hæretici falſum ſtatuerunt, Caetanus de veritate dubitauit, quòd vt inquiunt [u] Magdeburgenſes, ſalutatio eius Epiſtolæ nihil ſonet Dei, nihil IESV CHRISTI, nihil gratiæ, nihil pacis, ſed profano tantum more, (cuius rei duo notat exempla in Scriptura [x] Lorinus, Gentilium ad [y] Artaxerxem, [z] Artaxerxis ad Gentiles), ſalutem præfert, ac quaſi in manibus haberet præcipit potiùs, quàm apprecatur. Verùm ſicut Synodale ſcriptum illud, quo Apoſtoli [a] fratribus, ac Gentibus ſalutem dicunt, ita Iacobi Epiſtola, qui fortaſſe genuino ſeruato ſtylo & hanc & illud dictarat, Spiritum ſapit Apoſtolicum, ita præterea concepta illa à Virgine præſalutatio, diuina omnia ſpirat, adeoq; per omnes virtutum ſed humilitatis præcipuè gradus, ſanctitatem eximiam effigiat, vt ſi nihil aliud, ea ſola ſalutandi forma argumento eſſet, non aliunde quàm à Deipara Virgine profectam, quòd cùm ſingularis ſit in modo, ſanctior quoq; ceteris ſit in gratia deferenda. Nam vt mittam ſingulos ferè ſalutando variare Apoſtolos, Ignatium præterea, Martialem, Polycarpum, in omnibus propemodum Epiſtolis ſuis, ſibi non paulò eſſe diſſimiles, atq; adeo parum illos penſi habuiſſe de temporum ac Gentis conſuetudine, quæ ſola res in tam diuerſa agit Anonymum; hæc Virginis ſalutatio ita ſecreta eſt ab omnium ſalutandi modis, vt non in alio conueniat, niſi quòd ſumma cum felicitate quam affert, illa etiàm bona quæ ceteri comprecantur includat, longeq; maiori gratiarum copia præponderet.

[t] Ad an. 45.

[u] Cent. 1. l. 2. col. 54. & 583.

[x] In Act. Ap. c. 15.

[y] 2. Eſdr. 4

[z] Eſther.

[a] Act. 15.

DE NOTIS TEMPORVM QVIBVS SIGNATVR Epiſtola Deipara.

SEQVITVR in Argumento. Multò maius negotium faceſſit extrema Epiſtola, ac formula claudendæ. Anno Filij noſtri XLII. Indict. I. III. Non. Iunij. Lun. XXVII. Fer. V. ex Hieroſolymis. Quid Virgini Hebrææ more patrio ſcribenti cum Indictionibus, Nonis, Iunio Menſe, ferijſq;, Romanorum vocabula & inuenta. Neq; Hebræis vſus tum fuit claudendi Epiſtolas nota vlla temporum, Anni, Menſis, Diei, Lunæ, Feriæ. Notum ex Epiſtolis Sacris Petri, Pauli, Iacobi, Ioannis, Iudæ. Hæc Anonymus.

Libenter equidem hoc onere leuarem fatigatum, niſi ipſe ſpontè ſuccollaret. Ceterùm duobus modis aduerto in re propoſita fieri potuiſſe, Virginem Hebræam patrio more ſcribentem, Romanorum inuenta fuiſſe ſecutam: altero quidem vt totam Epiſtolam Hebraicè contextam, addita duntaxat temporum nota Iudæis inſueta, faceret à patrio more extorrem; altero autem, vt eadem nota, latina lingua, & characteribus exarata, Hebraicam alioqui Epiſtolam variaret. Vtrumuis adſtruxerit diſputator egregius, ſibi ipſi tenebras & angulos parauerit. Nam vt mittam quæ to-

ties ante ſunt inculcata, Virginem ſicut ceteros, impunè, magnaq; cum laude potuiſſe cuiuſuis gentis & temporis conſuetudinem pro ſcribendi occaſione probare: neſcio qua eruditione fretus auſit proferre, Hebræis non fuiſſe vſum claudendi Epiſtolas, ſignandiq; vllis temporum notis. Id enim ſi fortaſſe colligat ex Epiſtola fratrum Machabæorum ad Romanos [b] miſſa, in qua ſimiles notæ prætermiſſæ ſunt, facile etiam concludet neſcitum à Græcis, quia neq; in Epiſtola [c] Alexandri ad Ionathan neq; Demetrij Regis ad Gentem Iudæorum, nec deniq; [d] Antiochi ad Ciues Iudæos temporum exprimuntur characteres, cuius tamen contrarium alia demonſtrant exempla Græcorum, tum Lyſiæ [e] ad populum Iudæorum, Anno centeſimo quadrageſimo octauo, menſis Dioſcuri, ideſt Nouembris, die vigeſima quarta; tum Regis Antiochi ad Senatum Iudæorum, eodem anno, Xantici menſis id eſt Aprilis, die decima quinta. Vel ſi iſti omnes Græci non fuerunt, ſaltem ſecundus liber Machabæorum vt quibuſdam placet Græcè compoſitus, in Græca menſium appellatione, ſatis ſuperq; facit, perinde fuiſſe ad morem gentium, notis temporum munire, vel immunes mittere literas, quando idem Antiochus nunc in Epiſtola ad Iudæos eiuſmodi ſigna extare voluit, nunc verò in ea quam ad Lyſiam dedit, abſtinuit.

b 1. Mach. c. 8.
c 1. Mach. c. 10.
d 2. Mach. c. 9.
e 2. Mach. c. 11.

Quòd ſi Romanorum imitatione id factum quiſpiam aſſerat, exemplo nimirum [f] Quinti Memmij & Titi Manilij Legatorum Romanorum in Epiſtola ad populum Iudæorum, Anno centeſimo quadrageſimo octauo; Menſis Xanthici die decima quinta perſcripta, quod eodem libro narratur; iam immeritò vertitur vitio Hebrææ Virgini ad Romanorum ſocios ſcribenti, moribus gentis condeſcendiſſe, quos pleriq; nedum in Epiſtolis, verùm etiam in foris Vrbium libenter affectabant. Si denuum exempla non ex Scriptura petenda ſint, ſed ex profanis Hebræorum actis, ea Anonymus, tam Hebraici ritus, ac moris peritus afferre debebat, ne pro more contra morem in incertum pugnaret: neq; enim ex Epiſtolis Apoſtolorum, quas ille iactat, vlla ſumi poteſt ratio conſtans ac certa, quando præter vnicam ad Hebræos, reliquæ omnes Græcè fuerint ab iiſdem conſcriptæ; quin verò ſicut in illa ad Hebræos ex miſſa in principio ſalutatione, perperam quis inferat Hebræis non fuiſſe conſuetum præmittere ſalutationes, ita neq; ex prætermiſſis temporum ſignis in reliquis Epiſtolis, rectè concludat alienum fuiſſe ab eo temporis ac gentis ritu, cùm liberet, literas exſignare; peroptimè verò ex eo, quòd & Hebraicæ epiſtolæ interdum eiuſcemodi præferunt ſalutationes, interdum verò mittunt; & eodem modo Græcæ perſæpè vacuæ ſunt à temporum notis, aliquando verò illas habent: peroptimè aio ſtatui poſſe, arbitrarium cuiq; fuiſſe, quo vellet modò in Epiſtolis conſcribendis vti, nec aliud ea in re certiùs viguiſſe temporis ac Gentium Romanis parentium inſtitutum, quàm liberam cuiuſq; voluntatem, habita præſertim eorum ad quos ſcriberentur prudenti ac circumſpecta ratione.

f 2. Mach. c. 11.

Sed verò hæc dicta volumus de Epiſtola Virginis ex integro Hebraicè conſcripta; nam ſi characteres duntaxat temporum ſint Romani, quemadmodum videtur diſcernere præſignis iſte Tabularius, cùm dicit Indictiones; Nonas, Iunium menſem, Ferias, Romanorum eſſe vocabula & inuenta, eleuandum potiùs eſt argumentum, quàm pluribus refellendum, quaſi hæc ipſa non potuerint Hebraicè dici in gente Romanis promiſcua, vel ſaltem pro Idiomatis lege, ac natura circumſcribi. Quamquam ſi quis obtendat Deiparam Virginem Romanè peritam, verbis & apicibus Latinis eas notas expreſſiſſe, nihil ſanè habebit aduerſarius quòd magnopere poſſit opponere, neq; id præter decorum videbitur eſſe conſideranti, quemadmodum Latinis, lepore quodam vſus interdum placet Græca ſuis interſerere Epiſtolis, ita Hebræis illa tempeſtate præſertim, Romana ſaltem in ſpeciem affectantibus, Latinas,

Græ-

Digitized by Google

Græcaſq; phraſes ſubinde, ſed ſæpius Romanas temporum notas, ſtudio gentis arriſiſſe.

Atq; hac leui ſaltem velitatione, nihilo plus obtinere contendimus hoc loco, quàm anni duntaxat, Menſis, Lunæ, Dieiq; ſigna, moribus Hebræorum, eiuſq; temporis conſuetudini nequaquam fuiſſe aduerſata, multoq; magis numerationem Lunæ vſitatam illis fuiſſe, nemo vel tenuiter literis aſperſus dubitabit, eandemq; ſi cærimonijs dierum ſeruandis addictam præcipuè fuiſſe nouerit, perinde tamen citra piaculum ſcriptis ſuis ſignandis, ne memoria falleret adhiberi potuiſſe non negabit.

DE AERA CHRISTI SEV NVMERATIONE Anni ab eius Natiuitate.

SED pergamus ad cetera, quæ his continuantur in argumento. Iam verò inquit Anonymus, quot in ijs verbis pugnantia, quot errata, quot mores temporum ad Superiora retracti? Siſtamus ad Tribunal veritatis, cunctaq; ſingillatim examinemus. ANNO FILII NOSTRI. In duobus verbis duo peccata, alterum contra morem, alterum contra verum. Primùm manifeſto. Contra morem temporum eſt, neq; tum inductus vſus conſignandi acta IESV CHRISTI annis: quippè Chronologiæ ratio per Conſules, & Imperatores in Eccleſia diu retenta, quòd erroribus obnoxia minus eſſet. Id antiqua Concilia nos docent. Pontificum, ac aliorum Sanctorum Epiſtolæ. Sero anni à Chriſto Domino numerari cœpti. Beda memorat in libro de temporum ratione capite quadrageſimo quinto, auctorem computandi annos Dionyſium Abbatem Vrbis Romæ fuiſſe. Cauſa odium hominis impij. Nam cùm Græci à Diocletiano Principe annos numerarent, ne immaniſſimi Principis memoria Sacris annecteretur, Dionyſius Vir maximè pius, Latinèq; ac Græcè doctus, reſciſſis Olympp. Coſſ. Impp. Indd. annos à Chriſto numerare cœpit, id ab eo factum ſub annum à Chriſti ortu DXXVII. Falsò igitur Epiſtolæ affixus Chriſti annus, ſi nondum cœperat mos numerandi à Chriſto Domino. Hæc quoad primum.

Quâ in re non vna ſanè moleſtia nobis deuoranda eſt, tum quòd inconſultæ rationi reſpondere cogamur, tum quòd ſimilia ſæpius veniunt inculcanda, quaſi ſub haſta ſit agendum. Cui enimuerò non ex templò veniat in mentem, Deiparam Virginem, quæ omnia Chriſti filij ſui conſeruabat in corde ſuo, potuiſſe etiam annos eiuſdem in carne diligentiùs obſeruare, & ab eius memoria temporum ſignare metas, ea præſertim occaſione, qua recens ad fidem adductis Meſſanenſibus, non parum profuit ad religionem, eius exactè noſſe ætatem, qui tot annos laboris & doloris plenos pro ſalute hominum tranſegit in carne. Vt mittam, & hinc firmamentum acceſſiſſe dictis [g] Pauli, qui cùm nuper, ſicut pridem Athenienſibus, deſpecta à Deo ignorantiæ tempora denuntians, ita Meſſanenſibus annum acceptum prædicaſſet, dubio procul ætatem quoq; humanam, Dei Saluatoris ex Virgine nati digeſſit ab ortu & morte; quam tamen ſi ex ipſa ſciſſent Matre, neſcio qua peculiari quadam animorum propenſione, ſalutem ipſis quoq; natam adamaſſent. Et profectò ſi nihil frequentius inter aliàs Matres, quàm menſibus propè ſingulis, nedum annis, natorum metiri tempora, ſuæq; memoriæ certiùs interdum hinc conſulere quàm ex faſtis Conſulum, aut Vrbium Regnorumq; annalibus, quid putandum de illa Matre quæ Orbis, annorumq; reparatorem vtero tulit, eundemq; iam natum, deinceps verò etiam in Cruce dena-

tum

[g] *Act. 17.*

Digitized by Google

tum ab omnibus ſciri voluit in annis, nè quiſpiam ſuos ſalutiſq; obtinendæ negligenter præteriret annos.

Non vtiq; Deipara Virgo poſteriorum temporum mores ad ſuperiora retraxit, ſed meliori ſanè putationi princeps & auctor ipſa principium dedit, quam deinde non ſanè à ſe excogitatam, ſed felicitate quadam quina poſt ſecula indeptam vel reuocatam, Dionyſius Exiguus in conſequentes ætates latius intromiſit, & quodammodo Eccleſiæ totiùs celebritate donauit. Enimuerò Dionyſium non fuiſſe eiuſcemodi epochæ primum auctorem, ex fragmento Hiſtoriæ Flauij Dextri, vno ante Dionyſium ſeculo conſcriptæ licet recolere, vbi digeſta per annos Chriſti, & ætatem Romæ tempora, longè aliter nos ſentire cogunt, quàm hactenus ex recentiore à Flauio Beda, vel ſi qui aliùs ſit ille, ceteri tradiderunt. Quo tamen loco ſi cuipiam veniret in mentem, eas annorum Chriſti notas, alieno acceſſiſſe commento an induſtria; quāquam hiſtoriæ fidem minimè verteret, noſtræ tamen rei ſecundùm præceptam ab initio poſitionem, haud parum commodaret, proximum quippè eſſet animaduerſioni, & huic Deiparæ Virginis Epiſtolæ peregrino ſed minus cauto ſtudio, dictos temporum characteres inceſſiſſe. Sed tueamur acceptum, & extra inſtitutum licet habeatur Flauius Dexter, id ipſum vetus Alexandrinæ Eccleſiæ conſuetudo ſat veriſimili firmat argumento, quòd vt notatur apud Baronium [h] ea Eccleſia cum vniuerſa Aegypto deteſtata chronologiam illam, quæ ab immani Chriſtianorum hoſte ducebatur, illud præſtitit immortalitate dignum, vt non à Diocletiano, ſed à Martyrum natalibus potiùs, quàm diebus emortualibus, quos perſecutio Diocletiani coronauit, annorum computum deriuaret. Qui vſus hodièq; viget apud illos nulla viciſſitudine ſi ſeriem ſpectes perturbatus, habetq; fidem ex literis Gabrielis Patriarchæ quas cenſet [i] Baronius. Eſt autem clauſula talis *Scripſimus die XVI. menſis Natur benedicti, Anno à Sanctis Martyribus milleſimo trecenteſimo decimo; iuxta Coptorum computationem*, id eſt die vigeſima ſecunda Menſis Nouembris, Anno Domini Milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo tertio. Et illa in literis Ioannis adminiſtratoris eiuſdem Patriarchatus. *Datum die Sabbati benedicti, duodecimi menſis Chiach benedicti. Coptici anno milleſimo, trecenſimo decimo, à captiuitate Martyrum mundorum*: id eſt die decimo octauo Menſis, Anno Natiuitatis Domini milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo tertio. Quis verò credat Alexandrinos, in eo annorum exordio Martyribus ſacro, non reſpexiſſe in Principem Martyrum, cuius ſanguis ſemen fuit aliorum, vt ab eo longè ſacratiori principio tempora numerarent, quàm ſi Martyrum duntaxat ſub perſecutore decertantium memoriam ingeſſiſſent? Ex quo tamen habemus, vetuſtiorem, ſi non vniuerſim, ſaltem alicubi gentium fuiſſe abrogationem æræ Diocletianæ, aliarumq; putationum, quàm quòd ex Beda, Dionyſio Exiguo longè poſt viuenti acceptum referatur.

Ceterùm propius etiam verò eſt, quàm vt fidem haud mereatur, in ijs Chriſtianorum copioſis codicibus, quos eiuſdem perſecutoris impia ſanctio per vniuerſum Orbem flammis addixerat, non paucos vbiq; conflagraſſe, qui rerum in Eccleſia geſtarum memoriam annis Chriſti redderent nobiliorem, feciſſentq; in poſterum, niſi Chriſto in Martyribus triumphante, ad obterendum magis, infame perſecutoris nomen, eorum quos ipſe ſuſtulerat rationem Chriſtiani duxiſſent habendam. Ita opinor in diuerſis Eccleſijs diuerſas ſubinde viguiſſe putationes annorum, ſed neq; Romæ, quamquam ab auctoritate Imperatorum populi conſuetudo penderet, eundem ſemper tenuiſſe vſum, ſed interdum à nominibus Conſulum, ab honoribus Imperatorum, interdum ab Vrbe condita, vel permixtim, annorum ſeriem propagari ſolitam: Inter Chriſtianos verò, à Chriſto vel paſſo, vel nato ductam, quàm primum, ſi non vbiq;

h Tom. 7. ad ann. 330.

i In append. tom. 6.

vbique, conſtanter tamen apud multos viguiſſe; & extarent eius rei veſtigia non obſcura, niſi quod modo dicebam, plurima Chriſtianorum acta, inuidia Tyrannorum, omni flamma voracior abſumpſiſſet: donec tandem velut inter cineres retectam, Chriſti nomine poſt tempora Conſtantini, iam latius in orbem ingreſſo, Dionyſius Abbas, meritò à Caſſiodoro [k] laudatus, iterum eius rei memoriam repoſuiſſet, non eo ſane calculo quem conſtans annorum nexus ſi Ioani Deckerio credimus, ſed qui luxata quamuis in paucis ſerie, ad figendum in pectoribus ac paginis Chriſtum, abolito quoad fieri poſſet profano perſecutorum nomine, plurimũ facere videretur, *quatenus* (vt inquit [l] Beda) *exordium ſpei noſtræ notius nobis exiſteret, & cauſa reparationis humanæ, id eſt paſſio Redemptoris noſtri euidentius eluceret*, retenta nihilominus in diuerſis Eccleſijs pia quæ inoleuerat conſuetudine numerandi, vel à Triumphis Martyrum, vel ab inſigniori aliqua Chriſtianæ pietatis memoria, quæ digna eſſet ea ſeculorum ad poſteros mittenda propagine.

Quin etiam Romæ iam altè dominante in faſtis Chriſti nomine, alia quoque tenuit conſuetudo, figendorum annorum ab Eccleſiæ Romanę ædificatione, cuius exemplum illuſtre extat apud Baronium [m] in geſtis Agapeti, vbi etiã id veteris Chronographiæ obſeruat inſtitutum, quòd quemadmodum priſcis Romanis mos fuit ab Vrbe condita cenſitos annos deducere, ita primis Chriſtianis viſum ſit ab Eccleſia Romana condita, memorias temporum ac rerum conſignare, cui etiam putationi ſuam ad amuſſim cohęrere Chronographiam ſibi perſuadet ipſe Baronius. At enim id exempli tametſi paulò ſit recentius, reſtitutis à Dionyſio Chriſti annis, conſuetudinem tamen eiuſmodi deductionis antiquiorem multò fuiſſe, nemo facile negauerit; eamque prorſus cœpiſſe cum ipſis Eccleſiæ Romanæ à Petro fundatæ incunabulis; credere procliue eſt magis quàm improbare: eidem verò præiuiſſe vſum in ſignandis à Chriſto annis, tam mihi certum eſt, quàm indubitatum, nihil à cana illa fidelium pietate prætermiſſum, vnde vel minima, nę dicam adeo præſignis ad honorem Chriſti, religioniſque augmentum fieret acceſſio: quin imò nihil Deiparæ Virginĩ fuiſſe fixum magis, quàm continuò meditando voluere, quibus ætas illa ſalutis à præſepe ad Crucem fuerit exacta curriculis, itidemque non ore ſolùm, ſed data occaſione, calamo quoque interdum promere, quod tam æſtuanti pij pectoris ſtudio volutabat, vt iccirco nihil videri ſanctius poſſit, quàm eam ab ortu Chriſti numerandi conſuetudinem à Virgine duxiſſe initium, primoſque facile fuiſſe Meſſanenſes, qui arreptam ad reliquos tranſmiſerint. Nec verò magnopere curandum, ſi ceteræ quas Virgo exarauit, immunes ab eiuſmodi notis ferantur Epiſtolæ, quando pro re nata, aliud atque aliud videri potuiſſe faciendum, nemo non ſapiens iudicarit, idemque iudicium de Apoſtolicis Epiſtolis tulerit, haud alia forſitan meliori de cauſa, quàm rei à libero vſu pendentis arbitrio: quamquam in præſenti inſtituto non ineptè ęſtimari poſſit, confirmandę etiam Pauli apud Meſſanenſes prędicationi, horumque pietati ac religioni Virginem in ijs notis affigendis ſtuduiſſe.

Verùm quod arreptam à Virgine conſuetudinem, Meſſanenſes tranſmiſiſſe, coniecturę datam velim, id in Occidentis duntaxat oris opinandum erit, reſtrictaque pro temporum difficultate ſcribendi licentia, potius in ore piorum verſatum quàm in chartis. Cæterùm in Oriente longè id ante concedendum Magis Chriſti adoratoribus, nemo dubitarit, quando illis exortus Stellę natum Saluatorem prodentis, ſignandorum quoque temporum ab eius natali die, quem tot annis de cælo ſeruauerant, ſatis cauſę fuit, vt nimirum quem Deum in carne agnouiſſent, ab eo quoque ducto ſalutis exordio, temporum ſuorum deinceps ętates numerarent. Neque ſolùm, ſed cum ipſum ritum, Magis ipſis auctoribus extremas quoque Solis Orientis

regiones

k Lib. de diu. lect. cap. [illegible]

l De Rat. Tem. cap. 45.

m Tom. 7. ad ann. [illegible]

regiones aliquando tenuiſſe, certius eſt quàm ſecus; in animum inducenti, non pauca apud Sinas alibiq; gentium, nulla non memoria viguiſſe, quæ apud Occidentales [n] longa poſt ſeculorum interualla, quaſi tunc primùm fuiſſent inuenta, eſſe cæperant. Quo ſemel ratum ſit, vt multa mittam, haud conſtantem eſſe ſententiam, quæ Dionyſio tribuit, immiſſos in Eccleſiam potius quàm reſtitutos Chriſti annos. Quà in re probanda, ſi quæ hactenus adducta ſunt, minimè ſufficiunt, vel ipſi Gentiles adpugnabunt. Illis enim Deorum ſuorum Natales, ſeu quod illo die Templa [o] illis dicata fuiſſent, conuerſis annis ſolemnes erant: neq; id ſolùm, ſed etiam Natalis [p] Salutis, aut quo die Templum illi datum, præcipuo quodam cultu ſacer habebatur. Ecquî dubium erit, certantè cum ſuperſtitione religione, Chriſtianorum mentibus inceſſiſſe, vt natalem veræ Salutis, Templis quà liceret inferrent, ſanctiori cultu darent, memorijs annorum obſignarent? Enimuerò ſicut pleriq; ritus Gentilium, adoleſcente paulatim religione Chriſti, in ſacras cærimonias tranſiuerunt; ita putes emendatis profanorum Templorum dicationibus, quæ Natales erant Numinum, ſtatim ab initio Chriſti Natalem diem, dieiq; quotannis memoriam ritè fuiſſe ingreſſam ac ſignatam. Id verò vel tum cæpiſſe, quando [q] Auguſtus Romam reuerſus Sibylla docente, Dei filium agnouit, adorauit, aramq; in Capitolio, primogenito Dei Sacram eſſe præcepit; vel ſexto circiter à Natalis Chriſti anno, quando [r] ſub Conſulatu Aelij Cati, & Sentij Saturnini ingeſtum ſibi Domini nomen conſtanter repudiauit, collatamq; ad Imagines faciendas pecuniã, nõ ſuæ, ſed Salutis publicæ, Cõcordiæq; & Pacis imaginibus voluit eſſe impẽſã, Chriſtũ videlicet natũ, qui [ſ] vera Salus & Princeps Pacis erat, eo argumẽto ſignificans, quem etiam Natalis ille dies Salutis, ignaro tum adhuc Symbolo, quemadmodum apud Athenienſes, cultus Ignoti Dei præſignabat. Sed enim ſi huiuſmodi Gentilium ritus pectora Chriſtianorum ad ſanctiores cogitatus permouerunt apud Gentes; ne putes otiatam fuiſſe pietatem apud Iudæos, quando vel funeſtus ille Baptiſtæ cruore natalis dies Herodis, ſatis habuit argumenti, quò damnata Regis nefarij vanitate, celebritas annua Natalis Chriſti rogaretur, non quidem in illa fidei infantia, quæ viuente adhuc Chriſto inter mortales, ab eodem lactanda erat, & ſecundùm illum religio promouenda, verùm illo ad conſeſſum Patris recepto, quando adultior fides per Orbem incedere poterat, ceteroſq; ritus Chriſtiani, ſed hunc præſertim Natalis ſignandi vſum Templis, & foris, ſcriptis ac faſtis inferre debebant, eaq; memoria ceterarum natalium vanitatem abolere.

Atqui hactenus nihil in duobus illis Verbis ANNO FILII NOSTRI, vnde effluxit Anonymus, contra morem admiſſum, ſatis niſallor luculenter oſtendimus; oſtenſuri etiam libenter hoc loco nihil alienum à Vero committi, quæ erat altera pars argumenti, niſi cum eodem in commodiorem de recta Chronologia diſputationem, paulò poſt ſubijciendam conſultò reijceremus.

[n] Nicol. Trig. de reb. Sin.

[o] Liuius lib. 2.

[p] Cic. Lib. 4. ad Att.

[q] Niceph. lib. Hiſt. c. 17.

[r] Dio. Hiſt. Rom. l. 55.

[ſ] Iſa. 9.

DE NOTA INDICTIONIS.

PERGIT interim ille. Eadem peccata duo contra mores & verum reperias in adiecta Indictione prima. Nam Indictionum apud Hebræos nullus vſus. Romanorum quippè inuentum, ſed neq; tum apud Romanos cæperat. Indictio enim quæ dicta eſt ſyſtema trium luſtrorum quinquennalium, qui ſunt anni quindecim à Conſtantino Magno, inducta Coſſ. Conſtantino III. Licinio II. quòd docent Græci faſti. Fuit is annus Chriſti trecenteſimus duodecimus, ad quem annum copioſè Baronius. Quis igitur ſciolus Indictiones tam ſerò natas in Epiſtolam intruſit?

At

Digitized by Google

At inquies iam indè ab Auguſto cæpere: nunquam probabis. Sed demus. Aliunde te aggredior, & falſitatis arguo, quia falſa Indictio. Chriſti quippè anno quadrageſimo ſecundo, menſe Iunio, Indictio erat decima quinta. Nam vt tradit apud Bedam de Temporum ratione capite quadrageſimo ſexto, Magnus ille Dionyſius, Chriſtus Dominus Indictione quarta natus eſt, ſupra quam ſi annos, orbeſque Indictionum numeraueris, planè inueniens in annum Chriſti menſemq; dictum Indictionem decimam quintā incidiſſe, conſtabitq; ex regula inueniēda Indictionis apud Bedā. Sic ille.

Peritus ſanè miles nunquam è ſtatione egreditur ne periculo caput obiectet. Iterum pro more Hebræorum pugnat. *Indictionum* inquit *apud Hebræos nullus vſus. Romanorum eſt inuentum*. Quid ſi Virgo Romanæ conſuetudini Epiſtolam conceſſam voluit, erit ne Momus aliquis cui id diſpliceat? *Sed* neque *tum apud Romanos cæperat*, vulgaris cantilena, quæ tamen auribus eruditioribus haud apta. Quis enimuero tam ratos fixit Indictionum ortus, vt à temporibus Conſtantini Magni reuelli nequeant ad Auguſtum vel Iulium Cæſarem? *Nunquam* (inquit) *probabis* Ad pauca aſpicientes de facili enuntiant. Sapientior ſanè [t] Gordonius, quæ originem Indictionum altius repeti poſſe non negat: nec minus prudens [u] Petauius, qui multis vltro citroque in medium allatis haud definit. Imo, & Chriſtophorus de Caſtro tametſi alioqui aduerſus, hac in re pertinax minimè eſt. Iſtos non vidit alioſque cōplures non expendit bonus Anonymus. Baronius certè quem ipſe inuocare ſolitus eſt, illud aduerſus Panuinum præcipuè contendit, à Maxentio videlicet perempto minus rectè numerari Indictiones, deinde contra Ioſephum Scaligerum neque ab exhibitione munerum quinquennalium vſque ad vicennalia, ſtatuta periodo annorum, quindecim eſſe numerum Indictionum inuentum, ceterùm an aliquo definiatur antiquiore principio non decernit, quin imò difficilius putat hac in re vera ſtatuere quàm falſa deſtruere. Quid ais Baroni, ſi Anonymus iſte tam certum putet à Conſtantino cæpiſſe, vt contrarium haud vnquam probandum penè Sacramento Pythagorico aſſeueret? certè ea viri Chronologiæ peritiſſimi (vt de alijs taceam) ſententia ſatis reuincit audaciam aduerſarij, qui Græcorum faſtis innixus quaſi Græca diligentius volutarit quàm Latina, tam pertinaciter audet Indictionum primordia Conſtantini temporibus affigere, vt ſciolos vocare præſumat, qui diuerſum qua qua tandem ratione freti opinentur, dignus ipſe ſcilicet, qui Aeſopi calculo ſolus, vt ita dicam omniſcius prædicetur. Mirum verò cur Græcis faſtis fidem habeat, qui, Conſtantino Laſcari homini Græco eādem haud accommodet; caueat ne quod hinc metuit, illic offendat, vt falſo teneatur: ſi faſtos Siculos legiſſet, Siculus ipſe, fortaſſe inter Auguſteam, & Conſtantinianam Indictionem diſcreuiſſet, & ſi Latinos alios legiſſet in Conſulatu Licinij putando non erraſſet. Sed transferatur culpa in auctores, leuis eſt, nec ſine duce, dum non mordicus ſua plectat ætate, maiorem dubio procul Indictionem, quam etiam plurium eruditio laxatis ad Auguſtum protendit ſpatijs, nec ſine cauſa. Ad horum vtique placita, noſtramque (ſi quid rectè) aduerſus Caſtrum velitationem libenter vocem Anonymum, niſi ipſe iam ſpontè concedat, haud ſecurus dicti, niſi cùm peruidit, callidè diſſimulauit, quò ad caſſes pertraheret argumentum.

[t] Ad an. 312.
[u] Lib. 11. cap. 10.

Itaque demus inquit ab Auguſto cæpiſſe Indictiones, aliūde ſe prodit falſitas, quia anno Chriſti quadrageſimo ſecundo, menſe Iunio, decima quinta cadit Indictio. Sic Dionyſius apud Bedā, quarta quippè Indictione Chriſtum ponit natum. Reuolue Orbes Indictionum, & ſententiam laudabis.

Equidem apud Bedam inuenio ſecundū Dionyſiū Indictione quarta natū Dn̄m, quo quo tādē id calculo deducatur, eoq; iacto fundamēto ſi reuoluatur cyclus Indictionū,

Digitized by Google

non luſerit operam Anonymus; verùm principium arceſſat à Septembri, alioqui Antiochenam ſecutus epocham ſi à Maio ducat, toto cęlo errauerit, ſtabitque ad votum fixa prima Indictio, ſi illa epocha quadraginta octo annis retrocedat ab æra Chriſti, vel ſi quatuor minus, vndecima prodibit, non alia fallens nota, quàm vnitatis, aut intercidente, aut potius accidente, quod inertia ſcriptoris fecit, apice quo in alterum Indictio relapſa limitem, ſtatum ſua ſede ſignaret annum. Quamquam ſi retracto qui à Conſtantino cæpit in ſuperiora tempora more Eccleſiæ, vt decimus ſextus quique annus à Ianuario indeptus primam ferat Indictionem, quod nonnulli dictarum in Epiſtola notarum ex inſtituto Patroni probant, erratum ſit magis quàm in cubo Delphorum. Mihi diſceptandi animo rem tuenti Antiochena placet putatio, tametſi quod aliàs obtendi, calculis Indictionum quauis de cauſa variatis, vitium Epiſtolæ nolim inſidere. Et verò miſſis etiam quæ alibi copiam fecerunt argumentorum, ſi iuxta recentiorem animaduerſionem, ſexageſimo ſecundo anno nectatur numerus expanſus Indictionum, ad amuſſim quadrabit quinta Indictio, hoc eſt primum quinquennale iam decurrens, quod vetuſtis à primo cenſu prima interdum dicta fuit, quamuis ad ſignandum haud ita recepta, quò proinde concinnè magis cum Epiſtola Virginis prima cohęreat Indictio, quàm quòd longè ſit deerratum. Verùm aliunde etiam ſe ſe velut in ſinum offert Veritas. Nam ſi ſecundùm Ioannem Deckerium, aliosque ante ipſum ab anno Dictaturæ Cæſaris pangitur Indictio, quarto ſcilicet olympiadis centeſimæ octuageſimæ ſecundæ anno, reuera in annum Chriſti ſexageſimum ſecundum poſt reuolutos ſeptenos Indictionum Orbes, primus octaui ſubimminet annus, qui nondum licet ab octauo Kal. Octobris inchoatus ob numeratam ſolutionem, aliquot tamen ante menſibus ex more indictus ad pendendum cenſum, pro incæpto vulgò putatus eſt, valuitque tum actis, tum literis ſignandis, ad eum ferè modum quo hodieque nonnullæ Italiæ Vrbes, annos ab [x] Incarnatione cęptos in notis habent, alię verò completo iam à conceptione, anno, tribuſque poſt editum Chriſtum menſibus, tempora viceſque ducunt, ſed iſti non ſine errore, illi citra collimant, nec abſque exemplo veri. Id ſi Virgo ſeruauit, primumque putauit annum, ex quo momento, concepto in vtero filio Dei Mater eſt effecta, rectè admodum ſcripſit Anno Filij noſtri, quadrageſimo ſecundo, adde etiam ſexageſimo ſecundo, indictione prima, vel ſi alius quiſpiam ad calculum explorauit annos, eadem habita obſeruatione, minimùm exerrauit.

[x] Ioan. Lucid. de dic. paſſ. c. 3.

Video quàm hæ minutiæ ſufficiant, non ad eludendum modò, verùm etiam ad euertendum Anonymi de Indictionibus argumentum. Sed enim quia ſemel ſyncerè ac priſca fide agere inſtitui, non cęlabo animum, proferamque ſi rectè ſentio errorem, qui ſi non penitus ab oſcitantia vendicet, ex parte ſaltem liberet exſcriptorem. Nimirum poſita vnitatis nota duntaxat, qui iuxtim eſſe debebat character quinarij, inter calamum hæſit ac tabellam, eaque leuis incuria, morem alijs fecit, vt pro decima quinta indictione, plerique deinde primam legerent paſſim, ſcriberentue, perinde habentes in errore animum, ac in veritate religionem, quemadmodum multis (quod alibi etiam aduerti) ſacri ſunt dies quibus exiſtimatione vulgi myſteria diuina creduntur eueniſſe, quæ tamen alio tempore ſunt effecta. Sed in rem præſentem conferta ſuppetunt exempla ſi pretiū faciant. Narrat in primis Ioſephus [y] ab Antipatro præfecturam Galileæ Herodi collatam, cùm iuuenis quindenos duntaxat viueret annos; Idem [z] deinde renarrat Herodem Agrippam ab ineundo regno prępeditum, quod decimum ſeptimum ætatis annum non exceſſiſſet. Itaque dimidij apicis euariatio, totam hiſtoriam offendere cogit, niſi aduertatur, prò græcanico [a] numeri viceni, & quini, characterem quindeni irrepſiſſe. Non abſimile mendum eidem

[y] Lib. 14. Antiq. c. 17.

[z] Lib. 19. c. 7.

[a] ιε pro κε 171.

eidem inceſſiſſe Ioſepho, ſed ſcriptoris vitio ſuſpicatus eſt [b] Baronius, ſed quàm plures eoſdemq; ex compendijs numerorum incidiſſe manifeſtè deprehendit [c] Deckerius. In Latinis non minus præceps errandi occaſio. Exempla præſtat idem [d] Deckerius, à Martyrio Edmundi Regis Anglorum, cuius natalis cælo dies ſignatur anno gratiæ octingenteſimo cum ſeptuageſimo, die duodecimo Kal. Decemb. Feria ſecunda, Luna vigeſima ſecunda; rectè vtiq;, ſed graphicus error pro tertia aut quarta ſi à Septembri ducas, ſextam fixit Indictionem, quòd procliue eſt, elementis Romanis [e] notam ſexti in literam tertij, [f] quartiue tranſpoſitis apicibus deerrare, vel etiam ſignum quarti in characterem [g] decimi quinti deformari, quo quidem pacto, ſed è diuerſo [h] Anaſtaſius Nicænus dum ponit Chriſtum, feria quinta, die Martij vigeſima ſecunda paſcha comediſſe vmbraticum, itemq; authenticum inſtituiſſe, [i] decimam quintam, quæ refigenda eſt, pro quarta ſtatuit Indictionem. Neq; enim vt cenſet Deckerius, ex quo baptiſmo tinctus eſt Dominus, anno decimo quinto Tiberij vllus aliquando cum Indictione decima quinta, verſus eſt annus.

b Ad an. 72.
c In diſſ. Theol. ad Theſ. 24.
d In clip. c. 8.
e I V. pro VI.
f VI. pro III.
g XV. pro IV.
h Queſt. 92. aliàs 93. Sacr. Scrip. To. 2. Bib. Sac.
i I V. pro XV.

Quorſum enimuerò hæc omnia, niſi vt palam ſit, in re propoſita, decimi quinti notam facilius elabi potuiſſe relicta vnitate, quàm in aliorum monimentis demutari; quod tamen factum eſſe, hactenus explorauimus. Quamquam non contendimus animos impetrare legentium, quaſi in hanc opinionem conſtanter flexos velimus; ſufficit enim in tam lata coniectura, eam rationum copiam attuliſſe, ex qua ſapienter inquirenti delectus eſſe poſſet, cùm alioqui ſi primam tueri lubet Indictionem, ſuum & iſta robur ex dictis habeat, nec aliunde neceſſe eſt precarium accerſat argumentum. Nunc ad cetera pergamus.

DE NOTA LVNAE VIGESIMAE Septima.

PERGIT vlterius. Quis excuſet, quæ hic contra mores gentis dicta, & vero pugnantia; Primùm non is apud Hebræos numerandi mos dies à Luna. Et ſi menſes vt à Kalendis Romani, Hebræi à naſcente Luna vt ait S. Hieronymus incæperint, à diebus tamen ordine percenſebant, vt die primo, ſecundo, tertio, & deinceps. Exempla ex Hagiographis afferre ſuperuacaneum eſt. Mos autem numerandi Lunas cæpit, cùm Eccleſia Martyrologium induxit, factumq; vt ex diſtinctione dierum Lunaris menſis ac Solaris, quouis anno Paſchalis dies perueſtigaretur. Adi Baronium in notis Martyr. Rom. ad Kal. Ianuar. Hæc ille.

Iterum reditur ad idem. Et tæderet toties deuorandæ eiuſdem moleſtiæ, niſi ſubinde aliquid noui præter Africam Sicilia quoq; afferret. Non fuiſſe morem Hebræis numerandi dies à Luna, non facilè adducar vt credam. Certè, quibus termini Paſchales religioſi erant, numerationes quoq; Lunæ ſolemnes fuiſſe [k] nemo cui pectus ſapit ignorat, ſiue demum eas ex aſpectu, ſiuè ex mediorum motuum tabulis deſignarent. Verùm ſi hæc ad Neomenias: vnde tam grauiter inculcata decimæ quartæ, quintæue memoria, quę ſine primæ, ſecundę ac totius periodi Lunaris numeratione, citra errorem haudquaquam potuit obſeruari. Poſſet hic afferri obtritus Grçcorum vſus, quibus à varijs Lunæ ſchematibus dies ex ordine ſignare celebre fuiſſe, notū eſt etiam ijs qui vel primoribus labris elementa græca deguſtarunt. Ea verò Virginis tempeſtate, qua [l] Græcæ linguæ inter alias peritia Hieroſolymis in vſu erat quis dubitat peregrinos etiam mores, ac numerandi modos vt ſolet fuiſſe ſubingreſſos, ſi tamen peregrini dicendi ſunt, qui vel coniectoribus obolarijs Lunæ configu-

k Rab. Moſ. cap. 1 Kiddu.
l Aug. tr. 17. in Ioã. tom. 9.

rationes rimari ſolitis celebri apud Arabes,& Hebræos vſu,fuere familiares.

Sed miſſis quæ latè explicari poſſunt. Quis ignoret Hebræorum menſes fuiſſe Lunares,eoq; in duos quod notat [m] Genebrardus incidiſſe Latinorum menſes, euidenti ſanè inditio,non potuiſſe eorum menſium dies exactè putari, niſi ſumptis à periodo Lunæ argumentis quorum certitudo nonnullis adeò viſa eſt explorata, vt nedum menſes Solares [n] expendere per Lunares, ſed planè per Neomenias Vrbium antiquarum excidia velut capti Ilij annum venarentur. Eadem ferè numerandi ratio tenuit apud Alexandrinos [o] à quibus Cæſar Romam reportauit;niſi quòd iſtis ſinguli menſes triginta diebus conſtabant, Iudæis verò alternatim pleni & caui habebantur,eamq; ob cauſam diligentius ad amuſſim Lunæ examinandi. Ac vt hodie non tepidè laboratur in æquandis Solis, & Lunæ conuerſionibus; Ita Iudæis indefeſſa fuit olim cura intercalendarum epactarum,quibus prouecta Luna Solis curſum aſſequeretur. Id verò ſapientum ſenſu, non alio meliori modo præſtari poterat, quàm ſi Lunares Menſes à Luna, Solares verò à diebus nomen,ac ordinem ſortirentur.

Hanc rationem fuiſſe ineundam Hebræis ne quis hoc loco diuinari putet, faciſe, ſi nihil ſit aliud,ſuadebit etiam duplicis ille anni vſus,quorum alter initio ducto à menſe Niſan,hoc eſt Martio, quo Iudæi ex Aegypto euaſerunt, ſacer deinceps habebatur: alter verò principio à menſe Tiſri hoc eſt Septembri indepto,quo mundus cæpiſſe putabatur,vulgaris nomen ferebat, quòd præſertim ad publica negotia gerenda, peragenda,eſſet deſtinatus. Et credi poteſt in vtroq; cùm vterq; Lunaris eſſet annus, & à primo die menſis & Lunæ caperet exordium, non ſeruatos fuiſſe Lunæ dies, creſcentis ac ſeneſcentis ætatem, & iccircò dierum ordinem, vices; numerationem? Quamquam ego dubitare nolim eo ipſo tempore Solaris etiam anni vſum ſtetiſſe apud Hebræos, in quatuor Tekuphas,ſeu punctorum cardines diſtributum; verùm quemadmodum in annis Lunaribus Neomenias, ita in Tekuphis iugum Solis & Lunæ ſeruabant, ac interdum eadem appellatione menſis vtriuſq; dies notabant, quamuis ferè de more primum diem menſis,ſicut Romani à Calendis, ita illi à Neomenijs re,ac nomine deſignarent. Nec aliud obſeruo dixiſſe Hieronymum,quem pro ſe teſtem adducit Anonymus,quaſi atteſtetur menſes Hebræis à naſcente Luna incipere, à diebus tamen ordine percenſeri; indigna quippè ſententia Hieronymo, non nouiſſe poſt primos menſium dies,quos Neomenias vocabant, reliquos tum à diebus,tum à Luna fuiſſe ſolitos appellari. Locum ipſe non citat: Sed Hieronymus alicubi ſic loquitur. [p] *Et erit menſis ſpiritualis quando à puncto ad punctum Luna complebitur,& ſuo curret ordine vt efficiat menſem id eſt Kalendas, quæ Græcè Neomenia appellantur,hoc eſt menſis noui exordium: apud quos initium Kalendarum, non iuxta Solis curſum, & diuerſa menſium ſpatia, ſed iuxta Lunæ curſum incipit & finitur.* Nihil hic Hieronymus de primo die poſt Neomenias,& alioqui abſonum foret, idem iteratò nominari, cùm ipſa Neomenia vicem primi diei ferat, atq; adeo primus ſit dies,ſeu prima Luna,idq; cum maximè ſi Neomenia vocetur, non ipſa Solis & Lunæ coniunctio, ſed prima Lunæ poſt coniunctionem apparitio, quàm ſecundum Cyclum,primam Lunam dici volunt Beda [q] & Campanus, [r] Viri hoc in genere ſtudij exercitatiſſimi.

Non equidem inficior quàm pluribus Sacræ Scripturæ locis diei vocabulum vſurpari,non Lunæ,verùm cum ijſdem ipſi dies nomen etiam Lunæ interdum adſciſcant, planum euadit non alienum fuiſſe à conſuetudine Hebræorum, ea ſignificata rariùs quidem in Scriptura, ſed vulgò perinde in vſu habere. Nam quæ primi menſis dies quarta decima in Exodo [ſ] nominatur,eadem apud Eſdram [t] non ſemel quarta decima Luna primi menſis appellatur,nec dubitari poteſt religione quadam poſterorum in

[m] In Calend. Heb.

[n] Scal ad an. Euſeb. 1341.

[o] Xiphil. in Iul Cæſ. ex Dion. l. 43.

[p] In Iſai. c.66.

[q] De Rat. Temp.c.41

[r] in comp. maiori. c. 28.

[ſ] Exod 12

[t] Eſd lib. 3.c.1.& 7

Digitized by Google

in Epiſtolis quoq; Lunas vſurpatas, quarum memoria ſacratioris anni cultu fuiſſet propagata. Nec velim hoc loco mihi ſuffragari eos, qui cùm in Scriptura dies [u] ferè genere feminino, ſed temporis differentia limitatas legant, toties Lunam intelligendam contendunt, ne alioqui ſi non coerceatur, ad annorum quoq; ſpatia ſe ſe extendat. Miſſa quippè tam inuoluta ratione, quæ in plures eaſdemq; peregrinas conſecutiones abire queat: ſatis ſit pro inſtituto perinde dies, ac Lunas Hebręis fuiſſe vſitatas, idq; interdum Latinis etiam placuiſſe. Certè [x] Hieronymus, quem legere debebat Anonymus, expreſſim meminit vigeſimi ſeptimi Lunæ diei, quòd quemadmodum apud Romanos Kalendis, Nonis, Idibuſq; menſis reuoluitur, ita apud Hebræos ſecundùm Lunæ curſum in ordinem digeritur, ac ſupputatur. Gloſſa [y] præterea non ſemel primæ Lunæ vocabulum inducit, plenamq; Lunam dum decima quarta componit, nec aliter quàm per ortus Solis, per lunæ quoq; tranſitus, temporum, dierum, annorumq; ſignari cenſet ordinem, quod tamen citra perturbationem haudquaquàm fieri poſſe palam eſt, niſi quemadmodum ſeptimanæ, Planetarum inceſſibus, vel feriarum numeris digeruntur in dies, ita cohærentibus ſibi Lunarium ſchematum ſucceſſibus menſes diſtribuantur in Lunas, nec iſtæ præteritis ſeptimanis iterum arceſſantur à principijs, verùm ſtabili menſium, ac rata periodo curſum proferant, numeroſq; exaugeant.

[u] Talmud.
[x] in cap. 29. Ezech.
[y] in cap. 1 Gen.

At enim ſi hactenus dicta non maximoperè iuuarent intentum, vel hac ſola ratione concludere poſſet apud Sapientes, quòd cùm quæſtio vertitur apud Sacræ Scripturæ Interpretes, quota Luna, hoc eſt quoto die menſis Niſan Chriſtus agnum comederit, Græcis nimirum pro decima tertia Luna, Latinis pro decima quarta decertantibus, nihil tam conſequens eſt, quàm à Neomenia ſecundam, ac tertiam ceteraſq; Lunas Hebræorum more computare. Quis enim cogitet, inducta apud Eſdram Lunæ decimę quartæ mentione, non ſatis indicari ceteros quoq; dies, vulgo à luna perinde fuiſſe numeratos? certè ſi ſecus in animum inducat, cum Epiphanio [z] ſibi rem eſſe norit, qui dies menſis, dies lunæ crebrò vocat, nec ſolum ſub appellatione lunæ cenſet in ordinem, ac ſi tertiam, quartam quintam lunã dicat, verùm etiam ſub ipſis dierum numeris ad lunæ dirigat appellationem, puta, diem vocet tertium, quartum, quintum lunę, quaſi cùm luna (hoc eſt menſis) ſit diuiſa in dies, ab ipſa potius congruat aſſumere vocabulum, quàm à diebus, quos tamen præcipue Solis conuerſio ſolet deſignare. Id verò ſi inſtituto Græcorum, quid de more Hebręorum cogitandum, apud quos, ortus & incrementa lunæ, ceteraq; ętas ſuis diebus exſignata, penè ad ſuperſtitionem ſeruabatur?

[z] Hæreſ. 70. contra Audianos.

Huc accedit [a] Galatinus arcanorum Hebraici ritus non incurioſus, qui cùm apud Hebræos per lunę ſigna, non per Solis inceſſum tempora numerari velit, haud inuolutè ſignificat, ab eadem luna putatos, ac nominatos fuiſſe dies, non ſolum menſes & annos, quando vox Hebræa quę menſem dicit, ſingulorum quoq; dierum perfectionem quibus luna deſtinatum agit curriculum, adeo clarè deſignat, quàm diſertè fatetur & ipſe Galatinus. Qui enim ſecus rectè ſit dictum [b] luminaria in primo rerum exordio facta eſſe in ſigna & tempora & dies & annos, ſed *Lunam præcipuè factam* [c] *in tempora*, hoc eſt vt doctè Genebrardus *in temporum diſtinctiones & diuiſiones, nam anni* (inquit ille) *in menſes diuiduntur, quos Luna monſtrat: propter tempora, ad temporum diſcrimina, temporum cauſa, vt ſua mutabilitate & varietate menſes, dies, & annos notet ac deſcribat, vt menſium varias viçes efficiat, vt dies feſtos diſtinguat.* Hęc & plura Genebrardus, quę ſingula vel ſanè omnia quemadmodum exploratiſſima ſunt, ita etiam in vſu loquendi Scripturæ ſatis ſuperq; conuincunt, vulgarem fuiſſe Hebręis dierum à Luna, etiam profanorum appellationem. Enimuerò quò ad tempora

[a] De Arcan. lib. 11. c. 8.
[b] Gen. 1.
[c] Pſal. 103

Digitized by Google

pora duntaxat dierum ſacrorum, quòd hęc ad Lunæ curſum ab Exodo & Leuitico dirigantur reſtringunt, Genebrardo non ſatis dicunt, quando vox Hebræa generatim quæuis tempora certa, & rata præter exceptionem ſignificat. Et ne Galatini, Genebrardique dicta, magis inuoluta quiſpiam fortaſſe putet, quàm quòd in adeo claram pro re noſtra conſecutionem reſoluantur; adiungat his quoque Sigonium, [d] ritus Hebraici in paucis peritum, qui de diebus profeſtis Hebræorum inter alia ſic habet. *Dies porro vocarunt lunas, ita vt primam & ſecundam lunam, ac primam & ſecundam diem ponerent pro eodem, vt primo tertij Eſdræ Ioſias immolauit Phaſe quarta decima luna menſis pro eo quod alibi fuit ſcriptum, quarta decima die. Hæc Sigonius, & quid clarius?* Sed iam nimis ſit minutus qui in re tam plana ſcrupos quærat, Latinuſq; cùm ſit, ignoret etiam Romanis à Luna dies ſeruari vocariq; ſolitos, obuoluta quidem ſignificatione ſi formam, ſed ſi vim vocum ſpectes clara ſatis explicatione. Quid enim Kalendæ [e] niſi dies vocando in Capitolium populo deſtinati, ſed inſpecta primùm à Sacerdotibus noua Luna, nuntiatiſq; diebus qui Kalendis, & Idibus intereſſent? Quid Nonæ niſi vel nouæ à Luna iam adulta caput obſeruationis, vel nona inter Kalendas, & Idus Luna? quid deniq; Idus niſi prope perfecta ætas lunæ, inde dicta quod mortalibus, grata luminis copia videndam ſe præbeat, vel antiquato iam vocabulo menſem iduet, hoc eſt diuidat, mediumq; ætatis mox prætergreſſura paulatim ſeneſcat, ac tandem peracto curriculo menſem conficiat?

[d] De Rep. Heb. lib. 3. c. 4.

[e] Fanton. cap. de Kal. Non. Idib.

Iam quod ex Baronio nobis opponitur, vereor ne maiori ex parte recidat in aduerſarium, noſtræq; rei proficiat. Certè cùm [f] Baronius velit Lunam à diuerſis nationibus olim pro die vſurpatam, intentæ cauſæ patronum agit, multiſq; doctiſſimorum virorum ſententijs noſtram exauget rationem. Itaq; Ambroſius [g] in primis. *Naturalis* (inquit) *vſus nationum exterarum Lunam pro diebus appellat.* Quid quæſo vel cæcutienti clarius, vel pro noſtra velitatione magis firmum, quàm non ex compoſito, ſed ex naturali nationum vſu arceſſere argumentum? Varro [h] deinde Lunam primam, & lunam extremam, diem primum & nouiſſimum menſis dicit. Deniq; [i] Plinius, Aeſtum tribus diebus conſiſtere, ſeptima videlicet, octaua & nona luna. Quæ omnia cùm referat Baronius, pluraq; etiam exempla mittat, quàm antiquam ea de re ſtatuat fuiſſe ſententiam, non eſt vt multis inquiramus, quin, ex ipſo Baronio præuerti ante potuiſſent, quibus tandem magis implicandus erat Anonymus, niſi quæ [k] Auguſtini mens eſt, vſitata & confirmata leniſſimè eſſent inſinuanda.

[f] in Martyr. ad Kal. Ian.

[g] in ep. ad Epiſc. per Aemiliã.

[h] Lib. 5. de re ruſt. c. 37.

[i] Lib. 2. c. 97.

[k] Quæſt. ex Matth. c. 1.

Quod verò ſpectat ad morem in Eccleſia probatum, quo dies menſis lunaris, lunæ potius, quàm dies vocarentur, erret qui putet, eatenus ſecundùm Eccleſiæ primordia cępiſſe, quaſi ante vſum Martyrologij, & ſi ſat vetuſtum, extra notitiam fuerit, ac gentium inſtitutum, ſi præſertim conſtet ipſo probante Baronio, Lunares annos Hebręis, Aegyptijs, ac Romanis longè ante Solares fuiſſe ſeruatos, quamquam fortaſſe verius ſit Hebræis vnà ſemper vtroſq; viguiſſe exploratos; Sed nimirum cùm rogata iam Euangelij lege, Paſchalibus terminis ad inſtitutum Chriſti figendis, plurimùm vel ſolæ omnia poſſent lunationes, earum in primis religionem præcepit Eccleſia, deinde cùm non minus ad ſignandos Martyrum natales, quàm quæuis alia rerum in temporibus momenta valerent, his quoq; perpetua quadam conſuetudine addixit, eoq; ſacratiores eſſe voluit, ſeu quòd Principem & Caput Martyrum, in ſuis membris tunc primùm cælo naſcentibus recoleret, ſeu quòd Martyres abſumpta vitæ mutabilitate quæ per vices [l] Lunę deſignatur, in plenum ac perfectum immortalitatis ſtatum tranſcriptos celebraret.

[l] Molan. de Martyrol. c. 14.

Quare ſit licet ratum, vſum numerandi lunas, cępiſſe (quod placet Anonymo) cùm primùm Eccleſia Martyrologium in Sacrorum ritu eſſe conſtituit, adhuc ſubigendum

dum

Digitized by Google

dum erit, procul Virginis æuo deiunctam eius vſus fuiſſe notitiam, quò rurſum, ſæpiuſque iactari queat, exoriruros poſt ſecula mores huius Epiſtolæ exemplis ſtare, rerumque ætates ſibi ipſis præire. Enimuerò ſi primus ſit [m] Clemens Pontifex Romanorum, qui Martyrum geſtis conſignandis, dignam ſuis factis nauaſſe fertur operam, is certè non à ſe inuentam, ſed acceptam ſanxit religionem, qua memoriæ Martyrum, numerationes Lunarum aptaret, diemque certaminum fixum, ſtabili celebritate poſteris commendaret. Atqui Clemens Beatæ Virgini ſuperſtes fuit, ſed nondum Pontifex eiuſdem quoque ætatis partem vixit, quid ergo tam proximum vero, quàm eo ipſo tempore quo hæc ad Meſſanenſes nata eſt Epiſtola, morem ſignandæ Lunæ tenuiſſe, vnde etiam imbutus Clemens, ſed Principum Apoſtolorum quos Magiſtros ſortitus fuerat inſtructione, cùm primùm Eccleſiam regere cæpit, conſuetudinem quoque notandis à Luna Martyrum actis fecit, paulatimque per Orbem propagauit. Id verò nobis quantumuis antiquiora minimè reſpiceremus, ſatis foret ad præſens inſtitutum, nedum coniecturis, ſed phyſicis exploratiſque rationibus affirmandum.

[m] In lib. de Rom. Pôt. Baron. in præcap. Martyrol.

Illa poſtremum cauta in cæteris animaduerſio Baronij, nunquam videlicet in diuinis Scripturis inueniri Lunā pro Die poſitam, niſi in tertio Eſdræ libro, qui tamen extra canonem recenſetur; quamquam in partem venire poſſit Anonymo, noſtram tamen ſententiam promouet magis, quàm loco mouet, quando ſi non aliud, abundè præſtat auctoritas Eſdræ, vetuſtiorem fuiſſe hunc apud Hebræos morem, quàm recentiora duntaxat ſpectantibus videri poſſit. Sed nec vlla ſpecies falſi tutò prætenditur, ob quam hiſtorica fides haberi minimè debeat Scriptori profano, cui ſacra profanare non eſt animus ſed firmare: alioqui rei ſimus cùm Varroni, Plinio, Tullio, Tacitoque, & id genus auctoribus, quod perſæpe, & rectè facit Baronius, libenter aures animoſque damus, & noſtrorum placitorum, quæ Sacræ Scripturæ non pugnant, identidem teſtes idoneos aduocamus. Non me latet poſteriores Eſdræ libros extra ſeriem eſſe eorum quos Tridentina Synodus Canoni commiſit, neque tamen ſum neſcius, interdum in ſcriptis Patrum, quos Eccleſia Sanctos habet, ſuo pretio ſtare, paſſimque in Biblijs Latinis manu vel ære exaratis cùm dignitate tolerari, vt hoc ipſo plus habeant ponderis, quàm vt facile eleuentur.

DE NOTA FERIAE QVINTAE.

A Luna tranſitur ad feriam. Et videtur hoc loco patentiorem ſolito campum nactus Anonymus, quo contra morem, feriam inductam diſpiciat, omnemq; vel ex angulis in apertum compellat falſitatem. Ab ipſo (inquit) exorſu Eccleſiæ nihil ab Hebræis variatum in diebus Hebdomadæ nominandis. Septimus dies Sabbatum, Sextus Paraſceue vocabantur, ceteri ordine à Sabbato cenſebantur, vt prima Sabbati, ſecunda, tertia, quarta, quinta. Itaque dies quo ſurrexit Dominus prima Sabbati dicitur Matthæi vigeſimo octauo; deinde Dominicus dies illi nomen Apocalypſis primo, & apud Ignatium epiſtola quinta. Id ſancitum ab Apoſtolis affirmat Auguſtinus ſermone ducenteſimo quinquageſimo primo de tempore. Quod autem Eccleſiæ initijs nondum ij mores ad Romanos emanaſſent, apud quos veteri inſtituto hebdomadæ dies à Planetis cognominabantur. Clemens Alexandrinus libro ſeptimo Stromatum vtramque loquēdi rationem retinuit, & Chriſtianos ait obſeruaſſe ieiunium dierum quarti, & ſexti, & illud quidem Mercurij, hunc verò Veneris. Quin Dominicus dies à Iuſtino extrema Apologia dies Solis dictus. Nominibus

nibus deinde dierum Gentilium abolendis mutati mores, factumque vt hebdomadæ dies ordine, ac numero feriarum dicerentur. A Latinis ſcriptoribus vſurpari cæptas Latinum indicat vocabulum. Princeps inductæ vocis Tertullianus aduerſus Pſychicos capite ſecundo. Afferunt alij antiquiorem Ignatium epiſtola ad Philippenſes, in qua commendat ieiunium quartæ, & ſextæ, ſed ea vox ſuppoſita ab Interprete, In Græco exemplari eſt τετράδα καὶ παρασκευήν more iudaico. Idem peccatum in ceteris, qui Græcos ſcriptores bona fide verterunt. Demum S. Sylueſter Pont. Max. ſtabilita Eccleſiæ diſciplina, primus induxit in morem, vt Dominici diei ac Sabbati antiquo nomine retento, reliqui à ferijs numerarentur. Auctor Beda de Temporibus capite quarto. Ex his cognoſcas potueritne Beata Virgo in Epiſtola Hebraicè ſcripta vti Latino vocabulo, ac more poſteriorum temporum. Hæc ille.

Et ſanè videretur hoc argumentum plus aliquid puluere vel fumo, niſi palliata initio calumnia in fine tandem manifeſtè ſe ſe exereret, qui enim ſe contineret in tanto æſtu? Eruditè incipit à ferijs non dum in Eccleſiam inductis, ſed ridiculè deſinit, vbi ex tam operoſis præmiſſis, tam infabricatam infert concluſionem. Igitur B. Virgo in Epiſtola Hebraicè ſcripta non potuit Latino vocabulo vti Latino more, veluti ſi quiſpiam ex pharmacopœo proferat: Manna de cælo non pluiſſe in deſerto, quia longè poſt, Arabum induſtria fuit in Medicinis inuenta. Nollem tam ſolemnem eſſe illi hanc dialecticam ex cuius præceptis alibi etiam tanquam ratum poſuit; ex eo quod Apoſtolicam impertire benedictionem Pontificum ſit inuentum, non potuiſſe Virginem Meſſanenſibus benedictionem Dei Patris omnipotentis apprecari. Et niſi contemnere videremur hominem potius quam argutias, vno verbo tota hæc ſtrues euerti poſſet; id nempe quod Hebræis quinta Sabbati eſt, Latinum interpretem vertiſſe vocabulo tum temporis Latinis vſitato, ex quo tamen hebes nimium ſit, qui contendat Deiparam Virginem Latino vocabulo, nec dum (ſi ita eſt.) inuento, tametſi alia de cauſa potuerit, voluiſſe vti; longeque hebetior qui hinc, argumento uelit robur ſufficere, ſeipſum verò vel rudioribus ridendum propinare, quaſi non accuratius peruiderit Interpres quid vocabuli ad inſtitutum faceret in re minimè profana, quàm nouus aliquis dialecticus quibus ratiunculi agendum in cauſa ſibi tam infenſa.

Poterat Deipara Virgo pro feria diem Iouis reddere ſi lubuiſſet, verùm quo pacto calumnia ferè impotens ſe continuiſſet? nonnè potius Virginem, quàm Interpretem imprudentiæ inſimulaſſet, ſacra profanis permiſceri ceu nefas exprobaſſet? quin vnico hoc velut ſacro indiculo de totius Epiſtolæ vanitate coniecturam feciſſet? Poterat etiam quintam Sabbati, vi ſignificationis Hebrææ reponere, ſed qui Latinis auribus ſe accommodabat, non imprudens ſcientiam ſibi (quod dicitur) ſeruauit, vſum alijs conceſſit, ne ſi non emollitam latinitate pro tempore phraſim adſciſceret, in refricata Sabbati memoria durius quodammodo mores, & aures afficeret. Nam quòd vocabulum Sabbati Græcis Latiniſque Euangeliorum codicibus ſanctum ſit ac religioſum, id quidem docendi myſterij gratia cæptum initio, deinceps quoque ſanctè habendum fuit, ne procliue mendum in commutando, maioris cum tempore fieret erroris acceſſio: cur verò ea religio poſteros omnes aſtringat, vt vocis Hebrææ formam in quouis ſcribendi genere, & lingua traducant, nec ſuum cuiuſque idiomatis ſignificatum patria voce reddant, cauſam non aliam video ſubeſſe, niſi noui cuiuſpiam interpretis ſapientiam, qui omnes populos vnius vocis ac labij velit eſſe, nec iam diuerſa linguarum genera, ſed duntaxat differētes dialecticos inuedere, quod ferè ſolemne eſt Aegyptijs illis penatium expertibus, qui ignotum corrupta omniū nationū lingua, clependio quemadmodū loquitur [a] Delrio vitā agūt.

[a] Lib. 4. diſq. cap. 1. q. 5.

Equidem

Equidem niſi hucuſq; deduxiſſem argumentum, libenter, aſſererem Deiparam Virginem Romanum feriæ vocabulum adſciuiſſe, quid enim inde veniat ad cenſuram noui cuiuſpiam Ariſtarchi, niſi vt admirabundus latera ſui ſimilium cubito fodiat? Certè Latinam Indictionum appellationem, quæ Conſtantinianæ ſunt dictæ in faſtis Græcis, atq; etiam Conſularibus vſurpatam, peregrinus ſit in literis quem lateat: præterea vt ſexcenta mittam, Cuſtodiæ vocabulum apud Romanos natum, apud Græcos etiam pro occaſione aſſumptum qui Matthæi Euangelium Græcè legerit, ignorare non poterit. Quod igitur fuiſſet tam immane peccatum, ſi Virgo ad Latinos Hebraicè ſcribens, Latino vocabulo edidiſſet, quod pro more gentis clarius voluiſſet explicatum. Nam qui feriarum nomen illo tempore nondum inuentum, vel ſcriptoribus aut etiam vulgo nondum fuiſſe familiare contendat, non priùs quàm didicit, ad ſcamna (quòd aiunt) debet producere.

Sed mihi in eundem gradum ac lineam regrediendum, vt optimo prudentis ac docti Interpretis conſilio factum velim, eiuſmodi appellatione videlicet Epiſtolæ notam efferre, quam Religionis vſus apud omnes reddiderat molliorem; ac icirco gratis illam de Sabbato, Paraſceue, die Dominico, diebuſq, Gentilium à Planetis, interponi diſceptationem, niſi non iam à linea tantum excidere, ſed longè etiam extra offendere velle credam Anonymum. Quippe qui Latini eius vocabuli originem ad antiquiorem Tertulliano Ignatium referri norit à doctis, mirum quo ſupercilio ipſe nedum Interpretem Ignatij, ſed ceteros omnes qui Græcos Scriptores latinitate donarunt, peccati inſimulet, niſi fortaſſe quia hi omnes quemadmodum ipſe cauſatur bona fide, doctam ac eruditam nauarint operam, ſolus ipſe dubia fide, græca latinaq; tractauerit. Cedo verba græca Ignatij, τετράδα καί παρασκευὴν νηστεύοντες: hæc peritiſſimus Græcè Interpres pro ſenſu ſic reddit. *Quarta & ſexta feria ieiunantes* Sed errauit: cur enim? quia in Græco exemplari ea verba more Iudaico leguntur. En nouum è puteo an dolio, Græcũ an Iudæum; qui à quibus diſcere deberet, Græcè & Hebraicè docere velit; quis vnquàm vel Triuij alumnus dixerit παρασκευὴν Hebraicum eſſe vocabulum? quis, ſi pro τετράδα latinè diem ſupponat, non Græcum potiùs quàm Iudaicum dicendi morem fuerit imitatus, quamuis ſi pro inſtituto feriam vſurpet, non minus rectè quàm prudenter egiſſe cenſendus ſit? At Hebræum morem dixeris, quod quartam & ſextam diem Sabbati, hoc eſt ſeptimanæ, ieiunio traductam dici velit: non ineptè; ſed cur non eundem iuxta morem, quemadmodum ex alibi dictis quarta & ſexta luna, ita feria quoq; verti commodè potuit, non alia ſanè nouitate quàm concinna vocum vetuſtarum ad rem præſentem aptatione, quòd quemadmodũ feriæ, nomen à feriendis olim præcipuè victimis traxerunt, idemq [y] vocabulum diuerſo reſpectu feſtis profeſtiſq;, publicis item & priuatis quibuſdam diebus antiqui commune fecerunt, ita [z] doctus Ignatij interpres eundem conceptum ad dies cordium & corporum, hoc eſt orationum & ieiuniorum hoſtijs ſacros apponeret, & priſcum cærimoniarum ritum, quibus feriebãtur pariter, ac Deo victimę ferebantur, ad hoc genus ſacrificij deuocaret.

[y] *Cic. 2. de Leg. & l. 2. de nat. Deor. Feſt.*
[z] *Macrob l. 1. Satur. c. 16.*

Sed enim video quid hominis ingenium in abrupta literarum impulerit. Nimirum auctore Beda primus Syluester Pontifex, morẽ numerandorum à ferijs dierum induxit. Incõſtãs ſanè ratio & incõſulta. Nã qui paulò ante principẽ vocis inductę Tertullianũ nominarat, nõ tã proximè reſiliẽdũ illi erat, niſi fortaſſe Tertullianũ alia quàm lingua latina ſcripſiſſe doceat, vt ab interprete ſuppoſitã tueatur; adeoq; de calcaria recidat in carbonariã. Equidẽ Bedę, primus Syluester ferias habere clerũ edocuit, *feriãq; ſecundã tertiã & reliquas ex ordine de ſuo vt ipſe Beda loquitur adnectẽs, nominari voluit, nihil veritus grãmaticorũ ferulas, qui ſicut Calendas, Nonas & Idus ita etiã ferias*

plurali tantum numero proferendas eſſe decernunt; non tamen Syluester, ſi primus opinione Bedæ hunc ſeruandarum feriarum morem Clericis edixit, continuò etiam primus in Eccleſiam inuexit, & alioqui ſi Beda diuerſum ſentiat, ipſe ſuæ ſententiæ patronus ſit & probus aſſertor. Mihi Baronius quantò alias Anonymo fauentior (vt ipſe putat) in propoſito teſtis laudatus. [a] Is verò ſicut portentoſum mendacium eſſe dicit, Syluestri inſtitutum eſſe vt dies prima, Dominica diceretur, ita falſum cenſet nomina quoq; reliquorum ſex dierum vt feriæ dicerentur, ab eodem Syluestro primùm introductum, iamq; olim in Eccleſia eum tenuiſſe vſum Tertulliani auctoritate apertiſſimè à ſe demonſtratum ponit, vbi minimùm ex ijs quæ de mente Origenis & Hieronymi paulò ante recitauerat, Chriſtianos nempe Sanctiores, non hanc illamuè cultui diuino præſcriptam agere diem, ſed cunctis Diuinum Numen coli propenſiùs, rectè colligi teſtatur, ea potiſſimùm ratione dies hebdomadæ feriarum nominibus fuiſſe commutatos.

a Tom. 3. ad an. 315

Nõ enim (inquit Baronius) recẽs vel à Syluestro Papa primùm huiuſmodi eſt excogitata nomẽclatura, quæ ab antiquioribus Eccleſiaſticis Scriptoribus reperitur vſurpata. Nã & Tertullianus [b] frequẽter meminit de quarta & ſexta feria; idemq; ait, nobis certè omnis dies etiam vulgata, conſecratione celebratur, & alibi. Nos intelligimus [c] magis ſabbatizare vos omni opere ſeruili ſemper debere; & nõ tãtùm ſeptimo quoq; die ſed per omne tẽpus. Et Hieronymus [d] ad Algaſiam cùm & illud Pauli explicat, nemo vos iudicet in parte diei feſti. Vt alios (inquit) dies feſtos putẽt, alios nõ feſtos, nobis enim qui in Chriſtũ credimus reſurgẽtẽ, iugis & æterna feſtiuitas eſt. Accedit his illa ratio, quod ſicut Iudæi Paſchalem ſolemnitatem ſeptem diebus comedentes azyma celebrabant, ita Chriſti Eccleſiæ placuit totidem dies alia ratione poſt Paſcha ſolemniter agere, eamq; ob cauſam eos Ferias dicere, quarum prima erat ipſa feſtiuitas Paſchæ, quæ mox ſequitur, ſecunda, ac deinceps ceteræ numerarentur eodem ordine. At quoniam vt dictum eſt, quolibet die ſeptimo, quem Dominicum appellandum eſſe maiores cenſuerunt, eandem Chriſti reſurrectionis memoriam ſingulis hebdomadis ſtatuerunt: inde factum eſt etiam, vt ſicut in prima reſurrectionis hebdomada dies ſinguli feriæ nomine dicerentur; ita ſequentibus ſingulis hebdomadis, quòd eadem repetita ſolemnitas videretur, eodem quoq; modo ceteræ hebdomadæ dies etiam feriæ dicerentur, cùm præſertim fideles horrerent eoſdem à Dijs Gentium nominare, vel Iudaico more à Sabbato primam, ſecundam Sabbati, & ſic deinceps nomen deducere.

b Aduerſ. Pſych. c. 2. 14.
c Aduerſ. Iud. c. 4.
d Ep. 151. q. 10.

Hæc omnia Baronius, quem loquentem placuit inducere, miſſis alijs quæ de feſtis Chriſtianorum ex ipſo, non parùm firmamenti ſufficiunt rei noſtræ. Et ſatis fuiſſet ipſum ſolum diſputantem Anonymo opponere, niſi prægnans ſententia plures peperiſſet rationes, veritati etiam præter auctoritatem conſentaneas. At enim ſi acutus iſte morum cenſor Baronium haud diſſimulaſſet, nec Deiparam Virginem Iudaizare voluiſſet, nec tam leui coniecturæ nixus in ignota rationum diſceſſiſſet. Bedam legit, eiuſq; auctoritati ceu columnæ innixus eſt. Non temerè; ſed quemadmodum Beda ex Actis quibuſdam Syluestri, non vno ſcatentibus mendacio bona fide id videtur recepiſſe, ita qui ex Beda mentem eſt mutuatus, eatenus eius tueri auctoritatem debebat, vt confutatis recentiorum doctis placitis, ſuam deinde ſtabiliret ſententiam, ne difficultates defugiendo ſpontè calumniari videretur.

DE

DE CONSENSV LVNAE VIGESIMAE SEPTIMAE CVM feria quinta, Anno Chriſti Quadrageſimo ſecundo.

SED quid agimus, procul à calumnijs qui non auctoritate cuiuſquam, ſed exploratiſſima ratione fretus Tribunal veritatis appellat. Nunc (inquit) ad iudicium veri te voco. Vera ne Luna vigeſima ſeptima. Vera ne Feria quinta? imo falſa Luna, falſa etiam feria. Nam anno Chriſti quadrageſimo ſecundo, tertio Nonas Iunij, erat luna Maij, id eſt dies ab exorſu Lunæ, non enim hic ſermo de Luna Iunij menſis, quo Nouilunium ſexto die contigit. Præterea in tertium Non. Iunij, anni quadrageſimi ſecundi, incidit litera Dominicalis G, vt ex Clauij Tabulis diſces, & in ſuo computo Eccleſiaſtico doctiſſimus Maurolycus docet. Igitur Anno Chriſti quadrageſimo ſecundo, tertio Non. Iunij ne quidem feria quinta, ſed Dominicus dies fuit. Hæc ille. Dignam ſanè erudito viro nactus diſceptationem, ſi non omiſſo diei ab exorſu lunę calculo, quòd fortè non occurriſſet, mutilam hianti ſpatio, ſecundis puta calculis commiſſurus, reliquiſſet; Verùm niſi in limite offenderit, facile diuinabimus, vbi noſtra primum ad regulas exegerimus.

Antequam tamen plenioribus velis hanc diſputationem ingrediar, monitum Lectorem velim, ſicut nihil eſt difficilius, quàm in ſubducendis temporum retroactorum, in tāta poſitionum varietate calculis, minimè hallucinari; ita nihil facilius quàm hinc omnem hiſtoricæ veritatis fidem impugnari, tametſi nihil deinde ſolidi in re ſua ſtatuatur ab aduerſarijs. Nam qui hodieq; labor præcipua ingenia exercet, nedum in minutijs dierum & horarum, ſed etiam in annorum curriculis, fallit ſanè omnium fere induſtriam, idq; non in rebus priuatis vnius Regni vel Ciuitatis, quas facilè obſcurare temporum iniuria poteſt, ſed quæ totius Orbis ingeſtæ annalibus, Chronologorum nihilominus peritiam eludūt, vt fato quodam tot ſint diuerſæ ſententiæ, quot ſunt rerum geſtarum quantumuis accurati collectores. Ecquis enimuerò ſi de anno, die, Luna paſſionis Chriſti Domini, quæſtio vertatur, ſiue demum ſuo ſibi ingenio nouum pariat laborem, ſiue aliorum ſecutus veſtigia, hunc vel illum figat calculum; non continuò ſexcentis eruditorum rationibus impetatur, quibus tamen quemadmodum dicebam, ſicut facilè eſt aliorum dicta obterrere, eleuare, conuellere, ita difficilè ſuis ſententijs id firmamenti ſubijcere, quod paruo conatu non vertatur.

Hoc, ſi in annis Chriſti, vt cetera taceam procliue eſt admittere, quis adeo erit excors vt Epiſtolam Virginis qua de agimus, falſi proteruè inſimulet, ea ſolum de cauſa quòd characteres diei, Lunæ, feriæ, addo etiam anni & Indictionis haud rectè promat, præſertim ſi id non errore ſolùm ſcribentium, ſed multò maximè & calculi vſu factum putet, quis enim ignoret, quàm inconſtans fuerit apud Hebræos ad Chriſtum vſq; ac deinceps Lunæ obſeruandæ ratio, quando teſte Paulo Foroſempronenſi [e] in paucis eximio, nulla illis certa Lunæ ſupputatio conſtitit, ſed ſolo viſu eius exortum rimati, pro iudicio obſeruantium, menſes ſingulos auſpicari ſunt ſoliti, quæ ratio cùm fallaciſſima eſſet, ſæpe vniuerſos in eum errorem miſit, vt quæ reipſa tertia vel quarta luna fuit, ab obſeruatoribus prima pronuntiaretur. Et quamquam ſuos ipſi quoq; cyclos haberent, ad Lunæ motus, vt peritia ferebat eliciendos; adeo tamen inceſtos mendis in vſum ciuilem adhibebant, vt cum temporibus, ritus quoq; ac cærimonias vitiarent. Quo factum ex Epiphanio contra Alogos, vt Chriſto patiente [f] Neomenia Niſan ab exacto nouilunio biduo diſceſſerit, neq; ſolum, ſed plerumq; aliàs eorum Neomeniæ nouilunijs medijs, decimæ, quartæ, itidem ciuiles, cæleſtibus ad

e Part. 2. lib. 2. c. 2.

f Hæreſ. 51.

Digitized by Google

amuſſim vix, aut nunquam occurrerent: & rectè [g] Petauio viſum, interdum triduo quoq; ciuiles Neomenias à medijs nouilunijs aberraſſe, vel citra comperendinationem, ac translationem dierum, propter cycli & popularis anni vitium; idq; accidiſſe, cùm Chriſtus paſſus eſt, maximè videtur ſimile vero, ſi difficilem conciliatu plenilunij cum Paſchate Iudæorum & feria ſexta rationem attendamus.

[g] Lib. 12. de doct. temp. c. 15.

Idem inſtitutum viguit etiam priſcâ Romanorum ætate, quod inter alios adſcripſit [h] Beda, vt ſcilicet delegata Pontifici minori de cælo ſeruandi cura, ſtatim ac primùm nouę Lunæ ſe obieciſſet aſpectus, ille regi Sacrificulo renuntiaret, peractoq; inde Sacrificio, & calata, hoc eſt vocata in Capitolium plebe, totius mēſis ratio ediceretur; At enim quàm ſæpe rudis hæc induſtria Romanis imponeret, exploratum eſt ijs, qui in emendatione Romani Calendarij à Cæſaris tempeſtate nullum non lapidem mouere conati ſunt.

[h] De Tēp. Rat. c. 11.

Ex quibus omnibus illud elicias oportet, ſi characteres noſtræ Epiſtolæ, ſiuè Romanos imitati cyclos, ſiuè Hebræos, huiuſce temporis aſcitæ putationi minimè reſpondeant, non illicò in ſuſpicionem confictæ Epiſtolæ vocandos eſſe, niſi pari periculo quàm plurima inuoluantur, quorum firmitas à ſupputatione temporum minimè pendere poteſt.

Sed non ſolùm primis illis Eccleſiæ rudimentis laborem ac moleſtiam fecit temporum digeſtio, ſed poſteriori quoq; ætati periculum errandi creauit, ſi operoſis tot præſtantium virorum voluminibus fides habenda, non alio locuplete magis teſtimonio, quàm manifeſto ab ipſis paſſim errore admiſſo. Certè [i] Beda apud Marianam ſua tempeſtate certus eſt, accidiſſe aliquando, vt biduo Luna eſſet viſa, priuſquàm prima Luna numeraretur: id verò ſi factum, poſt tantam eruditorum diligentiam, quid mirentur (inquit Mariana) ſi anno Chriſti trigeſimo quarto, morte videlicet eiuſdem funeſto, prima Luna dicta ſit ab Hebræis quæ quarta erat, atq; adeo decima quinta, quæ decima octaua, incidens vigeſimo ſexto Martij, ſeptimo Kal. Aprilis, cùm prima Luna cenſenda fuiſſet eius menſis die nono. Cuius erroris occaſionem non aliunde natam ipſe putat, quàm ex oculari vt ſic dicam Lunæ obſeruatione, quæ ratio ſicut erat incerta, ita biduo triduoq; à vera coniunctione diſtaret neceſſe eſt; Eius rei non ſolùm, magnas eſſe coniecturas, ſed verò multos locupletes aſſerit eſſe teſtes, è quorum numero Lucas Gauricus, eò admirabiliorem ſolis defectionem Chriſto in Cruce pendente fuiſſe atteſtatur, quòd poſt plenilunium inceſſerit, luna ſcilicet octaua ſuper decimam, cùm Lunæ & Solis nullus eſt aſpectus, atq; naturæ ordine neq; Sol, neq; Luna poſſunt in tenebras deficere. Hæc ferè Mariana dum pro ſua velitatur ſententia.

[i] Cap. 15. de die mort. Chriſti.

Sed non eſt opus ad ætatem vſq; Bedæ reſpicere, quando vel ab vno ſeculo atq; adeo noſtra hac memoria, non vnum ſufficiat fallentis calculi exemplum, ludificata penè totius Orbis induſtria, vt hoc loco mittam, quæ conatum ſuperant, nuſquam ſcilicet adeo ſtabilitam fuiſſe de præceſſionibus Aequinoctij diſputationem; quin ſicut in varias opiniones impulit Aſtrologos, ita in diuerſum errorem miſerit vniuerſos, illuſtri ſanè teſtimonio quàm reſtricta ſit mortalium ſcientia, quæ de momento certat, & in vno puncto errat, veriſſimeq; [k] dictum ſit à Saluatore. *Non eſt veſtrum noſſe momenta vel tempora, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.*

[k] Act. 1.

Quorſum hæc omnia, niſi vt liquidum euadat, in tanta opinandi latitudine, quiduis dici poſſe, quod tamen ex alienis ſuppoſitionibus facile infirmatur, ſed diſputatione extra lineam ducta: quid enim ſi eiuſcemodi ſuppoſitiones fallant? quid ſi nos alijs incedamus veſtigijs, alijs alij, quod ferè euenit, cùm ad literas Dominicales, Cyclos Lunares, Indictiones, velut ad Helicen rationes examinantur, vt iam perinde ſit cal-

Digitized by Google

calculum eius æui, quo hæc Deiparæ Epiſtola nata eſt, ſiuè Hebræis, ſiuè Romanis obſignata numerandi modis, ad Dionyſij aliorumq; poſteriorum regulas reuocare, ceu chalybem ad Lydium lapidem, aurum ad cotem examinare. Mitto innumera exempla, ne nouum abs re contentionis funem ordiri videar. Ita ſemel cum [l] Ancharano alijſq; viris doctiſſimis pronuncio; immeritò falſi damnari ſcriptum, quod ratione ſupputationis temporum nonnullam præ ſe fert dubietatem. Exemplum affert de Indictionibus tum ipſe Ancharanus tum multi alij, quos inter [m] Felinus de ſententia Dyni ac Baldi præclarè aſſerit, ingeſtà diſcordia inſtrumenti in annis & Indictione, potiùs præſumi errorem Indictionis, quòd in ea faciliùs erretur, nec tamen inde vitium reputari in actis, dummodo conſtet de annis, intellige Imperatorum, vel cuiuſuis alterius Aeræ aut Epochæ, vnde ſeries annorum deducitur. Quid verò dixiſſent Viri ſapientes, vbi non iam de annis & Indictionibus, ſed de Luna ac feria, nec in publicis nominum & actorum Tabellis, ſed in Epiſtola Virginis, gratię dumtaxat indicina, quæſtionem verti iudicaſſent.

[l] Extra. de fide In. ſtr. C, Inter dilectos.
[m] Ibidem.

Atqui ex hactenus dictis ſatis opinor liquet, quàm ſine certis ſedibus latè vagentur Lunares calculi, nec facile deprehendi queat error ex vna hypotheſi, quin ex alia facile corrigatur, vt ferè nihil in his temerè inſciteq; dictum videri poſſit, niſi a proprijs quiſq; principijs longiùs receſſerit. Hinc fit, perinde eſſe in præſenti calculatione, hanc vel illam lunam, cum hac vel illa feria ſociare, dum menſes ſuos minimè tranſiliant, ceteriſq; paribus, conſecutiones quæq; ſuis antecedentibus cohæreant, tametſi alienis collectæ ſuppoſitionibus, multis (quod aiunt) paraſangis diſtare videantur; cuius rei ratio quemadmodum diximus non alia eſt, quàm rudis & imperita Lunæ à priſcis Hebræis obſeruatio, nec non deinceps magis incerta latinorum putatio, quæ inconſtantiam Hebraicam ad regulas conata perducere, non minus ipſam perturbauit, quàm ſuam quoq; fefellit induſtriam, tametſi id demum præſtiterit, vt neglectis Hebræorum ſtudijs, ſuas ipſa quo quo modo ſtabiliret numerationes; ex quibus vt vulgatum eſt apud eruditos, nõ paucas poſteriores Hebræi mutuati ſunt & planè ad ſe auerterunt præceptiones, vnde ſua ſyſtemata reformarent. Id factum ſexto fortaſſe poſt Chriſtum ſeculo, vel etiam ſeriùs, non abs re quiſpiam conijciat, ſi conſideret, ab euerſo Templo, ſublatiſq; è Iudæa Synedrijs plurimos ritus immutatos, ac tandem Neomenias quoq; aliter atq; ex viſu & proclamando conſtitutas.

Et vt ſemel ſingulares aſſertiones in luce reponantur, ſi in præſenti Epiſtola reſtitutus ſexageſimus ſecundus figatur annus, ita reliquæ temporum notæ ſibi cohærebunt, vt eodem filo nec vnquam abrupto ductæ videantur. Enimuerò is annus ex editia multorum poſitione Nerone CL. Aug. III. & M. Valerio Meſſala Coſſ. Cyclum Solis adſciſcit vndecimum, Lunæ ſecundum, literam Dominicalem primam, Epactam cum denis nouenam, numerum aureum ſenarium, quo currente iuxta Metonicam putationem, eo tempore Græcis, Romanis, Hebræiſq; vſitatam, cùm nouilunia eodem ipſo anno figerentur circa decimum ſeptimum menſis diem, Lunæ vigeſimę ſeptimæ collimandum erat in tertium aut circa Idus Iunias. Verùm quòd errore graphico procliue fuit, pro decima ſeptima vigeſimam ſeptimam ſaltu à Nonis ad Idus facto obrepere, ſiuè ratione Hebræorum elementorum non prorſus ſibi abſimilium, ſiuè etiam Græcorum quod alias in ſimili monſtratum eſt, nemo non prudẽs exiſtimauerit Lunam decimam ſeptimam in Kalendas Iunij vel circa retrahendam, pariq; iugo cum feria ſecunda nectendam, pro qua tamen quinta ſubingreſſa, non raro [n] in pleriſq; exemplo, ſi eruditorum animaduerſionibus fides habenda eſt. Sed enim quia ſemel ſtatuimus, rudem illum ab aſpectu Lunæ calculum, non vnius diei interuallo ſubinde à verò aberraſſe, quis ambigat Lunam quoq; decimam ſeptimam,

[n] V. pro II

pri-

pridie nonarum Iuniarum incidentem, feriam quintam exhibere potuiſſe, vel quod vulgò creditur tertio Nonas exceptam, feriam dediſſe ſextam, pro qua tamē exſcriptoris incuria dempto apice quintam reddiderit.

Sanè in tanta calculorum variatione, magnum negotium ſibi faceſſat oportet, qui errores eiuſmodi producere velit, vt non facile quauis ſpecie veri mendum obduci queat, quò iam temporis diſpendium ſit, pluribus haſce minutias exterere. Nec verò hanc diuerſitatē parit Aurei duntaxat numeri ſiue ad Metonicam lineam, ſiue ad Callipticam periodum examinata ratio, quæ tametſi cum exactis Aſtronomorum calculis, quod experientia docet, æquari non valeat, certis nihilominus quibuſdam regulis ſtabilita, quo quo modo hodieq; viget; verùm ipſa mediarum coniunctionum viciſſitudo, oppoſitionum item, motuumq; mediorum latitudo, Neomeniarum præterea cum Cyclis epactarum minus rithmica progreſſio, neq; ſolùm, ſed earundem cum Aureis numeris illa maxime tempeſtate, nunc cita nunc ſera collocatio, raraq; cum cæli conuerſione conſenſio, quo proinde ſicut ante Gregorianam temporum emendationem, nunquam ferè in Eccleſijs ritè fuit indicta ætas Lunæ, ita vix illo rudi ſeculo debitè obſeruatus Lunæ exortus, ſiue vulgo ad oculum pareret, ſiue ad Aurei numeri recentiorem adhuc normam à peritioribus reuocaretur. Deniq; vt plurima tranſmittam, ipſa Aerarum & Epocharum varietas, calculatorum in diuerſa abeuntium ſupputatio, & quod caput eſt, Tabularum Aſtronomicarum tam inter ſe, quàm à Cælo diſcordia, non diſcrimen modò, ſed etiam confuſionem ingerit ac errorem.

Sunt qui certum ingredi ſe tramitem putent, ſi ad decimam quartam Lunam paſchalem, velut ad Theſei filum ſuas regant numerandi regulas: Sed hos ab ipſis carceribus ocyùs concepta dubitatio, an decima quarta potiùs, quàm decima quinta Luna paſchalis fuerit, in varias abducit opiniones, & vt nihil dicam, de anno mortis Chriſti apud eoſdem inconſtanti, ipſa tum temporis Iudæis recepta conſuetudo, horum fatigat ingenia, quòd initium Lunaris menſis ex primo Lunæ aſpectu celebre eſſet eis deſignare, ex quo tamen fiebat interdum, vt quæ Aſtronomis decima octaua cenſebatur, Iudæis eſſet decima quinta; quam ſupputandi rationem ſi quiſpiam in notis huius Epiſtolæ iniret, facile dubio procul, ſi quæ eſt, moleſtiam deuoraret. Huius porrò conſuetudinis ignoratio, ſicut etiam ipſiuſmet anni variãs exordium, quod Ioſephi Hiſtorici æuo inuectum eſt, quàm multos in fallaciam miſit, conſequentes per ſecula errores docuerunt, idq; inter alios [a] Scaliger haud poſtremus animaduertit.

[a] *Praef. de emend. temp.*

At quæ hactenus à nobis dicta ſunt, errores circumeunt aliorum, & Anonymo etiā latum relinquunt dicendi campum, ex quo demum in erratis Lunæ & feriæ characteribus, illud poſt multos ſudores euincet, nihil ſe noui hac in re attuliſſe, quod à Meſſanenſibus longè antea non fuerit perſpectum, neq; tamen lituram inducere voluiſſe notis, quæ ad religionis momentum ſi cetera conſtarent, parum apponeret, minuſq; ab eo demere poſſet, ne quod fieri adſolet, recens emendatio, vitiatæ rei vulgo ſuſpicionem ingereret. Seruatum id multis in multis: ſed etiam anni Salutis, ſua vetuſtate religionem habent, ceteroqui ſapientum iudicio non in puncto fixi. Nec prorſus diſſimile illud; in Scripturis vulgatam verſionem, ſanctitatem habere, tametſi nonnulla interdum dicta grammaticali cæſtui ſint obnoxia; quid enim eſt in præſenti Sacram Virginis Epiſtolam, à deerrantibus notare calculis, quàm cæſtu quodam profanæ diſceptationis minus reuerenter inceſtare.

Sunt verò, quibus in præſenti calculationis inſtituto certiſſima teſſera videtur illa, quæ à Solis deliquio præter rerum ordinem Luna aduerſa immiſſo, reliquos non dubio velut talorum iactu produci numeros decreuerunt. Ac tum vulgatam illam eclipſin

Digitized by Google

eclipſin quam Claudius Cæſar, quinto imperij ſui anno M. Vinicio Quartino II. & Statilio Coruino Coſſ. præfixo programmate, ne quas in populo turbelas daret, in die ſuo Natali, hoc eſt Kalendis Auguſti futuram prædixit, in quadrageſimum quintum Chriſti incidiſſe annum, octauo Lunæ Cyclo, Solis vigeſimo ſexto, velut proprijs characteribus inſignitum, cùm velint: ab illo reuolutiones Lunationum, in quadrageſimum ſecundum Chriſti annum, ita conantur retrahere, vt inde velut ſacrato veſtigio ceteras etiam, Lunæ, feriæq; notas vt vulgo fertur inuentas putent. Sed enim has ambages euanida quadam induſtria tentatas magis à nouis, quàm à recoctis putatoribus probatas, peritia calculandi longè retro mittit. Taceo ego, iſtis fixum eſſe, à Luna non adoleſcente neq; ſeneſcente, ſed ætatis plenæ metas minimè præteruecta, id ſpectaculi mundo datum. At enim cùm non paucis ad portentum exaggerandum, decimæ octauæ Lunæ facinus eiuſmodi adſcribitur, linea de nouo ducenda erit, alioq; tramite gradiendum. Id cauſæ alijs viſum, cur non modò Patres antiqui abludentes ab ea Eclipſi rationes in medium deducerent, verùm etiã Aſtronomi, remotis magis à veritate ſententijs, quàm à tabula manibus minimè inter ſe ſe cohærerent. Et rectè [o] Dionyſius noſter, Petauius inquam aſſerit, ex eo quòd Magnus ille Dionyſius Heliopoli tum exiſtens, aſſerat poſt Eclipſin Lunam perueniſſe in eum locum, qui è diametro ſolem reſpiceret, nihil de plenilunio colligi, vt enim illo ipſo tempore Lunam amphicyrton fuiſſe demus, cùm ea poſt epiproſtheſim, priſtinum ad locum regrederetur, per eam cæli plagam, quæ Soli aduerſa erat, tranſijſſe ſolùm dicitur, non etiam in ea conſtitiſſe, plus enim dimidiato Orbe percurrit.

Sed neq; ſi pro occaſione à decimo menſis die Lunarem ordiantur ætatem, continuò cetera quoq; ſuis nectentur ordinibus, vt hac velut minimè adultera claui patefactus temporum aditus, omnia commonſtret, haud vnquam violata cum Cælo, ſanctioribuſq; decretis concordia: quando non ideo Luna ſuæ mutabilitatis oblita, greſſum poſtea mutauit ac ſtatum, quaſi ſemper eadem lege miraculi faciem Solis obtegeret, nec ſibi relicta, non lentius modò, modò celerius Zodiacum peragraret, vt inde momentis quoq; diuerſis ætatem indeptam duceret, remitteret. Id præſertim in ea defectione quam Claudius Cæſar ſpectauit, niſi qua preciſè imagine ſe ſe exhibuit (quod iſti non faciunt) aduertatur, locum habet, quando latitudine quadam intra limites à natura fixos, ita potuit euariari, vt momenta quoq; temporis, à quibus Luna poſt ortum adoleſceret, cum ipſo ortu præciperet, poſtponeret.

Non me fugit aliquos cum Scaligero [p] Nouilunium Paſchale anni Chriſti quadrageſimi ſecundi, vigeſima prima fixiſſe menſis Martij, feria tertia, currente litera prima, Epacta Iuliana decima. Alios vero cum [q] Lucido, Cyclo Lunari ſecundo, Solari vigeſimo tertio, menſis Martij vndecima, feria literaq; ſeptima, epacta ſuper quinq; vigeſima, à quibus reliqui recentiores, paulò vel nihil diſtant, nam Scaligerum vt ſequantur notari nolunt, quin poſitionibus eius mendum inducunt. Sed enim vt cum iſtis quoq; citra errorem conueniat, an plenilunium Iudaici Paſchatis præfigant an Chriſtiani, eſt explorandum; alterutro quippe adſcito, feriæ quoq; varientur neceſſe eſt. Neq; ſolùm, ſed quia ex diſparibus ob inæqualem Lunæ inceſſum interuallis, mediocris motus qui conſtituitur, alius ab alijs definitur, inde fit vt menſtrua quoq; reuolutio, non iiſdem digeſta momentis, diuerſas pariat putationes.

Cedo Prutenicum argumentum: Ex eo, Lunæ per Menſem iter, diebus viginti nouem, horis bis ſenis, ſcrupulis primis quadraginta quatuor, ſecundis tribus, tertijſq; denis, vt minutiora mittam, circumſcribitur. Hinc verò conſequens eſt vt capite numerationis in diem vndecimam eiuſdem menſis defixo, medium Lunę curriculum, die vigeſima quarta Martiana, cũ horis octodecim, primis, vicenis ad duobus, vnóq;

ſecun-

[o] In Epiph. hær. 41.

[p] L. 4. de Emend. Temp.

[q] In Canon. Marian. in Tab.

Digitized by Google

ſecundo, tertijſque quinque cum triginta, in ipſo Iudæorum Paſchate ſtatuatur, & exinde paulatim à plena deſciſcens ętate, peractoque luminis ac vitę ſuæ ſpatio, circa ſextum Idus Aprilis denaſcatur. Sed enim iterato rediuiua, ſolitoque curſu per iter ſuum vecta, vbi ad alteram Lunationis metam circa Nonas Maij peruenit, hinc ad tertium Nonas Iunij, Septimo circiter vltra vicenum paſſu dierum eſt perlata, quò proinde ſubfixa Deiparæ Virginis Epiſtolæ Luna vigeſima ſeptima, non eatenus extra Orbem cadat, quin ad euagantem Lunæ gyrum momentaque errantia prope ſit appoſita.

Verùm quòd tertio Nonas Iunij, ſeptimum in literis elementum, diem Dominicam, minimè autem quintam feriam ritè ſignet: id demum fortaſſe oſtendit, quid reapſe, & Chriſtianorum inſtituto faciendum fuit, illis quidem currentis anni Paſcha vigeſima quinta Martij canonicè agentibus, Iudęis verò ex ritu Sabbatum ante colentibus: At enim facta feriarum, quod magnis ex cauſis ſolenne fuit, translatione, quin ab iſta, dies ad tempus numerarentur, fuiſſe nihil vetat, adeoque antecapta pro re nata, vel producta putandi nota, nec habita literæ Dominicalis ratione, dies ille feriam quintam nominaret; retento nihilominus legitimo lunæ curſu, quò poſt tempus ad ſedes ſuas feriæ pro norma reuocarentur. Nulla hic opinor cum ſapientibus intercedit altercatio, quibus vel ex [s] Cyrillo, [t] Chriſoſtomo, [v] Theophilacto, alijſque cordi eſt, Iudæos neci Chriſto parandæ intentos celebritatem diſtuliſſe, vel ex Epiphanio [u] compertum illo ipſo tempore, vitioſo Lunæ cyclo pleraque Iudæis ſignata, adeoque tum biduò Neomeniam Niſan ab exacto nouilunio deſceſſiſſe; vel denique ex [x] recentiorum peritia comprobatum, pluribus etiam diebus ciuiles Neomenias à medijs aberraſſe: ex quibus omnibus, ſi ſemina poſteris extiterunt errorum, conſuetudo nihilominus religionem fecit vt diſſimulatis temporum mendis, ex vſu ferias, & feſta, non quidem in ſacro ſed in profano ritu variarent, ne ſciolus fortaſſe quiſpiam obtendat Deiparæ Virgini certam fuiſſe temporum ac momentorum è ſyderibus pendentium notitiam, quæ proinde ſi Epiſtolam illam ſcripſiſſet, procul omni errore ſubſignatam dediſſet, quaſi nimirum non ex vſu ceterorum, quàm ex reconditiori ſcientia fuerit illi agendum, vt humilitatis oblita, nec neceſſaria occaſione legem mundo figeret, monumenta rerum omnium perturbaret, ac demum religioni diuerſo tramite in Orbem introeunti præſentiſſimum crearet offendiculum.

[s] Lib. 12. in Ioan. c. 8.
[t] Hom. 82. in Ioan.
[v] Theoph. in c. 18. Ioan.
[u] Hæreſ. 51.
[x] Petau. l. 12. de D. T. c. 15.

Ac de Iudæorum quidem conſuetudine variaque in ipſis feſtis commutatione, illud ſeruatum eſſe ferè conſtat, vt quoties dies prima Lunæ primi menſis, in ferias incideret ſecundam, quartam, aut ſextam, non ab illa ſed à ſequenti feries putandi duceretur; adeoque illo anno prima dies menſis aliter ex ritu, aliter ex Lunæ curſu fuerit animaduerſa, id verò cenſitum illis ne duo dies religioſi mutuo conſecuti, operis, itinerisque haberent vacationem. Quamquam neque eiuſmodi conſuetudo perpetuò ita ſancta fuit, vt non ſanctiores cærimoniæ putarentur. Id palam eſt [y] ex Ioſepho, niſi nos fallit Iudæi aduerſus Iudæos fides, Antiochum erecto ad Lycum fluuium trophæo, quòd ibi Indatum Parthorum Ducem profligaſſet, hæſiſſe biduum ad preces Hyrcani Iudæi prætendentis diei religionem, quæ fortè in id tempus incurrerat: *Et verum eſt* (inquit) *Ioſephus nam Penteceſte inſtabat poſt Sabbatum, quo tempore noſtris iter facere nefas habetur*; Sed etiam conſtat primam azymorum diem non continuatis cum decima quinta Luna iugis celebrem fuiſſe, neque id Moyſen præcepiſſe, ſed decimam quartam duntaxat Lunam menſis primi Sacram iuſſiſſe, quod [z] Petauius noſter, & verum eſſe dicit, & à Iudæis retentum tametſi feriarum tranſlationes adſcitæ ſint. Quamquam ſi cærimonias

[y] Lib. 13. Antiq. cap. 16.
[z] Lib. 12. cap. 11.

rimonias ſpectamus, non vna cum ferijs illo adhuc Chriſti in terris degentis æuo, prorſus cum nota deſciuerunt, ſed politicæ duntaxat, ac ſeculares obſeruationes ſecundùm occaſiones comperendinarunt. Sed enim poſt Crucis trophæum cælis illatum, vbi paulatim diuina poſcente vindicta, ſanctitudines exaugurarentur, religio dominatu Gentilium, deſuetudine ílacceſceret, tum quoque cęrimonijs non admodum ratis, ſolennes dies labebantur, tranſmiſſique cum ferijs ſtati ritus, ſecundùm tempora vix certò figebantur.

Id enimuerò ſi vnquam alias, anno certè quadrageſimo ſecundo eueniſſe nemo ſapientum negarit, quando creſcente in immenſum inſania Caij, cum affectata recens diuinitate, hominis idolum Alexandria per vim paſſa fuit, iamque proſeuchæ omnes (vt ſuo vocabulo dicam) ſtatuis effigiem Cæſaris exhibentibus vſurparentur, ideoque Iudæi penè ad exitium apud ipſum offendiſſent, quòd habere Caium pro Deo, religioſum eſſe dixiſſent, atque in primis Herodes Agrippa, qui pro patria coram Caio ſubmisſè agebat, infimè ſupplicabat. Supererat duntaxat vnum ſanctæ Ciuitatis Templum cum iure Aſyli, quod Cæſar apud ſe, iam in ſui nominis Templũ cum titulo Noui Iouis illuſtris Caij deformarat, & qui facto demutarent cum Imperio amandarat. Ac tum maximè religio omnis, ac cærimonia in tanta trepidatione perturbata, ſacrorum ordines confuſi, ritus impediti, cùm propemodum vno ſupplicio iura omnia Ciuitatis, ac Templi mactanda putarentur. Vt non immeritò recentiores poſt ſecula Iudæi, illum de transferendis celebritatibus vſum, vetuſtæ referãt traditioni, non ſolùm, cùm toties ante Chriſtum in ſeruitutem abducti Reipublicæ quoque ſpecimen perdiderunt, ſed ſecundùm ipſum, non longe tamen, niſi etiam in ipſius tempora, fixis viciſſitudinum principijs. Quamquam quod ſemel à nobis animaduerſum: non adeo cana quibuſdam videatur ea conſuetudo, quæ ſexto poſt Criſtum ſeculo ſit antiquor, ſed quæ tunc ptimùm, vel ſerius in Synedria intromiſſa maiori ſe poſteris ætate quàm ferret, ignaris commendarit. Id verò vt ratum ſit de norma, non iam ex conſpectu neomeniarum, quæ eatenus ſolennis erat, ſed ex mediorum motuum tabulis conſtituta: de enormi illa quam res, & tempus interdum præcipiebant eliſione dierum, aduerſæ opinioni parum concedit, nec multum roboris addit [a] auctor libri Achidach Iſaac, ex Menahoth parte Talmud, quaſi cùm velit Iudæos ęque Sabbatum coluiſſe nullo à prima die Azymorum interuallo, in cuius veſpera manipulus metebatur, plures etiam celebritates ſe ſe inuicem adſtruat abſque translatione conſecutas. Id enim ſi fuit interdum: vel etiam maiori circa tempora Chriſti religione ſeruatum, poſtea tamen perturbata Republica non tenuit, ipſaque demum rerum profanarum viciſſitudo, ſacris etiam inſtitutis, Iudæorom animis à religione defluentibus præſcripſit.

Atqui ex hactenus dictis conſtantiſſimè opinor liquet, ex Lunæ, feriæque notis, dieique Dominicæ literis, nullum ſatis validum aduerſus Epiſtolæ Deiparæ characteres quantumuis peregrinos, induci argumentum, eamque ob cauſam, etſi reliquum firmamenti procul eſſet, renuntiationem veri preſſis Anonymi ſtare poſſe calumnijs. Sed cetera expendamus.

Ioannes [b] Stoflerinus, Paulus [c] Middelburgenſis, à coniunctione luminarium vſque ad oppoſitionem ſecundùm medium motum, dies numerant plenos quatuordecim cum horis denis, & octo, partibuſque horarum primis, vicenis ac duabus, eaque ratione cum Aureo numero venantur à coniunctioue dies oppoſitionis, vt in medio Lunæ curſu decimum ſextum velint agi diem, qui ſi noſtris aptetur poſitionibus, penè quam ſignauimus, ex Prutenica ratione,

[a] Rabbi Iſaac Arama.

[b] In Calēd Propoſ. 15. Lit. E.

[c] Lib. 14. ſec. par. cap 8.

Aa reddit

reddit Lunæ putationem. Nec difficulter idipſum à Clauio, Petauio, ceteriſque temporum æſtimatoribus impetramus, ſed ne hoc loco lectorē faſtidioſè moremur, exactam alibi ſi pretium erit, vel ad radium dabimus numeratione̅, nunc, ſi nihil aliud, ritatis impedimenta verſamus. Et lubet hanc arenam vel ſummis obiter plantis in aduerſum ſpargere, quod de cetero euanida ſit omnis Anonymi calculatio, ſi immiſſa in adſcitios Epiſtolæ caracteres litura, ſexageſimus ſecundus annus, quem nos fiximus, ad normam legitimè reponatur.

Verùm ne contemptum cauſetur, ſi minutas quaſdam argutias prætermittamus, ipſe ſibi incautè illuſerit, quòd vt exiſtimationi ſatisfaciat, extra gradum prouocat, & ne quippiam deſit ad calumniandum, materiam non ex re natam ſufficit. Anno (inquit) Chriſti quadrageſimo ſecundo, tertio Nonas Iunij, Luna erat Maij, non enim hic ſermo de Luna Iunij menſis, quo nouilunium ſexto die contigit. Quid hoc quæſo ad rhombum? Nihil in Epiſtola Virginis de Luna Maij vel Iunij, Lunæ duntaxat vigeſimæ ſeptimæ ſit mentio, tertio Nonas Iunij, ceterùm cuius menſis ea fuerit Luna, non explicatur, neque enim Tabulæ conduntur, ſed iudicio prudentis vſuique rei permittitur. Et ſaltem qui mos in Martyrologijs legendis obtinuit, latere non debebat Virum per omnia circumſpectum. Enimuerò ſi Nouilunium ſexto die Iunij menſis contigit, vt aduertit egregius ſupputator, clarum eſt vel lymphatis, vigeſimam ſeptimam Lunam Iunij non potuiſſe coniugari cum tertio Nonarum Iunij, & quod hinc conſequitur ad proximè præeuntem ſpectaſſe menſem, niſi quem fortaſſe iam tranſuerſum actum ſecus ſomniare Luna cogat; quid hic cauillo, quid plumbeo obnoxium aculeo? Sed heus bone Anonyme, nolim hic tecum ex Tabulis putationum agere, aut nouis lituris ad palimpſeſtum nauare, nolim reuolutiones coniunctionum, & oppoſitionum, radices neomeniarum, & Epoches Chriſti, latitudinemque Lunæ ſubtilius venari; ad tuum te calculum reuoco, ad tui Tribunal iudicij ſiſto. Si quemadmodum tu ais, in ſextum diem Iunij nouilunium incidit, & tertio nonas Iunij, Luna Maij fuit, reflecte modò cogitationem, retrahe parumper calculum, numera quot dies cadant tertium inter, & ſextum Iunij; binos dubio procul ſi numerare noſti, completos putabis: igitur vt cum ſexto die ſequens Neomenia, qua qua tandem hora vel momento capiat ortum, nonnè in die antecedente, hoc eſt in quinta, Iunij Lunatio præcedens, euolutis diebus viginti ac nouem, horiſque bis ſenis paulò amplius curſum exoluit ſuum? at ſi Luna vigeſima nona cadit in quintum diem, quæ Luna quæſo cadet in tertium? Silentium.

Nolebam ſanè vt propoſueram hominis accurati repurgare calculum, quòd Maurolyco, & Clauio nixum, ſi iſtos percepit, eoque ad amuſſim ductum, perperam me dubitare putaſſem; ſed tam erudita animaduerſio, neſcio quid deridiculi offerri monuit, quod ſi produceretur, iucundum foret aditu. Id nimirum cauſæ fuit cur hiante linea numerum dierum ab exorſu Lunæ Maij tranſiliret, ne ſi vigeſima ſeptima Luna digeſtis vſque ad tertium Nonas Iunij momentis, neceſſariò accidiſſet, ſuo ipſe nexu implicitus inhæreſceret. At neque ponendum erat ſexto die Iunij factam Lunæ accenſionem, quis enim adeo ſit vel defluxi ingenij, vel rudis putandi, vt reducto inde ad præteritum menſem calculo, non continuò conficiat, quod Anonymus negat, non probat. Itaque ſi ſexto die Iunij nouilunium fuit Lunæque ſilentis dies, addo ego naſcentis horam, quæ decima, cum minutis vigintiſeptem, ſecundiſque quadraginta accreſcebat, nihil propius fuit, quàm vt repetitum lapſæ iam ætatis curriculum, à ſeptimo die Maij, iunctis horis vicenis duabus, tribus ac quadraginta primis, tricennis cum ſeptem ſecundis, caput figeret, decurſiſque ritè ſpatijs in eam quam poſuimus metam deſineret; Quod ipſum longè poſtea Cæſar Muſarra, ducto

ad Ta-

Digitized by Google

ad Tabulas Aſtronomicas argumento minutatim, & multis expendit, rectèque offendit. Sed nobis breuiori ad manus & rem methodo, ita viſum eiuſce Lunationis ſchemata colligere.

NOVILVNIVM MENSIVM IVNII, ET MAII *Anno Christi 42.*

An. Compl.	2	23	45	9	
℞ Maij.	3	8	19	44	
℞ †	16	18	12	30	
	23	2	17	23	Detrah. à Reuol.
Reuol. Coniun.	29	12	44	3	
Nouil. Iun.	6	10	27	40	
Addit. M.	37				
Lun. integ.	29	12	44	3	Detrah. à M.
Nouil. Maij	7	22	43	37	

Idem verò non minus expeditè, quàm pro vſu calculi ritè licebit à plenilunio quoque Paſchali arceſſere, quòd illo quidem anno Iudæis vigeſimum quartum diem Martij ſacrum fecit, horaſque præter denas quatuor pauioque amplius, ceù ſubiectum ſchema præfert adulta luce deſignauit.

An. Compl.	2	23	45	9
℞ Feb.	29	11	15	47
℞ †	16	18	12	30
	49	5	13	36
Reuol. oppoſ.	73	19	50	8
	24	14	36	32

At erratum in feria quinta; quippe tum dies fuit Dominica, certiùs à ſeptima litera, quàm Hercules à claua notabilis: quid tum? impegit Scriptor: num ideo damnas falſi Epiſtola? quid ſi feria quinta non à die prima, ſed à tranſlati ritus quatenus dictum, limite numeretur? omnis irrita eſt calumnia. Quin tu, ſi Maurolycum laudas calculi tui teſtem ac Magiſtrum: non abnuo; ſed caue ne te rurſum in captiones induas. Duplicem, vt alij quoque, Maurolycus, quò feriam venetur viam init, alteram per annos Chriſti, per Cyclum Solis alteram, ſi veſtigia odoraris, per vtramque offendes in feriam quintam, vt Oribaſus in prædam, ſi modo in putatione ex Cyclo tertium Nonas Iunij prætermittas. Vin' experimentum.

Per annos Chriſti	*Per Cyclum Solis*
41 | 10	22 | 5
4 |	4 |
365	365
10	22
3650	730
10	730
3660	5
59	154 (5 Feria.
154 (5 Feria.	8188 | 1169
3813 | 544	7 |
7 |	

Paulo à Maurolyco variat Methodus Clauij vterque tamen rectè, ſi non vulgari trutina pendantur, Mihi tamen cùm cetera in tantorum Virorum præceptis firma ſint ac rata, prætentas duntaxat argutias ad hominem quod dicitur placet elidere.

Verùm inquiet aliquis ex re nata, ſi ita omnia veniunt ad numerũ, vt oculis demonſtrata cenſeantur; igitur illo prorſus anno exarata à Virgine Epiſtola, eodem Paulus Meſſanam venit, Romam iuit, reuertit; Legatos Meſſanenſium ad Virginem deduxit, cetera perfecit. En verò quæ Hiſtoriarum ſtrages, quàm inextricabilis temporum error, vno penè momento ſe ſe offundit, quàm contrariæ pugnanteſque non in alijs modo, verùm in hactenus aſſertis conſecutiones, quando, & ſexageſimi ſecundi anni gratis excogitata poſitio, plurimaque alia tot inſanis ſubſtructa rationibus, velut diſcluſo trabali clauo corruant neceſſe eſt.

Nihil moror. Nos qui ſexageſimum ſecundum inducimus annum, eiuſmodi temporum ſubſignationes extra ſententiam habemus, & mentem, quæ tamen in diſceptationem vertimus, rationibus duntaxat Anonymi infringendis, eatenus appoſita ſunt, vt aſſertiones quæ ex mente ſunt indiſtrictas ſinant, ratumque ſit, hoc velut ſacro ſignata indiculo, cetera quoque probatam habere ab argumentis ſanctitatem. Sed verò quibus altera ſedet opinio, quamquam illi Traditionem diuulgatam circumire videri poſſint, vnum tamen à coniecturis impetrare poſſunt, vt cùm primùm à nece Stephani ſtatutum in Chriſtianos exilium haud paucos Meſſanam deuoluiſſet, accepta ex illis de Virgine fama, plures Meſſanenſium ad illam itinere longo viſerint, & fortaſſe ſocia cum Hiſpanis peregrinatione quos pridem ac præcipue fama illa circumdederat, frequenteſque vt narrat [d] Dexter ad Virginem acciuerat, comitarint, ac illo præſertim anno quà fors ferebat, fidem nomenque Chriſto in Virgine priuatim dederint, Ciuitatem ſuam commendarint, ſuis demum audita, viſaq; renunciarint. Quò poſtea factum ſit, nauigante in Italiam Paulo commodùm accidiſſe, vt inſtanter accerſitus, niſi etiam ſponte, & commendatione Virginis libenter, Meſſanam veniret, rem religionis apud permotos pridẽ ſtudio Chriſti animos, facilè ſuis initijs conſtitueret, ac demum poſt vincula Romana redux, quæ ad legationem ceteraq; formanda ſpectabant perageret. Certè ille in Epiſtolam Virginis ingreſſus, VOS OMNES, MAGNA FIDE, &c. non obſcurè prodit adfuiſſe pridem Virgini ſed priuata deuotione, non omnium adhuc nomine miſſos Meſſanenſes, illos vero ſerius demum anno ſexageſimo ſecundo, Pauli præceptis hortatuq; facili, vt erant iam

[d] *Ad an. 35.*

parati

patati, factos animoſiores eam adornaſſe legationem, Vrbiſque ac rerum ſuarum tutelam miſſis precibus fuiſſe emeritos vt proinde characteres illi temporum anticipati, deſtinatam in acceſſu primorum venturis aliquando deſignent gratiam; ipſa verò Epiſtola vigeſimo poſt ãno exarata, publica fide miſſis eſſlagitatã firmet protectionẽ.

RESPONDETVR NONO ARGVMENTO QVOD EST Septimum Anonymi.

CAPVT VIGESIMVM NONVM.

HIC iterum ad ſtrepitum vocatur ſilentium Lucæ. Cur ſiluit conuerſionem Meſſanæ, qui Syracuſas Rhegyumq; aditum à Paulo non tacuit? quanto minus iſta, illud magis gloriam Dei, ſpeciem rerum intendebat. Pugnat deinde ſcripturis Canonicis, illo tempore Paulum vinctum Romam perrexiſſe, & ex ſententia Laſcaris Rhegyo Meſſanam acceſſiſſe, conuertiſſe, hinc Hieroſolyma ad Deiparam Legatum iuiſſe. Contrarium Hiſtoriæ demonſtrant, imò fides Canonica. Fruſtrà obtendas conuertiſſe cùm Rhegyo acceſſit, Legationem obiuiſſe poſtquam è vinculis Romanis exceſſit: pretium huius ſententiæ eſt pudor, Chronicon Euſebij non patitur, reſiſtit Baronius, cælum propemodum ipſum clamat, Deiparam vndecim ante annis inter mortales vixiſſe. Hæc ſumma longioris in ſerie argumenti.

Euanuit opinor nimium nuper putandæ Lunæ addictus, niſi mentem à grauiori ſtudio remiſerit ad mitiorem velitationem. Licebit & nobis obſecundare, quando quæ robora fuerunt, pridem demoliti, cetera quoq; labefecimus. Ergo ſilentium Lucæ, male à negatione loquentem compeſcit, cauſas rogantem per varia Scriptorum monimenta docet. Plures à nobis ſuo loco patefactæ, Roffenſi, Baronio, Lorino alijſq; ſuggerentibus, ni cuipiam ſatisfaciant, peruicaciam damnant, non ingenij tarditatem accuſant. Tacuit Lucas Meſſanam, non Syracuſas & Rhegyum: quid tum? meminit & Puteolorum, tranſmiſit Neapolim: At referebat tam inſignis Reipublicæ, tam ſplendidæ Legationis meminiſſe, non ita exſcenſionis Syracuſanæ: argutè ſanè, ſed referebat etiam Anonymum diſtinguere, tempora (quod aiunt) & concordare Scripturas, ipſaſq; poſtmodum rectè intelligere, nec illis quippiam ex ſuo adiungere ſi ſacras vellet, alioqui ſibi norit impingi nefas, quod de vitiata Virginis Epiſtola Meſſanenſibus intentabat, eoq; maius quò Sacratior Scriptura quàm Epiſtola.

Itaq; Legatio non tunc inſtituta, ſed biennio ſecundùm vincula Romana, quo tempore iam ſcribere deſierat Lucas, nec Reduci in Orientem, quod plures volunt comes erat. Meſſanam præterijt Lucas, quia ferè nõ niſi loca quibus ſtatio naui facta, nec fortaſſe ſingula penſi duxit. Syracuſis exſcendiſſe Paulum, Traditioni concedo, ex Luca non colligo, id ex ſuo reponit Anonymus, pluraq; dicit quàm conijcit. Nam quod Lucas narrat. *Et cum veniſſemus Syracuſam, manſimus ibi triduo:* nauim duntaxat ſubtiſtiſſe, ad ſummum milites & vectores liberos exſcendiſſe, prouidiſſe, Paulum certè hæſiſſe potiùs, quàm naui motum indicat, quid ni enim ſi vinctus fuit, ſi cum cuſtodijs habitus, quando hanc ob cauſam Meſſanam adduci potuiſſe negauit alibi Anonymus? Caueat ſibi in poſterum à rationibus quibus ſeipſum implicet.

Demus

Demus ergo Traditioni, demus & prudenti coniecturæ, Paulum amico vſum Iulio Centurione, poteſtate facta exſcendiſſe, Vrbem obiuiſſe, intra Inſulam etiam, quod alibi ex Octauio Caetano ſumpſimus, ad aliquot lapides penetraſſe, addo etiã plura pro Euangelio dixiſſe, feciſſe; an verò gratis & animi ſolùm cauſa ſuburbium iuit, agros luſtrauit, an neſcium tacere Dei Verbum, neſcia ligari virtus Apoſtolica, in ore & pectore Pauli, in tanta occaſione conticuit, deſes fuit? Abſit. At Lucas hæc omnia miſit, quo conſilio? fortaſſe quia falſa? caue dixeris, ne tam præclaræ Vrbis religioni & gloriæ plurimùm decerptum velis. Concede igitur vt tecũ ipſe cõuenias, multa ſiluiſſe Lucam quæ Paulus geſſit, aut diuina ſi potes contra Adytum.

Quæro etiam an non ea tempeſtate Syracuſæ jam Chriſto addictæ? vix neges: quin primatum Meſſanæ, hoc velut hamato vncinatoq; argumento libenter deripias. Martianus illis à Petro pridem datus Antiſtes, arguit medio propemodum ſinu floruiſſe ibi Chriſtianos. Num ex his aliquis triduana illa ſtatione viſit ad Paulum? num ipſe acceſſit Martianus? vel ſi non vſq; eò prouixit, num eius ſucceſſor, aut quiſpiam alius, ſaltem ſi nihil aliud, de Orientali Eccleſia quæſiturus? abſit enim Melitæ Barbaros (cum Luca loquor) non modicam humanitatem præſtitiſſe Paulo & Socijs, Syracuſanos verò Chriſtianos defuiſſe officijs? Et tamen nihil horum percenſuit Lucas alioqui eiuſmodi officiorum Notarius haud obliuioſus; & referebat narrare potiùs occurſum fratrum ad Appij forum ac tres Tabernas, quàm Syracuſani Antiſtitis aliorumue Chriſtianorum humanitatem, apud quos dudum ſi non literæ, fama Paulum præuenerat, illo verò triduo ſermo etiam omnium circumdederat. Sed hactenus hoc loco fixus clauus, nec pluribus quærendum, qui probet Anonymus pugnare Scripturis & Fidei Canonicæ, diuerſis temporibus & Meſſanæ fuiſſe Paulum, & inde flexo itinere ad Virginem remeaſſe, ne vel rudem Hiſtoriarum & limatioris Dialecticæ, in abrupta Scripturarum, & vt fingat, quæ non ſunt, impellamus.

Sed quid ago? quem rudem Hiſtoriarum appello, qui omni verſata chronologia noſtras ex temporibus elidit aſſertiones, vt pretium ſententiæ dictet eſſe pudorem, ſi anno ſexageſimo Chriſti ſecundo Paulum in Iudæam regreſſum, ea Meſſanenſium Legatione functum adſtruamus. Peruidi & expendi chronologiam magni huius putatoris, quem cùm ſuperius exagitarem, alium eſſe credideram, quòd non vnum in præferuida contentione partes ducere exiſtimarem. Hæc nempè illa Chronologica demonſtratio, quæ non modò conſtrinxit Ioſephum Bonfilium, vt diuerſum prædictæ Legationis tempus excogitaret, nec non magis magiſq; vt ipſe putat ſe ſe implicaret, verùm etiam poſteris aliquid de hac Epiſtola dicturis columnam fixit. Non plus vltra. Sed viderint alij ex ijs, quæ multis ex Euſebio, Epiphanio, Baronio, & alijs contra hanc oſcitantiam, vt modeſtè loquar, diſceptauimus, & cui rectè cenſuerint, herbam ferant. Viderit & ipſe Anonymus in quam ſe ſe Metamorphoſim, cũ ipſe induerit, tum quos auctores falſi temerè laudauit, inhoneſtè demutarit. Mihi in certiſſima etiam cauſa non eſt animus inſultare, quòd ſciam humanum eſſe errare, & leuitatis magis quàm prudentiæ, quæ miſerationem merentur exprobrare. Satis modo ſit, ſententiæ noſtræ pudorem nullum eſſe, pretium verò in Viros ſapientes redundare, illius pudori ſocium neminem accedere, proindè cùm ſolus ferat, recogitandum eſſe, quàm cautè ſint aliorum dicta factaq; cenſenda.

R B.

Digitized by Google

RESPONDETVR DECIMO ARGVMENTO
quod eſt octauum Anonymi.

CAPVT TRIGESIMVM.

HOC argumento quod in ſerie compendio retulimus, toti Meſſanæ penè dicam ſcribit Anonymus, eoq; diligentius in eo verſatur, quò ſicut exiſtimat intolerantius à Scriptoribus Meſſanenſibus nonnulla abhorrentia à veró in Epiſtolæ paratum afferuntur. Iuuat hoc loco inſectis minutatim partibus argumenti corpus inſpicere.

Affirmatis (inquit) Meſſanenſes Deiparæ Virginis Epiſtolam, cùm Hebraicè, tum Græcè ſcriptam, in Archiuijs & ſcrinijs veſtris aſſeruari. Memorat veſter Gothus, vulguſq; iactat. Tadunt Caniſius, Arias, Maſellus, alijq; Vtinam verè. Sed nihil tale inuenies. Peruoluere multi omnia ſublina Ciuitatis Meſſanenſis, non incurioſi rerum, veſtri ciues, vnaq; externi: peruolui & ego, ſtudio in Virginem, in veſtrám Vrbem fecimus, ſed ſpe deluſi ſumus. Senes veſtri, ſæpè mihi auditi, negant vllum Meſſanæ exemplar extare, Græcumuis, an Hebraicum. Borgia Princeps Quillacij Strategus veſter, id ipſum accepit à Patribus Iuratis cùm rogaſſet. Furto ſublata Epiſtola? Exquiratur fidiculis à Laſcari, qui enim detrita æuo, aut caſu deperdita: abſit fato ſubditam, abſumptamq; eius manu deſcriptam diuinam Epiſtolam, quæ principatum mortis euertit, procul animis Chriſtianis tam degener ſenſus, conſediſſe in cineres Deiparæ tactu ſacratam. Sed nec amiſſam dixeris, id ſceleris non admiſiſſet flagrantiſſimum Meſſanæ Vrbis ſtudium, quæ velut diuinæ particulā Matris, ſuper rerum precia diligenter conſeruaſſet. Saltem Laſcare vbi Græcum exemplar, quod tuas inter manus cùm Latinè reddidiſti, verſatum eſt. Magna nota tua eſt, Epiſtolam incorruptam vltra annos mille quadringentos, tot fortuitis caſibus, tot Siciliæ cladibus, dominatu præſertim Sarracenorum, ſeruatam, in manu tua demum euanuiſſe. Cur tua extant exemplaria, non exemplum Virginis? an maior Ciuitati cura, ſeruare verſum à te, quàm Scriptum à Virgine, verſum à Paulo? quid hic cogitandum; Rei eximiæ memoria ab annis centum viginti conceſſit, nec primùm, quàm Laſcaris vidit, tunc vltimò viſa, ac ſcita Deiparæ Epiſtola? Hæc ferè ille, ſed ad capita rerum nihilominus contracta ſententia, quod Verbis Anonymi euanidis immenſum difflueret.

Ceterùm in his quàm multa ſint leuia, ludicra & vix tonſtrinis digna, nemo eſt adeò obtuſus, aut parum intelligens, quin agnoſcat, vt mirum ſit quempiam virum grauem, & qui doctrina excultus videri velit, ad has infra aniles ineptias ſe ſe demittere. Nollem hoc loco multus eſſe, quòd totius rei tædet nugatoriæ, niſi lectoribus cum irriſu accepturis aliquid animi gratia nauandum foret. Poteſt enim fieri vt quę audiſſe ipſe ſe dicit, à prauè narrantibus audierit, aut ipſe male perceperit, vel ſecum retractarit, aut deniq; omnino, quæ ſe vidiſſe, audiſſe refert, nec viderit, nec audiuerit.

Nunquam ſanè Meſſanenſes, à ſeculi memoria affirmarunt Epiſtolam Virginis Hebraicè, aut etiam Græcè ſcriptam poſt tempora Laſcaris in ſuis ſcrinijs aſſeruari, nec quippiam ſimile memorat * Gothus, ſed ex ſuo, nec pręter morem & ingenium affingit Anonymus; certè qui ſcripta Euſebij Baronij, aliorumq, in publica Eccleſiæ luce

* Lib. de inuent. Placidi & Socior.

extantia

extantia peruertit, ciuis Meſſanenſis ſcripta profanare non auſit? Verba Gothi Latinè reddita ſic habent. *Digna ſe magnanimitate (Virgo) ſua manu literis Hebraicis ſcripſit ad eandem Rempublicam quæ à dicto Apoſtolo* (Paulo) *traductæ ſunt in Græcam, & à Conſtantino Laſcari nobili Conſtantinopolitano, auctore digniſſimo in Latinam linguã tenoris ſequentis, quemadmodum in publico Ciuitatis Theſauro conſeruata apparet.* Subdit deindè exemplar Latinæ Epiſtolæ. Itaq; Gothus non Hebraicam, aut Græcam, ſed Latinam Conſtantini verſionem perhibet aſſeruari, id ; certius eſt quàm vt recẽti fama circumdetur: nec aliter Gothum accipiet, qui Italicè nouit, vt iam vernaculæ linguæ inſolenter quiſpiam ſit ignarus, niſi de more, quo animo Latina Græcauè verſarit, eodem & Materna tractare didicerit, & tolerabilius profectò ſit Grammaticã, quàm fidem fallere. Hoc ipſum verò quod Gothus ſcribit, Vulgus etiam deprædicat, vel vt Anonymus ait iactat; ſi ipſe aliud putet, næ peruerſus eſt, qui ſanè intelligenda, prauè detorquet, vel planè leuis, qui vulgo, non doctis credat: verùm & decipi, interdum pœna eſt impoſturæ. Quin iam æquè ſibi perſuaſerit Scyllam & Charybdim vinculis in freto teneri, quia id olim Poetæ, hodie anus Meſſanenſes ad colum denarrant. Habet, in quæ calamum ſtringat, nec minus argutè à fabulis ad vera traduxerit argumentum, quàm à Latina verſione Laſcaris ad Græcum Pauli Hebræumq; Virginis exemplar.

Iam Caniſius, Arias, & ſi qui Laſcari poſteriores in eundem dicendi modum veniunt, non aliam ſapientibus cogitationem ingerunt, niſi quàm ſenſu præ ſe ferunt, deſideratis videlicet Hebręo Virginis, Gręcoq; Pauli ſcriptis, in Latina duntaxat Laſcari verſione, imaginem ſalutaris Epiſtolæ ſpirare, nec æſtimatione interpretis minime vetuſti, ſed ipſo memoriæ ſacratioris cultu viuere, ac religionem obtinere. At enim Caniſius Meſſanæ annum diuerſatus, quò ſcripti ſui mentem protulerit, alio pridem loco deſignauimus, & de reperta in Tabulario Meſſanenſi primigenia Virginis Epiſtola, Lucium Dextrum exceptione maiorem, teſtem laudauimus, quem ſi antea, bono ſuo, vidiſſet Anonymus, in tam importunum Quæſtorem nugarum fortaſſe non deſciuiſſet. Quòd ſi Maſellius aliuſq; non vnus Græcam Pauli ſcriptionem apud Meſſanenſes haberi exiſtiment, ad opinionem quàm errorem procliues magis, Epiſtolæ ipſius rationem ſpectaſſe cenſendi ſunt, fidemq; rei potius voluiſſe adſtruere, quàm diſcrimen exemplarium inter tot manus conſiderare. At enim, demiretur quiſpiam, cur Maſellum ad noſtras partes remittat egregius Cenſor, cui alibi, ſeceſſionem imponebat. Si reſipuit, facilè à mente culpa recidat in calamum, nec ſerò commeritas det pœnas calumnia, quæ nunquam idem, nec rectè ſapit.

Porrò quod in votis erat Anonymo, excuſſis Meſſanenſium thecis tabularijs, Epiſtolæ exemplaria ſi fors ferret offendere: res ea diris nõ caruit apud pleroſq;. Ferunt, cùm P. Octauius Caetanus noſter, ſacram Siculorum Hiſtoriam ſcripturus, (vtinam perfeciſſet) facta ſibi à Senatu poteſtate, ſcrinia Ciuitatis inſpexiſſet, hunc quoq; inter alios, qui Caetano, inquirendo commodabant, ſimulata conſcientia & conſuetudine obrepſiſſe, omnia ſacra aduerſaria ſed diuerſa ab alijs mente luſtraſſe, & cùm ceteri religioſè, quæ ad rem ſpectare videbantur inſpicerent, iſtum liberius omnia cõtrectaſſe, triuiſſe, oculos per omnes angulos, velut hamatos circumtuliſſe, non ſine nota, ſed obtegebat ipſe impudentiam, quod ſibi quoq; de rebus Siculis domi ſuæ commentaria eſſe diceret, propediem lucem aſpectura, vbi nonnulla ex eo vetuſtatis theſauro, quibus perpolirentur aut locupletarentur, acceſſiſſent. Hæc ſumma rei hac ſe iactat Sparta. Studio (inquit) in Virginem fecimus in Vrbem veſtram, interpoſitis ſcilicet nominibus aliorum, quo ſanctius actum crederetur, ſed hoc capitalior quod ſtudium pietatis fingit, aliorum exiſtimationem traducit. Hanc ſcilicet gratiam

tiam pendit Caetano, peruentor egregius, cuius auctoritate ſe texit, hanc Ciuibus Meſſanenſibus, quos circumuenit, vt in locum paucis acceſſum, ad quem ipſe ſolus meritò admiſſus non fuiſſet, palpo & fumo viam muniret, tanquam ignota Sibyllis oracula mox redditurus, Meſſanamq; cum rebus Siculis Cælo altius inuecturus, vnde velut è perenni Siculæ gloriæ fonte eruditionem hauſturus, materiam ſuis chartis, honoriſq; pretium inferret. Sed quo animo ſcrutatus ſit omnia, ſatis oſtendit ad obruendum patriæ gloriam neſcio, quàm à priuata inuidia, vel occulta cum ciuibus ſimultate factus, vt domi ſe offerret qui foris inueniri non potuiſſet, auitæ gloriæ interuentor, & inceſtaſſet fortaſſe patriæ religionem, niſi cui Meſſanenſium res pietaſq; ſemper cara fuit, incautum conatum, inſoleſcentemq; calumniam in medio curſu repreſſiſſet. Præclaro ſanè documento quàm timidi eſſe debeant mortales, in ijs quæ ad pietatem ſpectant perturbandis, conuellendis, quando ſi quod rectè à ſapientibus dictum eſt, vultu ſæpè læditur pietas, nullum ſupplicium ſatis acre reperitur in eum, qui Deiparæ Virginis cultui temerè conatur officere.

Hæc equidem inter ſapientes narrata volui, non vt criminatione vterer in calumniatorem, ſed vt ſuſpicionem falſi, quam nonnulli erga Caetanum obſcurè gerebant ab immerente dimouerem. Nam quæ illius de hac Epiſtola paulò fortaſſe moroſior coniectura fuit, procul calumnijs eò tandem pertinuit: vt nauigantem in freto Paulum Meſſanam vidiſſe tum, non etiam acceſſiſſe exiſtimaret. Idem verò cùm antea Syracuſis profectum, lentaq; nauigatione circumlegentem, decimo ſupra Meſſanam lapide [f] quod alibi diximus, litore exceptum velit, in Vrbem quoq; illo temporis interuallo, ſi non aſſerit, non negat; de Epiſtola verò quid ipſe ſenſerit, poſthumæ niſi fallor operæ dabunt. Sed pergamus ad reliqua.

[f] ſup. fol. 10.

Borgia (inquit) Princeps Quillacij Strategus veſter, cùm rogaſſet Iuratos Patres, haberetne Meſſana literas Virginis: negarunt habere. Hic mihi in mentem venit Tullij in Erutium Sexti Roſcij Amerini accuſatorem animaduerſio, quod enim ipſi accidebat in nugatoria accuſatione, idem Tullio vſuuenit in cauſa optima, ille quo modo crimen commentitium confirmaret non inuenit; Tullius res tam leues qua ratione infirmaret ac dilueret, reperire non potuit. Quid ais mi Anonyme, quæ iſthæc Dialectica? Negarunt Patres ſe habere literas Virginis Hebraicas, negarunt & Græcam Pauli verſionem, (neq; enim aliud negare potuerunt) igitur negarunt ſe habere literas, quis iſte nouus inferendi modus? velut ſi quis neget, (liceat à ludicris quæ ad hominem faciunt capere ſimilitudinem) ſi quis dico neget Anonymum eſſe peritum Dialecticum, continuò concludat non eſſe Dialecticum: vel magis ad rem, ſi neget hunc Euangelij Codicem eſſe manu Matthæi conſcriptam, illicò etiam conficiat non eſſe Matthæi Euangelium, quid vltra quis non inferat?

Sed negarunt (ais) ſe habere literas: Adeò nè ſuæ religionis oblitos fuiſſe putas Patres Meſſanenſes, vt contra mentem velis locutos, an tu potius ſine ſenſu fuiſti, qui dicta malè percepiſti, vel quod alij crediderint contra mentem confinxiſti. Nunquam Patres id dictum, ſi tamen protulerunt, adeo crudum protulerunt, qui vulgatam è Græco verſionem, hodieque ſub fide & ſignis ſeruant, cupientibuſque inſpicere, ni tui ſimiles ſint, copiam præſtant, Hanc ſe habere ſicut Stratego non negarunt, ita multis deinde

Principibus Viris explicarunt. Quin etiam petentibus exempla, fide publica munita, liberaliter condonarunt. Id nuper factum Viro præſtantiſſimo Patri Aegydio Camart, ordinis Minimorum præſidi quod alias meminimus; id olim Mutio Iuſtinopolitano, id alijs, & inter ſexcentos Annæ, Philippi Secundi Catholici, coniugi paris virtutis, quæ etiam, quod notat [g] Archangelus Ruſſus, & nos alibi non ſemel retulimus, præcipua quadam religione geſtatam è collo venerabatur Epiſtolam, niſi eam ex monumentis rerum Hiſpanarum ab antiquiori tempore conſeruatam acceperit, quod abſimile vero non eſſe, ex alibi dictis probè conſtat. Sunt alia fortiora quæ hoc loco adduci poſſent. Verùm ſemel ſufficiat Patres Meſſanenſes ne cogitare quidem valuiſſe, quod iſte ex tempore confinxit, cùm non neſcirent Hebraicam Virginis ſcriptionem, non vno ante ſeculo temporum iniuria multis alijs verſis intercidiſſe, nec aliud dixiſſe credendi ſunt Ciues illi, vel qui tandem honori Patris Octauij Caetani fuerunt adhibiti.

[g] Tom. 2. Octaph 71. De Maria Virg.

Sed videamus quæſo quo iure producat, qua lege, in quod delictum, quo indicio inquirat. Agitur nempè Lege Iulia peculatus, de Epiſtola à Virgine Hebraicè conſcripta; agitur de eadem à Paulo Græcè conuerſa. Defertur nomen Laſcaris ab accuſatore, à quo fortaſſe nec laudari vellet; quò indicio, niſi quia Epiſtola Hebræa inuenta non eſt, quæ longè ante quàm Laſcaris viuere cœpiſſet, eſſe Meſſanæ deſijt; velut ſi quis homicidij reus poſtuletur qui nece patrata nondum ſit natus. Ridete Iudices. Sed vehementer inſtat actor. *De vitane eius, an caſu aliquo deperdita? quis dixerit fato ſubditam abſumptamq́; diuinam Epiſtolam, eius manu deſcriptam, quæ principatum mortis euertit, procul animis Chriſtianis tam degener ſenſus, conſediſſe in ventres Deiparæ manu contactum.* Proh ſapientiam præclaram, religionem incomparabilem! Tabulæ Teſtamenti lapideæ, ſcriptæ digito Dei, confractæ ſunt, hodieq; ne partium quidem ramenta ſuperſunt: & hic dubitat Epiſtolam Virginis manu, in papyro exaratam, potuiſſe vetuſtate deteri, aut quouis alio fato deperdi. Signum quærit & non dabitur ei niſi rediuiuæ in verſione Laſcaris Epiſtolæ, contritis ſcilicet maleuolorum calumnijs, altiùs in dies aſſurgente Virginei pignoris in pijs pectoribus memoria.

Vbi hodie ſalutaris illa Epiſtola, quam Chriſtus filius Dei inter mortales in carne degens, ad Abagarum Principem Edeſſæ, ſua dubio procul manu reſcripſit? diu illæ ſanè in Tabulario Ciuitatis Edeſſæ ſarta tectaq; durauit, hoc eſt ad tempora vſq; Euſebij tribus poſt Chriſtum circa ſeculis, quid autem vetat etiam poſt Euſebium, non paucas ſeruatam ætates? neq; tamen poſtea reſcitum, quorſum, aut cuius fortunæ interuentu euanuerit. Potuit Epiſtola filij Dei manu ſcripta, vel ſaltem contactu ſacra, perire, & non potuit eandem ſubire alteram Virginis Epiſtola? Vbi nam gentium ſumus? quo amabo pacto ratiocinamur, ſi rationis participes ſumus, & ſi docti etiam videri volumus, qua arte? quo ingenio, tam abſonas poſitiones adſtruimus, vt ex ipſarum vitijs tam informia argumenta, vel præmiſſo honore, cum rubore deducamus. Mitto quàm plurima quorum humilior eſt comparatio.

Vbi aurea illa quondam à Senatu Apoſtolico, imò à Spiritu Sancto dictata Epiſtola, quam è primo Hieroſolymorum Concilio, per Barſabam & Silam, Paulo Barnabæq; iunctos, ad fratres in Gentibus miſerunt Apoſtoli & Seniores fratres? Vbi tot Epiſtolarum Pauli (ſiue ſua, ſiue aliena manu ſcripſit,) primæ illæ exarationes? vbi ſeptem Canonicarum quas Petrus, Iacobus, Ioannes & Thadæus ſcripſerunt exempla primigenia? Mitto hæc omnia, hiſq; ſimilia permulta.

Non me latet ſupetfuiſſe multa ſupplicij Chriſti ſepulchriq; inſtrumenta, ceu quædam trophæa victoriæ toto Orbe conſpicua, nec minus mortalium votis proficua,

quòd

quòd ex illis velut è perennibus quibuſdam fontibus fluenta gratiarum,atq; miraculorum perpetuo eruperint. Ipſas ſpinas coronæ I E S V, columnam quæ virgis mactatum reuinxit,arundinem atq; ſpongiam,quæ potando acetum porrexit, magna fuiſſe diligentia aſſeruatā tradit Gregorius [h] Turonenſis,vnaq; [i] Beda. Tunicam præterea inconſutilem à militibus ſorti datam, à Chriſtianis redemptam, ſeruatamq; auctor eſt idem [K] Turonenſis, ſuaq; tempeſtate in Galatia tradit fuiſſe repoſitam,ſed hodie fama eſt Treuirenſium religioni conceſſam, ſumma veneratione cuſtodiri. Ipſum inſuper ſudarium, quod ſacrum ſepulti caput inuoluit, diuinaq; poſtea virtute populantis incendij flammam extinxit, translatum eſſe ad poſteros teſtatur [l] Beda,ſed vbi hodie ſeruetur incerta eſt,ne dicam ignara ſcriptorum opinio. Illud quidem [m] Berenices,ſeu Veronicæ linteū [n] quod Dominici vultus effigiem in ſe retinuit,Romanum ditauit Sacrarium, viſiturq; quotānis die patienti Chriſto Sacro.Ferunt eo reſtitutam [o] Tiberio ſanitatem, permotumq; Cæſarē vt diuinos Saluatori honores decerneret. Extat & alterum Veronicæ Sudarium eodem patientis vultu [p] Giennæ in Hiſpania religioſum. Quin & Imago illa non manu & arte facta, quæ poſt ſcriptam ad Abagarum Edeſſanum Epiſtolam, eidem à Chriſto miſſa fuit, aliquando [q] Cōſtātinopoli ſanctiſſimè habita,hodie Genuenſes dicitur beare, [r] coliq; apud ipſos in Eccleſia Diui Bartholomæi veneratione præcipua. Ac demum Sindon illa quæ corpori IESV ſepulchralibus delibuto vnguentis,operimentum,ac ſtratum fuit,iacentiſq; in ſe ſuſcepit imaginem,Taurinenſibus ad hunc vſq; diem ſeruatur ab interitu illæſa,habetq; maiorem frequentium acceſſione populorum ſanctitatem. Narrant [ſ] hanc Sindonem aliaq; ſepulchri ornamenta Cruciſq; inſignia, Nicodemum [t] illum Euangelicum & nocturnum Chriſti diſcipulum, mira collegiſſe diligentia,poſteriſq; ſeruaſſe commendanda, ſed etiam qua pollebat arte, typum Syndonicum ligno effigiaſſe, inaniq; ſimulacro, crucis inſtrumenta condidiſſe, ſed exterius collecto patientis ſanguine decenter alliniuiſſe. Quin etiam permulta alia Deo ſeruante ceù neſcia temporis & corruptionis,integra hodie durant Chriſtianæ pietatis inſignia,Virginis faſciæ Rom ,crines Meſſanæ & Florentiæ, velum Agathæ Catanæ,ſexcentaq; id genus,vt innumerabiles Martyrum reliquias taceam, carioſæ vetuſtatis expertia,propter quæ Europæ Vrbes paſſim viſuntur.

At enim ſi multa horum non humanis ſeruata conſilijs per tot ſecula perſeuerant, non continuò omnia perennare,lapidumq; fortitudine durare neceſſe eſt. Sed qui nonnulla manere voluit,pleriſq; alijs temporum metam præfixit,rebuſq; creatis ita viciſſitudinem permiſcuit, vt interdum illas in naturæ ordinem cenſeret, interdum eximeret. Et profectò qui ex contactu Virgineæ manus immunem caſu velit Epiſtolam Virginis, non animaduertit opinor, quam inconcinnas inde fabricare cogatur poſitiones: extemplò enim omnia quæ Chriſti baiulę manus illę contigerunt, ab iniuria temporum libera pronuntiet oportet, quę enim potior vnius cauſa quàm alterius? eruntq; vt Midę contactu omnia aurum,ita Virginis contactu ęterna cuncta. Midas ſit auritus,qui ſic ſentiat. Multò verò maximè id ſentire debebit de rebus, quas manus Chriſti, Vniuerſi operatrices contrectauerunt, vel quæ viuificæ carnis eiuſdem attactu,quodammodo animum acceperunt. Itaq; labia Iudæ,quæ ipſe tàm amicè ſuauiatus eſt, in cineres non abierunt, ſed & tergum Aſinæ cui inſedit,incorruptum permanebit. Apage,quæ nam iſthæc adeò inconſulta principia, ex quibus tam abſona cogaris deducere? procul animis ſapientibus tam degener & hebes ſenſus.

Iam verò illa forenſis exaggeratio, non potuiſſe fato ſubdi & abſumi diuinam Epiſtolam eius manu conſcriptam, quæ principatum mortis euertit, in ſenſu quod

Bb 2 aiunt

h De Glor. Martyr. c. 7.
i De locis Sanctis, c. 20.
K De Glor. Mor. c. 8.
l De locis Sāctis c. 5
m Viguer. de inſtit. Theol. nu. 66.
n Alphōſ. Paleot. de Stig. c. 8.
o Mallon. ibid. c. 4.
p Biuar. ad an. 48.
q Menol. Græc.
r Mallon. vbi ſup.
ſ Iacob. de Vorag. de inuēt. Nicod.
t Mallon. ſup.

aiunt accommodo prudenter venit intelligenda, ne minus cauta locutio ſi Collyridianos minimè circumeat, fidiculas in ſuum regerat auctorem; Verum detur hoc pietati, rectéq; cum religione ſit dictum, ne tota hac diſputatione contra Virginem egiſſe cenſeatur, Ideòne verò corruptioni minimè obnoxia fuerit Epiſtolia flaccido contenta folio, cùm vel marmora ſcalarum veſtigijs Chriſti ſignata, geniculantium attritu breui tempore prope ad deformitatem ſunt redacta. Sanè ſi contactus Chriſti vel Deiparæ Virginis, neceſſaria quadam virtute perpetuitatem rebus imprimit, altiùs opinandum erit de contentis in vtriuſq; ſacro corpore vt ſic dicam particulis ac humoribus, habendaq; erunt iſta prorſus ab æui periculis immunia, nihil vt conquam Virginei lactis expreſſi deperierit, nihil non ſanguinis à Chriſto effuſi, rediuiuum in corpus redierit; At enim hanc religionem collectæ quondam, ſeruatæq; hodie priuatis in Eccleſijs guttæ maſſæq; cruentæ ad miraculum efferueſcentes refellunt, & alioqui credi vix poteſt, tantam diuini ſanguinis copiam niſi Angeli collegerint, quin puluerum ſitis, Solis aeriſq; vis hauſerit, pedes impiorum obtriuerint. Et profectò qui Epiſtolam Virginis æuo deteri potuiſſe non credit, de ſanguine Chriſti quæ modo diximus execrare debet, adeoq; præ nimia religione verſus in inſaniã, ſpecies quoq; Sacramentales corrumpi non poſſe Sacramento contendat neceſſe eſt.

Porrò ſi has vices Epiſtola ſubire potuit, quis dubitat etiam aſtu clam interuerti potuiſſe, at num ideo Laſcaris furti reus, qui nec dum vitæ lucem reſpexerat? cur nõ alius quiuis ignotus aut homo nouus in noxam vocetur? Nam quod tu dicis amiſſam Epiſtolam non ſinit Meſſanæ Vrbis flagrantiſſimum in Virginem ſtudium, ſed auro argentoq; & gemmis incluſam, velut diuinæ particulam Matris quæ rerum pretia ſuperat conſeruaſſet; neſcio qua hinc arte confeceris à Laſcari interuerſam, & non potius ab aliquo mortalium vix manu tractatam, quando in tam diligenti cuſtodia rarò vel oculis vſurpari contigerit. Quòd ſi gratia Patrum Meſſanenſium fretus aliquiſpiam, ſuaq; fide tutus Tabularium Vrbis luſtrauit, niſi iam nullo teſte ſolus penetralia verſauerit, in ſuſpicionem tanti criminis vocari conſcientia procul non poteſt, tutiuſq; credetur in tanta rerum Regni, Vrbiſq; Meſſanenſis viciſſitudine auerſum incomparabilem theſaurum, inter impias manus euanuiſſe. Id mihi, prope ſine dubio perſuaſerim, ſi cogitem quod alibi indicaui, eam Epiſtolam non in tabulis publicis, vbi à meliori tempore tot diplomata, & priuilegiorum libelli ſarti tectiq; ſeruantur, etſi nonnulli vetuſtate, quæ tamen aciem haud effugiat detriti, ſed ſacratiori loco quo publicæ accedentium adorationi pateret, in Aede fuiſſe repoſitam, proinde barbarorũ direptione, Tẽplis præcipuè & Sacrarijs infeſta, faciliùs potuiſſe inter aurum & gemmas inuolui, quàm interdum Sacra Diuorum cadauera, quæ tamen ſimili vaſtationi interdum haud ſuperfuerunt, vel ſi iacturam non omnino fecerunt, Templo & Vrbe mota, peregrè ſæpius commigrarunt. Quamquam ſi in Tabulario quoq; ſeruata ſint, nihil vetat cum tineis blattiſq; duraſſe ad vetuſtatem, neq; tamen temporum edacitatem fuiſſe eluctatam. Quin vel adamas ferro clauſus ſuo puluere corroditur, habetq; durum omne, vermem ſuum, nec quippiam rerum ſub luna quantumuis ſanctum, citra miraculum, cineri eſt eximium.

Sed iam vno depulſo crimine à Laſcari, ad aliud auertitur ſuſpicio, iterumq; fidiculis arctatus ille, quò ſaltem Græcum exemplum prodat, vrgetur vehementius. Fatetur ſanè Laſcaris verſionem Græcam cuiuſcunq; tandem ea fuerit, ſe vidiſſe manu verſaſſe, & quanquam æuo pallentem, per tot nihilominus diſcrimina rerum ſeruatam, ſua quoq; religione manſiſſe inuiolatam: nunquam ſe incomitatum adiuiſſe ad Vrbis Tabularium, habuiſſe continuò probitatis ſuę teſtes, ipſos librorum præfectos,

clam

clam quibus nihil inſpectum,ſcriptum nihil,nihil factum. Quin verò tantis Meſſanenſium honoribus, ac beneficijs ſignatum, induci non potuiſſe ad gloriam Vrbis obruendam,nedum ad crimen ſibi inferendum,etſi ſpontè malus fuiſſet: quid enim inde ſperaret?an vt ablatam domi ſuæ ſine lucro detineret?an vt ea vendita magnam pecuniæ vim conflaret?qui non publico duntaxat ſtipendio,ſed ciuium quoq; gratia & fortunis æquè locuples,non minus honeſtè quàm lautè ſibi ſuiſq; proſpexerat. Sed neq; idoneum rei emptorem quempiam eſſe potuiſſe declarat;quis enim ea Epiſtola priuatim abutatur,& non apud omnes ſciri malit tanti poſſeſſor theſauri? ipſa ſanè pro ſe vocem miſiſſet Epiſtola, finitimoſq; religione ſui ad viſendum mouiſſet populos;id vero cùm fuiſſet,ad Meſſanenſes non redire fama & fide non potuiſſet.

Equidem nihil omnino video cauſæ,cur id criminis Laſcari affingatur; enumerare autem cauſas omnes oportebat,quò ſuſpicioni locus eſſet,apud viros ſapientes, & id erat conſtantis accuſatoris officium, qui tanti ſceleris arguere vellet hominem ob virtutis eruditioniſq; famam domi foriſq; pretioſum,explicare omnia eiuſdem vitia, vel etiam Meſſanenſium in eundem peccata,quibus ille incenſus, potuerit animum inducere, vt humanitatem vinceret, vt Ciuium amorem eijceret ex animo, vt tot præclariſſimæ Vrbis merita contemneret, vt deniq; Laſcarim ſe eſſe obliuiſceretur, quæ ſine magnis,vtriuſq. peccatis accidere potuiſſe, nemo ſapiens arbitrabitur. Verùm concedatur Anonymo vt prætereat ea,quæ cùm non probet,nulla eſſe concedat neceſſe eſt. Hanc Epiſtolam oſtenſam tantùm Laſcari,neq; vltra eſſe ſcitam vt ipſe ait,hoc verò planum facere debet: quid ergo affert quare tunc amiſſam putemus, verè nihil poteſt dicere;fingat aliquid ſaltem commodè, ne planè videatur id facere quod apertè facit,optimi Viri fidei & Meſſanenſium ciuium dignitati illudere.

Nemo eſt opinor quin ſciat Anonymo veras inimicitias cum Laſcari qui priuſquã ille eſſet,ſeculo maior homo erat,non interceſſiſſe,vident verò omnes qua de cauſa tam inimicè ſcripſerit,ſciunt inuidia vel ſimultate in aliquos adductam eſſe: quid ergo eſt?ita tamen in ſumma auerſione temperantem eſſe decebat, vt Meſſanenſium exiſtimationem reputaret aliquid valere oportere,nec in Laſcari eſſe flagellandam, id verò quacunq; tandem ex parte præſtitiſſet,ſi quod dicitur,in ſuſpicione tantùm latraſſet,ne apertè ludificari, ſcienſq; calumniari videretur. Tullius [a] canibus Capitolij crura ſuffringenda iudicabat, ſi non noctu ſolum,ſed luce quoq; latraſſent, cũ Deos ſalutatum aliqui veniſſent, quod ſcilicet acres non oportebat eſſe etiam tum, cùm ſuſpicio nulla eſſet.Simillimam verò dicebat accuſatorum rationem, ſi ſic egiſſent,vt arguerent aliquem criminis,neq; dicere poſſent aut quarè, aut quomodo, ac tantùm ſine ſuſpicione latraſſent. Quid dicturum fuiſſe putamus in hac Laſcaris cauſa, quem accuſator iſte,Virginem Deiparam vt ſic dicam ſalutatum accedentem, clara in luce,tam acriter allatrauit? At crura meo quidem iudicio nemo illi ſuffringet,ſed ſi mihi Meſſanenſium plurimi Viriq; grauiſſimi rectè narrarunt multa apud ſe monimenta in eodem Tabulario poſt tempora quoq; Laſcari manſiſſe, certum fuit, manſuraq; fuiſſe quoad carioſæ vetuſtati conceſſiſſent, niſi aliquando hominem admiſiſſent,qui longiorem illis ætatem inuidiſſet. Quem hæc ſuſpicio tangit, nouerit Anonymus. Tum enimuero didicere Patres nunquam alicui, quantumcunq; lucis ac frugis habere videretur, concedendum abſq; obſeruatoribus aditum. Sed ſerò ſapiunt Phryges. Quamquam qui ſapere poterant vel ſi lyncei fuiſſent,quando ipſis fors minimùm aciem diuertentibus,inter vaſtos codices,folia facilius fuit euaneſcere,quàm quod dicitur reduuiam præmordere. Tunc etiam verſio Græca Epiſtolæ deſiderata.

Suſpicioſè ſanè iſta dicuntur, ſed non de Anonymo, qui dudum poſt emerſit, tanquam

[a] Orat pro Sext. Roſc. Amer.

quam veriſimile ſit alium quendam commiſiſſe, qui plures bibliothecas ita ſemper inſpexit, vt ſemper pauperiores ſolitus ſit relinquere.

Quorſum hæc omnia niſi vt crimẽ à Laſcari ſubmoueatur, nec quæ poſt ipſum deſiderata ſunt, in minimè rerum vertantur, pro quo Patrum ſententia, plura ſanè reclamitant, quàm à vetere quouis calumniatore contra dici queant. Et alioqui non pauca, quæ Tabulario Vrbis, alijſq; Religioſorum bibliothecis exciderunt, niſi certus exiſtat auctor à probis viris exquirentur. Sanè circa ea tempora, (lubet hæc iterum commemorare & paulò clarius quàm alibi alijs etiam additis eloqui,) circa ea inquã tempora P. Octauius Caetanus noſter, qui conſcribendis Regni Siculi faſtis doctè inuigilabat, aliquoties in eum locum beneuolentia Senatus inſtructus acceſſit, pleraq; vt erat nauus peruidit, nõ pauca antiquitatis monumẽta permiſſu Patrũ domum exportauit, quò commodius meditando & ſcribendo vacaret: Vbi vſus eſt, vir integerrimus, repoſuit, qui enim fidem falleret homo religioſus, omnibus notus & carus, à ſtudio partium longè remotus. Habuit verò inter alia membranam ſat vetuſtam Græca Partheniæ Epiſtolæ verſione inſcriptam, non quam Paulus Apoſtolus exararat, quæ vt veriſimile eſt eodem loco cum Hebræa aſſeruata, eandem quoq; ſubiuit aleam; ſed quam antiquariorum cura deſumptam non vno ante ſeculo poſt exactos Sarracenos in Tabularium intulerat, quòd eo exemplo inueteratam antea Traditionem apud poſteros quoq; roborari voluiſſent.

Eiuſdem Patris, vt antiquè loquar, latro factus aliquiſpiam quod aliàs dixi, ſuæ rei nauauit operam ſub prætextu, ſed paulò poſt acceſſit & alius, primo illi fauentiſſimus & quaſi eius veſtigia odoratus, atq; vtinam antiquæ memoriæ non tam diligens inueſtigator, neq; tamen ſuis meritis, quamquam tunc vir probus haberetur, improbus certè, neſciretur, ſed Proregis commendatione procerumq; fide, clauem inuenit, vidit verſauitq; omnia pro libidine, ſępiuſq; reuerſus, & quaſi publicis tabulis repurgãdis addictus ipſe ſolus, nihil cuiquam ſuſpicionis ingeſſit. Poſtea damnum patuit, cum iam vterq; longè Vrbe & memoria penè abeſſent. Verùm quid facerent Patres, qui in vnius hominis errore, Principum auctoritatem periclitari nolebant, premebant ſilentio, quod ſuſpicione tenebant, producere per teſtes clare non poterant, & iam euaneſcente per tempora facti memoria, crimen in iudicijs recrudeſcere vix oportuit, recordari ſatis erat.

Eodem ipſo tempore auerſum pari fraude ferunt à Monaſterio S. Saluatoris Baſilianorum, vetuſtiſſimum Codicem, de geſtis Regũ Græcè perſcriptum, è quo [a] Maurolycus, olim mandato Conradi Romanorum Siculorumq; regis Latinè dato, hiſtoriam Arcadij à Mamertinis imperio reſtituti, non ita pridem fide optima deprompſit, famamq; Meſſanenſium inertia Scriptorum ſopitam, iterum ſuſcitauit. Proditum eſt proximè ſcelus, ſed non prius innotuit auctor, quàm cum obitu ſpem quoq; reuocandi voluminis euertit. Ita monumenta rerum Meſſanenſium, paucorum perfidia, non minimum in libris detrimenti fecere, & quæ barbarica reliquit, aut etiã neſciuit immanitas, vernaculum crimen perdidit, exterminauit. Inde factum vt plures reciſo ab antiquitate argumento, inſignem illam Arcadij Hiſtoriam, quæ Meſſanenſium gloriam Imperatorum dignitati in multis penè parem fecit, inter commenta reponerent, & cùm aliud non poſſent, Arcadium verſæ religionis inſimularent, quaſi verò, ſi ita fuiſſet, cum affecta fide virus in ciuilia priuilegia tranſiuiſſet. Verùm vt de hoc poſtremo nihil conſtanter afferre queant, ſuffectum quippe eſt ad eleuandam quæ tegi non poterat Hiſtoriæ veritatem; primum illud ab auitis ductum exemplis, quamquam & iſtis fraude ſurreptis, in hoc communi & fatali modo, viuet in monumentis poſterorum, & conſolabitur memoriam ciuium conſcientia rectè partæ a maio-

[a] Lib. Sic. Hiſt.

Digitized by Google

maioribus gloriæ, tùm etiam vſurpatione,& renouatione Hiſtoricæ veritatis, in lucubrationibus ſapientum. Quaquidem in re,poſt Maurolycum, Bonfilium & alios, præclarè nauauit nuper Albertus Piccolus,cuius eruditioni qui impedimentum à diuersè opinantibus obieciſſet, hactenus non vidi; ſed etiam Antoninus Amicus Regius in hac Vrbe Hiſtoriographus,in id præclarè in ſuis Annalibus Siculis intendit, vt multa ab æmulis fraude an inſcitia præterita, ſuæ luci,ac dignitati reſtituat, proprioq; tramite vetuſtos honores ad famam dirigat immortalem. Neq; ſolum ſed multorum aliorum perpetuitate,ac conſtantia in aſſerendo fiet, vt conſtitutum ex meritis Meſſanenſium in Arcadium, huiuſq; viciſſim ſtudijs in illos gloriæ ſub Sole domicilium,nemo facile deripiat, amoliatur.

Atq; ex his ſatis opinor apparet,quàm latè manare queant criminum ſuſpiciones, idq; ſi rectè animaduertat Anonymus, totam ſuam criminationem diſſolutam fatebitur,nec amplius in Laſcarim innoxium fidiculis inquirere cogitabit.

RESPONDETVR INTERCVRRENTI CVIVSDAM recentioris Argumento.

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

BENE, ſe res habet,fatigato iam lacertis contentionum Anonymo, alius ſtatumen ſufficit,nouus vt dicitur homo,ſed qui hinc initium famæ ducit, non omnino illiteratus: eum ego hoc loco libenter nobilitauero ſi poſſum. Extremum(inquit)Epiſtolæ Nos MARIA, ſuſpectum eſt,& ab actuarijs huc detortum. Illud item. Ex Hieroſolymis,nugæ. Si dicas,faſcias recidendas vt conſtet integritas Epiſtolæ,concludes & veſtem concidendam. Si enim de partibus Epiſtolæ, etiam de tota dubitauero. Sed eſto: concoqui non poteſt Græci hominis mendacium: quo tempore Romam iturus Paulus Rhegyo Meſſanam venit, Legatum quoq; ad Virginem profectum. An Lucas tacuiſſet tam ſolennem legationem? an alij? ſic ille.

Mihi verò non ſolum ſuſpecta eſt eiuſcemodi nominis ſubſignatio, ſed etiam in falſo certiſſima,neq; tamen ideo intuta fides Epiſtolæ. Inter ſexcenta, vix vnum aut alterum exemplum eo notum charactere, ignaui alicuius imperitia ſubrogatum in propagatis argumentis, non ſanè prima manu,& quæ in Tabulis cenſetur depromptum. Vetuſtiora manuſcripta retegunt vitium, canitiem veri monſtrant. Sed & hoc fortunæ aduerſarij adſcribendum,quòd ipſe ferè ſolus in piperis cucullum offenderit,niſi de compoſito quæſiuit, vnde impactis dentibus penderet calumnia. Itaq; diſpuncta illa pronominis pluralis particula,quæ vt dicebam ſcribentis vitio alicubi redundauit, in tuto ſunt omnia, nec eſt apud temperatum animum, quod honoræ veritati, formidine falſi periculum faceſſat. Neq; enim eò ruditatis quiſpiam progrediatur,vt Laſcarim, virum in paucis eruditum, præter ingenium adeò errasse fingere voluiſſe,vel ſupponere exiſtimet quin proiecta etiam veritate, fingendi libido ingenium mentita fuiſſet eatenus,vt mentem legentis,interpretem veri,facile adſciſceret. Hic verò locum haberet illa toties in morem gentis inuecta contentio, non quòd fortaſſe ad myſterium trahi non poſſit eiuſmodi oratio,ſed quod à Curiæ faſtu traductum ſi putetur,non neceſſariam habet ad moderatum Virginis animum commendationem. Habet ea ſignificatio neſcio quid fluxum & à Sanctitate volubile ad

vanitatem, & in manſuetis etiam moribus acrem ſenſum, tametſi interdū quod [y] in Iuſtiniano [z] & Conſtantino videre eſt, mixtam quoq; cum pietate maieſtatem. Ac tum maximè cùm hæc Epiſtola nata eſt, ſicut Auguſti nomen, ſolis decebat Orbis Monarchas, ſed progreſſu temporis manante latius in reſtrictis ſpatijs ambitione, tranſijt ad multos Damedis apud Plutarchum [a] ſententiæ obnoxios. Quamquam credibile ſit ea tempeſtate nondum adhæſiſſe hanc Epiſtolæ Deiparæ laciniam, ſed cùm primùm legibus immiſſa dictio, legentium animis arriſit, ac demum vſu quoq; ſermonis verti cæpit, quod nempè placeret abrogata Senatus populiq; vi ac poteſtate, maieſtatem Principum ſe ſe altius opinione hominum magis quam reipſa exerere, & multorum conſilio Rempublicam adminiſtratam paulatim ea voculæ ſignificatione, ad ſuam dignitatem, ceù ius & arbitrium capitis traducere.

[y] Inter claras de Sum. Trin. [z] L ſi contra pupil. C. Quod. Imp. inter pupil. [a] In Apopht.

Illud. *Ex Hieroſolymis*, ſicut non vnam habet rationem, ita variam conſuetudinem, morem gentium haud conſtantem, qui tamen haud vnquam ita ſit recens, quin veſtigia prætendat vſus antiquioris. Itaq; vſurpata locorum nomina quibus ſcripta generatim ederentur, ſicut dubium non eſt apud peritos, ſic incertum aperinde ſemper commune fuerit epiſtolis, tabellis, annalibus: interdum fuiſſe negari vix poteſt. Et quidem annales niſi cum temporibus rerum quoq; geſtarum loca renuntiet, tenebras potius affundant quàm lucem, nec tam conſulant memoriæ quàm obliuioni, vt mittam ſi Scripturæ verſentur & retractentur, myſteria plurimùm ad loca deuolui, quæ niſi ſua clareant appellatione, vel niſi tacitis nominibus, animum inducant in explicationem, mera ſint inuolucra, ad ſignificandum haud conferant. Ceterùm ſignata in annalibus loca ſi ab exemplis repetam, otioſus videar, ipſa Hiſtoriarum capita in Scripturis, ipſa prædicationum initia paſſim commonſtrant.

In actis tabellarum, ſi rarius fortaſſe extat ſcriptum exemplum, vſus non infrequens cenſeri poteſt, idemq; iure gentium, ad firmandam Societatem humanam ceteraq; rerum arbitria neceſſarius. Extat nihilominus eius vſus argumentum & quidem non paucioribus obuallatum notis, quàm hodie ſolent cenſionum tabellæ, actuariorum inſtrumenta, ne quippiam ad monimentum vertendum, ad infringendam memoriam poſſit obrepere. Et hoc (inquit Scriptor [b] geſtorum Machabæorum) eſt exemplum ſcripturæ (loquitur de ſtatuta à Romanis libertate deſcriptaq; in tabulis æreis forma) *Octaua die menſis Elul, Anno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo, anno tertio ſub Simeone Sacerdote magno, in ASARAMEL, in conuentu magno Sacerdotum & populi, & principum gentis, & ſeniorum regionis, nota facta ſunt hæc.*

[b] Lib. 1. cap. 14.

Deniq; in Epiſtolis etiam non inſolentem fuiſſe locorum notationem, haud vno docemur exemplo, idq; in vno duntaxat hiſtoriæ [c] Machabæorum capite, duplici conſtat argumento, cùm in primis, *Fratribus qui ſunt per Aegyptum Iudæis, ſalutem dicunt fratres qui ſunt in Hieroſolymis Iudæi*. tum deinde, *Populus qui eſt in Hieroſolymis & in Iudæa, Senatuſq; & Iudas Ariſtobulo magiſtro Ptolomæi regis, qui eſt de genere Chriſtorum Sacerdotum, & his qui in Aegypto ſunt Iudæis Salutem & ſanitatem*. Id verò diſcriminis, quod huiuſcemodi notę quemadmodum & temporum characteres, in capitibus figantur Epiſtolarum, cùm in hoc parthenographio noſtro, extremùm accedant, non ita variat gentis mores, vt ideo veritati illudat, nec quippiam illis genuinum ponat, ſed diuerſos eiuſdem inſtituti ritus aduertit, quando ſicut interdum, notas [d] Anni, menſis & diei, poſtremò ſignare illis ſolemne fuit, ita locorum nomina ſubnotare dubitari vix poteſt.

[c] Lib. 2. cap. 1.

[d] 2. Mach. cap. 11.

At procul iſta moribus & Epiſtolis Apoſtolorum: Nihil moror: res & tempus interdum aliud ſuaſerunt, vſum vſui iunxerunt, aduerſum nunquam præſcripſerunt. Itaq; ſi non per Veredarios (quod nec tutum erat) ſed per ſingulares tabelliones, aut

notos

notos Euangelica fide Viros,quod ferè factitarunt Apoſtoli,mittere deſtinarent,fruſtra fuiſſet ingeſtum quod melius promebatur ſermone lato rum ; quin interdum niſi maiora eſſent quæ ſcriberentur,ipſæ Epiſtolæ ſigna tantum erant Tabellionum, quibus compendia literarum latiori committebantur explicanda oratione. Hùc accedit infeſtis tum adhuc Euangelio decretis Principum, vel certè ipſis non commodũ fauentibus, è re fuiſſe, ſuppreſſis locorum,quò,vel vnde literæ darentur, notis, doctrinam duntaxat,quæuè agenda erant, ne Euangelium erubeſceret apertè perſcribere, cetera non admodum neceſſaria, vel tantum ad ſecretas Euangelij ſemitas opportuna,ne in datores acceptoreſq; inquiri facile poſſet, deferentium fidei tutius commẽdare. [e] Nã quod aliquãdo *Apoſtoli & Seniores fratres,his qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex gentibus* apertius,ac ſine populari metu videntur ſcripſiſſe: id enimuerò fuit, quod actis iam eò locorum ſat altis Euangelij radicibus, necdum digreſſis in Orbem Apoſtolis,nihil admodum poſſet impedire, quin omnia in florẽ fructumq; prorũperẽt. Sed enim exportata poſtmodũ latius in regna ſuperſtitionũ religionis ſemẽte,quo minus Apoſtolici labores ſuis in amoliẽdo lapide prępedirẽtur initijs,aptũq; ſementi ſolũ tardius excoleretur,cautè actitanda erãt omnia, præuertendæ ſuſpiciones, arduoq; inceſſu inambulanti ſuperſtitioni paulatim via obſæpienda. e *Act.15*

Occurrit verò Deiparæ Virginis Epiſtolam, ſuper libellos actuariorum quod pridem obuertit Anonymus,tot notis conſertam,neſcio quid inſolẽs in medium & præter mores ingerere,quod non Epiſtolæ duntaxat argumentum, ſed Annalium formã præ ſe ferat,imò & ſponſuum tot cautelis obarmatas ſuperet tabellas, quaſi promiſſi Sacramẽtum dixerit Virgo,nec ſatis tutam apud homines fidem,partium arbitrio redemerit. Rectè ſanè,tabellæ ſunt iſtæ ſed honoris & gratiarum; Annales ſunt ſacrorum,ſed qui ingentis beneficij memoriam loquuntur. Habent & formã Epiſtolæ genuinam,ſed quæ reſponſi ad ſcripta gerit argumentum,vel perorata coram, humanitatis quodam officio reddit, votiſq; petentium piæ cuiuſdam lenitate maieſtatis indulget, Deniq; Sacramentum eſt repromiſſæ protectionis, ſed in quo ipſa Virgo ſpontaneo recepto,beneficia non præſcripta gratis & liberè condonat, viciſſimq; animos Meſſanenſium ad ſe auertit, obſequium auctorat, fidem ad Deum religat.

Ac quemadmodum olim ſtatutam [f] libertatem Iudæi deſcripſerunt in tabulis æreis,& poſuerunt in titulis in monte Sion, quo nulla vnquam adeo ingentis beneficij memoriam deleret obliuio,temporumq; notis ſingula diſtinxerũt, ne non vnum cum fluentibus ſeculis tranſiret monimentum;ita exſignatam ſuis characteribus quacunq; tandem manu oportuit eſſe Virginis Epiſtolam,quæ vel in templis foriſq; proſtare poſſet,ad religionis ſignum,religioſæq; Vrbis ornamentum, vel ſecuturas deinde viciſſitudines eluctari, ſi temporum iniuria ſiuiſſet, vel deniq; ſi hæc maior fuiſſet, ſuis eiuſcemodi monimentum partibus in plura corruptum, è ſuis etiam ruinis veritatis proderet integritatem. f *1.Mach. 14.*

Sed enim quod tunc è re & tempore minimè fuit, deinde verò pulſa etiam Tyrannide,pacatiſq; religionis rebus curæ ad alia diſtractæ præpediuerunt,quo minus hæc Epiſtola publica teſtatione marmoribus,aut ære duraret ad æternitatem; id in poſterum diligentia Patrum enitetur, quibus animus eſt & Patriæ religionem ad gloriam, & nomen generis ad famam dirigere. Nam ſi præclarum fuit nuper in inſtaurato Vrbis Theatro portam, quę Paulum accepit vetuſtate deformatam,ad recentem magnificentiam nouis titulorum inciſuris erigere,quo loco reponẽdum ſit, publicum velut in Orbis Capitolio figere huius Epiſtolæ monumentum,nec memoriæ duntaxat, verum æterni pignoris efferre ſignum,iudicet, qui Patriam, Religionem, Virginem

amat. Fiet verò hoc opinor aliquando; maioribus Ciuium ſtudijs, ac interim noſtra hæc teſtificatio marmoris vicem geret, famam feret.

His ita conſtitutis, qui ceterà malam fidem incuſet interpretis eiuſcemodi faſcias imprudenter adſuentis, vereor ne ipſe ſuis hæreat lacinijs, qui quòd aiunt malè paratus à pallio, tranſierit ad togam, patronum acturus cauſæ longè tutioris ſi ab eodem impugnetur. Qui præterea ex partium vitio, coniecturam facit de damnanda integritate Epiſtolæ, niſi id neceſſarijs rationibus euincat, periculum ſubeat iudicij corruptioris, quòd multa hodieq; circumferuntur mutila Scriptorum monimenta, ne dicam peregrina manu temerata, de quibus tamen ſi ex integro quiſpiam dubitauerit, næ ipſe iuxta prouerbium cordis loco peponem habere cenſeatur. Qui enim, vt volumina taceam, conſiſtet hiſtoria [g] Theclæ quam nemo non ſapiens ac doctus probat? qui Falconillæ geſta? Lini ac Syluestri acta? Pilati de Chriſto ad Tiberium Epiſtola? Sibyllina carmina tàm fidei proficua? deniq; (vt ſexcenta mittam) innumera Sanctorum facinora, quibus omnibus, non iam Scriptorum oſcitantia vel Actuariorum fides, aut etiam commenta ſimplicium, ſed impudentia Hæreticorum, nō vno loco labē intulit, neq; tamen iccirco fideliū religionē aut fidē eneruauit.

g Baron. ad An. 47.

Verùm hoc inſuper habito; Negat poſtremo concoqui poſſe Græci hominis mendacium: quo tempore Romam iturus Paulus Rhegyo Meſſanam venit, Legatū quoq; ad Virginem profectum. Sed viderit ne in imbecillo ſtomacho ſecunda menſa coaceſcat. Si tempora diſtinguat, ſanitatem impetrabit, vt ritè concoquat, capitiſq; dolores arceat in poſterum. Multis iam alibi hanc admirationem, quæ ſimplicitatis partus eſt, & mater riſus, exemimus. Tædet hoc loco eadem vſurpare, & ſatis ſit indicaſſe (nouit enim) quo ſaltem digitum ad refricandum, ſi tamen memoriæ vigor ineſt, admoueat nouus diſputator. A quo equidem non quæro qui ipſe concoquat, ſed qui tam ingens impudentiæ fruſtum integris faucibus deglutiat, vt Laſcarim non minus fronte quam ore (quod aiunt) venali dixiſſe velit, eo ipſo tempore Paulum & Rhegyo accitum Meſſanam acceſſiſſe, & vna cum Meſſanenſibus Legationem ad Virginem ſuſcepiſſe, perfeciſſe. Legant & relegant Laſcarim non iam Viri docti & integri, ſed vel rudes & fidei corruptioris, an vnquam tam opimum & adipale commentum protulerit Laſcaris, vel ſi iſti etiam comminiſci velint, an adeo inſulsè & inconcinnè ſint mendaces. Narrat Laſcaris quid factum ſit ex parte, quandò factum, non narrat, tempori concedit, & prudentum iudicio: nec ſi impudentiùs quàm fecit extemporaneus diſputator, fingere voluiſſet, tam inſcitam cogitationem eruditus ille animus ſuſcipere valuiſſet, cui exploratum erat, Paulum non corporis magis quàm nexu tēporis præpeditū, eodē penè mēſe corā Cæſare Romæ ſtetiſſe, adeoq; Meſſana Hieroſolymā reuerti minimè potuiſſe: magis omnino, Viro in Hiſtorijs verſatiſſimo perſpectū fuit, quo anno, quo anni tēpore, quouè mēſe ac die Paulus Romā ſit ingreſſus, quā calūniatori iſti quot annos ageret dū iſta cōflaret, quouè tēpore, ſomnians an vigil, ieiunus an potus, Sophoclis an Aeſchyli genio ſimilia concinnaret.

Narrat deinde Laſcaris Legationem miſſam ad Virginem, ſed ſolemnem aut nobilem fuiſſe non dicit, id iſte de ſuo addit ſophiſticè, vt plus poſſit apud audientes & legentes, ſi cogitent inſignem adeo memoriam, nequaquam à faſtis eorum temporum fuiſſe excludendam; quaſi rebus Meſſanenſium penes Romanos ſtantibus, licuerit ſtrepitu legationis pompam adornare, qui totius Orbis aures pulſaret, ea maximè tempeſtate, quo de religione Chriſti non ſine periculo audiebatur, rarò ſine ſanguine ſalutariter agebatur. Publicam fuiſſe Legationem & quatenus, alibi diximus, ſed quàm meliorū ciuiū apud quos ſuſcepta religio, necdū fortaſſe in totam Vrbem radice miſſa, valuit, conſenſus probaſſet, non etiam clamores regni extuliſſent, vt

hinc

Digitized by Google

hinc videas quam incauta ſeipſam implicet imprudens calumnia.

Poſtremò auctoramentum illud à Luca iterum accerſitum, quàm pro inſtituto ſit anile & friuolum, non ſemel ad nauſeam extritum eſt. Itaq; Lucæ credendum eſſe magis quàm Laſcari vbi alter alterum contra ſentiat, nemo ſapiēs dubitarit, plus tamen fidei habendum Laſcaris eruditioni, quàm Anonymi tam dubij Sequeſtris interpretationi, quæ hactenus velut radio Solis contra alios ſcripta ſunt, palam docēt, vt iam non magis inſcientiæ, quàm inueteratæ cuius calumniæ vix vllus ſuperſit locus. Ac in præſentiarum impotentem noui diſputatoris animum, haud parum vexare debet, quod ruptis modeſtiæ repagulis, immerenti Laſcari probroſam mendacij notam inurat, nec iam in vnum duntaxat, ſed in nuncupatione Græci hominis in vniuerſam nationem contra bonos mores, ipſe contumelioſus exiſtat, in quem fortaſſe non ineptè conueniat illud Anacharſidis Scythæ in quendam Atticum, mihi probro eſt patria, tu patriæ.

Non me fugit, eò maximè exerceri ſtuporem huius noui hominis, quemadmodum per circulos iactaſſe eum ex multis accepi, quod cogitatum ſuperet, Meſſanam Rhegyo veniſſe Paulum, biduo prædicaſſe, ac nihilo ſecus poſt vnum diem flante Auſtro ſecunda die Puteolos appuliſſe. Sed enim quæ à nobis ſuo loco diſputata ſunt ſi ſuapte Minerua perceperit, nē in rationem contumax eſſe velit, & faſtidioſus in mores, ſuſceptam quoquo animo contentionem an calumniam antiquabit; Illud tamen ſibi ante omnia in mente præfigat amabo, procul eſſe à Catholica ſententia, nihil probare ceù ratum ac Sacrum, niſi Sacra Scriptura expreſsè perhibeat, vt idcircò nulla vi, vel ratione depelli poſſit controuerſus, quin ſuſceptam ſemel cogitationem nimis impudenter præfractéq; defendat, ac in re præſenti, quòd Lucam nobis aduerſum, inſcientia quadam definiat, idem agere videatur, vt qui ingentem ſyluam commoueat, quia ſalicem non deprehendit. Atq; hæc pro intercedente in mediam pugnam gladiatore.

RESPONDETVR VNDECIMO ARGVMENTO

quod eſt Nonum Anonymi.

CAPVT TRIGESIMVM SECVNDVM.

HACTENVS ſi conatus omnis Anonymi in irritum ceſſit, extremo tamen loco vires omnes aduocat, manus illicò daturus, niſi ipſe à nobis ſpe iam dudum deuoratam repoſcat palmam. Enimuerò cōuulſa priſca traditione, quod fundamentum nobis inter alia validū, ſolidumq; ſemper viſum eſt, non immeritò cauſam labare, totam rem vacillare credendum eſt. Traditionem igitur iſte omnibus arietibus velut vnicam arcem impugnat, quam ſi vanam eſſe ſemel oſtenderit, ipſam quoq; Virginis Epiſtolam vertat, Meſſanēſeſq; Ciues de tam excellentis prærogatiuæ principatu deijciat neceſſe eſt.

Itaq; inquit non quicquid traditione deriuatum eſt, id continuò ſanctum eſſe habendum, cùm multas alioqui traditiones haudquaquam Chriſtus improbaret in Euāgelijs, Iſaias in oraculis ſuis, neq; Paulus appellaret inanem fallaciam, nec Hieronymus inanes fabulas. Hæc ille pro parte argumenti. Nam de cetero, quemadmodum in ſerie dictum, [h] vt piam concedat hanc de Epiſtola traditionem, non tamen

veritati innixã putat, imo pugnaciter aſſerit à notis veræ Traditionis longè ſeiunctã.

Equidem dudum in votis habebam, vt ex angulis ratiuncularum, in apertum Traditionum campum, ſi quo modo poſſem prolicerem aduerſarium. Nam cùm hoc velut regno fides Epiſtolæ, noſtræq; cauſæ robur magna ex parte cõſiſteret, minimè dubitabam, vicario pietatis, ac Traditionis argumento rem totam committere, quo tãdem copia partibus facta, manifeſtum euaderet, vnde maximè veritas ſtare crederetur. Verùm cum nihil afferatur diuerſum ab ijs, quæ hactenus permultis, ac firmis rationibus confecta ſunt, nemo pretium operæ putarit, pluribus ac fortioribus eadem verſanda, ſi, quæ hic rurſum pullulare videntur, ſummo tantum quod aiunt pede, ceù vrticæ extemporaneæ proterantur.

Igitur non omnibus Traditionibus aures animoſq; dandos, conſtantior eſt ſapientum aſſertio, quàm vt ſecus à quopiam dici queat: ſed eæ demum auctoritatem apud omnes ac dignitatem promerentur, quæ cùm fidei non officiunt, pietatem etiã inſtãter fouent, eædem verò ſi antiquæ ſint, vetuſtate ſua ſanctitatem conciliãt, ac poſtremùm ſi religioni non parum adminiculi præſtant, Sacroſancta meritò cenſeri debent; vt qui ea violare dicto factoue auſit, in diuina omnia humanaq; iura peccaſſe conuincatur. At enim huiuſmodi notis eſſe hanc de Epiſtola Virginis inſignem traditionẽ, cum fidei decretis minime pugnantem, pietati maximè conſentaneam, antiquitate primam, religioni ſummè proficuam, vt quæ in commendatione Virginis populiq; Meſſanenſis ad fidem acceſſione verſetur; ſatis opinor liquet ex ijs, quæ huc uſq; per multa capita deducta ſunt, nec non in poſterum pro re accerſita, deducentur vberius. Ad quæ omnia ſi accedat nullo non tempore continuata religio, populiq; in Virginem in dies ardentius ſtudium, multaq; alia cælo teſtimonia, vt humanas taceam auctoritates, non modò temerarius ſit qui diſſentiat, ſed planè à pietate alienus qui dubitet.

Iam quod à Traditionibus in vtroq; Teſtamento profligatis aduocatur argumentum, contra rẽ noſtrã adeo non militat, vt vel ipſi Anonymo ſi ſapit coactè inſideat. Damnat vtiq; [i] Filius Dei traditiones, ſed merè humanas Scribarum ac Phariſæorum inuentiones, & propter quas impedimenta mãdatis Dei ipſi faceſſerent, eò præſertim quòd Seniorum auctoritate, nec non originis & religionis antiquitate ligatos populi animos, crimine grauarent ac inuidia, ſi cõtraueniſſent. Damnat Iſaias [k] hominum doctrinas, & ſubimpetrata à vanitate inuenta, quæ ſanctitatem mentita, prouocabant magis Celeſte Numen quàm placabant, quòd qui huiuſmodi commentorum eſſent ſtudioſi, in corpore præſenti, longe à Deo abeſſent animis, labiumq; inane, pectus offerrent exanime. Damnat præterea Paulus [l] deprædatricem ſanæ mentis Philoſophiam, *& inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi & non ſecundum Chriſtum. Expertus namq; Apoſtolus Athenas Ciuitatem linguam* (inquit [m] Tertullianus,) *cum omnes illic Sapientia, atq; facundia caupones degustaſſet, inde concepit præmonitorium iſtud edictum.*

Itaq; non omnem amandat Philoſophiam Paulus, quemadmodum perperam accepit Hæreſiarcha Lutherus, ſed quæ ſit inanis fallacia, ſupeſtitio gentilitatis, *falſi nominis ſcientia* [n] qualis eſt vt ait Clemens Alexandrinus [o] Epicuri doctrina, quæ prouidentiam tollit, cæloq; locat voluptatem; aut quales ſunt Platonicorum de Angelis, ſeu Dijs medijs dementes opiniones, qualia deniq; ſunt Apollonij Tyanæi, Simonis Nouatorum parentis, Hæreticorumq; omnium ſomnia, qui vel tempeſtate Pauli Platonizabant, vel conſequentibus ſeculis ex eiuſdem aliorumq; figmentis, quos Tertullianus Patriarchas Hæreticorum vocat, ſuum egregij Veteratores centonem conſarcinabant. Enimuerò Hæreſes (inquit) Tertullianus [p] à Philoſophia

ſubor-

i Matth. 15. Marc. 7.
k Cap. 29.
l Ad Coloſ. 2.
m Lib. de præſcript. cap. 7. Et de Anima cap. 3.
n Timoth. cap. vlt.
o Lib. 1. Strom.
p De Anima cap. 3.

ſubornantur. Inde Aeones [q] & formæ neſcio quæ, & Trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate: A Stoicis venerat. Et vt anima interire dicatur, à Stoicis obſeruatur. Et vt carnis reſtitutio negetur, de vna omnium Philoſophorum ſchola ſumitur. Et vbi materia cum Deo æquatur, Zenonis diſciplina eſt. Et vbi aliquid de Igneo Deo allegatur, Heraclitus interuenit. Eędem materiæ apud Hæreticos volutantur, ijdem retractatus implicantur.

[q] De præſcript. c.7.

Et verò huiuſmodi Philoſophia fons errorum, qui vanis hominum cogitationibus velut riuis quibuſdam effluxit in Orbem, & reuelata diuinitus principia fallacijs circumſcripſit inanibus, velut ſi ex nihilo nihil gigni certo ſtatuatur, Mundus quoq; credatur æternus; ſi à priuatione ad formam regreſſus negetur, vana ſit fides miraculorum, fabula reſurrectio mortuorum; ſi accidentis eſſe nihil aliud ſit quam ineſſe, dubia corporis Euchariſtici in Sacramento præſentia; ſi quæ deniq; ſunt eadem vni tertio, eadem quoq; inter ſe cenſeantur, inane ſit myſterium Trinitatis, exciſum veritatis vniuerſæ fundamentum.

Hæc nimirum eſt Philoſophia, quæ ſecundum elementa mundi, ſexcenta Platonicorum Scholis intulit deliria, & cum aſtris animatis, mundiq; factoribus Angelis, & humani generis apud Deum aſſertoribus, religionem exanimauit, Vniuerſum perturbauit, quàm plurimos hominum quo minus rectè de Deo ſentirent, dementauit. Mitto cetera quæ merito fabulas vocat aniles Hieronymus, vniuerſi videlicet principium aquam eſſe, vt ſomniauit [r] Thales Mileſius, aut numeros vt Pythagoras: Oceanum & Thetin Deorum parentes vt Homerus; Ex immenſo rerum omnium ſemina exiſtere, mundoſq; immenſos conſtare poſſe, vt Anaximander. Neq; ſolum, ſed ex ſeminibus cælo delapſis animalia ſurrexiſſe, Aeonaq; quem ſenſum dixerunt accepiſſe, vt Anaxagoras; vel etiam ex atomis & vacuo ſuum ſumpſiſſe pleroma vt Democritus, & Epicurus; deniq; mundum ex affectibus concinnatum, Rerum ſubſtantias ex lacrymis Creatoris, lucem ex riſu ortam quemadmodum vltra dementiam autumauit Valentinus Phæbonites. Quæ omnia tametſi longè abſint à mente ſana, ſuos nihilominus etiam poſt Euangelij Solem tenebricos habuerunt defenſores, Valentinianos, Gnoſticos, alioſq; illud inſuper ex Heſiodi Pandora ſtultitiæ mutuatos, vt Saluatorem ex omnibus factum Aeonibus docerent, omnibus in eum deponentibus velut florem ſuum, quò iam non inanis duntaxat fallacia, quæ ſicut Irenæus loquitur, *minutiloquium Ariſtotelicum & ſublimitatem circa quæſtiones inferre fidei conantur Hæretici*, ſed multò magis fanatica hæc deliramenta procul à ſenſu religionis ſint proſcribenda.

[r] Iren. l.2. cont. hæreſ. cap. 19.

Verùm quid hæc quæſo ad Epiſtolam Virginis, niſi perridiculè quiſpiam velit ad minus connexas poſitiones præpoſteram aſſuere conſecutionem, & ex rotunditate Cæli baculum in angulo concludere. Nam quia Phariſæorum traditiones mandatum Dei irritantes, hominum commenta religionis fucum mentita, inanis præterea fallacia philoſophiæ ſpeciem induta procul eſſe iubentur à Chriſtianorum inſtitutis: idcone Deiparæ Virginis Epiſtola, tam eximiæ pietatis exemplum, tam ſublimis caritatis argumentum, idemq; perpetuo quodam per manus traditæ religionis charactere magis ac magis illuſtre, è memoria hominum tolletur, è traditionum monumentis expungetur, inanis, fallax, periculoſa, fidei pugnans & aduerſa cenſebitur? Quin potius hunc ego callidum & ſophiſticum, niſi etiam ignarum arguendi modum, ſibilis explodendum, procul Sapientum Scholis faceſſere moneo, idemq; mecum præſtiterint alij, quorum candida

Z q 1 pectora

pectora pietas Virginis inſedit, apud quos religio Deiparæ maiori ſemper in pretio & honore eſſe ſolet.

Ac ſanè poterant hæc omnia tam multis de traditione diſputata, verbo concludi, niſi referret diuerſis veſtigijs ad latibula calumniarum peruenire. Habet enim auream hæc in fronte traditio veritatem, quæ ad Lydium examinata lapidem, niſi hic minimè germanus ſit, ſynceram ac probam ſe manifeſtat, pietate, religione, conſtantiſſima Ciuium aſſertione, nulla penitus cum fide & hiſtoria Sacra diſſenſione, in quam nemo non, ſi ſapit, conueniat, vel ſi addubitet, minimè tamen proteruè aduerſetur, ne vno ſcelere non vnius criminis reus exiſtat. At enim ſi quiſpiam peruicacius neget hanc veram eſſe traditionem, is ſanè animum nobis indiderit, non maiore ſolum conatu renitendi, ſed ardentioribus etiam ſtudijs contrarios niſus depellendi, quando ex hoc fonte quàm plurima facillimè deriuent in religionem impedimenta, & rectè in ſimili collegit [f] Bellarminus, ex reiectis pro more Hæreticorum ab initio Traditionibus, argumentum extitiſſe Catholicæ pietati; quò totis viribus ad eas recipiendas ſeruandaſq; conaretur.

[f] Tom. 2. cont. lib. 4. c. 3.

Iam verò qui eam putet eſſe probatam traditionem, in quam omnes vno ore conſentiunt, ne iſte inſcienter diſcernit inter Traditiones, ac id propter, cùm à ianua procul aberret, nullibi opportunam veritatem offendat neceſſe eſt. Illicò enim nacillabit fides Epiſtolæ Edeſſanæ, nutabunt non penitus proſcripta ab Eccleſia Gelaſij apocrypha fabulæ erunt Abagari prædicante Thaddæo conuerſio, Mariæ Virginis iter in Aſiam, Pilati ad Tiberium de Chriſto relatio, Apoſtolorum ad Deiparæ funus obſequium, Petri cum Simone Mago, Bartholomæi cum Idolis cōcertatio, Clementis errores, Theclæ carceres ac victoriæ, Pauli ac Iacobi in Hiſpanias profectio, mortuorum ad vmbram Pauli ſuſcitatio, Sylueſtri de Dracone triumphus, Georgij cum Serpente pugna, Equi picti Georgium geſtantis hinnitus, ſeptem dormientium per ſecula ſomnus, Dionyſij cum reſecto capite inceſſus, eiuſdem in ſede Pariſienſi primatus, Gregorij Armenij metamorphoſis, Vnius Magdalenæ aſſertio. Mitto innumera alia, pleraq; ſanè latinis dubia, Græcis probata, aut contra his minimè certa, illis rata fixaq;. Mittó vtrobiq; vernaculas nationum, ac ciuitatū traditiones, de quibus nihil ſanciente Eccleſia, manet tamen populorum pietate durata, nec controuerſa cum ſanctitate religio; Patres certè ita non omnes conſentiunt, vt non pauci velis remiſq; nitantur in aduerſum. Mitto deniq; inter Sanctiſſima, intemeratam Deiparæ Virginis originem, perantiqua ſanè veritate munitam, quam tamen non nemo recentiori cenſet [t] apud Eccleſiam valuiſſe auctoritate, quaſi priſca tempeſtate dignitatem apud paucos obtinuiſſet, nondum ſcilicet illata per Orbem in Templis feſta eius Sanctitudinis religione.

[t] Ioan. Gerſon. apud Salazar. c. 37. n. 1.

Quorſum hæc omnia niſi vt luculenter oſtendamus, non ideo reputandam eſſe fluxæ fidei Traditionem, cui non continuò totius Eccleſiæ Patrumq; ſuffragia robur addant, quando interdum ſanctitatem habent quæ inter fluctuantes opiniones ſola pietatis anchora firmantur. Abſit verò, vt par ſit huius Epiſtolæ, & exempti à labe conceptus Virginei fides, verùm ex ijs quæ propè diuinum obtinuerunt aſſenſum, licet ad hiſtoricam deſcendere traditionem, eoq; gradu humanam ſiſtere veritatem, vt nec ſilentio multorum, quibus certa etiam controuerſa fuerunt prematur, nec calumnia paucorum quibus falſa interdum pro affectu probabiliora ſunt veris, de ſuo loco deijciatur.

Ac vt fundamenta Traditionis quibus hanc Epiſtolæ religionem decet inſidere ſuo ſitu cernantur; Tria ſunt earum genera penes Sacrarum ſcientiarum peritos, quorum primum fons ipſe legum Deus, nullo exceptore vſus Eccleſiæ concredidit,

ipſa tamen ſemper cum religione ſeruauit,& ad poſteros viua ſine manu voce tranſmiſit. Atq; hoc genus non inter humanas modo,ſed neq; inter Eccleſiaſticas Traditiones rectè cenſetur, quando etſi per Eccleſiam ſecundis velut manibus traductũ, non ſane ab ipſa,ſed ab auctore rerum Deo principium ſumpſit & auctoramentum. Et huius claſſis nomen habet,quicquid Scripturarum Sanctitudo claudit, ſiuè demum leges figat, moreſq; formet ac ritum, ſiuè in ipſa diuinitatis arcana, velut indigitamenta quædam aperiat.

Alterum genus illud eſt, quod Eccleſia non modo per manus immiſit in forum, ſed etiam ipſa primùm ſanxit, vtiq; tamen ſanctitate à Deo ſuſcepta, quando non humani vis conſilij, ſed Spiritus gubernantis interuenit ſapientia, nec in ſanciendo ſolùm,ſed etiam in tradendo direxit inſtitutum, vt proinde qui hoc genus humanas vocet Traditiones, næ iſte vehementer impingat, ac quid Eccleſia ſit, malo ſuo ſeductus ignoret;quamquam ſi Eccleſiaſticas ſolùm,nec reſtricto vocabulo diuinas appellet Traditiones,rectè admodum ſentiat,eaq; ratione Dominicæ cultum, quadrageſimæ religionem, ceteraq; id genus ad mores & cærimoniam formandam præcepta, vſuſq; firmatos,Eccleſiæ vocet inſtituta.

Tertium deniq; genus eò recidit, vt neq; à Deo,neq; ab Eccleſia proximè capiat auctoramentum. Sed Reipublicæ maiorumq; factis, aut etiam priuatorum quibus poteſtas ineſt, ſuam remittat originem, & nihilominus id natura ſecum trahat, vt ſi præceptis Dei,conſilijſq; ſanctioribus minimè vim inferat, [u] conſcientias hominum ligent, in noxã laudemq; rectè vel ſecus facta traducat,viciſſimq; ſi diuinis obuertatur inſtitutis,ceù quondam Phariſæorum,ac Scribarum fallaces circumſcriptiones, extemplò caſſum ſit ac irritum, nec ſecus atq; præſentiſſima pernicies animorum elidendum. u Ad Rom. 13.

Scio,Sapientum ſententia paulo aliter differri Traditionum capita in claſſes ſuas, quæ tamen noſtrum ordinem ſi rectè in animum inducamus,nec vertit nec perturbat,quin magis explicat,magis confirmat. Illi itaq; penes dignitates principiorum, Diuinas,Apoſtolicas,& Eccleſiaſticas,penes materiam verò,quæ fidem moreſq; hominum concernunt,recenſent Traditiones. At enim pro re noſtra,circa incommodum Apoſtolicas ab Eccleſiaſticis haud diſcreuimus; quòd cùm vnus idemq; Dei Spiritus qui Apoſtolos ad veritatem formauit,hodie quoq; regit, regetq; ſuam in poſterum Eccleſiam, non abs re eadem vtramq; nuncupatione cenſere potuimus, idq; [x] non ſine doctiorum argumento quando & ipſi Apoſtolicas quamuis traditiones, diuinas vocare conſueuerunt;ea nimirum de cauſa, quòd à primo auctore Deo ſuſceptas, non ſine Spiritu Dei tradiderunt, acceptaſq; ſeorſim à Chriſto ipſi primùm Eccleſiæ commendarunt. Atq; hoc ſenſu,neq; aberret quiſpiam, ſi quas ſingulares Eccleſiæ ſeruant maiorum pias inſtitutiones,Eccleſiaſticas emollito nomine vocet Traditiones. x Bellar. Tom. 1. l. 4. cap. 2.

Iam verò quæ paſſim feruntur dicta Patrum & notæ ad diſcernendas traditiones, diuinas maximè concernunt & Eccleſiaſticas vniuerſim conſideratas, quæ fidem ſtabiliunt moreſq; formant nihil adeo de particularium Eccleſiarum conſuetudinibus ſingulatim ſpectatis decernunt,niſi qua & ipſæ religionem ex fide, moreſq; ex pietate profectos promouent in dies, augentq; magis, quæ tamen vt firmæ ſint,totius Eccleſiæ conſenſum Patrumq; ſententiam non requirunt, ſuorum duntaxat maiorum auctoritate contentæ, niſi quia principijs ab Eccleſia conſtitutis minimè contradicunt, tacita quadam aſſenſione vim ab ipſa habere exiſtimentur, adeoq; hac etiam parte Eccleſiaſticæ dici queant. Quin, ſi quemadmodum rectè aduertit [y] Bellarminus, ad credendum quippiam ex Apoſtolica traditione profectum,ſatis ſit aliquos y Tom. 1. lib. 4. c. 9.

magni

Digitized by Google

magni nominis Patres expreſsè id aſſeruiſſe, nec cęteros, tametſi nō meminerint cōtradixiſſe: multò ſanè minus ad particularem alicuius Eccleſiæ traditionem firmandam, tantus numeroſorum ſuffragiorum deſideratur apparatus, paucorumq; domi ſi foris deſint, digniorum apprimè ſufficit antiquior auctoritas; ad eam verò, ſi præterea magni alicuius Scriptoris, quem Eccleſia eximium habet accedat fides, eademq; cùm religione & moribus minimè pugnet; inſuper rationi temporum conſentanea dicta probet, neſcio cur totius Orbis iudicio, inter vera locum non mereatur, alioqui quod aliquando prætenſum, vacillabit in Eccleſia fides Ioannis feruenti oleo corpus delibuti, quæ à Tertulliano duntaxat, vel minoris penſi Procoro famæ data.

Verùm hæc de Traditione vtcunq; diſſerta, tantùm ad infringendam Anonymi calumniam ſufficere debent, ijs ſuo loco diſcernendis, quæ ad vindicias Epiſtolæ, tanquam à præcipuo, vel citra vllius Scriptoris auctoritatem capite ſunt arceſſenda. Interim ex hactenus inductis, quem in ordinem vniuerſim redigēda ſit hæc de Virginis Epiſtola traditio, facilè perſpici poteſt opinor. Enimuerò cùm nequeat eſſe Diuina vel Apoſtolica, ſed neq; Eccleſiaſtica reſtrictè ſumpta, ad fidem moreſq; componendos à Concilijs vel inuecta, vel affirmata, nec deniq; à maioribus ordinandæ Reipublicæ, populorumq; inſtituendorum gratia introducta, perconſequens eſt, hiſtoricam eſſe, ſed ſacram ſuſceptæ religionis antiquæ narrationem, eandemq; in Ciues pietatis Virgineæ prædicationem, principio quidem Scriptis acceptam, imò verò è Scriptione Virginis natam, deinde etſi Scriptores defuiſſēt, per manus in manus tradită, cōtinuataq; religione ad hæc vſq; tempora propugnatam. Verùm cùm hæc ipſa traditio non occaſio duntaxat, ſed ferè fundamentum ſit tam raræ, ac præcipuæ religionis in Virginem, eademq; ad fidem piè ſtrenueq; colendam haud mediocre incitamentum, nihil propius eſt, quàm vt non inani ſpecie, in ſacras quoq; redundet narrationes, & præterea cùm peculiaris Metropolitanæ Eccleſiæ, Ciuitatiſq; in regno tam eximio Capitis, in ea vertatur religio, Eccleſiaſtica traditio queat appellari.

Atqui ex hactenus conſtitutis perſpicuum etiam ſit in primis, quàm præposterè ducatur argumentum à diuinarum & Eccleſiaſticarum, quæ communes ſint Orbi traditionum notis, ad inueſtigandam hiſtoricæ humanæq; traditionis, tametſi ex parte ſacra ſit, atq; Eccleſiaſtica genuinam rationem, in quam ſi plurima ſigna conueniunt, omnia certè neceſſe non eſt, nec verò ſingula eodem prorſus modo concedere. Ceterùm ſi in multis germana quædam cernitur eſſe ſimilitudo, manifeſtum etiam euadit, non niſi temerariam & imperitam eſſe calumniam, quæ eidem non ſolùm ſuam denegat antiquitatem, ſed etiam cum libris Sacris & Canonica fide pugnantem, ceù mendacem famam, paucorum præſidio munitam, & vno verbo traditionem piam non ex veritate roboratam audet traducere. Quamquam illud primum condonari fortaſſe queat illi, qui antiquiorem Laſcari non nouerit auctorem, & antiquam religionem ex imprudentia, in recentem intentus calumniam haud reſpexerit: hæc poſtrema certè, niſi cum inſcitia coniuncta eſſent, moderatè ferri non deberent.

RESPONDETVR DVODECIMO ARGVMENTO, *quod eſt alterius cuiuſdam Anonymi.*

CAPVT TRIGESIMVM TERTIVM.

RECTE, verò, emerito iam veterano, ſuccedit in pugnam nouus miles. Videamus quibus lacertis rem agat, an puluerem & Solem æquè ferat. Conſtat (inquit) apud omnes Deiparæ Virgini, donum linguarum, vel ipſo die Sacro Pentecoſtes, quo & Apoſtoli varijs linguis cœperunt eloqui magnalia Dei, vel multò ante quod credere par eſt, à Spiritu Sancto fuiſſe collatum. Poterat igitur Virgo patria Meſſanenſium lingua Legatis reſpondere, nec opus erat interpretem Paulum, vel ad reddenda Virginis ſenſa inter colloquendum, vel ad Hebrçam Epiſtolam Græcè conuertendam adhibere. Hæc iſte.

Nihil eſt ſanè quod hùc fortuito argumento, vel caſu nequeat reſponderi; nec reuocanda diſputatio ad reconditas quaſdam rationum flexiones, vbi in promptu eſt, quo ſingula vel ſponte cadentia refellantur. Deiparam Virginem dono linguarum fuiſſe ornatam, nemo ſanè cui pectus ſapit negare debet: hinc verò conſectarium eſſe, Græcè vel Latinè ſermones cum Legatis Meſſanenſium miſcenti, etiam Epiſtolam Gr cè vel Latinè fuiſſe exarandam, non video qua ratione concludatur, niſi morum ignoratione. Nam vt omittam Paulum Latinè callentem, Romanis tamen Græcè ſcripſiſſe, quod vtraq; lingua cōmunem haberet vſum, ſtudio præſertim Magiſtratus commendatum; decebat Virginem, eam ſcribendo linguam adſciſcere, quæ cùm ipſi vernacula eſſet, tùm apud Hebræos iam vſu Scripturæ Sanctæ, religione etiam Gentium Sacratior habenda erat.

Et quamuis aliquando ſanxiſſet [a] Auguſtus, quò Romanos Græco, viciſſimq; Græcos Romano & habitu & ſermone vti perinde vellet, ea tamen lege præterquam nec ad ſanctitatem recepta, & à Claudio ad Senatum duntaxat etiam inter Barbaros in iudicijs ferendiſq; ſententijs reſtricta, ſcribentes præſertim familiariter non aſtringebat, poteratq; ſuo quilibet vti ore ac manu, niſi fortaſſe religio quæ characteribus, aut potiùs ſcribentium animis ineſſet, aliud præcepiſſet. Quin peculiare fuiſſe Iudæis nimium vernaculæ linguæ addictis, peregrinum vel contemnere vel auuerſari ſermonē, ex ijs quæ Ioſephus [a] narrat, ſatis euadit manifeſtū. *Noſtri* (inquit) *homines nō ſuſcipiunt eos, qui multas perdidicerūnt linguas, quòd ſtudiū profanū apud eos habeatur, & ſeruis cōmune cū ingenuis, ſolos autem ſapientes ſuo ſuffragio pronunciant, qui legis & ſacrarū literarum tantā aſſecuti ſunt peritiā, vt eas etiam interpretari valeant* Hinc verò cōſequitur illos vſitato ad ſummū ſtudio, pro tēpore, & re nata peregrinū ſermonē vſurpaſſe, ſcriptitando tamen quatenus fieri poſſet abſtinuiſſe, imo & in trito colloquio cautè ſibi tēperaſſe, facile cuiuis veniat in mentē, quod exquiſitā efferendæ vocis peregrinę rationē illis natura negauiſſet, idq; ſuo exēplo prodit Ioſephus ipſe Hebręus, qui tametſi ſuos commentarios Græcè lucubrauerit, & pleroſq; Græcorum in eo genere antecelluerit, apertè tamen de ſe fatetur, exquiſitam ſibi pronunciandi rationē aſſequi ob patriam conſuetudinem haud licuiſſe, quamquam Græcanicæ quoq; literaturæ, non ſine profectu operam dediſſet, d. uouiſſet.

Non hæc dico quaſi Deiparā Virginē, nō æqua facundia peregrinas verſaſſe voces ac patritas exiſtimem; quippe cuius in labijs diffuſa gratia, nō proprietates modo lin-

[a] Suet. in Octau. cap. 89.

[a] Lib. 20. Antiq. cap. vltimo.

guarum ritè carpebat, ſed & ſonos inflexioneſque vocum cæleſti quadam ſuauitate ad audientium aures affundebat: verùm cùm ſecreta quædam maieſtas ineſſet orationi Hebrææ, quam Chriſtus Dei Virginiſq; filius, ore ſuo ſacrauerat, par erat natiuis conceptibus Virginei pectoris edere dulcedinem, quam Meſſanenſes hoc magis religioſè tuerentur, quò genuinam ſacratæ mentis imaginem proprijs velut coloribus adumbratam ſuſpicerent, haberentque vt cum [b] Chryſoſtomo loquar reuerentiam quandam linguæ illi fortaſſe vt omnium primæ.

b In actis cap. 22.

Sed etiam [c] Paulus quamuis Græcè peritus, nihilominus ceù vir Iudæus, natus quidem Tharſi Ciliciæ, ſed Hieroſolymis à teneris vnguiculis educatus, obtenta à Tribuno, quem prius Græcè allocutus fuerat, licentia, coram populo non minus fortaſſe pro vſu temporis Græcè gnaro, Hebraicè multis perorauit, non aliam ſanè ob cauſam, niſi quòd popularis & vernacula ea oratio eſſet, quam & ipſe propenſiori facundia proferret, & populus ſilentio præſtito peraudiis & arrectis auribus exhauriret. Tantus quippe inquit [d] Lorinus inſitus eſt rerum propriarum amor, nec eſt cui natiua quamuis barbariſſima, non etiam politiſſima, ornatiſſimaque dialectus videatur, & qui non alias præ ſua pluſquam barbaras & Scythicas denominet, quemadmodum Michael Imperator Græcus Latinam, quo tamen nomine [e] Nicolaus Papa hominem egregiè perſtringit, refellit.

c Act. 21. & 22.
d In act. cap. 22. v. 2
e In epiſt. ad Mich. Imp.

Nam quòd Chryſoſtomus [f] Paulum Hebrææ tantum loquelæ velit fuiſſe gnarum, & imperitum externæ peritiæ, niſi ita quis accipiat, vt quantumlibet Græcis literis erudito, natiuam Græcè proferendi gratiam, haud ita graphicè licuerit aſſequi, cuius, ſi Hieronymo [g] credimus, maximè ſe fatebatur imperitum; imponat oportet non dumtaxat ſententijs, quas è Græcis auctoribus depromit, ſed etiam Epiſtolis, quas præter illam ad Hebræos diſertiſſimè ſanè ſcriptam, Græcè omnes exarauit; deniq; & linguarum facultatem adimat illi, qui ad ſalutem Gentium procreatus, totius Orbis terrarum, vt loquitur [h] Chryſoſtomus, fuit orator ſapientiſſimus, quem idcircò non abs re Mercurium habuerunt Lyſtrenſes, hoc eſt eloquentiæ Deum, Deorum interpretem, Ducem Verbi, cuius verba quod ait Hieronymus [i] non verba viderentur, ſed tonitrua & fulmina, hærentem præterea Oratorem in cauſa, capientem omne quod contigerit, tergum vertentem vt ſuperet, fugam ſimulantem vt occidat.

f Hom. 4. in 2. ad Tim.
g ad Algaſiam.
h Orat. in 12. Apoſt.
i Apol ad Pammach.

Non me fugit aliquando [k] Paulum ſermonis imperitiam ſibi imputaſſe: Verùm id ſapientum iudicio, non quaſi minus calleret, ſed quod tritam & ad vulgi captum accommodatam præferret elocutionem, ea dicendi modeſtia vſq; ad probrum perſtringens phaleratum aliorum dicendi luxum, vel certè ſi Hieronymo [l] credendum, quod erat humilitatis, diſſimulabat, vt Apoſtolica prædicatio non in perſuaſione verborum, ſed in ſignorum virtute conſiſteret, ſpernens alienas opes, qui in ſuis diues erat, & nihilominus vim eloquentiæ perorantis Feſtus pro Tribunali ſedens, cùm fuiſſet expertus, præ admiratione, Inſanis inquit [m] Paule inſanis, multæ te literæ ad inſaniam conuertunt. Quin [n] Auguſtinus, obtentam illam à Paulo non ſcientiæ, ſed ſermonis imperitiam, eò vertit, quaſi id concedat obtrectatoribus, non verè de ſe ſentiat, quamquam & ipſe [o] Auguſtinus vt imperitiam Paulo relinquat, vnà aſſeuerat, remotis omnium eloquentium auctoritatibus rectè eſſe locutum, præcipuè tamen cum de compoſito diſſerit de Chriſtiana eloquentia, quæ profanæ nullatenus ſit ſecunda, illum in Paulo [p] effloruiſſe multis oſten-

k 2. ad Cor. 11.
l Apol. cõt. Ruffin.
m Act. 26.
n Lib. 4. de doct. Chriſ. cap. 5.
o Lib. de Magiſtro cap. 5.
p De Doc. lib. 4. c. 6. & 7.

Digitized by Google

oſtendit,& inter alia, *ſicut Apoſtolum* (ait)*præcepta eloquentiæ ſecutum fuiſſe non dicimus,ita quod eius ſapientiam ſecuta ſit eloquentia non negamus*.

Id verò cum [q] Lorino fortaſſe non inconcinnè ſic accipias,vt Græcorum artes, quibus ratio oratioq; perpolitur, Paulum duntaxat cùm adoleſcentulus eſſet,attigiſſe putes,idq; Tharſi [r] in patria quò loci quod Strabo prodit, omnes encyclicę diſciplinæ cum Philoſophia florebant, palmamq; Athenis, Alexandriæ, ceteriſq; orientalium locis præcerpebant;cùm interea teſte Ioſepho [ſ] Hieroſolymis languerent ea ſtudia,penè iacerent,quòd vt ſæpè meminimus, illi ſoli ſapientes renuntiarentur,qui legis & Sacrarum literarum, quam docere poſſent peritiam fuiſſent aſſecuti. Ceterùm verò ſimile non eſſe,Paulum iam ex perſecutore Apoſtolum, otio quamuis difflueret, qui tamen vix ab Euangelio reſpirabat, triuiſſe potius tempora in fabularum quiſquilijs, quàm in rerum diuinarum meditationibus, niſi iam huiuſmodi etiam diſciplinas à Spiritu Sancto Paulo infuſas prædicemus, quod tametſi rarius alijs, accidiſſe tamen interdum haud facile negabimus, & potuiſſe Paulo contingere, qui vt Euangelium inter Gentes fundaret,fabulas vertere debebat,quid obſtat? ac ſaltem eloquentiæ naturalis indolem arte ab initijs excultam, diuina deinde perfectam ſapientia quis neget? vt iam Hebræus ex Hebræis, non in Rhetorici duntaxat nitore ſermonis & verborum concinnitudine, & eloquij venuſtate,ſed in virtute Dei,nec tam in Sapientia Verbi perorando, quàm cum Spiritus diuini feruore prædicando, totum Orbem ad fidem Chriſti traduceret, nè ſi alioqui Platone doctior & eloquentior haberetur,non diuina ſapientia, verùm humana eloquentia ſuaſiſſe res admirandas crederetur,qui tamen ſi imperitus erat, (vt inquit [t] Chryſoſtomus) vicit autem Platonem, præclara fuit victoria de diſcipulis Platonis, per Dei nimirum gratiam non per humanam ſapientiam.

Sed video quàm ſcrupuloſas in cautes impellere queat argumentum, è quibus haud facile enauiget hiſtoria. Nam Paulus alioqui Hebraicè diſertus, Græci duntaxat ſermonis imperitiam ſibi appoſuit,idq; non de humilitate, ſed conſcientiæ veritate, quippe qui Cilicum ruditati inſuetus, non modo verba compoſitè proferre,ſed ne literas quidem Græcas ritè formare noſſet, vt eam ob cauſam non ipſe literas ſua manu exararet,ſed nominis tantum nota vſq; ad legentium irriſum elementariè ſubſignaret;quod ipſe cùm ſæpè non obſcurè,tum clariſſimè ad Galatas [u] ſcribens his verbis adſtruit, *Videte qualibus literis ſcripſi vobis mea manu* hoc eſt ſi Græcæ vim vocis explicemus, quàm grandibus apicibus & quàm curuis literarum tramitibus, quo ſcilicet pacto conſueuerunt, qui ad prima rudimenta manus in tabula ſine rectore ducunt.

Et quamuis non alienum ſit ab hominum vſu,ignaros interdum characterum formandorum,expeditè nihilominus linguis eloqui nationum, quaſi experimentum dicendi ex ipſa capiant artis ratione,interdum etiam abundantia ingenij, naturæq; ipſius habitu propè diuino,per ſeipſos artis abdita atq; recondita penetrare, exhaurire, quemadmodum & Aratus ſcribendi licet gnarus Aſtrologiæ penitus inſciens, non modo verſu aptè,ſed ad artis normam eleganter ſcripſit ac eruditè. At enim in re præſenti non poteſt non mirum videri, & planè ſit impoſſibile Paulum ex Hebræo Virginis Epiſtolam Græcè conuertiſſe,qui nedum ſcribendi,ſed fandi expers Titum habuit interpretem mentis;quòd vt ait [x] Hieronymus *diuinorum ſenſuum maieſtatem digno non poterat Græci eloquij ſermone explicare*. Quin verò Titi officium adeò Paulo fuiſſe neceſſarium & precioſum,vt eiuſdem abſentia non modicum prædicationi detrimentum fecerit,teſtatur idem ipſe Paulus [y] ad Corinthios ſcribens his verbis *Cũ veniſſem Troadem propter Euangelium, & oſtium mihi apertum eſſet in Domino, non*

q In Actis c. 14. n. 18.

r Lib. 14.

ſ Lib. vlt. antiq. c. vi.

t Hom. 4. in 2. ad Tim.

u Cap. vlt.

x Ad Hedib. Epiſt. 150. q. 11.

y 2. Cor. 2.

habui requiem ſpiritui meo eò quòd non inuenerim Titum fratrem meum, ſed valefaciens, profectus ſum in Macedoniam. Id verò non alia de cauſa accidiſſe viſum eſt [a] Hieronymo, niſi quia ſicut Petrus Marco, ita & [a] Paulus Tito vtereretur interprete, in cuius aduentu ſe magnopere gauiſum eſſe oſtendit cùm dixit. *Sed qui conſolatur humiles, conſolatus eſt & nos in aduentu Titi*.

[a] Loc. cit. 2. ad Cor. 7.

Sed enim ſi Pauli vox alia eſt in Domino gloriantis. [b] *Gratias ago Deo meo, quod omnium linguis loquor*, & Gentium Apoſtolum, ab hoc Spiritus Sancti dono minimè decuit eſſe immunem, eatenus Græcè dicendus eſt imperitus, qua cũ Hieronymi ſententia diuinorum ſenſuũ maieſtatẽ, nõ poterat digno Græci eloquij ſermone explicare, tametſi alioqui eruditus ad pedes Gamalielis, cũ profunda Scripturarũ ſciẽtia linguarũ gratiã poſſideret, ſed ſapientiæ pediſequã, nõ elegãtia ducẽ. Ita verò cùm dignũ duntaxat eloquiũ, nõ aſcita fandi moderatio Paulo deeſſet, interpretẽ voluit eſſe vernaculũ hominẽ, qui latos ſcripturarũ ſenſus, reſtrictis proprijsq; verbis efferret, tametſi verborũ ambages, quibus ipſe ſuũ animũ auribus audiẽtiũ infunderet, in prõptu eſsẽt, idq; ſatis fuit ad prædicãdũ, ſequẽtibus ſignis & ſermonẽ cõfirmãte gratia Chriſti, ſed illud ad erudiẽdos quoq; peritiores neceſſariũ, in quo tamẽ nõ extemporanea miracula verùm cum humana induſtria, vt in plures fructus laboris redundaret, ſupernum auxilium factitabat.

[b] 1. Ad Cor. 14.

At Potuit Paulus, vel primis tinctus Græcorũ elementis breuẽ cõuertere Epiſtolã, in qua nõ iã exculta ratio proferẽdi, ſi hãc ob cauſã opus erat Tito, ſed facilis & perfunctoria ſcripto ſpectabatur oratio: niſi etiã addas familiarẽ illũ nec elegãtẽ dicẽdi ſtilũ, qui Latinã promit Epiſtolã minus etiã politæ Græcæ verſionis eſſe exẽplar, vt iã imperitia Pauli Græcizantis, in Latinos quoq; ſenſus inornatã funderet orationẽ, ſatiſq; inde cauſæ redditũ ſit aduerſarijs, cur fortaſſe id genus verſionis Latinæ, ab imagine Hebraicæ conceptionis abludat, ſi tamen iſti norint quantũ ſit diſcriminis inter redditas ex ipſis fontibus, & hauſtas quò longius fluxerint ex riuis aquas.

Atq; hæc ita dicimus quaſi verum ſit à Paulo Græcè donatam Virginis Epiſtolam. Enimuerò ſi primigenias inſpiciamus tabellas, quas etiã Mutij Iuſtinopolitani liber longè poſt primi inter poſtremos Scriptores excepit, non legimus à Paulo Græcè redditam, ſed duntaxat eo tempore, quo videlicet peracta legatio fuit, vel non multum ab illo, Græcè conuerſam, miſſa interpretis ſignificatione, quam tantæ Maieſtas Hiſtoriæ ſicut etiam Legatorum nomina præteriuit, ne quippiam ad priuatam abiret laudem, vbi gloria Virginis & communis lætitia ſpectabatur. Verùm illa de Paulo cogitatio, præter Traditionem, quæ dubitare non ſinit, locum in religioſis animis inuenire potuit, quòd nemo alius, rei temporiq; viſus ſit magis idoneus, qui eam Meſſanenſibus impenderet operam, Virginalis gratiæ velut appendicem. Et fuit ſanè conſentaneum, qui Dux & auctor fuerat inſtitutæ Legationis, eundem eſſe Virgineæ mẽtis interpretem, quo hoc velut Sacro Scriptorum ſuorum compendio, officium poneret apud Meſſanenſes, qui multis Epiſtolis vniuerſi Orbis inſtruxerat Eccleſias, vt iam ſicut ipſe nõ elocutionis Græcè duntaxat inopia, ſed ædificationis gratia Titum adſciuerit ſocium prædicationis; ita Deipara Virgo Paulum multorum cæleſtium arcanorum conſcium, ſuæ quoq; mentis, quam erga Meſſanenſes gerebat voluerit eſſe elocutorem, qui proinde non linguis tantum magnalia Dei depromeret, ſed myſteria quoq; Virgineæ protectionis, breui quidem ſcripto, ſed longiori ſermone explicaret, ac velut reducto cæleſtis oraculi Sypario venturam fauente Virgine Reipublicæ Meſſanenſi felicitatem, ex ipſius Epiſtolę animo euolueret.

RE-

Digitized by Google

RESPONDETVR DECIMO TERTIO

ac poſtremo Argumento.

CAPVT TRIGESIMVM TERTIVM.

HOC poſtremum non vnius ſtudio,ſed plurimorum Symbolis confe-ctum eſt argumentum,ac velut in Prytanæo conſtitutum; improuisò tamen ceteris interceſſit,nec vno exemplo paſſim volitauit, multorum,vt ſit quaſi ad nouum nec gratum inuentum ſuſpenſis animis, non tam quid reſpondendum foret,quam quo modo. Fuit verò artis & ſagacitatis, profligatis ceteris argumentis,quibus nec ratio, nec coniectura fortaſſe ſidebat, hoc impedimentum exiſtimatione vulgi non leue obijcere,& in retardata religione, famam quoq; cum animis aſperare.

Si igitur Meſſanenſes conuerſionem ſuam & illati Euangelij lucem Paulo acceptam ferunt, illo verò tempore miſſi iam pridem à Petro Antiochia diſcipuli, vbiq; Siciliarum præterquam Meſſanæ fidem prædicauerint, lociſq; Antiſtites dederint: nihil antiquius erit quàm Meſſanenſes, vocatione omnium poſtremos, dignitate quoq; cenſendos eſſe extremos, & quod hinc cõſequitur primatus iure caſſos, fruſtra antiquitatem Metropolitanæ dignitatis per ambages venari, fruſtra diſquiſitis priuilegijs contra aliorum iura ſe ſe obarmare.

Hùc aliquando deueniendum erat,ne in toto diſputationis progreſſu multorum hærerent animi, quibus ſemel ſedet Paulum Meſſanenſibus indipiſcendæ religionis fuiſſe Ducem & auctorem. Enimuerò ſi non antea quàm poſitis vinculis redux in Orientem,Meſſanenſibus Euangelio profuit, actum erit de illa dignitatis contentione, qua primi inter Siculos Chriſti ſacris inaugurati,eo quoq; iure in antiquitate religionis infixo primas Vrbi ſuæ affectant partes. Sed enim etſi concedam, quod fieri potuiſſe factumue fuiſſe loco ſuo demonſtratum, quo etiam primo tempore in Italiam vinctus venit Paulus, ad Meſſanenſes vocatum diuertiſſe, nihil adeo magni dedero tam inclytæ Ciuitati, vnde illa in eam præſtantiæ cogitationem ſe ſe queat immittere,quam non plures aliæ Siculæ Ciuitates multò ante præripuere. Ita ue aliundè hæc ineunda conſideratio, ne ſpecie ipſa contentio videatur inanis, niſi perſpicuis ea teſſera ſignis edatur,qua Sanctitates à maioribus acceptæ, iuraq; Sacerdotiorum Meſſanenſibus concilient principatum. Quo in genere cùm nuperrimè neruis planè forenſibus verſatus ſit [c] Albertus Piccolus, non eſt vt amplius aliquid ex me deſideretur,præter vnum duntaxat argumentum,quod è re ipſa ſpontè natum, Petrum videlicet prius quàm Paulum Meſſanenſibus adfuiſſe,nullo diuerticulo potuit euitari. [c] *L. de antiq. Iure. Sic. Eccl.*

Non me fugit, rem magis grauem, Siculiſq; auribus & hoc tempore magis dignam in quæſtionem venire vix potuiſſe,qua ferè de fortunis, dignitate, focis laribus atque aris Ciuitatum præſtantiſſimarum agitur, quæ nam alteri præferenda ſit nedum conferenda: ſed cùm ea difficilem quandam poſtulet temperantiam, ne quippiam mihi tragicum atq; præfractum,quodue non ſit moderatiſſimi ac paratiſſimi ſenſus, excidat, libenter ita præteribo vt non niſi in legentium animis, qui præcipuas Siciliæ Ciuitates optimè norunt,tenue veſtigium videar impreſſiſſe, non quod neſciam eiuſmodi contentiones non modò inter præclaras Vrbes, ſed etiam inter

Digitized by Google

inter maximas prouincias, regna etiam quandoq; ampliſſima extitiſſe: verùm cùm illæ ſummis Imperatoribus diſceptantibus dijudicatæ ſint, & ſuus cuiq; locus, gradus, ac dignitas attributa, eas ſemper puto prælatas fuiſſe Ciuitates, gentes ac nationes, quæ alijs dignitate præſtarent, cùm certamen honoris plerumque à virtute proficiſcatur, cetera verò quibus aliæ ſtudent alijs excellere & aliquam præſtantiæ cauſam afferunt, aut vetuſtatem, aut nobilitatem originis, aut certè maiores opes, aut ciuium ampliorem numerum, quæ exigua ſanè ſunt fortunæ irritamenta, & quæ non niſi pacis tempore diuites otij animos ad diſceptationem queant prouocare, niſi etiam populi virtus, vel libertas, vel priuilegiorum ſanctitas, vel optimarum legum defenſio, & ſi quæ ſunt id genus alia, propter quæ vrbes alijs aliæ meritò præſtare debent, in quæſtionem adducantur.

Itaque Petrum in Siciliam appuliſſe, ſi monumentis ſignatum quæras haud forſitan alium quàm [d] Metaphraſtem Scriptorem inuenias, præter quem [e] Baronius etiam vidit neminem, qui itinera comiteſque Antiochia Romam vſque, nec non ordinatas etiam ab eo inter veniendum Eccleſias, compendio quamuis percenſeret. Sed enim ſicut multis alijs Metaphraſtis ſcriptis offenſus Baronius, non integram fidem ei concedit, ita hæc etiam quòd certo auctore careant, & in multis fide, vt ipſe ait vacillent, non vſquequaque probat. Quæ ſanè religio ſi valet, vt omnium quæ traditione, habentur certi auctores producantur, multa ex pleriſque hiſtorijs extrudantur neceſſe eſt, & erit vt non tam pietati ſcriptoris, quàm auctoritati, vel improbi hominis quem iſte citet, ſumma fides ab omnibus mortalibus debeatur.

[d] Die 29. Iunij.
[e] Ad an. 44.

Equidem haud video cur ſi in multis, vel ratione temporum non ritè digeſtorum, vel varietate rerum promiſcuarum non ſolus ipſe errarit Metaphraſtes, continuò de omnibus in crimen vocetur, homo alioqui non pietate minus & ſanctitate, quàm doctrina præſtantiſſimus, de cuius eloquentia & in ſcribendo veritatis amore, inter ceteros ſuarum virtutum apud [f] Petrum Ribadeneiram præcones illuſtre eſt teſtimonium Theodori Balſamonis, nec refert an ſchiſmatici, Patriarchæ Antiocheni, eademque laus apud eundem Ribadeneiram maioribus extat cumulis exaggerata. Et neſcio, cur Metaphraſti fides haberi non debeat abſque alio auctore, qui ipſe auctoritatem ſuis aliorumque dictis ſufficere queat, nec niſi alia digniori auctoritate ſi quæ ſit in eodem genere, iure poſſit improbari. Rectè verò [g] Bellarminus obſeruat à Metaphraſte ſcriptas fuiſſe hiſtorias Sanctorum, multis additis ex proprio ingenio, non vt res geſtæ fuerunt, ſed vt geri potuerunt, fecerit enim id potiſſimùm in meditatis Martyrum colloquijs, ſeù dialogis cum Tyrannis habitis, in conuerſionibus interdum aſtantium paganorum incredibili multitudine exaggerandis, denique miraculis quàm plurimis nec vſitatis, in euerſione Templorum ac Idolorum, in occaſione perſecutorum, quorum nulla extat apud veteres ſcriptores memoria, qui proximè temporibus illis vel geſtis Martyrum adfuere.

[f] In vita Metaph. 27 Nou.
[g] De Script. Eccl. in Metaph.

Sed verò iſta nihil commune habent cum narratione rerum Apoſtolicarum, quæ iam ætate Metaphraſtis fama ſatis ventilata, nec ita Gentilium affecta commentis, vt multa repurgatione egerent, quemadmodum ſyncera potuerunt ad Metaphraſtem peruenire, ita ex eiuſdem monumẽtis incorrupta traduci ad poſteros, cùm præſertim animus illi eſſet, teſte Ribadeneira, emendatis aliorum Scriptis, quę fabulis inſperſas Sanctorum obtrudebant Hiſtorias, veriorum habere delectum, eaq; ratione ad augmentum religionis Chriſtianæ quantum poſſet, proficere. Et potuit ſanè id præ-

Digitized by Google

præſtare, vir cùm doctrina & ſanctitate, tum gratia in primis apud Imperatores opibuſq; valens, quò proinde & ſumptibus abundaret ad tantum laborem hauriendum, & occaſionem teneret ad imperanda latè Scriptorum exempla; quibus inter ſe collatis, quantum diſtarent vera à falſis, quibuſq; ſingula niterentur, vel rationibus, vel auctoribus, facile potuit diſcernere.

Et alioqui ſi dignior à vetuſtate vel claritudine quàm Metaphraſtis optetur auctoritas, extemplò vt ſexcenta mittam, nutabit hiſtoria Barlaam & Ioſaphat, quæ in ſe ſpectata, plus ingenij ſapit, & artis ad oblectandum concinnantis, quàm perſpicuæ veritatis, neq; tamen vel ob ſolam Damaſceni grauitatem, aliquando ſuſpicione falſi laborauit, quantumuis Damaſcenus non alium vetuſtiorem eius rei laudare poſſet auctorem, ſed quos pro tempore nactus fuiſſet, fide dignos vt ipſe fatetur narratores; veramq; eſſe hiſtoriam teſtatur etiam [h] Baronius, quamquam non alio quàm Damaſceno Scriptore proditam, [i] Billij quoq; calculo demonſtretur. Nec verò putarim temerè incidiſſe, an excidiſſe menti [k] Baronij, quod aliquando ſcripſit, *ſi ob vnum errorem vel alterum in vitis Sanctorum inuentum, cetera quæ remanent, fide carere dixerimus: profectò omnes ferè ſanctorum vitas in maximum diſcrimen inducimus: cùm penè in omnibus aliquid notari poſſit, quod corrigendum videatur; ſitq; canonicarum tantummodo ſcripturarum ſingularis prærogatiua, vt in eis cuncta vera, inconcuſſa, certaq; habeantur*. Sed illud etiam compertum ex Bellarmino, multorum res geſtas Sanctorum, qui poſt Metaphraſten extiterunt, hiſtorijs eiuſdem ſtudio poſterorum commiſſas, quorum idcircò fides Metaphraſtis exiſtimationem fallere non debet; idq; cùm obſeruatum ſit à [l] Baronio, non eſt cur ipſe loco ſuo decidere potius Metaphraſtem, quam aliorum fidem velit eſſe imminutam.

[h] In notis. 27. Nou.
[i] In præf. in hiſt. Barl.
[k] In notis. 9. Octob.
[l] Tom. 10. ad an. 819

Verùm vt aliundè dicta redimam. Petrum in Sicilia Siculis viſum, ipſa nauigationum ex Orientis regionibus docet inſtitutio; nihil quippe tàm commune omnibus ſeculis fuit, quàm indè Romam venientibus, Siciliam portum eſſe, diuturnæq; nauigationi præbere ſtationem. Et ne iterum Metaphraſtem ſequeſtrem appellem, de itineribus frequentius è Syria Romam, in ipſamq; Italiam per fretum Siculum habitis; præter [m] Ignatij Martyris appulſum, quem ipſe refert; prætereà etiam illa quæ initio attulimus, argumento eſt [n] Pauli adnauigatio non vno celebrata præconio, Siciliæ fama iunctis regnorum commercijs, ac copulatis Romano Sacramento fœderibus; præterea commodiores quàm in ſinu Adriatico vacationes, Venetijs præſertim nondum aquis extantibus, Candiani valle, quam Sapis fluuius portum Italiæ celeberrimum fecerat, Brunduſinoq; nauali, vnde Romanis in Græciam traiectus erat, ab Vrbe plus ſatis terra marique remotis, nec vicinam præbentibus exſcenſionem. Quæ omnia cùm vrgentes habeant ſtimulos ad ſuadendum Petri ad Siculos appulſum, tùm celebris illa Neapolitanis memoria Petrum ad ſe diuertiſſe, non niſi Ionio mari per fretum Siculum in proſpectu Meſſanæ delatum, huc quoque deueniſſe ſine vllo rationum perſuadet inuolucro. Et potuit fieri quin liber Petrus & ſpontè ad prædicandum pergens, ſi non ad alias Inſulæ Ciuitates, Meſſanam certè vel ſtata nauibus acceſſione deferretur? eò præſertim loci quem propter vicinitatem rariſſimæ naues prætereunt inacceſſum, propter portus opportunitatem, nulli non deſtinatò appetunt exteri nauigantes, quò vel longæ nauigationis tædio feſſi recreentur, vel neceſſario nauis vectorumque cultu ſubleuentur.

[m] In Sur. 1. Febr.
[n] Sup. Fol. 4.

Narrat porrò [o] Baronius in ceteris locis, ad quæ Petrus diuertit, nobilia manſiſſe antiquitatis veſtigia, ſed traditione potiùs, quàm ſcripto firmata. *Nam vt* (inquit) *omittamus de ſingulis dicere, quæ nondum nobis explorata habentur, eſt Nea-*

[o] Ad an. 44.

poli

poli in Cãpania percelebris in memoria vbi idem princeps Apoſtolorum, cùm Neapolim nauigio delatus eſſet, vnà cum ſuis Miſſam celebrauit. Tradunt inſuper ipſum Neapoli ſoluentem vi ventorum delatum eſſe Liuurnum, indèq; Piſas proximè poſitas conſcendiſſe, ibiq; ex more incruentum ſacrificium obtuliſſe, quem locum tantæ rei memoria celebrem à poſteris ſummo honore habitum eſſe conſtat, inde verò Romam veniſſe; licet in aliquibus manuſcriptis, quibus res geſtæ Marci, Epiſcopi Atinæ narrantur, Petrum pedeſtri itinere Neapoli Romam veniſſe, & Atinam ad Marcũ gẽtilem ſuum Galilæum hominem diuertiſſe, ſcriptum habeatur. Sed de rebus tam antiquis & incertis, quid potiſſimum affirmare debeamus nõ ſatis conſtat. Hæc Baronius: quibus ſi quæ fides habenda eſt, quid verò prohibet? in Siciliã quoq; appuliſſe Apoſtolum teſte Metaphraſte, tam certum eſſe debet, quàm nulla ratione firma contrariũ poteſt edoceri, tametſi quod dicit Innocentius [p] Siciliã ceteraſq; Inſulas interiacentes à nullo alio, quàm à Petro, vel eius diſcipulis & ſucceſſoribus eſſe inſtitutas, ſuffragij vice non admittatur; tùm verò Meſſanam acceſſiſſe, ſi locus eſt coniecturis, quibus prudentum animi flectuntur, non eſt adeò inſolens in re ſupra hominum memoriam, vt recens calumniandi licentia poſſit eneruare, ſtabuntq; ſuo loco cetera, qua ad vero ſimiles coniecturas conſequuntur.

[p] *Ad Decent. Epiſt. 1.*

Enimuerò ſi nulla extant Meſſanæ, aut in reliqua Sicilia veſtigia, quibus ad principium famæ perueniatur, neq; tamen veriora penitus obſoleuerunt indicia, quæ ſicut eo itinere pleraq; in loca celebriora Petrum diuertiſſe loquuntur, ita per Siculum fretum adlabentem, ipſa freti rapacitate, Vrbiſq; conſpectu, ſi cetera commoda taceamus, Meſſanam fuiſſe conuerſum haud negabunt. Et fortaſſe extarent eius rei veſtigia non obſcura, niſi ea vix impreſſa, & necdum prædicatione Chriſti (niſi ſecundum famam in Orbem Romanum ingreſſa) quam tunc Petrus deſtinatò Romam inferre cogitabat, vel iniuria temporum excuſſiſſet, vel deinde venientis Pauli nobilior ingreſſus, famaq; Chriſti maior obtriuiſſet, quaſi inde religio Meſſanenſium non verò prius incæpiſſet. Quæ ſi eatenus vera ſunt, vt falſa eſſe nullo teſte conſtare poſſit, habeatque in cauſa potiorem noſtra coniectura, quàm aliorum dubitatio partem, nihil de vetuſtate religionis ſupereſt ambigendum. Qua tamen in dimicatione, cùm non callido & verſuto iure, ſed ex æquo & bono agamus; non eſt vt præciſis quibuſdam tenuibus, ac ſuperuacaneis controuerſiarum ramuſculis, diſceptationem conſtituamus, veluti ſi Martiano Syracuſis, Pancratio verò Taurominio datis à Petro Epiſcopis, antiquitatis prærogatiua tempore poſt ducantur Meſſanenſes, qui ſuæ ſedis initia ſecundum Bachylum à Paulo vt putatur inſtitutum, non ante, norunt deducere.

Nam cùm *inopia Scriptorum* (vt inquit [q] Baronius) *penè obſcurum remanſerit, qui diuerſis temporibus ad diuerſas inſtituendas Eccleſias à Petro ſint miſſi diſcipuli & ordinati Epiſcopi*; paucoſque ipſe numeret, quos recenſitos inuenit, & inter hos Pancratium, Martianum, Berillum & Philippum Siciliæ deſtinatos; conſtare certè non poteſt, aut non alios etiam fuiſſe miſſos, aut non ad præcipuas Inſulæ Ciuitates, quod moris & rei fuit primùm ablegatos, vt hac etiam dignitate Meſſanam credas ſuper omnem extare vetuſtatis memoriam, idque multò maximè, ſi quod neſcio cur incertum ſit, non aliunde quàm Roma, nec ante, quàm circa ea tempora, quæ Petro vltimùm in Vrbe degenti ſuprema fuere, prædicti Epiſcopi Siculis ad prædicandum ſint adornati; quibus ſanè temporibus iam adoleſcente à Pauli prædicatione, & ab impetrata Virginis Epiſtola Meſſanenſium religione, ſtabilitoque Sacerdotio, non poſteriores modò, ſed ſuperuacui erant, qui, niſi in reliquam Siciliam, mitterentur.

[q] *Ad an. 46.*

Quod

Digitized by Google

Quod ſi Martianum Syracuſas, Pancratium verò Taurominium Antiochia miſſos Petro ibidem ſedente, cum Metaphraſte, quod ipſum [t] manuſcriptum quo vtor habet, credamus: erit ea quidem neſcio quàm apparens vmbra cuiuſdam dignitatis, à potiori antiquitate repetitæ, ſed quæ vt dici ſolet templorum vetuſtate ſanctiorum, haud acquiſiuerit religionem, & vix viri paulò ſenioris, qui à iuniori diſtet honorem mereatur, in quo nec Homerus pictor diligens, & naturæ fictor quid innuat habere queat. Quid verò ſi eo ipſo tempore Meſſanæ quoque ſuus non defuit Antiochia miſſus à Petro Apoſtolus? cur enim id inficias iturus ſis haud noueris, nec aliter tibi ſuggeret nobilior in Oriente Meſſanẽſis Vrbis fama, quæ ante alias Ciuitates, ſicut Athenæ in Græcia Paulũ, ita poterat in Sicilia Petrum quoque inuitare: ac tùm fortè ſi quod dicere iuriſperiti ſolent, prima fors Syracuſis vel Taurominij podũ poſitio, primas quoque capiat dignitatis partes, planè rudis ſit, ac impedita iuris illa cautio, qua liceat fundo poſſeſſionem vſurpare, manu ſurculum, vel de via prius defringendo, nec iam conſideretur, vt quæ Ciuitas in firma, ac ſtabili religionis, & dignitatis primarumque partium poſſeſſione eſſe dicatur, quanto temporis ſpatio ſit opus eam prælatam fuiſſe alijs, quibus antiquitate religionis velit præſtare.

Sed hæc fortaſſe alterius ſint generis, multumque differt ius illud, quod corporatum dicitur, ab illo quod eſt ſine corpore. Mihi quidem ſi in retroacta ſecula reſpicere licet, & incunabula ſcrutari Eccleſiaſticæ dignitatis; quamquam ſi vetuſtate certandum eſt, ſufficiat [f] Alberti Piccoli ſententia ad ſedem Meſſanenſem efferendã, quòd Taurominitana Eccleſia quæ Meſſanenſi vnita eſt vel ſubeſt, Pancratium, Maximum, à Petro Apoſtolo Epiſcopos acceperit: exiſtimarim nihilominus nõ quę loca prius acceperunt Apoſtolos, aut miſſos ab illis diſcipulos, ferre prærogatiuam, alioqui Neapolis Puteolis cedat, Roma Neapoli, ſed quò deſtinatò gradũ ipſi ferebant, vt ibi ſeminarium eſſet vnde circumiacentia loca ſementem religionis acciperent. Atqui Pancratium, & Martianum ceteroſque in Siciliam miſſos à Petro, ſi [t] Euagrio credendum, Meſſanæ dubio procul, quæ vt alibi diximus Siciliæ nomen ferebat, præcipuè deſtinatos in parte fuiſſe non negandum, quod verò ipſi primùm, alter Syracuſas, Taurominium alter, appulerint, vectorum Epiphanij ac Teoduli, qui iidem Lycaonides, & Romillus, fuit inſtitutum, quòd hic Taurominitanus, ille Syracuſanus eſſet, eoque ſua cuilibet patria, ac domus primùm petenda fuit.

Sed his etiam miſſis, exiſtimarim præterea cum Baronio, [u] maiores noſtros in inſtituendis ſedibus Eccleſiarum, non aliam inijſſe rationem, quàm ſecundum Prouinciarum diuiſiones, & prærogatiuas à Romanis conſtitutas. Sexcenta ſunt eius rei exempla, ſed vnum aut alterum pro occaſione ſatis erit inducere. Ac in primis Antiochena ſedes, quãtũlibet à Petro ante Alexandrinã fuerit inſtituta, quia tamẽ præfectura Alexandrina, quę & Auguſtalis ab Auguſto id nominis nobilitatẽq; prę ceteris vt Dio, Tacitus [x] alijq; narrãt accepit, longè præſtabat Syriæ præfecturæ, iccircò etiã ſedes Alexandrina prærogabatur Antiochenæ, tametſi hæc ab ipſo Petro, illa à Marco nomine Petri fuiſſet excitata. Sic prſus quia inter Oriẽtales pfecturas Syrię Procõſulatus eminebat, prima omniũ recẽſita eſt Eccleſia Antiochena, q; ei' prouincię Caput, ac vt dici ſolet Metropolis eſſet Antiochia, neq; ſolùm ſed eidem ſubiecta eſt etiã Hieroſolymorũ Eccleſia, tametſi nõ tẽpore modò, ſed nobilitate rerũ in ea geſtarũ prima, ceteriſq; in Oriẽte Eccleſijs, vel eo ſolo nomine videretur iure pręferẽda.

Quin verò ſecundùm eandẽ rationem credunt plerią; non ipſam Hieroſolymorũ Eccleſiã, Palęſtinę Metropolin dictã eſſe, & inſtitutã, ſed quod totius illius Prouincię Caput Cęſarea maritima à Romanis eſſet deſignata, illic etiã Metropolitana ſedes eiuſdẽ Prouincię eſt decreta, ſeruato licet illo Hieroſolymorũ Eccleſię honore, quod

[t] Pie 2i. Iun.

[f] De Antiq. Iur. 6. 9.

[t] In vita Pancrat. manuſcrip.

[u] Ad an. 39.

[x] Baron. ao. Octob. in Arimin.

Digitized by Google

perpetuo quodã ac cõſtãti vſu loquẽdi, quò antiquior eſſet eo quodãmodo ſanctior, & à ſanguine Chriſti fuſo ſanctiſſima haberetur. Id etiam perſpicuè liquet ex ijs, quæ Hieronymus ex Apologia [y] Ioannis Epiſcopi Hieroſolymitani miſſa ad Theophilũ Alexandrinũ, ad Pãmachiũ ſcribit, dum ſic loquitur verbis eiuſdẽ. *Reſponde mihi. Ad Alexãdrinũ Epiſcopũ Palæſtina quid pertinet? Ni ſallor hoc ibi decernitur* (in Cõcilio Niceno videlicet) *vt Palæſtina Metropolis Cæſarea ſit, & totius Oriẽtis Antiochia*. Hęc ille.

[y] *Epiſt. 61*

Ceterùm longè ante Concilium Nicænum, Cæſaream Palæſtinæ Metropolim eſſe inſtitutam, ipſe Canon [z] Concilij Nicæni, non obſcurè ſignificat dum ſic ait. *Quia conſuetudo obtinuit, & antiqua traditio, vt Aeliæ Epiſcopus honoretur: habet honoris conſequentiam, ſalua Metropolis propria dignitate*. Deniq́ue vt de Romana Ecclesia taceam, quæ poſt Antiochenam inſtituta, Caput & Mater effecta eſt omnium Eccleſiarum, ipſa Sedes Conſtantinopolitana, longè tametſi alijs cenſitis, recentior, in id faſtigij ſpecioſo Romæ nouæ titulo prouecta eſt, ac dignitatis, vt propter Romanam ipſa ceteris altior emineret, dataq́ue prima [a] nuncupatione Romanæ Sedi, ipſa proximè ſuccederet, ponè Alexandrina, deinde Antiochena, deniq́ue Hieroſolymitana poſtremùm in ordine cenſeretur. Et quamuis initio prærogatiua Conſtantinopolitanæ tolerata duntaxat fuiſſet, deinde tamen pacis cauſa, æſtimatiſq́ue Imperatorum nominibus, quorum potentia freti eam vſurparant Epiſcopi dignitatem, iure Pontificum tranſijt in ſecundum Eccleſiæ principatum.

[z] *Can. 7.*

[a] *Diſt. 22. Conſtantinop. De Conſtantinop. Renouantes. Diffinimus.*

Atqui ex hoc fonte quò ſponte defluat oratio nemo non videt, vt ſi in prærogatiuis Reipublicæ Meſſanenſi à Romanorum exiſtimatione collatis ſiſtendum ſit, palmam dubio procul ceteris Regni Siculi Ciuitatibus Meſſana præripiat, cui ſicut maximè ſemper debebatur à Principibus, ita maior etiam honor habitus fuit, iſq́ue vel Senatu dato vſq́ue ad oſtentationem Romani, Mamertiniq́ue nominis, haud ſemel opinor decretus, & confirmatus. Ea ſi ad nos & ad hunc locum ſpectaret probatio, poſſet ſanè, ſub oculis omnium ſubijci, figiq́ue in animis, tum locupletiſſimis argumentis, exploratiſq́ue rationibus, & vetuſtiſſimis hiſtorijs, tum iure ipſo Ciuitatis, quo vndiq́ue non ſecus ac mænibus circumuallata eſt, ſolido, firmo, atq́ue in re ipſa infixo, quo nullo negotio ſicut hactenus fecit, in poſterum etiam ſe tueri poteſt, in vtriuſq́ue poſſeſſionẽ dignitatis. Verùm pro inſtituto coercenda eſt quaſi extra ripas redundans hiſtoria, decurrendúmq́ue per ea duntaxat ſpatia, quæ res ipſa præfiniuit: nec arbitror incuria mea ſuis laudibus fraudandam Ciuitatem, cuius cauſa tot ſemper habuit defenſores ac patronos, quod ſunt eruditorum nulla cupiditate inflammatæ, vel inuidia ſuffuſæ ſententiæ, quibus ſi quid addere conarer vlterius, vereor ne ſtudio litigare viderer de augendis ornamentis, quibus illi retinendis officio duntaxat in arenam laceſſiti, ſolent deſcendere.

Id potius ſemel concludendum, parem Meſſanenſibus vndiq́ue ſtare dignitatem, ſiue Petro Antiochiæ ſedente, miſſiſq́ue inde ab eo diſcipulis, ſiue eiuſdem acceſſu ad Ciuitatem quo tempore Romam iter haberet, anno videlicet Chriſti quadrageſimo quarto vel quinto, vel etiam ſtabilita Sede Romana deſtinatiſq́ue per Orbem prędicatoribus, ſiue deniq́ue Paulo in primo vel ſecundo ſuo aduentu Ciues luſtrante, fidem receperint; & inde ſemper rationem præſto eſſe repetentibus, vnde præter vetuſtatem ſuæ Ciuitatis, lumen præferre cæpit Romani ſplendor nominis, vt more maiorum dignior eſſet Sedes, quæ virtute populi principumque gratia, prius ad meritorum laudem, beneficio Numinis fuit deſignata, non quæ occaſione qualibet haud prætenta, prius Euangelij lucem aſpexiſſet, Atque ita ſi nulla ſuperioris memoriæ queat eſſe ſatis explicata recordatio, ſtabit Bachylum à Paulo Ciuitati datum Antiſtitem, quod tamen infra pendetur magis, & ſicut

Ciuitas

Digitized by Google

Ciuitas ipſa princeps erat, ita principem præ ceteris non tam religione inchoaſſe, quàm dignitate locum tenuiſſe, quem tamen religio recens, quàm priſtinæ dignitatis amplitudo magis illuſtraret.

Et verò ſi ad iaciendum dignioris ſedis fundamentum non præſentia Principis requiritur, ſed auctoritas; alioqui tot ſedes ſint primæ, & Patriarchales, quot præſente Petro fuerunt inſtitutæ Eccleſiæ, quas quidem innumeras fuiſſe, nemo eſt qui inficias ierit; nec verum erit poſt Romanam ſedem Alexandrinæ tribui principatum, in qua aliquando fuiſſe Petrum, nulla quod ſciam explorata ratione poteſt demonſtrari; ſi inquam auctoritate Principis eſt opus, luce pomeridiana clarius eſt, neque ſufficere miſſos ab Apoſtolis, qui prædicando religionis ducerent principia, ſecus non caſtella modo, & pagi Syriæ vel Paleſtinæ regijs emineant Ciuitatibus, nec iam Taurominium Meſſanenſi duntaxat, verùm etiam Romanæ inter multas poſtremæ Eccleſię, Sacerdotij titulis excellat neceſſe eſt.

Ergò fundatas ab Apoſtolis iure ijs locis cenſebimus Eccleſias, non quibus ipſi primùm prædicauerunt, ſed quibus auctoritate ſua præcipuam dignitatem contulerunt, vt fama tantùm noſſe, non etiam propè vidiſſe, vel adijſſe Ciuitates ſufficiat. Sed enim quia eiuſmodi dignitas quemadmodum oſtendimus, ijs præcipuè Vrbibus adhærebat, quibus Imperatorum Maieſtas propius imminebat, quo loco Meſſanenſis ſedes habenda ſit, quamquam nemine alio ante Paulum prędicante Ciuitas ea religione colluxerit, non amplius opinor eſt explicandum. Non hæc aſſero quaſi dixiſſe pæniteat Petrum aliquando Meſſanæ fuiſſe, quod contra probabilior pugnat coniectura, ſed vt fundatam eius auctoritate, ſucceſſorumque Gregorij, Alexandri, quos laudat [b] Piccolus ſententia firmatam, ibi cenſeam conſtitiſſe ſi alibi principem dignitatem. Quo fit vt Pauli ad Romanos ſcribentis dictum, *Sic prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem* nihil prorſus redundet, ſiuè ſolus, ipſe abſque Petro Meſſanæ prædicarit, ſiuè Petro vel aliquo ex miſſis ab illo prius prædicante, altiores ipſe deinde radices eatenus egerit, vt tunc primùm fundata Ciuium animis religio dici poſſet; alioqui ante aduentum Pauli Chriſtum Meſſanenſibus haud nominatum, Pancratio præſertim vt alios taceam Taurominij, & Martiano Syracuſis, addo & Berillo Catanæ agentibus, quem quæſo commodum ſenſum habere queat? Quin etiam alius nemo ante Paulum Antiochiæ prędicarit, ne ipſe ſuper alienum fundamentum dicatur ædificaſſe, falſumque ſit non modò quod Ignatius ad Magneſianos ſcribit, non magis à Petro quàm Paulo fundatam [c] Eccleſiam Antiochenam, ſed etiam quod Lucę teſtificatione, poſt necem Stephani pulſos Hieroſolymis diſcipulos prædicando pręſtitiſſe compertum eſt.

[b] De Antiq. Iur. Sic. Eccl. cap. 11. Cap. 15.

[c] Act. cap. 11.

PAVLVM APOSTOLVM ANTE QVINQVAGESIMVM nonum Chriſti annum Meſſanæ, aut in Sicilia non fuiſſe.

CAPVT TRIGESIMVM QVINTVM.

HVC ſanè multa ſunt, quæ diſputationem prouocant, ſed pręcipuè illa nonnullorum induſtria, quę vt ſuffixos Epiſtolę Virginis characteres, ſanctos affirmet, Paulum quoque longè ante quàm vinctus ad Cæſarem mitteretur Meſſanenſibus adfuiſſe decernit, extra inſtitutum de cetero habens quàm rectè cum vulgata Traditione conueniat, dummodo inueſtigata quauis ſpecie veri vel minima temporis rimula, Paulum Meſſanæ ſiſtat. Et verò ſi anno Chriſti quadrageſimo ſecundo exemptum Orienti Paulus Siciliæ ſe ſe condonauit, ſuam habebunt Epiſtolares notæ firmitatem, vel noſtris, niſi errauimus poſitionibus, ſtabilitam, vel melioribus aliorum calculis examinatam, ac ſaltem à puncto non longè exerrabunt. Idem verò Paulus ſi non Petrum duntaxat, verùm & miſſos ab eodem Antiochia diſcipulos, Sicula vel Romana peregrinatione anteuertit, inanis eſt omnis à nobis paulò ſupra ſuſcepta diſceptatio, verſiſque coniecturis ſuo primatu Meſſana ſtabit, veritate ex ipſo rei ſinu ſecundum vota proludente, ad cuius dignitatem, rationes noſtræ, quę in ea diſputatione meritò primæ cenſeri potuerant, inter ſecundas erunt partes.

[d] Corn. à Lap. in Chron.
[e] Act. 11.
[f] Act. 12.

At enim Paulum anno quadrageſimo Chriſti ſecundo pedem [d] extra Aſiam non extuliſſe, tam indubitatum eſt apud ſapientes, quàm certum eo anno [e] Antiochia Hieroſolymam conceſſiſſe, iterumque poſt non paucos [f] menſes Antiochiam reuertiſſe, quæ omnia eiuſmodi ſunt, vt diei vacationem vix darent, nedum adeo longæ peregrinationi facultatem, niſi rurſum per ſublime deuectum nouo miraculo ſine cauſa veniſſe philoſophemur. Ceterùm exempto hoc anno, ſi reliquos etiam Pauli laboribus circumſcriptos in Oriente offendemus, actum erit de tota controuerſia rataque iterum vel hoc argumento quam ſemel fiximus pro communi Traditione ſententia.

Nec verò hoc loco pro cardine figendum, quo anno facta prouinciarum ſortitio, quo demum effectui mandata diuiſis in Orbem Apoſtolis peregrinatio cæpit eſſe communis, ſiuè enim ſeptimo ab Aſcenſione Chriſti quod Dexter amat, ſiuè vno ſuper decimum quod Baronio ſedet, adeoque quadrageſimo quarto natæ ſalutis anno, mundum obituri mouerint Apoſtoli; ad itinera Pauli parum habet momenti, qui quemadmodum ſerius ad Apoſtolicum ordinem acceſſit, ita præter primum ſortitũ habitus, quo res vocaret vbiq; gentium ſe ſe affudit, id ſolum ſorti ferẽs, quod impellente ſpiritu concepiſſet. Itaque aliundè ducenda pro inſtituto linea, quæ tamen nuſquam praua in punctum incidit, ſi vel ad rudem calculum tempora peregrinationis Pauli reducamus, quippe nullum vnquam homini in omnia intento morarum ſpatium emerſit, quod in Italiam excurrenti vel paucis diebus ſupereſſet, donec Cæſaris appellatione ſacrato capite, voti compos Romam vinctus perduceretur.

[g] Ad Gal. 1.
[h] Actor. 9

Etenim vno vel altero anno ſecundum necem Domini, vocatus à Chiſto Saulus [g] poſt luſtratam prædicando Arabiam, iterum reuerſus Damaſcum, vbi triennio ante prima vocantis voce ſuſcepta mentis oculiſque lumen receperat, rerum Euangelicarum ſategit, factaque aliquot dierum mora [h] Hieroſolymam deinde profectus, per

ctus, per dies quindenos manſit apud Petrum, ſed mox quæſitus ad perniciem deductus eſt Cæſaream Philippi, & inde Tarſum Ciliciæ, cuius aliquando ſe profeſſus eſt ceù non ignotæ Ciuitatis municipem. Hic aliquandiù commoratus venientem excepit Barnabam vnaque profectus [i] Antiochiam, annum ibidem prædicando exegit. Hinc Hieroſolymam ſecundò veniens vt collatitiũ æs ad ſubleuandam ab Agabo famem prædictam deferret, eodem ferè anno vertente iterũ reuerſus eſt [k] Antiochiam, ſed mox iniecto diuinitus ſpiritu miſſus eſt [l] Seleuciam, inde traiecit in Cyprum, aditaque Salamina, ac poſtea peragrata vniuerſa Inſula, Paphum venit Cypri Metropolim, Papho nauigauit Pergen Pamphiliæ, eaque pertranſita conceſſit Atiochiam Piſidiæ, qua poſt labores deſtituta excuſſoque puluere pedum venit Iconium Lycaoniæ, vbi multo [m] tempore demoratus tandem impetu facto Gentilium, & Iudæorum vt lapides effugeret, Lyſtram, & Derben Ciuitates Lycaoniæ petiuit, luſtrataque vniuerſa in circuitu regione, Euangelium eo miraculo firmauit, vnde Mercurij nomen ingeſtum cum ſacrificio repudiauit; quo quidem honore paulò poſt, accuſantibus nonnullis in ignominiam verſo, lapidationem paſſus remeauit in Derben, hinc Lyſtram, Iconium, demum Antiochiam, ac tranſita Piſidia venit Pamphiliam, acceſſaque Perge deſcendit Attaliam, & indè naui perrexit Antiochiam, vbi ad modicum tempus moratus, per Phænicen [n] deinde ac Samariam, tertiò venit Hieroſolymam.

i Actor. 11.
k Actor. 11.
l Actor. 13.
m Actor. 14.
n Actor. 15.

Hieroſolymis peracto de circumciſione Concilio iterum reuertit Antiochiam, extractiſque ibidem aliquot diebus ſeceſſione à Barnaba facta electoque Sila perambulauit Syriam, & Cyliciam, peruenit [o] Derben, & Lyſtram vbi Timotheum circuncidit, eoque ſocio Phrygia Galatiaque regionibus peragratis, recepit ſe in Myſiam, indè Troadem, hinc recto curſu nauigauit Samothraciam, ac ſequenti die Neapolim, ac tandem Philippos in Macedonia, vbi aliquot diebus conſiſtens, nec minori patientia quàm rebus geſtis clarus, cũ perambulaſſet [p] Amphipolim, & Apolloniam, acceſſit Theſſalonicam, vbi habita per tria Sabbata contenta diſceptatione, cùm tumultus per Iudæos fuiſſet concitatùs vix per noctem euaſit Berhoeam, Berhoea verò conceſſit Athenas, Athenis poſt conuerſum Dionyſium venit [q] Corinthum, vbi poſt annum, & ſex menſes cum adhuc ſuſtinuiſſet dies multos, nauigauit tandem verſus Syriam, deuenitque Epheſum, & hinc deſcendit Cæſaream, mox Antiochiam, vbi exacto aliquo tempore, ex ordine viſit Galaticam regionem, & Prygiam, iterumque reuerſus Epheſum, cum biennium [r] in ſchola Tyranni, & tres menſes in Synagoga ibidem diſputando hauſiſſet, profectus eſt in [ſ] Macedoniam, eaque peragrata venit in Græciam, ac tribus menſibus poſitis, cùm inſidijs Iudeorum appeteretur ne ſolueret in Syriam, conſilium fuit reuerti per Macedoniam.

o Actor. 15.
p Actor. 17.
q Actor. 18.
r Actor. 19.
ſ Actor. 20.

Itaque poſt dies Azymorum nauigans, Pgilippis venit Troadem, indè pedeſter tenuit Aſſon, hinc Mitilenen, & ſequenti die contra Chium, & rurſum alia Samum, Samo (quod Græca habent exemplaria) conceſſit Trogillium, & altera die appulit Miletum, Mileto recto curſu acceſſit [t] Coum, Coo Rhodum, indè Pataram Lyciæ Metropolim, conſcenſaque naui relicta ſiniſtrorſum Cypro obtentaque Syria venit Tyrum, tranſactiſque diebus ſeptem, naui deſcendit Ptolemaidam, hinc altera die Cæſaream, ac tandem Cæſarea quartò venit Hieroſolymam, vndè poſt dira à Iudęis tolerata vinctus reductus eſt [u] Cæſaream, tranſactoque in cuſtodia, & fori contentione biennio, denique primùm inſtituit nauigare in [x] Italiam.

t Actor. 21.
u Actor. 23.
x Actor. 27.

Cæterum quòd [y] Paulus alicubi dicat ſe ab Hieruſalem per circuitum vſque ad Illiricum repleſſe Euangelium Chriſti, id aliqui tum accidiſſe putant, cùm inſidijs Iudæ-

y Ad Rom. 15.

Digitized by Google

[z] Act. 20. Iudęorum appetito [z] ne ſolueret in Syriam inceſſit reuerti per Macedoniam. Alij verò [a] cum Troade, nocturna viſione vocatus fuit in macedoniam, quaſi tunc etiam ingreſſus in Europam luſtrauerit Bœotiam, Achaiam, Epirum reliquaſque regiones vſque ad Illyricum. Mihi tamen cùm dubium ſit, an eo temporis ſpatio reſtricto; immenſum adeò potuerit emetiri campum, certò tamen ſedet, diuerſis ſaltem itineribus antequam in Italiam nauigaſſet, totum id curriculi confeciſſe. [a] Bened. Iuſtin. in cap. 15. ad Rom.

Atque hæc Pauli peregrinatio tot, ac tam diuerſis vt aliàs aduerti peracta tramitibus, tametſi non ita ad vnguem delineari queat, vt omnia temporum interualla, quo minus aliquando pro re nata deflexerit Paulus, ſi de diuerticulis reſtrictiorum itinerum ſit ſermo præcludat; longiares tamen ac regias nauigationes, quales ex Syria in Italiam eſſe ſolent, penitus excludit, cùm præſertim cæleſti prouiſu maiorem eſſe oportuit itineris Italici apparatum, quàm vt perfunctorio temporis aucupio carperetur, quaſi animi gratia non Euangelij ſtudio commendatum.

Itaq; trigeſimo ſexto Chriſti anno, conuerſus ad fidei frugem Paulus, eodem anno poſt primitias prædicationis Damaſci depoſitas, in Arabiam conceſſit maiora Euãgelio facturus incrementa, rurſumq; Damaſco receptus, vt præſtantioribus expiaret animi victimis, quã antea mouerat in Chriſtianos perſecutionẽ, ita ſe Iudęis inſectãdis totum deuouit, vt concitatũ in ſe capitis diſcrimen, ſporta per feneſtrã demiſſus effugio redemerit: tandẽ vero facto triennij cum Euangelica prædicatione periculo, Hieroſolymã anno Chriſti nono cũ trigeſimo ad viſendum Petrum acceſſit. Ceterũ etſi triennale iſtud ſpatium Italico itineri laxare potuerit occcaſionem, quando quę interea loca ſeruarint Paulum, in nominum notis ſingulatim haud ſedeant; in Arabiæ tamen primùm Ciuitatibus, ac poſtea Damaſi, quin locatos acceperint ea tempora Pauli labores, dubium eſſe non poteſt, ac ſaltem ita certum eſſe debet, longius inde non extuliſſe pedem, quàm indubitatum, ſi aliter fuiſſet, nomenclaturam à Paulo quæ quæ loca fuiſſe acceptura, quòd id non parum faceret, ad conteſtandam Apoſtolicæ fortitudinis conſtantiam, cùm de more Pauli vbi ad rem Euangelij faciebat, fuiſſe non ſit neſcitum, ſicut ſingula certamina renarrare, ita loca velut Euangelicam palęſtram nominibus deſignare. At enim conſtat, vix verbo ab eodem Paulo circumſcriptos illos itinerum hinc inde flexus, cum dixit [b] *Abij in Arabiam, & iterum reuerſus ſum Damaſcum; deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam:* non intermiſſurus vtique ipſe ſuarum rerum narrator, ſi aliò conceſſiſſet, eò præſertim loci, quod ad Euangelij ſplendorem haud parum ſua nobilitate contuliſſet: ne fortaſſe ſilentium Notarij vel in culpam vocetur, vel alio prætextu excuſetur. [b] Ad Gal. 1.

Iam verò poſt relictam Hieroſolymam, Syriæ partes vnaque Ciliciam obiturus, [c] necdum notus facie Eccleſijs Iudææ, vnius ad minus anni tenuit prouinciam, vt demum quadrageſimum primum Antiochenis condonaret, iterumque reuiſis Hieroſolymis, annum penè ibi verteret, ac demum reſtitutus Antiochiæ reliquum temporis ſolitis Apoſtolico pectori ſtudijs, per vniuerſa locorum, quæ paulò ſupra multis memorauimus impenderet, quoad labente quinquageſimo, & appetente vel etiã currente quinquageſimo primo anno, tertiùm Hieroſolymam poſt annos quatuordecim quod ipſe de ſe fatetur [d] Paulus, ſecundùm reuelationem aſcenderet, peractoque Cõcilio profectus, poſt multas Vrbes luſtratas tandem quinquageſimum ſecundum annum Achenis nauaret, quinquageſimum verò tertium, & amplius Corinthijs, ac demum in Syriam per mare Icarium concederet. [c] Ad Gal. 1. [d] Ad Gal. 2.

Sunt verò qui tertium Pauli Hieroſolymam acceſſum, exeunti anno quinquageſimo tertio, vel etiam quarto currenti aſſignent, ac inde in Galatiam, ac Phrygiam, ac tandem Epheſum perueniſſe ament; id tamen Actorum decimo octauo quem locum

locum pro ſe laudant non ita procliue eſt colligere, ſed duntaxat nauigantem in Syriam deueniſſe Epheſum, & hinc deſcendiſſe Cæſaream, aliiſque ex ordine locis vt vidimus adfuiſſe, donec anno quinquageſimo quo redditus Epheſo, biennium ibi cum tribus menſibus poſuiſſet, vt demum reliquum temporis negotijs illis ac locis quæ agenda luſtrandaque ſuſceperat commodaret, quoad quartò Hieroſolymam concederet, ac tandem adulto plus ſatis quinquageſimo octauo anno, peregrinationem Romanam altiori deſtinatione Cæſarea inchoandam decerneret.

Atqui ex hactenus dictis quàm omnia ne dicam interualla, ſed vel exigua temporum ſpiramenta, Pauli itineribus ac laboribus fuerint obſepta, ne in Italiam ante nauigaret, quàm cælo ratum fuiſſet, abundè liquet, eoque magis, ſi quod nonnullis, mihi certè non ſedet, quinquageſimo quinto vel ſexto Chriſti anno Romam ingreſſum fingamus, cuius tamen teſtes ſententiæ, quatuordecim illos annos, poſt quos Hieroſolymam iterato viſit Paulus, quàm rectè arceſſant à primo acceſſu non à conuerſione Pauli, vt plures deinde peregrinationis annos intra pauciores cogantur arctare, non eſt huius inſtituti pluribus expendere. Nobis qui cum Baronio ceteriſque ad temporum normam propius vt videtur collimantibus, quinquageſimus nonus annus Pauli Romam ingreſſu eſt ſacer, quàm ritè ceteri calculi rerumque ad calculos momenta cadant, ex alibi diſputatis clarum euadit.

Quare quod Chryſoſtomus, aut Hieronymus aut etiam Innocentius (quod alibi vidimus) alijq; Paulum in Siciliam vſque, atque etiam in Illyricum excurriſſe velint, niſi iuxta ſuperius dicta non fines tantùm attigiſſe, verùm penetraſſe conſtituant, non alio prius tempore, quàm ſignato à nobis anno quinquageſimo nono, vel ſexageſimo primo vel ſecundo ratum erit, hærebitque ſuis nexibus nodo Gordio firmior hiſtoria, nec Delphicum aliquando gladium exceptura: Itaque ſi quod de Illyrico dicitur, illam accipias regionem quæ [e] Ptolemæo à Meridie parte Macedoniæ terminatur, non verò quæ ex [f] Ruſi deſcriptione, Valeria, vel ex [g] Sabellico Stiria ſpatio reſtricto cenſetur, quo tempore Macedoniam viſit Paulus, eodem, & Illyridis oras contingere potuiſſe quemadmodum vidimus dubitandum haud videtur: deinde verò poſt vltimum à Iudæa receſſum, laxatis, vſque ad obitum maiori Orbis parti luſtrandæ, multorum annorum curriculis, quin totam Illyridem, Dalmatiam, Boſinam, Stiriam, & omnem eam regionem quæ à Scardo Adriam vſque, & à latere Adriatici limites Iſtriæ, eoſdemque ab occaſu fines Illyrici pertingit, ſolita Paulus mobilitate peragrarit, in dubium verti vix poteſt: vt ita verum ſit Paulum in Illyricum excurriſſe, quamuis non omnes quę Illyrico cenſentur, hodieque Sclauonię ferūt nomenclationem prouincias obiuerit, alioqui & Pannoniam quæ Illyrico, ac Dalmatiæ [h] confinis à Septentrione eſt, extremis ſaltem, vt ſic dicam, lambiuiſſe paſſibus probabile ſit. Certè ſi ſecundum quoſdam Illyricum [i] ea regio eſt, quę inter Italiam Germaniam, Thraciam, Macedoniam, & Epirum, ab altero quidem latere Adriatico ſinu, ab altero Danubio clauditur, Pannoniam magnā ex parte contineat neceſſe eſt, certumque erit ipſam Hieronymi patriam Stridonem in medio Pannoniæ Dalmatiæq; diſcrimine ſitam. florentem illa tempeſtate Vrbem inuiſiſſe Paulum, quod neſcio an Hieronymus tacuiſſet, ne laudatæ alioqui Patriæ clariorem eam famā inuidiſſe putaretur, eoque maximè ſi quod putat [k] Marianus Victorius Stridonem non Illyrico aut Dalmatię, verùm Iſtrię adſcribi oporteat, quę vt ipſe ex Blōdo Foroliuienſi dicit, Plinyo aliorumque veterum teſtimonio, ex ipſius etiam Auguſti deſcriptione limes eſt Italię, quod vt verum ſit, intolerandus tamen error eſt Stridonem Iſtriæ velle adſcribere, cùm præſertim ipſe Marianus paulò antea dixerit, Hieronymum, Illyricum à patrio ſolo ſeparare, & in catalogo Dalmatiam ab eodem, puta Illyrico, diuidere,

ſeque

[e] Ptol.
[f] Ruſus.
[g] Sabell.
[h] Strabo l. 7.
[i] Volater. lib. 8.
[k] In indice in Hieron. V. Illiricum.

Digitized by Google

ſeque fateri Stridone ortum, idque oppidum in confinio Pannoniæ, Dalmatiæque ſitum, quo pacto enim verum ſit Iſtriæ adſcribendum iuxta lineas, & fines Geometricos, quod ab ipſa non minus quinquaginta leucis abeſt, rectè quidem, vt Hieronymus ait, in confinio Pannoniç, ac Dalmatiæ id quod Marianus Victorius obſeruaſſe debebat, nec tutò credere, probo alioqui eius regionis Vrco, Monacho vt ait S. Benedicti Caſſinenſis, cuius eruditioni fortaſſe aliquid obſecundauit affectus patriç, quòd Ciuem optarit eſſe Hieronymum. Teſtibus oculatis melior fides. Vidi ego Stridonem, & verſæ Vrbis antiquas curioſè luſtraui reliquias, quibus hodiè pagus extat; incolis quidem à religione alienis, ſed apud quos memoria Hieronymi vegetior eſt, quàm vt facilè excidere queat, id maximè continuò teſtante lympidi fontis vnda, qui media ſcaturit area, quondam ædibus parentum Hieronymi circumſepta, hodieque morbis ſalutarem præbet vel potum vel lauacrum: diſtat verò Stridon vix quarto à linea Pannoniæ lapide, retinetque priſcam, quæ Hieronymo natiua fuit linguam Illyricam, ſeu Sclauonicam tametſi quod vicinitatis, & commercij fert ratio Pannonicam quoque adſciuerit. Scio Pannones etiam certare de vendicando ſibi Hieronymo, nec adeò temerè, quibus tamen vt potiorem cauſam addicam libentius quàm Iſtrijs, arbiter tamen eſſe nolim, ratus ſtandum eſſe genuinç, quam ipſe de ſe tulit Hieronymus ſententiæ, nec aliud inquirendum, cùm interea Martinus Sabarienſis idemque Turonenſis Gallorum Epiſcopus haud parum gloriæ conciliet Pannonibus, locique vicinitate gratiam exaugeat Hieronymus, quando Sabaria non plus vnius itinere diei dirimitur.

Illud non omittendum, quo multos, erroribus eximam, errare Ioannem Cabilonenſem aliosque Ptolemæi, vt ſic dicam ſignatores, qui Sidronam Stridonam volunt eſſe eandemque Hieronymi Patriam, quæ vt ipſi notant vulgò Sdrinæ vocabulum ferat. Enimuerò Ptolemæi Sidrona latitudinem habet cum ſemiſſe graduum quadraginta trium, longitudinem, quàm quatuor ac quadraginta paulò ampliorem: At Stridon Patria Hieronymi latitudine à peritis cenſetur, quæ quadrageſimum ſeptimum penè attingat, longitudine trigeſimum ſextum vix excedat, idque nobis ſatis exploratum, longeque certius, Sdrinam non Stridonam eſſe, ſed comitum Sdrinenſium, qui hodieque inter potentiores, profectò Sclauonum regulorum primi cenſentur eſſe, vel antiquam poſſeſſionem, vel qui familiæ nomen tribuat, originis locum.

QVIS FVERIT PRIMVS EPISCOPVS MESSANENSIS, & à quo inſtitutus.

CAPVT TRIGESIMVM SEXTVM.

POTERAT hæc diſputatio tutò in Traditione quieſcere vt Bacchyrium, ſiuè is ſit Bacchylius, aut etiam Bacchylus primum Meſſanenſium Antiſtitem crederemus; neque enim ita refert cæterarum Vrbium, ac Sedis Romanæ primos nouiſſe reliquoſque ex ordine Paſtores, & locuples inter alios ſit teſtimonium [1] Baronij, Scriptorum inopia penè obſcurum manſiſſe, qui diuerſis temporibus ad diuerſas inſtituendas Eccleſias à Petro ſint miſſi diſcipuli, & ordinati Epiſcopi. Faciendum nihilominus, vt hanc quoque gloriam, tametſi non admodum neceſſariam, cum

1 Ann. 44.

cum multis Vrbium præſtantium, quibus id ferè ſummæ prærogatiuę eſt, communem habeant Meſſanenſes, habeatq; Traditio quantumuis ex ſe ſolidiſſima, nouas ad inſpiciendam veritatem velut faces præparatas. Qua in re ſi aliorum Scriptorum inopiam mihi meus labor diuitias fecit, ita illis vtar, vt duntaxat meum eſſe velim, quod minus rectè ſit dictum, alijs verò cum vſura feram acceptum, ſi quid commodè fuerim aſſecutus, ſemperq; Traditionem rectè an ſecus dixerim, ſuo pretio ſtare velim.

Ille igitur Bacchylus quem primum Meſſanenſes ſuæ ſedis colunt Antiſtitem, vt alius quiſpiam eſſe poſſit ex Apoſtolorum diſcipulis, ſiuè à Petro Antiochia miſſus cũ ceteris, ſiuè ab eo Romani occaſione itineris Meſſanam; diuertente illi impoſitus, quamquam alia ratione Paulo feratur acceptus: meo iudicio non alius eſt quàm Eleutherius ille, cuius anniuerſarium diem Romanum Martyrologium decimum octauum Aprilis fixit, Meſſanaq; recolit, ignara tamen quem Virum veneretur, niſi quòd eiuſdem auctoritate Martyrologij, Epiſcopum Illyrici, ſuum agnoſcit Martyrem, tametſi nonnulli cum [m] Bonfilio velint ſecundum à Bacchylo fuiſſe Ciuitatis Antiſtitem, nec minus meo quidem iudicio in hac quoq; decrrant aſſertione, quàm quòd ſub Hadriano paſſum ponant anno Chriſti centeſimo quarto, cum Hadrianus Imperare non cæperit, ante vigeſimum à centeſimo vel circiter annum. Sed hic nihil morandum.

[m] *In Meſſana.*

Itaq; Eleutherium Meſſanenſium primum Antiſtitem, eundemq; fuiſſe & Bacchylum, quamquam nominis forma non oſtendit, rei quodammodo natura, ſi non ad demonſtratam veritatem, ad proximam Vero coniecturam admittit. Id Traditioni in primis conſonum, quæ Bacchylum Meſſanenſibus à Paulo datum docet. Verùm Bacchylus quiſpiam vt Pauli diſcipulus dici queat, neq; enim quos ſinguli Apoſtoli ſingulos, aut omnes habuerint diſcipulos, Antiquarij nobis ab initio traſmiſeru nt, Eleutherius certè fuit is, qui quemadmodum Paulus ipſe ad pedes Gamalielis, ita ille ad pedes Pauli credi poſſit eruditus, quando vel eo [n] Magiſtro non ſolum gloriatus ſit coram Hadriano, ſed eiuſdem etiam præceptis inſtitutus ſupplicia tormentorum maxima, ſui ſubmiſit pectoris fortitudini, atq; conſtantiæ cùm dixit. *Mihi vt meus dixit Doctor, Paulus, totus mundus eſt crucifixus & ego mundo, & mori pro Chriſto deliciæ mihi ſunt & exultatio.* Sed & Eleutherij Mater Anthia, ſocia deindè martyrij, quæ Genitrix fuit Martyris, eademque ſub Paulo commilito nati in diſciplina Euangelij, planè id inſtituti ad martyrium virtute maſcula ſubeundum ſuſcepit, quod tanti potuit Magiſtri formare præſtantia.

[n] *Metaph. apud Sur. 18. April.*

Ceterùm cum legis in Metaphraſte, Eleutherium patria fuiſſe Romanum, eundemq; nobilitatis ſplendore illuſtrem, vtpotè cuius Pater Conſulatus honore tertiũ fulſerit; non intelligas amabo de Vrbis Conſulatu, quando ab illis temporibus, quibus Eleutherius naſci ex patre Cõſule potuit, præter Octauianum Auguſtum, Claudium Tiberium, Caium Caligulam, & ſerius tandem, Veſpaſianum Auguſtum, nemo tertiùm Conſul in Vrbe fuit; Verùm quòd nomine Romano cùm tertio fortaſſe Præſes Syriæ, Orientis quoq; totius prouinciam adminiſtrarit, nominibuſq; Conſulum cenſus, aliaq; id genus publica munia ſignarit, latiori vocabuli vſurpatione Conſul præſertim à Græcis ſit appellatus, quod de Quirino quibuſdam videtur æſtimandum, ſi rurſum Quintilio Varo quod placet [o] Ioſepho ſucceſſit in præfectura poſt vndecimum Chriſti Redemptoris annum, tametſi antea quoq; Conſulatum in Vrbe cum laude geſſiſſet, vt non improbabile ſit circa ea tempora non quidem Romæ, ſed in Orientis partibus ex Romano Patre, tam nobili propagine deſcendiſſe nobilius germen Eleutherium, eaque occaſione cum Cilicia redacta eſſet in ordinem, factaque ſub vno Præſide Syriæ Prouincia, vndè facilis eſſet in Pauli iam fama ſuper

[o] *Li. 18. Antiq. c.*

Digitized by Google

æthera noti diſciplinam acceſſus, quem in Syria prædicantem plures iam ſecuti fuiſſent, non doctrinæ modò ſectatores, verùm etiam indefeſſæ comites peregrinationis quos vbi res poſtulabat populis ad Euangelium adductis doctores imponebat.

Itaque noſter Eleutherius Euangelio, cum Paulo Magiſtro ſuo gentiumque ſaluti deuotus, in illo ad Illyrici fines excurſu, quos inſtitueret auctoritate Pauli nactus, hæſit ad tempus, quoad cæleſti prouiſu, vel longè ante cum diſcipulis Petri ad Siculos præmitteretur, vel cum ipſo Paulo ſerius aduenifſet, ob Romanæ gentis notitiam ipſi non minimùm commodaturus, niſi ſortitu diuino res Euangelij, vel in medio curſu quod Meſſanæ factum, poſtulaſſet, vt remaneret; hic itaque manſit, vel ſi primùm adfuit, occaſionem cultus expectauit, ac veniente Paulo, cui fama fauorque viam latiorem muniuerant, maiores appoſuit manus, & exinde Antiſtes, munere fungi cæpit apertius, vt non immeritò iuxta communem gentis Traditionem, à Paulo primùm inſtitutus credi poſſit, quamquam longè antea mitti quoque à Petro potuerit, ne hinc quippiam de primatu Sedis illa rurſum obtrudat calumnia, quæ ſine ratione plerumque ſolet incedere, & à nobis iam alibi depulſa eſt.

Hic verò nè difficultatem faceſſat ex Metaphraſte Eleutherium, materno voto, cùm ad virilem perueniſſet ætatem, Anacleto Romano Pontifici fuiſſe commendatum, à quo demum Illyrici Epiſcopus ſit deſtinatus: rem ad animum vertamus, animumque ad veritatem ex temporum diſcriminibus erutam aſſeramus neceſſe eſt. Enimuerò qui ſcriptis Metaphraſti, quod alibi monuimus, manibus plenis multa poſt ipſum intulerunt, diuerſorum Synonimorum geſta, in vnius appellationem congeſſerunt, vt hoc loco in multis dubitans [p] Baronius, rectè cogitarit duos fuiſſe Eleutherios in vnum conflatos, eorumque ſimul acta confuſa. Quamquam enim Eleutherius hic noſter, Anacleto ſimul eſſet æuo, non tamen ab ipſo ſacras edoctus Literas, Pontificium quoque ſuſcepit Illyrici, ſed Paulo Apoſtolo certius quidem literas, ſi Petro Sacerdotis munus, niſi vtrumque, nihil enim obeſt, Paulo ferat acceptum. Nam qui Anacletum Magiſtrum, ac patrem agnouit Eleutherius, non vtiq; hic Eleutherius eſt Illyridis cis Macedoniam peregrinatione Pauli ſacræ Antiſtes, ſed alius ille quem Illyricum ad Iſtriam primùm, deindè Meſſapia Apulorum agnoſcit Epiſcopum, non Meſſana.

[p] In not. Mar. Ap. 18. in vlt. edit.

At enim ſicut in Eleutherio plures errarunt, & quod vnius Mater Anthia fuerit alterius Euantia, ex hac etiam ſimilitudine perinde vnum & eundem iudicantes, ita quoque in Illyrici nuncupatione, cùm diuerſæ regionis, multumque inter ſe diſtantes intelligendæ eſſent partes, confuſionem induxerunt, ac demum in Ciuitatum appellatione, quibus Antiſtitum cura præfuerit, ita pleriq; etiam doctiſſimi Viri longè à vero præter mentem abluſerunt, vt facilius ſit reliquias Ilij, quàm horum opiniones erigere, quòd vt apud Baronium videre eſt, aliqui Meſſanam in Apulia, Myſenam alij, non pauci Miſſerium, denique nonnulli Miſenum in Campania, cùm libris ſuis immiſiſſent, pleroſq; in errorem miſerunt, & vt nihil dicam de Beda, [q] qui Eleutherium, Epiſcopum voluit eſſe Aquileiæ, fortaſſe dicturus Apuliæ, [r] Nicephorus inter alios non paucas Eleutherij noſtri dum oſtendit notas, in eo tamen offendit, quod à Matre, Aniceto, vel ſi corrigas Anacleto Romano Epiſcopo traditum velit, ab eodemq; ſacras edoctum literas, & ſacro cleri numero inſertum, Illyrico tandem deſtinatum. Ceterum vera ſunt, quæ his verbis idem Nicephorus ſcribit. *Ea ipſa ætate præſtanti virtute iuuenis Eleutherius in Illyrico erat. Romæ is quoque ortus, Matre Anthia, quam magnus ille Paulus ad profeſ-*

[q] In Martyrol. [r] Lib. 3. c. 29.

ſionem

ſionem Chriſtianam perduxiſſe fertur. Reliqua tamen, quæ ſubdit, *Illa vero* (nempè mater Eleutherij) *filium quoq; religionis eius hæredem fecit, & Aniceto Romano Epiſcopo tradidit, &c* hiſtoriam noſtri Eleutherij confuſis geſtis ad alterum traducunt Eleutherium, eundemq; non paulò poſteriorem, ſi verum eſt inſtitutis eductum Aniceti, qui Hadriano Meſſanenſis Eleutherij occiſori longè ſuperſtes fuit; Verùm ſit iſte Anacletus, neq; enim rectius pro re dici poteſt, ſit etiam Eleutherius Anacleto commendatus, ſi hic primùm à Matre fidem, deindè ab Anacleto literas edoctus fuit, Mater verò ex Paulo nomen Chriſti ſuſcepit, non niſi quando Paulus Romam primò, vel etiam poſtremò venit, eam diſcipulam ſortiri potuit, longeq; poſt ipſa fieri Magiſtra nati. At enim Eleutherius Meſſanenſis, illa quam initio narrauimus occaſione, Paulum ipſum ore ſuo loquentem, vidit, audijt, eidem pediſequum ſe dedit, eiuſdem nutu functus Illyrico, comitem deindè longioris itineris addixit, tandem Meſſanæ ſi non primùm eò miſſus à Petro fuit, à Paulo relictus eſt: nec alioqui ita commodè Paulum Doctorem ſuum medijs in tormentis laudaſſet, niſi ęquè de ore, ac doctrina cognouiſſet; quippè Eleutherius alter, ſi in ipſum cadit, quod Nicephorus narrat, decimo quinto ætatis anno diaconi gradum, triennio poſt presbyteri, ac tandem vigeſimo dignitatem Antiſtitis Illyrici ab Anacleto conſecutum, Paulum videre non potuit, nedum audire, vel intelligere. Atq; hæc Nicephori confuſa cum Metaphraſtis; ex quo ille accepit additamentis narratio, non offendiculum veritati eſſe debet, ſed obtritum velut monimentum, ex quo fragmentis hinc inde reſtitutis veſtigium eſſe queat ad antiquam integritatem.

20 Iam quod Baronius in erudito illo ad notas labore, non Meſſanam, ſed Meſſapiam legi velit, Eleutherij nobilitatam Martyrio, ſi quidem de altero ſententiam ferat nos quoq; libenter in partem imus, ſi noſtrum quo de agimus diſcipulum Pauli velit auerſum, refragamur, nec rectè dictum putamus, huius Eleutherij nullam Meſſanæ in Sicilia extare memoriam: Nam ſi [f] Maurolycus, quem ſolum fortaſſe ex Siculis vidit Baronius, Fazelus certè ſæpè ſtudio partium ſecutus multa præteriuit, Miſenum in Campania legit, ex mendis coniecturam fecit, auctoritatem antiquiorem nō habuit, pręſertim ſi nec Romanum Martyrologium, vt quidam putant, ad normam fuiſſet elimatum, cuius tamen non penes recentem duntaxat lituram, quam neq; conſtat adhibitam, ſed penes vetuſtam religionem ſacra debet eſſe fides, vt non alia Ciuitas quàm Meſſana ſedes natalis, id eſt obitus Eleutherij ſtatuatur, nec opus fuit Siciliam addidiſſe, cùm non aliam norit Orbis Meſſanam, vt alteram ab altera nota quadam ſecerneret. Ac quod interdum contingit, vt præſentiſſima obiecta mente in aliud intenta, oculos aciemq; & ſi perſpicacem effugiant, ita Maurolycum patria præteriuit. Ceterum Eleutherium Meſſanenſes non neſciunt. Meminit Bonfilius, & ſecūdum in Antiſtitum ſerie locat, alium nempè opinatus Bacchylum ab Eleutherio. Quin à multis annis Meſſanæ ſacro colitur officio, quæ conſuetudo ſi Maurolyci tempore non tenuit, deſueuit, vt multa. Mihi, neq; ſi ante Maurolycum, vſu caruit, dubium inceſſit, quando interdum obſeruaui in nonnullis Vrbibus, poſt millenos propemodùm annos conſtitiſſe, quibus illæ bonis abundarent, vt interim neſcię diuitiarum, cultus inopia ſordeſcerent, cùm ipſę Vrbes, tum ſāctitates, nec niſi ſerò, ac interdùm fortuitò quàm ſtudio, ſepulchris ipſis, vel dyptitis loquentibus, quid facto decorum eſſet, didicerunt.

[f] *In Martyr. 18. Apri.*

Ceterùm, vt hæc fortaſſe plana ſint, duo quædam videntur hiſtoriam offendere, quorum alterum ab ętate Eleutherij, alterum pugnat à nomine, qui enim adeò prouixerit, vt ſub Hadriano centum & viginti à Chriſti naſcentis annis, in arenam Martyrij deſcenderit, qui ea ſenectute propè ſanguinis expertè ad ferendum adeò graue

t Martyr. Rom.

certamen incaluerit, vt quemadmodum [t] Martyrologium Romanum refert; *lectum ferreum ignitum, craticulam & Sartaginem oleo pice, ac reſina feruentem ſuperans, leonibus quoq; proiectus, ſed ab illis nil læſus nouiſſimè vnà cum matre iugularetur*: ac ſaltem matris ætas, ſi non cruciatibus ob vim diuinitus iniectam, ipſi profectò vitæ, ac tempori tam diuturno videtur impar. Deinde verò illa nominis à Bacchyrio, vel Bacchylio ſiuè Bacchylo tam longè traducta in Eleutherium demutatio, neſcio quid peregrinum in aures animumq; infundit, dum nullo forſitan exemplo, toto cælo ſeiunctas appellationes, vni eidemq; rei coactè velit inſidere.

Nihil moror; certamen Eleutherij in illa ætate non tam corporis viribus, quàm animi vigore eſſe definiendum: quamquam illa tempeſtate, vel centenarij viri, ſatis haberent roboris ad tolerandum, imo etiam ad agendum. Exemplum alibi dedimus, ab Ignatio, nec deſideramus in alijs, qui cum Eleutherio idem ſeculum produxerunt. Certè Dionyſius Ignatio ſuperuixit, vt oſtendit [u] Baronius, vt ideò centeſimum ætatis annum exceſſiſſe eum oportuerit, cùm in arenam Martyrij prouocarit, nec mirum videri debet (inquit ille) tam longam Dionyſio contigiſſe ætatem, cùm diuina quadam diſpenſatione factum ſit, complures ex ijs, qui Apoſtolorum temporibus vixerunt, ad longiſſimam ætatem peruenire, vt quæ oculis aſpexiſſent certa ſcientia teſtarentur. Ac inter alios Symeon Hieroſolymitanus centeſimum præteriuit, Ignatius, quem Traianus circa annum [x] imperij ſui vndecimum extinxit, Chriſtum in carne vidit, Quadratus etiam poſt Publium Dionyſij Athenis ſucceſſorem, eandem temporibus Hadriani rexit Eccleſiam, complures vidit Chriſto in terris degente à morbis & mortuis rediuiuos. Hermas præterea [y] diſcipulus Pauli cuius ipſe ad Romanos meminit, vt nihil dicam de Polycarpo & alijs, ad extrema vſq; tempora Antonini Pij vegetus ſuperuixit: quid mirum ſi Eleutherius diſcipulus & ipſe Pauli, ad Hadrianum qui Antoninum anteceſſit vitam produxit, adeoq; non vt quidam putant anno Chriſti centeſimo quarto, ſed etiam vigeſimo vel circiter depoſuit; erit enim vt centeſimum ac decimum, duntaxat ingreſſus annum ſi ſecula ſpectes haud detrito robore ſupplicium tulerit, non ſecus ac hodie, qui virilem ad labores afferat ætatem, aut ferè conſiſtentem.

u In notis ad 9. Oct.

x An. III.

y Hieron. in Quadrato de ſcrip. Eccleſ.

Quamquam ſi matrem Anthiam eo vſq; prouixiſſe, ac vt minus centeſimo vigeſimo quinto ætatis anno martyrium oppetiuiſſe mireris: nihil rei noſtræ demas, ſi vigorem maſculi animi, non attritum ſenecta feminæ corpus aduertas. Neque tamen ſuſpenſam admirabilitate mentem ſis habiturus, ſi cogites Anthiam longè ante certamine functam, hęredem poſt annos ſanguinis, & coronę habuiſſe aſſeclam Eleutherium, tametſi quod in multis alijs videre eſt, ignoratione temporum & cõfuſione rerum, eundem natalis diem vtriq; Sacrarit Eccleſia, quos iure ſanguinis proximè ſeiunxit natura: niſi etiam vero ſimile ſit anticipatis vtrumq; annis ſanguinis ius Deo reddidiſſe, proindè eodem die, eodemq; lethi genere, victimas Euangelicas extitiſſe, quod dubio procul probent, qui centeſimo & quarto ſalutis anno matrem cum nato, ſupplicio fidei perfunctam velint, neq; tamen Hadriani, ſed vetuſtioris Tyranni ſententiam paſſos. Quos equidem vnde in contentionem vocem non admodum habeo, quando vt certum propè ſit, ſi partes ſequamur Hadriano dominante, commiſſos vita data glorioſæ victoriæ Martyres: dubium tamen ſi rem ſpectemus, vtrum præceptis annis Traiano Imperante decertarint, laureaſq; longè ante præceperint.

Iam quod nominis concernit mutationem, non adeò eſt extra inſtitutum diuerſis nominibus eundem ſignificari hominem, vt magnam concilìet admirationem; ſicut neq; ſi deerratum ſit ad plures, qui non vno vocabulo cenſerentur, vt hinc alius haberetur Bacchylus, alius etiam Eleutherius, [z] alius deniq; Liberalis, qui reipſa vnus profecto

z Petr. in Catal. l. 2. cap. 80.

Digitized by Google

profectò eſſet ac idem: quin & Philippum in manuſcripto ſat vetuſto lego, ridiculè ſi non intelligas,& fortaſſe calumniatoribus ad irriſum, rectè tamen ſi myſterium aduertas. Equidem & Bacchirim,ſeù Barchyrium atq;etiam Bacchurium dum lego non miror,licet Bacchylum libentius feram,ſed latẽtem ſub corticibus vocabulorum inquiro nucleum rerum ſignificatarum,nec fortuitò,ſed conſilio prædictis nominibus, quod nunc accipies,aio fuiſſe nobilitatum Eleutherium.

Et verò mihi quoq; hoc in loco inceſſit, quod olim Hieronymo [a] quærenti quiſnam eſſet Zacharias filius Barachiæ,cùm non vnum legiſſet fuiſſe Zachariam, ac demum conſentientibus inter ſe diuerſis ſignis, eò conceſſit,vt eundem aſſereret eſſe Zachariam, qui & filius diceretur Barachiæ, & verè eſſet filius Sacerdotis Ioiadæ, cauſamq; duntaxat inueſtigaret cur ab Euangeliſta vocaretur filius [b] Barachiæ, non Ioiadæ, ac tandem eam redderet à Myſterio petitam, quòd Hebræo vocabulo Barachiæ,hoc eſt Benedicti Domini,Sacerdotis Ioiadæ iuſtitia monſtraretur,cùm alioqui Euangelium Nazarenorum pro filio Barachiæ,genuina compellatione filium Ioiadæ præſcriberet.

a Lib 4. cõment. in cap. 23. Matth.

b Matth. 23.

Ita prorſus Eleutherius noſter,in quem diuerſæ diuerſorum narrationes conueniunt,dum Bacchyris dicitur de eximia vitæ ſanctitate, quæ iuſtiſſimi fert characterem collaudatur,id quippe regium nomen,regis iuſtitiæ ſeruantiſſimi, ſingulari quadam prærogatiua conceſſum eſt poſteris, qui eius virtutis præcipui cultores eſſent. Eidem verò cum agnomen eſt Barchyrio, commendata patriæ poteſtatis,ac nobilitatis per Iudæam,ac Græciam fama,ex vtriuſq; gentis vocabulis,mixtam fecit appellationem,niſi etiam ſumptis à naturæ indole imaginibus, quemadmodum Bartholomeus dictus eſt filius ſuſpendentis aquas, ita Eleutherius reciſa dialecto filius dominantis, vel ipſe rerum Dominus, quòd caduca præ amore Chriſti contempſiſſet. Quin etiam Bacchurij nomen principis animi celſitatem,niſi magis [c] primitias offerentis,vt qui ſacram Euangelio ſe victimam deuouerat, aptè ſignificat, eo fortaſſe myſterio;quòd primus ipſe cùm eſſet Meſſanenſium Antiſtes, adeoq; religionis princeps,ea nuncupatione velut primitiui, quiq; primùs apud illos religionem ſanguine ſignarat,à ciuibus nomen tulit,græco ſanè vocabulo,quod tunc Meſſanenſibus, vt ceteris Siculis eius linguæ vſus,domi & foro promiſcuus eſſet.

c 2. Eſdr. c. vlt.

Iam Bacchyli nomen,quod poſtmodum in plures concepta venit appellatione, primumq; fortaſſe à noſtro,Corinthiorum [d] vocauit Epiſcopum, Eleutherio paterna quidem contulit dignitas, ſed vulgi affixit inſtitutum, vt qui Patre præſide Syriæ,ac velut Orientis domino prodijſſet, agnomen & ipſe Domini,Gentis Illyricæ more, quaſi cum ſanguine ſuſcepiſſet;Bacilo quippe,vocabulum eſt Illyricum,ſed antiquatum,rerumq; præfectum,ceù Dominũ ſignat, & quidem ab initio principibus Dynaſtis vſurpatũ,ſed quod deinde ad minores etiam licentia quadã,vt nomẽ Ducũ,deerrauit, quò credibile ſit,illos quoq; qui hodie Bailorum,aut Baliuorum titulos ferunt, corruptam à Bacili vocabulo traxiſſe ſignificationem. Maior ſanè in Bacchyli voce affinitas,& quæ in obſcuris eam afferat lucem,vt non vno veſtigio prodat veritatem; niſi etiam aliquid antiquius veniat in mentem,Bacchyli ſcilicet nomen, quo quo tãdem grammatices aut vulgi vſu, diminutiuum eſſe Bacchi, Bacchum verò vetuſta Lydis voce, Dominum appellare,cui ceteros parere neceſſe ſit. Ac norunt eruditi Lydiorum Reges,ac Imperatores Bacchos dici ſolitos, vt alijs Artaxerxes, Darios alijs,alijs Ptolemæos,hodie,qui imperant Cæſares,ac indè Latinis Bacchum liberum dictum,quaſi immunem à iugo & ſeruitute,quiq; liberum in ſubditos imperium exerceret. Vt hinc concinna prorſus aptatione dignitatis, Eleutherium noſtrum, Bacchylum vulgus vocitaret,qui nimirum Patrem habuiſſet toti cum Imperio Oriẽti do-

d Hieron. in Script. Eccl.

ti dominatem, ſed multò magis Liberum ipſum, qui Chriſto ſeruitutem nuncupaſſet, ac planè Liberalem, qui pro Euangelio vitam cum ſanguine deuouiſſet.

Demum qua ratione Philippi vocabulum Eleutherio nomen fecerit, diuinare equidem haud valeo, nec gentilitium magis putauero, quàm accerſitum fortaſſe à munere characterem, niſi iam valeat aptiſſima pro re nata coniectura, quòd quemadmodum Reginæ Candacis Eunuchum, Philippus Apoſtolus à ſe fidem edoctum, inter eundum oblato ſalutis lauacro luſtrauit, ita prorſus Eleutherius miſſum ab Hadriano, qui ipſum adduceret Felicem Ducem, melioris ipſe Dux viæ, conuerſum ad agnitionem veri, in ipſo itinere aquis expiauit. Hæc ſi coniectura cuipiam ſponte inſideat, libenter annuo; ſi minus probetur, non contendo, velle omnium rerum exquiſitas primaſq; aſſignare cauſas, vbi nihil luminis ſuppetit diuini eſt inſtituti, velle citra neceſſitatem inquirere, animi, vt inquit Philoſophus, immoderati.

At enim ſi cetera, quæ in præſentiarum genuinam rei proferunt notitiam, ſuis cohærentia numeris eatenus in Eleutherium conueniant, vt in alium haud vnquam rectè: non video cur noſtra ſuo pretio minimè ſtare queat ſententia, vanumq; ſit vetuſtiorem laudare patronum, vbi cana ſeipſam, ex dicentis, quicunq; is ſit, ore veritas adſtruit, nec vnquam deſerta fuit, quæ nondum inuenta, ſed recens aſſerta in medium venit. Quamquam ſi Bacchylus alius ſit ab Eleutherio, inanis quidem iſta cenſeri poſſit diſputatio, nihil tamen redundat, vel in Traditione vulgò recepta, vel ſi quid aliud ſpectat ad fundandam Meſſanẽſium religionem, primæq; in regno Siculo Sedis iuxta pridem aſſerta dignitatem.

Illud nihilominus ſponte ad rem noſtram accedit, maximis de cauſis feciſſe interdum Apoſtolos, vt mutatis Antiſtitum ſedibus, alios alijs ſublegarent, & perfunctos in vna Ciuitate, alterius præſidio mãciparent, vbi ſcilicet nobilitas, ac frequentia populorum, principatum quoq; ſuperſtitionis ampliorem feciſſet ac fortiorem, ideoque inſtructos longa exercitatione, ac velut Euãgelicos veteranos oportuit eſſe Paſtores, qui in fidei certamen intrepidi prouocarent, & neſcij vinci cum aduerſa poteſtate ſemper meliores prœliarentur. Itaque ſicut Publius relicta Melite conceſſit Athenas in locum Dionyſij ſubrogatus, hic verò commendatis Publio Athenis Gallico regno ſe ſe infudit, ac in Principe Pariſiorum Vrbe Lutetia, non minus animis quàm laboribus auctus, ſedem religioni fixit: ita prorſus, vt innumeros taceam, Eleutherius depoſita Illyrici prouincia, diſpoſitu Apoſtolorum, ad remotiores populos ire, vel venire iuſſus, bonis auibus Meſſanæ conſedit, non pœnitenda credas permutatione, ſiuè locum ſpectes, ſiuè populum, ſiuè fructum; in qua illud præterea conſiderandum venit, Eleutherium Illyrici dictum prius Epiſcopum, tametſi puta in capite prouinciæ Vrbe certam fixiſſet muneri ſedem, ita Meſſanam, quæ princeps Siculi regni ciuitas eſt aſſumptum, rectè Siciliæ vocitatum Antiſtitem, vt indè credi poſſit eruditos olim Summos Pontifices, Meſſanenſes Præſules, Siciliæ dixiſſe, quaſi primates Epiſcopos.

Maneat igitur Eleutherium noſtrum, non Miſeni in Campania, quam recentem vocat opinionem ſine auctoritate Baronius, nec Meſſapiæ in Apulia, quod ipſe probat Baronius, nec Aquileiæ quod cenſet [e] Beda, nec deniq; cuiuſque alterius vbicunq; gentium loci, quod ponunt Vſuardus, & alij, ſed Meſſanæ poſtquam in Illyrico ſediſſet, fuiſſe Antiſtitem, quod Martyrologium firmat Romanum, vetuſtiori ſanè fide, quàm vt recentior elidat opinio; neq; ſolùm, ſed eundem fuiſſe etiam primum atque adeò quem Traditio Bacchylum à Paulo perhibet impoſitum, nec alium eſſe hunc ab illo, niſi hactenus gratis tot opinionum fluctus eluctati ſumus. Octauius Caetanus [f] à Romano Martyrologio non diſcedit, & quamuis inter Bacchylum & Eleutherium

e In Martyr.

f In Idea.

therium vulgi more diſcernit, fatetur tamen Bachylum, qui corruptè Bacchyrus, à Paulo Apoſtolo Meſſanæ impoſitum, dubitat vero, aliosque conſultos cupit, an adnumerandus ſit ijs, quos publica religione Siculæ ciuitates colunt, quod ipſum dubium acriter pectus eius fodit, de alijs quinque viris non minus de re Chriſtiana bene meritis, Chreſto, Capitone, Paſchaſino, Hippolyto, Sophronio Epiſcopis; ſed hoc ipſius curæ, & ſtudio relinquendum; Baronius certè, quem alioqui præeuntem libenter in multis ſequor, ſatis cauſæ cur à Martyrologio Romano, & à ſeipſo diſcederet, an habuerit non video: ſanè ſecundi labores non ſemper meliores primis, (Virtus Patrum vt ille dicebat in primogenitis) id patuit in negata Iacobi ad Hiſpanos ſeu viuentis, ſeu qui vixit, profectione, quam antea multis adſtructam, poſtea conatus eſt deſtruere.

DIVERSITAS NARRATIONIS NON OFFICIT *Epiſtolæ Deiparæ*.

CAPVT TRIGESIMVM SEPTIMVM.

Audiui, & hoc aliquando ab argutis iactari; diſcrimen narrationis falſi arceſſere famam Virginalis Epiſtolæ, id quod in noſtram diſputationem maximè recidat, qui antiquam de fide à Paulo Meſſanam inuecta, facimus antiquiorem, ac ferè Petro vel miſſis ab eo diſcipulis reddimus Traditionem. Illi demum omnes qui Paulum ante quinquageſimum nonum Chriſti annum Siculis adfuiſſe, vel aliundè quàm Rhegyo accerſitum Meſſanam veniſſe perhibent, in noxam dubiæ fidei concedant neceſſe eſt. Quin etiam longè à noſtris ipſa Traditio poſitionibus euariat, vt in media luce caligaſſe videamur, qui extantem in Tabulario Meſſanenſi membranam ſeculo vetuſtiorem, quaſi longè diſſiti non inſpexerimus, ac peregrinas exterorum regnorum ſcrutati bibliothecas ad veritatem inueniendam, & in medio Meſſanæ foro falſum offenderimus. Quid enim? Ratum à nobis alicubi acceptum, ſexto die Maij, vel ſi tardius Iulio menſe Paulum poſtquam Siciliam vidit, Romanis primò viſum: at ſi quæ manuſcriptis antiquioribus fides, & quam Archiuij Meſſanenſis tabella ſignat veritatem probemus (improbare certè, ſi ſimiles nobis ſimus vix poſſumus) Paulum ſexta Maij, melita pedem haud mouiſſe, nedum Romanam Vrbem ingreſſum fuiſſe laudabimus. Miſſas quippè Roma cum viris ad ſe literas à fratribus, quò incenſam Neronis à Iudæis ſæuitiam, in caput venientis deſtinato conuertendam, imò & decretum antequam propius acceſſiſſet periculum, referret, vigeſima die Menſis Maij ſuſcepit, nec multò poſt ſoluta inde naui, ſi ſerius Romam venit, noſtræ profectò narrationi derogauit.

Sed enim vbi coniecturis agitur non illico mens, rationum velut religioni ſacranda, niſi meliora ſint quæ afferuntur, quàm quæ relinquuntur, tenendaque ſingula ceu rationum quædam fulcra, ſi inuicem haud diſſentiant. Id quod in noſtro inſtituto cùm ſine rerum, ac temporum vitio cadat, vtrinque firmamentum, ac robur accipiat neceſſe eſt. Enimuerò ſi à Petro Meſſanenſibus primùm illata fides, à Paulo deinde firmata, ſuſcepit incrementum, ab vtroque ſuam vendicat Meſſana dignitatem; ſi quicquam refert ad rei ſummam, alterum alteri præfuiſſe tempore, neque tamen hærebit Traditio, quæ Paulo fert acceptum primum Antiſtitem; quem ipſe

fixis

Digitized by Google

fixis iam altius religionis radicibus, ita publico muneri dedit inſtructum, vt & religionis auctor haberetur, & Paſtoris. At hæc alibi iam ſatis extrita.

Qui verò de reliquo Pauli in Siciliam aduentum animaduertunt, Meſſanam veniſſe vt non negent, hoc tamen noxij, quòd communem Traditionem fallant, non vertant, vertere certè non conantur veritatem, ſi ſecus quàm ceteri narrent, errant tamen quòd & ipſam ex parte circumſcribant Traditionem, & exploratam in diuerticulis veritatem non offendant. Sed neque ſpeciem veri, quod tamen ſolent, qui diuerſas inquirunt ſemitas rationum, poſſunt obtendere, quando ſepta Paulo ſpiramenta temporum, quibus euadere potuiſſet, omnem antea veniendi in Siciliam tollunt occaſionem. Id à nobis latè iam oſtenſum, nouas hoc loco non requirit contentiones.

Demum Meſſanenſis Tabularij membrana non elidit, ſed inueteratam eiuſmodi monumento firmat religionem, roborat veritatem. Vidimus, & nos illam, oculis animiſq; relegimus, ſed etiam ex aduerſarijs illuſtris Patritij D. Thomæ Marquet hoc tempore ſecundùm Senatoris Meſſanenſis, acceptam diù domi retinuimus, vt ceteris ex eiuſdem inſigni in patriam ſtudio conceſsis, monumentis, hoc quoque vſi ſumus. Itaque collatis rerum, ac temporum momentis aduertimus non eſſe legendum, vigeſima Maij, ſed Martij menſis, eaque ratione tametſi oblitteratis apicibus deformitatem ſcripto ineſſe noluerimus, mendum tamen in margine ſignauimus. Et quamuis ſecundum Bedæ aliorumque ſenſa, ad quos fortaſſe ex hac vetuſtate dimanauit opinio, ratum ſit vigeſima die Maij nondum Melita dimouiſſe Paulum, quò tandem ſerius Quintili menſe Romam attigerit, collatis tamen ad rem rationibus, & accerſitis ad exactam putationem aliorum calculis, quod nos alibi præſtitimus, non niſi Maiorum menſe Paulum Vrbi ſe infudiſſe pro comperto dicemus, vt indè certum ſit, eas à Romanis fratribus exaratas ad venientem literas, Martij menſis indubitatos ferre characteres.

Ac ne quiſpiam exiſtimet, non ita procliuem eſſe in Græcis, vndè Laſcaris eam vertit hiſtoriam, literarum lapſum, vt quemadmodum in Latinis ſimilitudine elementorum, facile pro Martio, Maius obrepat, ſic in Græcis, apices demutati aliam efforment vocem, ab altera toto cælo, ſono, literiſque diſparatam: illud noſſe debet, illatos in antiquaria Macedonum menſes Martium, ac Maium, fractis vt aſſolet breuiatiſque elementis, legenti, cetera quamuis perito, facilem dediſſe occaſionem, vt alterum pro altero conciperet, quæcunque tandem differentia temporis incideret haud magni ratus. Sed illud in re præſenti certius, poſt commixtam Romanis Græcam nationem, in quotidiano ſermone dialectos quoque non paucas, viciſsim factas communes, vt interdum Latini Græcas, Græci Latinas voces ſibi condonarent, loquentes adhiberent, ſeruata duntaxat Latinis grammatica puritate, quæ orationis flori, ac elegantiæ deſeruiret. Id verò maximè Calabris (vt Siculos taceam) apud quos ea ſeruata eſt hiſtoria, vicinitate Romanorum, ac frequentioribus commertijs, vſuueniſſe, nemo eſt, qui cum ratione dubitare queat, vt iam ipſi non ad Atticorum vel Macedonum limam, ſed ad Romanorum vſus, menſes Latinos Grecis [g] terminis adſcriptos, in libris, ac tabellis exſignarent, adeoque in ea texenda Traditione, Martium cum Maio præter mentem permutarent.

[g] μάιος μάρτιος

Iuuat autem hoc loco breuibus argumentum eius ſcripti edere, ne quippiam præteritum ſit, quod lectoris animum morari queat, vel noſtrum in neceſſarijs inſtitutis mutilum opus redarguat. Narrat, Senatoribus Vrbis Meſſanenſis, præſentatum, decimo tertio Septembris, anno Milleſimo quadringenteſimo, nonageſimo, Indictione [h] octaua (legendam puto quartam, ſi putetur à ſecundo Cæſaris anno vel

[h] viij. pro iv.

tertiam

ex Monaſterio Sanctæ Mariæ Trapoſtmatum, propter oppidum Diuæ Agathæ Calabrorum, Diœceſis Rhegynæ, in quo inter alias homilias,& Sanctorum Martyrum hiſtorias, ſed præcipuè Principum Apoſtolorum agones, ſermone vigeſimo quarto, referuntur, quæ poſtea Conſtantinus Laſcaris Latinè dedit.

Nempè mouentem Melita, & Gaudiſio Paulum, quò Romæ tempori adeſſet, monitum à Chriſtianis Romæ degentibus, per deſtinatos viros ac literas, (quippe Melitæ naufragio afflictum iam fama acceperant, magnoque deſiderio, quorum pectoribus Euangelium inſederat, expectabant) à Iudæis apud Neronem crimen ſibi, ac necem parari quæ venientem deterreant, acceſſu in Italiam arceant, crimini verti, concitatos vbique in Iudæa, Samaria, ac tota Palæſtina tumultus, vexatos vbique Iudæos: Satis iam Romæ eſſe moleſtiarum à Petro, non eſſe admittendum Paulum omnes eniti, Simonem Magum admoliri, Cæſarem muneribus flexum conniuere, iuſſa dare. Viſis literis Paulum abundanti gaudio perfuſum nauigaſſe, duobus illis, qui Roma venerant in Societatem adſcitis, Syracuſas primùm, deindè Rhegyum appuliſſe, indè Meſſanam acceſſiſſe, Barchirium Epiſcopum reliquiſſe, Meſſana digreſſum Tendulæ (Pendulam legendam puto) pernoctaſſe, altera die Puteolos conceſſiſſe. Atq; hæc eius ſumma narrationis, quæ huc ſpectat, cetera nam hiſtoria congreſſum Pauli cum Simone Mago, variaſq; in Vrbe memorat functiones, ac labores.

Ceterùm exiſtimo literas illas Paulo redditas; vel cum in procinctu eſſet nauis vt Melita poſt hyberna ſolueret, vel certè Syracuſis, poſtquam indè receſſiſſet, quem ſenſum explicatè magis prodit ipſa Laſcaris verſio, quam vt ſecus æquè commodum intelligatur. An verò permotus à Iudæis Nero, peculiare quippiam in Paulum ſanciuerit, incertum eſt, vero tamen ſimilius, abſtinuiſſe, quod pridem intelligere potuit, appellatione ipſum impetraſſe, vt coram ſiſteretur, eamque ob cauſam vinctus veniret, capitiſque diſcrimen ſecum ipſe ſponte deferret; quamquam fortaſſe iam ante nomen Chriſtianum in odium vocatum, pleroſque ſi non capitali ſtrage, quibuſdam perſecutionum vexaret initijs. Sed neque hoc ratum apud omnes, quibus ſedet Neronem primo quinquennio, ſi non natura; rerum occaſione pacatum habuiſſe ingenium, nec niſi ſerius efferbuiſſe in Chriſtianos, inſtigatum credas narrationibus inuerſis, vt tandem abolendi à ſe rumoris nactus occaſionem, famam incendij, quo tota Roma ſtultitia ipſius conflagrauerat, in Chriſtianos verteret, nec perinde in crimine incendij, quam odio conuictos, ad nouiſſima exempla condemnabat, vt ferarum tergis contecti, vel laniatu canum niterirent, vel crucibus, affixi aut flammandi, vbi dies defeciſſet in vſum nocturni luminis vrerentur.

At Paulo mitiorem fuiſſe illis initijs Neronem Acta [1] ipſa produnt, permiſſum quippè illi *manere ſibimet cum cuſtodiente ſibi milite*. Feciſſe nihilòminus Iudæos apud Neronem, quò ſi poſſent, perniciem Viro propinarent, quemadmodum noſtra narrat hiſtoria, dubio vacat, fidemque non obſcurè eadem acta ſufficiunt, dicentibus Iudæis, quos poſt tertium diem Romæ conuocauerat Paulus, vt rationem aduentus ſui redderet, infenſoſque animos quemadmodum ex literis fratrum acceperat, non diſputationibus aſperaret, ſed mitioris ſermonis, & ad reddendam cauſam compoſiti ſuauitate deliniret, hac ſcilicet induſtria, & accuſationi apud Neronem viam obſepturus, & ad inſinuandam quam auersè ferebant veritatem aditum in pectora patefacturus; illis inquam callidè obuertentibus. *Nos neque literas accepimus de te à Iudæa, neque adueniens aliquis fratrum nunciauit, aut locutus eſt quid de te malum. Rogamus autem audire à te quæ ſentis, nam de ſecta*

[1] Act. 28.

Digitized by Google

hac notum eſt nobis, quia vbique ei contradicitur: manifeſtum euadit quò vetuſta tetendit ſimulandi verſutia, qua & accuſationis ſuſpicionem à ſe dimouerent, ac vnà, ſi quid pro ſecta quam controuerſam dicebant, Paulus diſputaſſet, irretitum in caſſes, haberent vnde accuſarent; quam calliditatem ex obfirmato aduerſus veritatem pectore cum deprehendiſſet Paulus, poſthabitis humanis periculis, ea vehementi perſtrinxit oratione, quam cetera Lucæ perſequitur hiſtoria, quamquam non calliditatem, ſed obſtinationem aduerſum Euangelij ſanctitatem ducat in argumentum.

Iam quòd hiſtoria noſtra narrat Paulum Meſſana digreſſum, Pendulæ, ſeù Pendilæ pernoctaſſe, ac ſecunda die Puteolos conceſſiſſe, non intelligas velim medio inter Meſſanam, ac Puteolos loco conſtitiſſe, ne lapidem obijcias Canonicæ narrationi, vel etiam Pendilam, quod in crepidine continentis obuerſa Lybiæ, non paucis Rhegyo ſtadijs oppidum abeſt, conceſſiſſe. Sed Pendula, vulgò Pendimeli ſinus eſt in proſpectu Meſſanæ, paulò infra Rhegyum, quò plerumque naues procinctæ, breues trahunt moras, extemploque ſi opus ſit, vado mouent. Itaq; ibi opperiente naui, cùm inclinante iam die Meſſana relicta traieciſſet Paulus, rectè dicitur pernoctaſſe, quamquam fortaſſe poſt conticinium flante Auſtro vela fecerit, ac ſecunda die iuxta ea, quæ alibi multis diſputauimus, Puteolos tenuerit, vbi cùm ſeptem dies peracta iam nauigatione cum fratribus extraxiſſet, pergenti Romam occurrerunt fratres Romani, vſque ad Apij forum, ac Tres tabernas; illis puta, qui literis antea ſcriptis de ſtatu rerum Iudæorumque accuſatione perſcripſiſſent, quaſi ingenti cum voluptate accepturi, quem votis omnibus expectaſſent, ac de cetero endituri, quæ facies Romæ eſſet, vt non minus certa quàm explicata noſtra Traditio, cum Canonica narratione ad numerum incedat veritatis, ductiſque ad rationem coniecturis robur addat.

Ac mihi quidem ſi cetera fidem non facerent, vel ſolùm indubiam redderet Archiuij Meſſanenſis narrationem: è genio ac odio fuiſſe Iudæorum, velis, & remis quà poſſent Euangelij curſum præuertere, literis etiam alibi gentium, quò deſtinatò conceſſuros odorati fuiſſent Apoſtolos, eorumque diſcipulos, præmonere ſectarios, in partem illos minimè admitterent, inſtanter hortari, vt vitarent, depellerent. Narrat inter alia [a] Iulianus Archipresbyter S. Iuſtæ, Hieroſolymitanos Iudæos de genere Sacerdotali Annam ſcilicet, Caipham, Ioſephum & alios, cum accepiſſent Iacobum Zebedæi filium, Apoſtolum Chriſti ad Hiſpanos iter adornaturum, ſcripſiſſe ad Hiſpanos, cauerent ſibi à diſcipulis Chriſti illuc venturis, nullo modo eos admitterent, ac tanquam illuſores, ac nebulones ſuis Vrbibus arcerent; illos nihilominus miſiſſe Euphraſium, ac Indaletium, qui literis datis Iacobum à Petro ceteriſque Apoſtolis impetrarent. Hæc ferè Iulianus, quam etiam Epiſtolam cum alijs quibuſdam ex Arabico, & Hebræo, iuſſu Alphonſi tradit ſe Hiſpanè conuertiſſe, noſtræque rei non parum firmamenti facit, vt iam certius ſit, plura magiſque acerba molitos apud Neronem, & qui infenſum haberet nomen Chriſtianum, Iudæos, ſi tantum conati ſunt, apud quos religio CHRISTI gratiam inueniſſet. Plura quæ hic dici poſſent ſuis locis venient ad manus, noſtræque rei robur addent, vt inde ex collatis maiorum Traditionibus, recentiorum quoque narrationes ad lineam accedant, alioqui longè exerrantes. Id enim ſemper ad animum ducendum, vt poſteriora à prioribus non contra, ducant auctoritatem.

[a] Ad an. 36.

Sed

Sed enim vt ad principia reflectamus, ſi veritati periculum creetur ex diuerſitate narrantium, actum erit de multis, quæ Traditiones apud animos hominum firma, ac religione maiora fecerunt. Ac vt inde incipiam quod totius Orbis religione Sanctum habetur: Hiſtoriam inuentionis Sanctæ Crucis narrant [l] Euſebius [m] Ambroſius, [n] Paulinus, [o] Sulpitius [p] Ruffinus [q] Theodoretus, [r] Socrates, [ſ] Sozomenus [t] Nicephorus, tanta vero inter ſe diuerſitate, tam implexa in multis narratione, vt ne à Decemuiris quidem fatalium librorum videri queant poſſe eruderari. Quin etiam [u] Gelaſius eandem hiſtoriam, niſi fortaſſe de alia inuentione loquatur, dubiam eſſe ſinit ac incertam, & ne per omnia defluam, ſi verum eſt, quod in Damaſi [x] Pontificali traditum non vnum habet laudatorem, [y] tempore Euſebij Papæ, Crucem Dominicam, quinto Nonas Maij inuentam eſſe, Baptizatum quoq; Iudam, poſt, Quiriacum vocatum, Crucis inuentorem: qui fieri poteſt ab Helena fuiſſe inuentam, quod communis loquitur Traditio, cùm Helena, ſedente Euſebio extorris adhuc à fide Christum non ferebat, nec niſi tempore Syluestri, (ſi Euſebio [z] credimus) poſt Constantinum filium ſacro fonte luſtrata eſt? Quin etiam Euſebius [a] ceteris antiquior, illorumq; temporum cenſor, ac Scriptor, vbi Helenæ peregrinationem & res Hieroſolymis geſtas haud paucis perſcribit, de inuentione Crucis, adeò mutus eſt, vt ex tā alto ſilentio non paucis ſuſpicionem ingeſſerit, aliorum in Chronico ſuo narrationem inceſſiſſe, non ipſum ex mente ſua Crucis hiſtoriam intuliſſe, vt iam conſilio Nouatorum, qui argumentis à negatione ductis plurimum nituntur, in ipſis viſceribus Hiſtoriæ ſedere falſum deprehendatur. Quia ſcilicet Euſebius hoc non narrat.

Verùm hæc & id genus alia, tametſi magnam vim habeant ad animos in tranſuerſum agendos, facile tamen religionem eximunt, ſi vel moderatis rationibus, vel coniectura ſapientum ponderentur. Nam quòd Scriptores nonnihil in hiſtoria narranda diſſentiant, auget fortaſſe narrationem, fidem nec demit, nec reſtringit. Parum quippe eſt Ambroſium alioſq; circa modum inuentionis in errorem immiſſos, qui loco ac tempore longè diſſiti relata duntaxat ſuis hiſtorijs intulerunt, non rem ipſam ſuis oculis vſurparunt, quæ ſi ſemel more quod dicitur humano certitudine fixa eſt, nihil de cetero formidet qui credat. Sed etiam illud vitium, quod in viſcera inſediſſe quis putet, ceu frigidum quoddam poculentum, hac ſolum vt ita dicam herba dialectica pellitur, friuolum eſſe argumentum à negatione ductum, idq; innumeris experientijs quas ſuo loco cenſuimus, plus ſatis eſſe manifeſtum. Potuit vero Euſebius, inuentionem Crucis prætérire, quod tunc vt ait [b] Suarius non Helenæ vitam nec omnia geſta eiuſdem enarraret, ſed quædam quę de ædificatione Templorum dicenda occurrere, ſcilicet occaſione Templi à Conſtantino extructi, quod vel ipſo indicante Euſebio ſatis liquet.

Porrò Gelaſiū, mvero ſimile eſt, aliam memorare Crucis inuentionem, quæ pro tempore nouella fortaſſe, nec ſatis probata reuelatione vulgaretur: quando quæ Helenæ diuinitus permotæ ſorte celebris eſt, centenis & amplius annis ſuperior, iamq; religione in animis Chriſtianorum fixa, nouella, quo vocabulo notat Gelaſius, ſi ſapientibus credimus dici non poterat, ſed etiamſi inuentionem Helenę ſpectabat Gelaſius, non in rem ipſam, ſcriptaq; Patrum antiquorum torſit dictum, ſed in recentiores narrationes, quæ nouis circumſcriptæ lenocinijs, quò magis auidi legentium raperentur animi, penè in apocryphorum commenta & fabulas declinabant: prætérquam Gelaſius non tam vt aduertit Suarius, Hiſtoriam negat eſſe veram, quàm monet prudenter eſſe legendum, quò pretioſum à vili, certum ab incerto diſcernatur.

Demum textus ille Damaſo adſcriptus, vno errore pugnantes cōtinet rerum temporumq; notas, quippe cùm ex monumentis erutus [c] Euſebij Papæ, illum Canonis

[l] in Chron. ad an. 328
[m] in orat. de obit. Theod.
[n] Epiſt. 11 ad Sen. Sulp.
[o] Lib. 2. Hiſt.
[p] Lib. 10 Hiſt. c. 7. 8
[q] Lib. 1. c. 18.
[r] Lib. 1. c. 13.
[ſ] Lib. 2. c. 1. 17. lib. 2. Trip. c. 18.
[t] Lib. 8. c. 29.
[u] diſt. 15. Sacroſancta.
[x] Tom. 1. Concil.
[y] Durād. in Rational. l. 7. c. 11
[z] Lib. 3. de Vita Conſtan.
[a] Lib. 3. de Vita Conſtant.
[b] Tom. 1. de Relig. lib. 2. c. 9.
[c] in Epiſt. 1.

auctorem haud prætereat, nomineto; neceſſe eſt. At enim Euſebius non ante Sylueſtrum modo, quo ſedente Crux Sancta in lucem rediit, verùm etiam ante Melchiadem, ſiuè is ſit Miltiades, Eccleſiæ moderatus, conditor eius eſſe Canonis haud potuit, vt hoc propter, implicatum Hiſtoriæ totius argumentum pleroſq; in ſalebras impellat, niſi fors ambagum diuerticula, præter mentem in viam ducant militarem. Equidem vt plurima circumeam, Euſebij dictum, ſi ipſe dixit, ſanctionem eſſe non putarim, eamq; ob cauſam, vel auctoris ignoratione refixum, ex Eccleſiæ quoq; faſti euellẽdum, ac rectè cenſuiſſe, qui marginem, (Surius [d] fuiſſe putatur) huiuſmodi not ſignauit. *Hoc quidem eſt contra ſenſum omnium Hiſtoricorum, aliundè igitur huc loco aſſimilatum eſt.* Qui nihilominus Euſebio conſtanter adſcribere velit, conſectariò dixerit Helenam antè Conſtantinum Chriſto imbutam, potuiſſe illo iam rerum poſito, nedum Chriſtiano, Hieroſolymam Euſebij temporibus adire, Crucem inquirere, inuenire. Id ſi non probet Euſebius Hiſtoricus, fidem ſufficit [e] Paulinus quatenus *Conſtantinum, Principem eſſe Principibus Chriſtianis, non magis ſua quàm matris Helenæ fide meruiſſe* conteſtatur. Hoc ſi ſemel ponatur, diſceptationi fortaſſe locum non relinqui non nemo putauerit, vnaq; ſtatuendum inuentionem eam in Euſebij tempora, quæ quartum, quintum, & ſextum Conſtantini viderunt annos, incidiſſe.

[d] *Tom. 1. Concil. in 9. Euſeb. Epiſt.*

[e] *Epiſt. 11. de Conſtantino.*

Verùm & hoc dato nihil in hac Hiſtoria ſolidi offenderimus, qui enim ſtabit per manus ducta, ſcriptiſq; multorum firmata Traditio, poſt reportatam Conſtantini ex Maxentio victoriam, Crucem illam ſolo effoſſam emerſiſſe, quo tempore nihil amplius commune fuiſſe cum mortalibus Euſebio, pluribus deducit Baronius, aliiq́ue Scriptores poſt Nicænum Concilium, Crucis inuentionem Sylueſtro ſedente perhibentes, vt conſtanter tenendum ſit, Canonem illum, nec Canonem eſſe, nec Euſebij ſanctionem, quem ſi Gratianus minus in hac re diligens penſiculator decretis intulit, robur illi auctoritate ſua non contulit, quando quæ vim antea legis non habuerũt, ex eo quòd in Gratiani decretis locum merita ſint, vim non ſuſceperunt. An verò Canon ille Sylueſtrum habuerit legiſlatorem, vt ſolum in nominis titulo res deerrarit, ſi ſuſpicari licet, affirmare tamen, vt auctor ſim, non libet.

Nolim putes amplificandi operis gratia me congerere, quæ ſpeciem faciant argumenti. Enimuerò myriadas rationum, quæ ex hoc loco Traditionem inceſſunt Epiſtolę Deiparę, quaſi commentum ſit, quod, non duntaxat multis literarum & apicum, imo & rerum vt videtur mendis laborat, verùm etiam narrationum figmentis, Odyſſeam putes & Iliadem, ſi colorem oſtendit, narrantium profectò inconſtantia vacillat, vt quiſq; non pro comperta veritate, ſed pro fingendi ex affectu libidine dixiſſe videatur; myriadas inquam rationum, petitis ex tàm illuſtri loco exemplis, ſimilitudine ſententiarum, conuellimus, in angulos compellimus, reuincimus.

En verò in re tàm celebri, ac totius Orbis ſanctitati proficua, quàm multa dubijs verſantur narrationibus, nec temporum magis quàm rerum perplexitate miſcentur omnia, vt non ſecurè credatur Hiſtorijs, ſi antiquiorum ſcripta ad recentiorum coniecturas, ac rationes expendantur. Et tamen fieri non poterit, quin per conſequentes ætates, inuentæ Crucis religio, Chriſtianis maneat decreto fixa perpetuo, & ab omni obliuione, dum memoria mortalium vigebit, immunis, tametſi quotidianus Scripturientium labor an error; alias atq; alias in dies faceſſat difficultates. Et niſi feſta eiuſce rei ſolemnitas à tempore [f] Sylueſtri ſtatim in Eccleſiam fuiſſet ingreſſa, hodieq; gliſcentibus etſi in vtramq; partem opinionibus, & aduerſis erroribus, momentum præſtaret ad inducendam religionem, ſola fides humana & certitudo quædam (vt dici ſolet) moralis, vel hoc ſolùm ab omni pernicioſi erroris periculo ſeiuncta,

[f] *Plauti. Dext. ad an. 424. Suar. loc. cit.*

ĉta,quod illis initijs non fictam eſſe oportuit inuentionis famam, ſed humana fide,& publica quadam,euidentiq; teſtificatione comprobatam.

Quorſum hæc omnia,niſi vt eijciatur omnis illa ratio nugatoria, quæ in diuerſitate narrationis diſcrimen arguit eſſe veritatis, niſi eadem cauſa ſanctiſſimæ religiones etiam antiquari, aut penitus noua ſanctione cenſeantur abrogandæ. Meſſanam à Paulo conuerſam Traditione accepimus,nihil obſtare,quo minus Petrus antea Meſſanæ prædicauerit, coniecturis non repudiandis oſtendimus: quid hîc adeò inuolutum & obſcurum, vt nullum appareat veſtigium,quo ad caput veritatis iri poſſit? Nō ſibi hæc duo contra pugnant, vt altero ſtante alterum cadat, vtrumq; firmum, ac ratum eſſe poteſt,alterumq; ab altero explicatum.

Nollem iterum hùc relapſam diſceptationem,vt de erroribus in Epiſtolam Virginis iniectis, in præſcriptos cancellos iterum incurreret. Sed quia quoties eius rei meminerimus,toties lucem quandam dictis noſtris affundimus, & angulos quibus ſe rationes aduerſæ continent detegimus, non eſt adeò reſtringenda, quominus vel ad dicta recurrere, vel interdum ea etiam, quæ alibi fuſius dici poſſent, quaſi per ſaltus contingere poſſit, oratio.

Itaq; huius Epiſtolæ Hiſtoriam, ſi rem ipſam attendas vix alio atq; alio modo narrari in tanta Scriptorum copia reperias: id ſi ſaltem ſuſpicionem veri prodat, habet vnde fidei cogitationem ingerat,falſum repudiet Hiſtoria. In verbis nonnulla eſt diuerſitas fateor, ſed pauciſſima in paucis: palmare vitium intulere temporum nota cum exaggerata nominis ſubſcriptione: at ſemel errorem illapſum, nemo non æqui iudicij homo,cùm primùm legerit,obſeruet; nec tamen ideò rem Epiſtolæ fabulam dixerit. Quin eadem in omnibus exemplaribus nullo apice euarians clauſula,ſimplicem abſque commento prodit errorem, eamq; ob cauſam aliquid ſubeſſe veritatis citra fucum oſtendit: quis enim credat commēto deeſſe ingenium,vt qui de compoſito comminiſci velit,non propè collimet ad metas annorum; hic, ſi longius aberratum eſt,incuria fecit,non ſcelus admiſit. Non hic auctorum de reipſa diſceptatio, non cautiones aduerſæ Pontificum, non impingentia tempora dubias nectunt, tolluntque ſententias, quin Eccleſiæ tacitus quidam ſenſus robur & neruum addit, vbi rem religioni permiſſam,ſicut de Inuentione Crucis, valere mauult, quàm ambiguas hiſtoricorum in confuſis temporibus opiniones.

Et verò plus eſt in Inuentione Crucis, eius temporis vel citimos dubitaſſe auctores,quàm poſt multa ſecula in mentione huius Epiſtolæ leuiter deerraſſe Scriptores. Plus,corrupta eſſe Pontificum decreta longè ſanctiora, & quæ toti Orbi commendata, caſum declinare poterant, quàm mendum irrepſiſſe in Epiſtolam Virginis,vnius tantum Ciuitatis diligentia ſeruatam, quæ in tot viciſſitudinibus aleam effugere qui poterat? Vix ab Inuentione Crucis ad tempora Gelaſij ſeculum effluxerat, & iam multis incuria celebratam Orbis religione Hiſtoriam commētitijs obtexerat, vt neceſſe eſſet legem rogare, quæ fabulas abrogaret: & piaculum grande erit Epiſtolæ per tot ſecula traductæ,nonnihil dubij inceſſiſſe? vel etiam poſt Conſtantini Laſcaris æuum,non prorſus temerariam clauſulam adhæſiſſe? vt ideò de veritate conclamatum ſit,& per tot ætates explorata fides,religioque Ciuium in momento fecerit detrimentum. In Hiſtoria Crucis prudentum coniecturæ, tempora ſecum inuicem,Scriptorumque cum temporibus ſententias,quo quo modo conciliant;& non valebunt in re noſtra tot non modo coniecturæ,verùm etiam appoſitæ rationes, quæ ſolæ,ſi hiſtoriç deeſsēt cum Traditione per manus ducta,Ciuiumque pietate pro veritate vocem mitterent. Quin, ſi humana fides cum atteſtatione publica ſatis fuit ad inducendam in Eccleſia, Crucis inuentæ ſolemnem memoriam,nihil etiam deſuit

Meſſa-

Meſſanenſibus ad ſtatam ab initio firmandam quotannis feſto cultu religionem, quãdo euidentem fuiſſe rei teſtificationem, ſola ſi cetera deſint Flauij commendat auctoritas. Quamquam ſicut olim preſſa à Sarracenis Sicilia, & præſertim Meſſanenſi Republica multis periculis conflictata, non modo ſepulturæ locus qui Martyrum Placidi, ſociorumq; corpora condiderat, verùm etiam feſta vertentibus annis Diuorum memoria ex animis Ciuium exciderat; ſuperiori demum ſeculo repertis, dum Diui Ioannis Hieroſolymitanorum Templo fierent operæ, ſacris exuuijs, reſtituta: Sic prorſus quæ tempeſtate Flauij celebris erat, poſt ſecula deuoluto rerum ſtatu, ipſa quoq; ceſſit ab aris, non à memoria Ciuium religio, quæ tandem florente magis ac magis, ſub Catholica Philipporum pietate Meſſanenſi Republica, ne quid votis deeſſet, iterum eſt reſtaurata.

Ac vt mittam infinitas propemodum Hiſtorias, quarum non modo diuerſæ, ſed planè contrariæ narrationes, nunquam apud ſenſatos rerum geſtarum fidem eleuauerunt; cuiuſmodi quæſo eſt illud de tempore baptizati Conſtantini? in quo diuerſa opinantium errores, nuſquam ita redarguit [g] Baronius, quin poſt Hadriani teſtationem, ad acta etiam Sylueſtri prouocet, tametſi & hæc euarient in varijs Codicibus, & quæ typis excuſa feruntur per manus, in non paucis lituram optent.

[g] Tom. 3. ad an. 324.

Cuiuſmodi etiam eſt illa de Septem dormientibus tot libris ingeſta Traditio, quos non pauci, quiete ſopitos duntaxat, ad annos prope ducentos, ſomnum protraxiſſe narrant; alij martyrio coronatos, vita quoq; functos pugnantibus inter ſe rationibus contendunt, vt non immerito [h] Baronius decernere non auſit, tametſi in hanc alteram ſententiam, nulla niſi fallor & ipſe auctoritate fretus propendeat, quando nemo in tanto numero temporum illorum Scriptor inuentus ſit, qui rem adeo præſignem poſteritati commendaret; & potuiſſet latere Proſpero vel Marcellino ſi non alijs, qui res illa tempeſtate geſtas per annos ſingulos accurata nauitate digeſſerunt. Quin verò, qui id miraculi patratum volunt, ad Hæreſin, quæ illis fortaſſe temporibus, reuictura hominum corpora negabat, reuincendam, in nouas difficultates ſe ſe induant oportet, quando ſedente ad clauum Orbis Theodoſio iuniore, quo tempore Septem illi dormientes è ſpecu prodierunt, nulla eius Hæreſis fama diſſipata, inceſſit Eccleſiam, qui enim Concilium Epheſinum, illo ipſo viuente Theodoſio, vel paulo poſt Chalcedonenſe celebratum, ſine nota miſiſſet malum, quod prima omnium Patrum ſententia vertere debuiſſet?

[h] In Notis Martyr. Iulij 27.

Quale deniq; eſt illud de Iacobi in Hiſpanias acceſſu toto orbe diuulgatum, quod nec Rudericus Toletanus facere potuit, quin fama perceleberrima vbiq; diſſiparetur, quantumuis contra in plena Synodo Lateranenſi, non minus vehementer quàm acriter peroraret, nec non Antiſtitem Compoſtellanum, duplici de cauſa ius parendi Archiepiſcopo Toletano detrectantem, & quod Compoſtellæ quieſceret Iacobus, & quod viuens in Hiſpanijs Euangelium prædicaſſet, adeo libera oratione exerceret, verſaret, atq; iactaret, vt quid ille pro ſe in medium afferret haberet nihil, tametſi egregiè vt ipſe putabat à firmamento & robore rationum inſtructus, in tam amplo & Sacro Senatu compareret, præſertim cùm non ſine rubore Rudericum dicentem audiret, ſe de eiuſmodi Apoſtoli prædicatione in Hiſpanijs, accepiſſe tantum cùm iunior eſſet à religioſis quibuſdam feminis, quibus, cùm in re tanta fidem adhibere homine cordato indignum iudicaſſet, extorrem etiam à ſuis hiſtorijs eius anilis figmenti feciſſe memoriam.

Sed etiam [i] Baronius Ruderici auctoritate perculſus in dubium reuocauit, quæ in notis Martyrologij de aduentu Iacobi in Hiſpanias pridem euulgauerat; neq; ſolum ſed præterea dubiæ fidei inſimulauit eas quibus ipſe antea præcipue nitebatur Calliſti

[i] Tom 9. ad an. 816.

Digitized by Google

liſti ſecundi nomine iactatas literas Apoſtolicas. *Si enim vera eſt*(inquit)*Calliſti Papæ illa,quæ de eadem re prędicatur aſſertio ,cur Compoſtellanus Archiepiſcopus eam in Sacro illo celeberrimoq; Patrum conuentu ad redarguendum Toletanum non produxit in medium ,cùm præſertim contra ex eodem Calliſto Papa rem propoſitam potius refelleret Toletanus :* Et poſt pauca. *Quodſi tùm extitiſſent*(inquit) *ea,quæ nunc ea de re produntur Calliſti Papæ nomine monumenta,certè erubuiſſet tantus Vir propoſitis à Compoſtellano rationibus adeo liberè aduerſari; Sed aduerſus Toletanum ; idem Compoſtellanus tanti auctoritate Pontificis ea in medium prodens ſcripta Calliſti,vehementiori impetu,vt potenti armatus telo in aduerſarium inſiliuiſſet; ardenti enim animo ,vt ipſa acta recitata declarant,rem Compoſtellanus agebat . Verum ſuccubuit,cùm nedum Calliſtum ,ſed nec aliquem alium haberet,quem de prædicatione Iacobi in Hiſpania in medium afferret auctorem,quantumlibet bene veniſſet inſtructus,& in tanta Synodo,aduerſus tantum aduerſarium cauſam ſuæ Eccleſiæ ageret,quem etiam & ſpontè puto abſtinuiſſe à citatione fabuloſi Turpini (ſi tamen illo tempore commentitius ille liber ſcriptus erat) vel a Pſeudo Iſidori ſententia,vel quod falsò affertur nomine Bedæ , vel alijs quos aſſertores eius ſententiæ poſtea prodidere .* Hæc Baronius.

En quàm robuſta in ſpeciem argumenta,quibus ſi comparentur,quę aduerſus Epiſtolam Virginis vndique afferuntur , nec vim habeant,neq; pondus . Et tamen duo fulmina doctrinæ Rudericus & Baronius, facere non potuerunt,quin toties conſignata, & conſecrata Traditio fidem in dies cum incremento religionis capeſſeret , quantumuis ea exquiſitiſſimis vndiq; rationibus, quaſſata , penè in anguſtum vt videbatur adductæ eſſent Hiſpanæ Sanctitates : Et poterunt arguculi quidam calumniarum fabri vertere Traditionem huius Epiſtolæ , nunquam aut dubijs auctoritatibus nixam, aut fabulis anilibus exæquatam , aut coram ſummis ſubſellijs à Summis Viris diſceptatam,& deiectam:ſed firmam, ſolidam & conſiſtentem, nec expugnatam magis aduerſis rationibus quàm propugnatam ? Sed hoc iam peractum, hic duntaxat obtentum volumus ex diuerſis diuerſorum narrationibus ſi cetera conſiſtant , veritati rei periculum haud creari .

FALSOS TEMPORVM CHARACTERES

Epiſtolæ Virginis Veritati non derogare.

CAPVT TRIGESIMVM OCTAVVM.

NON hic Theramenis cothurno incedimus , quaſi quæ multis aduerſus alios extruximus,iterum deſtruamus , fallenteſq; temporum notas Epiſtolæ Sacræ inſediſſe pro certo ſtatuamus , ac duntaxat ipſam à falſo ex falſis aſſeramus . Enimuerò ſi rectè contra calumniam velitati ſumus,in lucro cedit , non id propter tamen à Virgine , quamquam ſanctè fieri potuerit , ſignata illa tempora ſanctum ducimus, ſed aliundè ex coniecturis conatam ad rei veritatem accedere , vel religioſam induſtriam,vel ſi error eſt,antiquariorum oſcitantiam , vel ſi animus corrumpendi, maleuolorum peruerſitatem,quæ tamen cùm nocere vellet,plus profuit,non ſecus ac qui occidendi animo ſi vlcus feriat, vitam ſeruet,vulnerarius ſit;non cæſor .

Ac vt mittam acta Martyrum exquiſito Scriptorum labore ad annos conſulares pro more temporum examinata, ſi multis ſcateant deprauata mendis , mirum non

eſſe

eſſe notas Epiſtolæ Virginalis quas nulla cenſuit accuratior diligentia, vitium ferre lituris obnoxium; ſed neq; abs re putarim, quod olim, hodieq; fieri conſueuit, ſignatas à tergo membranæ receptæ Epiſtolæ menſis ac diei, ſerò fortaſſis & aliorum temporum notas, Antiquariorum deinde incuria quaſi Epiſtolæ datæ characteres, quacunque tandem ratione putatos calci adhæſiſſe, vt demum opinionem vulgo facerent, quaſi à manu Virginis affixa primùm inſediſſent. Certè non abſimilem [k] Bellarmino ſuſpicionem ingeſſit libellus de Regimine principum ad Regem Cypri, Diui Thomæ Aquinatis nomine præſignis, quòd cùm illo ipſo tempore, quo is ſcriberetur, Adolphus Rodulpho, & Adolpho Albertus Imperatores ſucceſſiſſe in eo narrentur, pugnantia planè miſceantur, quando eiuſcemodi viciſſitudines, quinis ac viginti poſtquam Diuus Thomas vixiſſet annis, ſaltem ſi de Alberto ſermo vertatur, rectæ per rerum, ac ſceptrorum ſeriem contigiſſe cenſeantur: *Niſi* (inquit Bellarminus) *hæc verba ex margine annotata, ab aliquo poſteriore in textum irrepſerint*. Maluit nempè Vir ſapientiſſimus hoc etiam pacto religioſius iudicare, quam à ſua ſapientia calumniando degenerare. Id ſi huius Epiſtolæ maſtiges animaduertiſſent, excuſaſſent opinor, exaratæ poſt tempora Virginis, vt ipſi putant Epiſtolæ errorem, nec ſuos in aſſerenda Virginis ante quadrageſimum ſecundum Chriſti annum errores ridiculi propinaſſent.

k De Script. Eccl. in D. Thom. Aquin.

Sed iam in re noſtra ſcribentis, vt dicebam incuria ſubſignatis temporum characteribus, ſi mendum etiam in alijs clauſulæ partibus illapſum offendat, niſi id peruerſus animus fecerit, nullo peiore ſcelere, ſed incautæ ſimplicitatis, an oſcitantiæ malo factum reputabitur, quod tamen non iccircò periculum fidei crearit apud cordatos, quibus eiuſmodi lapſus in nominibus aut annis, mutatis, aut pro ſe mutuò poſitis, interdum lucem commonſtrat, ad ſuamq; res geſtas reuocat tempeſtatem. Multis hic exemplis abundare poſſemus, ſi vel in publicas Romæ tabellas ab exceptoribus deſcriptas, neſcio quo fato impoſturam, an errorem inſediſſe, ſtudium eſſet oſtendere, tametſi illæ inter Sacra Vrbis monumenta per ſecula ſeruatæ, ſerò tandem aliquando figmẽtis reſperſæ, in medio, vt ſic dicam, foro verſatæ, Magiſtros fabularum & impietatis ignorarent. Ita prorſus Epiſtolæ Virginali per multa tempora ſartæ tectæ, quod ex Flauij Scriptis elicimus, affecta demum clade Meſſanenſis Reipublicæ monumenta, non quidem interitum, ſi fortaſſe de archetypo taceamus, ſed ignauia Scriptorum in exemplis, niſi etiam peiora veniant in ſuſpicionem, vitium attulere. Id tùm primùm deprehenſum fuit, cùm pietate impugnari cæpta, à Templis prouocaretur ad forum, & nondum audita Meſſanæ contentione res ageretur. Tum enimuerò, perplexa ratio temporis, argumentum Epiſtolæ, mores Gentium, moderatio Virginis, & id genus alia cum hiſtorijs coniuncta vel ſeiuncta, animaduerti cæpta, nec tamen penitius introſpecta, pluribus ſuſpicionem falſi, ſapientibus cogitationem erroris, vel etiam impoſturæ præbuere opinionem, quòd corrupto maleuolorum ſcelere calculo, pietati Ciuium, nedum Traditioni putarent illuſum, quaſi verò etiam fabulis interdum illapſis, non ſuam ſeruaſſent hiſtoriæ veritatem, vbi religio cum candore morum, pro pietate Traditionum peroraſſent.

Quid enim adeò tritum in Sacra hiſtoriarum antiquitate, quam admirabilis Georgij, martyris Cappadociæ cum Mago Athanaſio conflictus, ſuſpectum Viduæ contubernium, dolus ad perdendos Gentilium Magos, ipſoſq; Gentiles, innumera præterea tormentorum genera, quibus vexatus Georgius in tot, vt ita dicam, mortibus ſemel mori non potuit, vt taceam de equo picto geſtatore Georgij ferum hinniente apud [l] Nicephorum Gregoram, de Regia Virgine ab hiantibus Draconis faucibus vendicata, niſi hoc poſtremum non iam ad hiſtoriam, verum ad imaginem, vt [m] Baronius

l Lib. 8. pag. 11. & 12.

m In Notis Martyr. 23 April.

nius,putat,& in ſimili ſuffragatur [n] Euſebius Symbolicam referatur, quemadmodum & ea,quæ de Chriſtophoro Martyre vulgo creduntur,de virente palma,de flumine pertranſito,de ſtatura procera [o] Hieronymus Vida,ſenſu vertens allegorico,præclaro inter ſua carmina epigrammate celebrauit, & multi alij Septenos illos Martyres, qui tempeſtate Decij intra ſpeluncam occluſi, ac demum oſtio ſpecus poſt multos annos reſeratò producti ſunt in lucem, ideò dormientes dictos volunt, quod Scriptura Sacra piè religioſeq; vita functos,dormientes conſueuit appellare,niſi fortaſſe dormientes cenſeri poſſint,quorum memoria tot annis velut ſomno ſopita,erutis demum eorum corporibus ac velut,ad vitam reuocatis, ipſa quoq; euigilauerit, in lucem rediuiua emerſerit;In quibus tamen omnibus ſi multa figmentorum fucis ſint illita,non ideo ſuum nō venerabitur Eccleſia Georgium,Chriſtophorum,& quos Septem dormientes vocat, habebuntq; ſuam quæ ad hiſtoriam referuntur momenta veritatem. Ita planè putes futurum in re noſtra, nec nomen fabulæ feret Epiſtola Virginis,etſi cum mendis conflictata,veritatem inſperſam apud non paucos, piorum diligentia repurgarit,vel ſopitam famam vigilantia excitarit.

[n] *In vita Conſtant. lib 3. cap. 3*
[o] *In ſuis carm.*

Non ſum equidē neſcius magno eſſe opus iudicio, quò cōmentitia diſiungantur à veris,fabulæ ſegregentur ab hiſtorijs, ne ſi ſemel abolito nomine fabularū,mendacia vires ſumant,in hiſtoriā planè trāſeant,fidemq; ſibi concilient,nō apud imperitos modo quorū in crimine inſcitia eſt, verū etiā apud viros pios ac doctos,qui interdū obuia quæq; ſinè delectu ſcribendo renarrant, fidem alijs creduntur facere firmiſſimam; vt nihil dicam de prauis,qui quemadmodum loquitur [p] Baronius, *vt muſcæ quærunt vlcus,ex quo ſante ſatter tur,inuent-q; ſemel, antea cadi quàm inde diuelli ſe patiuntur.* Tale dubio procul fuit vlcus,figmentum illud [q] Mariani Scoti,Catholici quidē Viri; ſed imprudentis Hiſtorici,de Ioanna Pſeudopontifice dicta papiſſa, quod poſt ipſum Sigebertus [r] & ipſe Schiſmaticus in ſua Chronographia vulgauit, plures verò deinde Nouatores,ceù Sacrum apprehenderunt,tametſi non deeſſent, & inter ipſos prudentiores,quæ ineptas & aniles fabulas eſſe reputarēt,id quod Principes Saxoniæ & Miſniæ Viri,me audiente non ſemel ore libero protulerunt; ſed Catholici non vanas duntaxat atq; leues,verùm etiam ſubdolas & virulentas,calumniarum & contumeliæ plenas,leuiter fuſas,leuius creditas,mendaciter dictas,perfidè aſſertas, denique procaciter defenſas,à multis Hæreticis obſtinatè retentas,pluribus cōfutarunt.

[p] *Tom. 10 ad an. 853*
[q] *In Chrō.*
[r] *In Chrō.*

Non hic commemoro multa,quæ apud doctum alioqui, ſed leue hominum genus fidem,& exiſtimationem inuenerunt, Hadriano per muſcam exitium illatum, Syluestrum Papam ſecundum Magia Pontificatum iniuiſſe, ſed demum horrido mortis genere membra à dæmone dilaceratum periuiſſe,innumeraſq; id ſortis fabulas, quæ ex officina Turpini,Viri ſanè turpiſſimi prodierunt;vt nō meminerim aliorùm,quæ apud non paucos etiam Catholicos in Hiſtoriam tranſierunt, de collapſo Romæ necdum ædificato Pacis Templo cùm Chriſtus naſceretur,de Cyriaco Papa,qui nunquam extitit,cum Vrſula Virginum vndecies millium primiceria,Roma Coloniam comitante,quæ quamuis commenta ſint vero ne ſimilitudine quidem affinia,nunquam tamen eam hiſtoriæ puritati labem intulerunt, quin paucis demptis ſua dignitas pretiumq; ſtaret Traditioni. Ita ne verò vacillabit fides noſtri Parthenographij,vt ob ſolas temporum notas,quo quo tandem errore implicatas,in ſuſpicionem falſi vocetur, adulteræq; per tot ſecula religioni certiſſimum ponatur impedimentum?

Quin Syluestri Pontificis Acta,qui Conſtantini lepram, recenti Sacri fontis latice deleuit,tùm apud Græcos,tùm etiam apud Latinos in non paucis deprauata,vel breui temporis ſpatio vſq; ad Gelaſium intercepto,reperimus, & tamen nemo eſt tā exploratæ antiquitatis exactiſſimus Cenſor, qui omnino ſpernēda eſſe niſi tumido faſtu

decernat,& niſi Gelaſij quoq́;latam de illis ſententiam damnet,ac planè Gelaſiũ reijciat. Itanè verò ſi non iã centũ & ſexaginta octo annorũ interuallo, ſed penè ſedecim voluentibus ſeculis, in tanta rerum demutatione, vix puta noxius error Epiſtolã Virginis inceſſerit, pugnacis aſtu calumniæ, ad dubias altercationes fides pietaſq́; priſca detorquebitur? Id qui rectè factum putet, ſimul ignoret oportet, non modo mendoſas aut etiam fabulis infertas, vt hactenus vidimus, nihil veritati derogare hiſtorias, ſed multò minus quibus aliena geſta, ſerie tẽporũ aut etiã rerũ, turbata inſederũt. Mitto quæ falſitates permixtæ ſint Actis [s] Pontij Martyris illuſtriſſimi, geſtis [t] Abercij Hieropolitani, quàm diuerſæ auctorum in tradendis Conſtantini factis abludenteſq́; ſententiæ, minimèq́; concordes in eiuſdem epiſtolis annorum conſulumq́; cum hiſtorica ſerie coniugationes: illud perſimile ad noſtrum inſtitutum venit, [u] Epiſtolã Fabiani Pontificis, ad omnes vt inſcriptio præfert Eccleſiæ cõminiſtros directam, cũ in primis titulo tenus, tũ in Conſulibus adeò ferri deprauatã, vt niſi ad calamũ & liturã veniat, ſpuria penitus cenſeri poſſit, quod maximè, q̃dã in ea ſint (vt Baronius inquit) *à ſciolo quodam ſuperaddita volente in epiſtolam inſerre quæ putarit contineri in eo textu.* Præclarè verò ad Epiſtolã noſtrã, in qua niſi error ſcribẽtis abſq́; maligna fide, vel certe receptæ Epiſtolæ tempus ſignatũ à tergo, in penetralẽ Epiſtolã inuaſerit, appoſitè dixeris plura à ſciolo quopiã fuiſſe addita, nec ſolùm in notis anni, menſis, Lunæ, feriæ diei, verũ ẽt in titulo illo exaggerato ſi Virginis modeſtiã vt increpãt aduerſarij minimè ſapiat; vitium obrepſiſſe, quod poſtremũ tamen præfractè negetur, à Virgine vel ſcriptum fuiſſe, vel ſcribi potuiſſe, ac etiam ob rationes a nobis allatas debuiſſe.

s Sur. die 24. Maij Baron. ad an. 246.
t Metaph. 22. Octob.
u Baron. Tom. 2. ad an. 258.

Atqui ſi in multis Hiſtoriarum integritas, non fides detrimẽtum fecit, tum verò in ijs, quæ ad Virginem ſpectare videntur, neſcio quo fato, pleraq́; digna ſcitu longè remota ſunt à luce, nec niſi piorum ſtudijs in dies eruũtur; fortaſſe id reliqui fecit mortalibus diuina bonitas, ne deeſſent qui Virginem elucidando beatitatem mercarentur. Sed enim quid in hanc Epiſtolam errores irrepſiſſe mirabimur, qui in Hiſtoriam vitæ Virginalis, fabulas etiam antiquitus illapſas probè cognouimus. Nam vt taceam de portentoſo illo de Stirpe Virginis commento, cuius concinnatores Gnoſticos Hæreticos, ſummo iure acriter proſcindit [x] Epiphanius, quid non creditum eſt Catholicis de dormitione MARIAE, quàm non adoratus libellus ille de tranſitu Virginis, quem demum Gelaſius inter apocrypha recẽſuit? auctoris nomen ſanè proditum nõ eſt, quò hæc noſtra Epiſtola dignior, quã Lucius Dexter cõmẽdauit, ſed demũ præfixa Melitonis Sardẽſis appellatione honeſtũ ſibi titulũ vendicauit, & ſpecie quadam veritatis plurimorũ cõmẽtarios adimpleuit. Melitoni adſcribit etiã Trithemius, ſed [y] Hieronymus qui ſcripta Melitonis recẽſet, aut nõ nouiſſe aut improbaſſe putari poteſt, quod vt [z] Baronio videtur multa cõtineãt indigna Melitone, & quæ geſtis Apoſtolorũ (ſi quæ fides [a] Bedæ) pugnent è diametro, nec ita recens quorundam labor ad cenſuram Bedæ potuit omnia diſpungere, quin multa delirantium planè ſomnia, ne dicam Chriſtianis auribus improba relinqueret.

x Hæreſ. 26.
y De Scri. illuſ.
z Ad an. 48.
a In retr. in Act. c. 8.

Sed ẽt libellus ad Paulã, & Euſtochiũ de aſſũptione B. MARIAE [b] Hieronymi nũcupationẽ mẽtitus, tãtũ abeſt Hieronymi ſit, vel ꝙ nõ nemo putauit Sophronij vt de manifeſta impoſtura conuincatur, q̃ Hieronymi Paulæ & Euſtochij nomina eo opere ſit nũdinatus, ꝙ cũ Noſtorius lõge poſt Hieronymi, ac Sophronij tẽpora inciderit auctor cõmẽti totus depugnet in inſectãdo Neſtorio, verſandaq́; nõdũ exorta cõtra fidẽ Incarnationis diſceptatione, coq́; manifeſtè ſe ꝓdat cũ Hieronymo nihil hac in parte fuiſſe cõmune. Poſſẽ in hoc genere pluribus immorari niſi actũ agerẽ, neq́; tñ eodẽ loco habuero quædã alia, q̃ Baronius ex ijſdẽ cõmẽtorũ fõtibus manaſſe credit, mihi vero cũ pluribus alijs [c] Nicephorus maiorẽ fidẽ ſufficit, de palmæ videlicet ramo Virgini

b Hieron. de Script. Eccl. in Sophronio c. 134.
c Lib. 2. c. 21. & lib. 15. c. 14.

gini ſuprema inter mortales agenti, in ſignum victoriæ cælitus allato, de Apoſtolis ad ſacrum eiuſdem Virginis funus honeſtandum, è remotis Orbis regionibus Hieroſolymam ſublime per aëra delatis, de miraculo in Iudæum patrato, qui Sacrum illud feretrum impio violauit attactu, quod deniq; alij ferunt de cingulo ab eadem Virgine Thomę Apoſtolo de cęlo miſſo: ſanè pro palma illa certius perorat Meſſana, quàm vt à quopiam in dubium verti poſſit, fidemq; facit oſtenſo eiuſdem palmæ fructu, quem ædes maior inter Sacras ſeruatum reliquias, memoria Virginis maximum, veneratione populi inſigne donum habet. Meminit eius rei [d] Maurolycus, & inter trãſlatas Eugenij quarti, Regiſq; Alphonſi ſenioris iuſſu reliquias, cùm reponit, tabellas ſignatas refert. De Apoſtolis per ſublime [e] deuectis, Romanum Breuiarium, ex Damaſceno ſatis probat, vt ſaltem ne temerè credatur probè cauet; de pœna manus impiè contrectantis alij non ſpernenda fide vadantur; deniq; de cingulo cælo miſſo nimis incautè dubitet, qui roſas à Dorothea Virgine ex hortis Paradyſi Theodoro miſſas, vel quod magis huc facit ab eadem Virgine Deipara ſacrum Sacerdotis paratum Hidelphonſo Toletano cælitus donatum non ignorat.

[d] *De locis reliqu.*

[e] *Quarta die infr. oc. Aſſũ. t.*

Ceterùm ſi in multis alijs, quæ totius Orbis religione commẽdata ſunt, nihil adeo dignè ſcriptum fuit, quin pluribus narrationibus (ſiue eæ traditiones ſint) fuerit circumſcriptum: quis putarit haud potuiſſe, ſi non impoſturam & fabulas, errorem certè in Epiſtolam incidere, paucorum initio Scriptorum commendatione, ſi Ciuium religionem excipias, neq; enim ad rem totius Eccleſiæ referebat, explicatam.

At quod Baronius rectè ſentit nihil derogatum gloriæ Virginis, quòd iſthæc adeò obſcura remanſerint, quippè quæ vt Sol alter, radiorum ſuorum fulgoribus ſplendens, non tantùm valuit ob Scriptorum inopiam denſa offundi caligine, quin etiam in tenebris iubar eius multo ſplẽdidius effulgeret: idem planè decreuerit de hac Virginis Epiſtola, is, in cuius pectore pietas aliquando locum inuenit, quando ad tenebras fugandas gloriamque Virrginis magis illuſtrandam, ſatis ſuperq; eſſe poteſt, conſtans ad hæc vſq; tempora propagata maioribuſq; in dies argumentis firmata Ciuium religio, vndè hoc magis veritas cumularetur, quò non tam Scriptorum commentarijs, quàm Traditione per manus ducta pietas augeretur.

Enimuerò ſi poſt multa ſecum deinde paciſcitur Baronius ne pias Traditiones vſquequaq; conuellere videatur, noſtræ quoq; cauſæ patronus exiſtat oportet, quam ſi vſpiam probi auctores, certè Traditio plurimùm commendat; quin verò ipſe Baronius ſua quam de Virginis rebus fert ſententia, noſtræ quoq; rei auctoritatem conciliat, quando *hæc* (inquit) *cùm dicimus, non ſic impugnamus, quaſi minus vera, quandoquidem non ſit impoſsibile apud Deum omne verbum, ſicut nec ob eam cauſam quod ibidem* [f] (nẽpe in Melitonis apocrypho) *feratur eadem reſurrexiſſe, & vnà cum corpore eſſe aſſumpta in Cælum, id negamus vel in dubium reuocamus accidiſſe, quæ præſertim* [g] *Iuuenalis Hieroſolymorum Epiſcopus, non ex ſcripto aliquo commentario, ſed potius ex antiqua Traditione ſe accepiſſe teſtatus ſit. Quæ autem addit* [h] *Nicephorus, occaſione Thomæ abſentis reſeratum fuiſſe ſepulchrum; ea quidem apud prædictum Melitonem non leguntur, verùm eadem ex Traditioone maiorum à Iuuenali eſſe relata teſtatur.* Hæc Baronius.

[f] *De Tranſitu Virg. c. 17 18.*

[g] *Apud Niceph. l. 15. c. 14.*

[h] *Lib. 2. c. 23.*

A quo non ad alium rurſum prouocaturi ſumus arbitrum, ſi iterum contingat eiuſdem auctoritate noſtram hanc de Parthenographio vellicari Traditionem, quo ferè argumento plus nimio ſe iactarunt nonnulli, prolatamq; à Baronio perfunctoriam, ne dicam obſcuram ſententiam de abolenda huius Epiſtolæ religione, velut legem ſacram putarunt; quid enim ſi poſt longam diſceptationem in narratione alioqui non vulgari Traditioni tandem conniuet Baronius, non idem facturus ſit in re noſtra

cùm nihil ſit faciliùs, ſi mores Virginis ſpectemus, quam exigua ſolari Epiſtola, quos clientes tàm deuoto obſequio nacta eſſet. Verùm hoc loco id duntaxat agimus, ſi nō modò Eccleſiaſticis narrationibus, menda, errores, imò & commenta inciderunt, verùm etiam in hiſtoriam Virginis, quam omnium religione ſartam & tectam eſſe oportuit, illapſa eſſe creduntur, neque tamen ideò veritas in diſcrimen vocata eſt; non magnopere eſſe mirandum in tot temporum, ac morum mutationibus, hāc quoq; Epiſtolam alienæ manus ſenſiſſe vitium, ex quo tamen Traditionis veritas ſic affecta non eſt, quin integra fides cùm exterorum, tùm maximè Ciuium religione ſemper ſteterit, ſtabitq; ſemper in poſterum.

Atq; hæc omnia ſic dicta velim, vt quantumuis repoſito ſexageſimo ſecundo anno, in locum quadrageſimi ſecundi, aut etiam ſtante quadrageſimo ſecundo, diſcuſſiſq; vt fecimus aduerſis argumentis, rectè omnia ceu Veneris iactu cadant; omnino tamen reſecta ea parte, quæ temporum notas cum nominis ſubſcriptione continet, Epiſtolam integritati ſuæ reſtituendam putem, in cęteris nehilo quidem diſpungendam, quòd non modò nihil alienum à Virginis moribus, ſed ipſam propemodum pietatis, modeſtiæ, humilitatis, ac veritatis expreſſam in Virgine, argumento, affectu, ac ſcribendi forma referat imaginem, fremat quantumuis otioſa calumnia, quæ his ferè capitibus dum contra hanc Epiſtolam arietat, irritis ictibus deluſa parum proficit: quin verò retortis ſpiculis ipſa magis à vulnere dolet.

Sed enim licebit mihi in hoc genere præſtare, quod alij non ſine magno pietatis fructu fecerunt, in pleriſque hiſtorijs commentitia diſiungentes à veris, quò candor in narratione rerum geſtarum eniteret magis, repurgatam ſcilicet Epiſtolam Virginis priſtinæ donare ſynceritati, vt præciſa ſemel ea lacinia nihil amplius reliquum ſit, quod hærentem remoretur calumniam. Quo loco illud etiam argumentum vnà rurſum preſſum volumus, quo nonnulli ex affecta Epiſtolæ parte de totius falſitate intempeſtiuum ſanè ferunt iudicium, non cogitantes ea conſecutione non modò plurimarum hiſtoriarum, & Traditionum Eccleſiaſticarum lumini, dēſum offundi caliginem, verùm etiam pietati Catholicæ certum in multis afferri perniciem. Cui enim non continuò ſubeat fraudulentas fuiſſe manus, quæ limam ſcriptis antiquiorum induxerunt, aut planè peruerſum iudicium, quod poſteris dubium fecit, fideiq; non minus quàm pietati periculum creauit. Iacebunt ſanè præter ea, quæ hucuſq; retulimus, non iam quæ Fauſtus Manichæus, aut Seleucus eiuſdem farinæ conſodalis, de Tribu Virginis, aut Gnoſtici de ſtirpe Mariæ, Iudæi apud [i] Hieronymum de Chriſti genealogia, ſed in primis Rabbinus Heccados ad Antoninum Romanum Conſulem (ſi hic in Faſtis eſt) ante Chriſti aduentum de parentibus Virginis eiuſdemq; natalibus, aut deniq; Theodoſius Iudæorum Princeps apud Suidam [k] de Sacerdotum genealogia Chriſtique Sacerdotio ſomniarunt, quæ omnia ſicut præpoſtera ſunt, incōdita, & monſtruoſis mendacijs referta, ita ſubtractis fabulis, quibus innituntur ſpontè collabuntur. Verùm nutare incipient cetera, quæ apud omnes certa haberi debent, ceù non inania pietatis, & religionis Chriſtianæ fundamenta, qualia ſunt in primis, quæ à Viris non doctrina minus quàm religione conſpicuis eduntur de Virginis parentibus, ortu, eductu, & reliquo inter mortales ad omnem ſanctitatis excellentiam progreſſu, quę tametſi vera ſint, nec minus Traditione, quàm luculenta auctorum teſtificatione comprobata, diuerſas tamen ob narrationes, & velut Traditionum commiſſuras, ſi non dubiam fidem, ſuſpenſum profectò magis, quàm cautum efficere queunt animum.

[i] *In epiſt. ad Tit. lib. 1. c. 3.*

[k] *In hiſtor. Verbo IESVS CHRISTVS.*

Ac vt nihil dicam de geſtis Apoſtolorum, ac Martyrum, quibus corrigendis nullo non ſeculo eſt inuigilatum, excindantur oportet monumenta Gentilium quantumuis

non

Digitized by Google

non parum momenti ad rem Chriſtianam ex illis accedat in dies, quod cùm Ethnici Scriptores, veris & Sacris, odio nominis Chriſtiani falſa, & profana ſubinde commiſerint, infeſtas obliterantium mutilantiumq; manus effugere non potuerunt, vt iam multis reſectis in nouam elaborata maſſam, quid cuiuis credendum propinent, haud facile, niſi minimè fallax Eccleſiæ cenſura diſcernat, ſeligatur.

Actum etiam ſit, prorſus de Carminibus Sibyllarum, quæ ſemel igne vaſtata, rurſum verò perquiſita, Gentilium ſteterunt examini, niſi enim Chriſtianis legitima ſint, vim & auctoritatem aduerſus Gentiles haud ſufficiant, falſoque narret [l] Iuſtinus Martyr pœna mortis ab eorum lectione Chriſtianos abſterritos, ne ſcilicet reliquum eſſet, quod pro re ſua citra impoſturæ ſuſpicionē poſſent Gentilibus obuertere. Quis enim non illico, ſicut ipſi Gentiles à Chriſtianis conficta, quod refert [m] Lactantius, ne vim ſentirent, Sibyllina iactabant carmina, ſic etiam lectis antiquitatis monumentis, quæ vel manca, vel demutata norit, figmenta eſſe ſuſpicetur, vt iam non Scriptores putet vel compilatores, qui illis reſtituendis operam nauarunt, ſed Traditionum ſectores, & religionis peruerſores. Iam verò ſi cauta pietas Chriſtianorum, nihil in illis cogitet falsò redundare, dubio longè Virginalis quoq; Epiſtola, reciſa illa temporum putatione, ſua ſtabit integritate, nulli in poſterum mendo, & ex mēdo calumnijs obnoxia. Verùm deinceps, quæ principem apud nos locum in probando fortaſſe tenet, de Traditione argumentum accerſamus.

[l] Orat. ad Anton. Pium.

[m] Lib. 4. c. 15.

TRADITIO MILITAT PRO EPISTOLA VIRGINIS.

CAPVT TRIGESIMVM NONVM.

De Traditione ſi ſatis dictum eſt; illud duntaxat peractum, vt ſpicula retorqueremus, deinceps verò vt proprijs armis ex inſtituto inceſſamus, conandum: neq; tamen quæ alibi ſemel decreta, rurſum hic ad nauſeam ingerenda. Sed enim quia quemadmodum conſtituimus latè vagatur nomen Traditionis in circulis Theologorum, ne non ſuo loco vſurpetur, ad certam pro re noſtra claſſem reuocandum eſt, vt quamuis generale nomen ſit in primis, deindè verò præcipuo conſilio tantum ad doctrinam ſcriptam accommodetur, eademq; inter alias vt diximus diuiſiones, ſeu penes dignitates auctorum, in Diuinas, Apoſtolicas, atq; Eccleſiaſticas; ſeu penes argumentum in eas, quæ fidem moreſq; hominum concernunt recenſeatur: inter has omnes noſtra qua de agimus, imaginem quandam præ ſe ferat Eccleſiaſticæ Traditionis. Hanc verò cùm nemo ſit in omni genere tam peregrinus quem fugiat eſſe conſuetudinem quandam primitus & antiquitus, vel à Principibus Eccleſiæ Viris, vel à populo inchoatam, quæ ſenſim tacito populorum conſenſu inualeſcens, ac tandem in ſimilitudinem legis aſſurgens, eandem cum Decretis, alijſque conſtitutionibus Eccleſiæ ſcriptis vim nacta eſt, haud aliter vt ego arbitror, quàm [n] in Republica Ciuili conſuetudines approbatæ, parem cum legibus ſcriptis ſortiuntur auctoritatem.

[n] Diſt. 1. Cōſuetud. L. Diuturna ff. de Legibus.

Atq; hic ego magna cum ſpe iterum ingredior ad oſtendendum nihil eſſe minus abſimile Traditioni Eccleſiaſticæ, quàm veritatem Epiſtolæ Virginis ad Meſſanenſes datæ: quamquam dum id ago, ſimilis mei ſemper ſim futurus, qui quemadmodum nunc dixi imaginem tantum præ ſe ferre velim Eccleſiaſticæ Traditionis, eius præſertim, quæ religionem concernat, non verò illi omnibus numeris, ac lineamentis penitus

Digitized by Google

nitus exæquari. Quod ſi argumentum aliquid amplius euincat, id demum erit nobis in lucro reponendum, non ad contumeliam obtrectantium referendum.

Age verò eiuſcemodi Traditionem Meſſanenſibus fuiſſe antiquiſſimam, totiuſque Ciuitatis & accolarum conſenſu, ac voto validiſſimam præter incorruptam Flauij fidem, luculenter perhibet integerrima vniuerſorum in præſens vſq; religio, eademq; ſingulis non ſcripta, ſed propemodum nata lex, quæ non ſolum ſub ſpecie conſilij ſalutaris induceret ad venerationem, verùm etiam arctiori ſub forma præcepti vinculo religionis aſtringeret ad ſeruandam commemorationem. Enimuerò ſi incidens aliquando rerum ſtatus, annua celebritate interdixit, deuotionem profectò non afflixit, ſed quo reſtituta in maius effingeretur religio, parauit occaſionem. Sic interdum feſta præſentationis Virgineæ memoria non paucis in locis præterita potius quàm abrupta, vniuerſæ demum Eccleſiæ Sacratiori cultu recepta, firmata eſt.

Hic ego ſi de Meſſanenſium religione pluribus agam, videbor fortaſſe temporis cauſa fingere, & oratione volitare inter eos, qui rerum notitiam habent, nihil enim afferam, quod ad omnium nationum laudem non pertingat, & quod pro oſtento non habeatur, vt proindè nemini vni niſi proteruo venire poſſit in mentem, eam Traditionem aliquando ab aliquo Meſſanenſium gloriæ, aut ab extero gratiæ cauſa ſplendidè confictam: quando nihil fingitur ægrius in Martijs animis, quales ſunt Meſſanenſium animi quàm Religio, quæ dubio procul non niſi cæleſti quodam inſtinctu tam diuturna eſſe potuit, perſeuerabitq; in poſterum Virgine oculos non deflectente. Vt non dicam nullius quàmuis ſceleſtiſſimæ mentis impulſu, quempiam in tantum facinus egredi potuiſſe, vt humana mendacia ſpontè ſua caſura, ad perpetuos Virginis honores voluerit transferre, nec defuturos fuiſſe per omnem retro ætatem Viros lectiſſimos, emunctæ naris, & exquiſiti iudicij, qui tam imprudens mendacium priuſquam in coronam Orbis veniret, ab omni rectè dictorum numero exemiſſent, certè ad poſteros tranſire ſine nota non permiſiſſent.

Addo & illud puram illam, ac ſynceram niueæ probitatis ætatem, longè abfuiſſe à fingendi libidine, rectiſſimiſq; ſtudijs detentam, nunquam conniuere ſolitam ijs rebus, quæ à rectè agendi meditandiq; plano tramite ſeducerent; quippe apud quos in maxima fortitudine conſilij, omnia poſſet cum candore morum coniuncta ſanctitudo, totiuſq; penè humanitatis obliti aſſiduè cæleſtibus immorerentur. Non hoc dico quaſi neſciam, iuxta vetus prouerbium, quid è genio ſit Inſulanorum, ac præſertim Siculorum, quiduè de iſtis inter alios quo quo tandem affectu ° Petrus Bleſdenſis non infimæ auctor notæ pronunciarit, nuſquam enim terrarum non peregrinata, imò etiam hoſpitata ſunt vitia, vel ſi terreſtrem Paradyſum prætendas. Verùm ſi antiquiores recentioribus quadantenus veniant comparandi, nemo inficias ibit, illa ętate Chriſto quàm citima, arſiſſe magis mortalium pectora, recens in Cruce fuſi ſanguinis calore, quod etiam [p] Caſſianus aduertit adhuc flammantia, quæ conſequentibus ſeculis longius abducta, ſenſimq; ſopita, facilius aguntur in culpam, verſutia præſertim dæmonis à multo vſu periculoq; callidè comparati. Proinde ſi poſtrema hac tempeſtate, qua iam palàm vitijs theatrum datum eſt, nemo vnus inueniri queat, qui tanto ſe aduerſus Diuos ſcelere aſtringat, quid de priſcæ illius ætatis hominibus ſentiendum ſit, manifeſtius vero euadit.

° Epiſt. 46.

[p] In collat.

Nec volo in præſentiarum repetere altius, quæ ſuo loco ſum dicturus, tametſi ſpatioſus aperiatur campus, in quo planè exultare queat argumẽtum, quo nimirum loco ſteterit ſemper apud Virginem Meſſanenſium ex repromiſſa protectione religio, vbi difficillimis temporibus quoties, aut belllico tumultu miſcerentur omnia, aut luctum fame graſſante vaſtitas immineret Ciuitati, iamq; pluribus modis nequicquam deſpe-

deſperata mortalium ope Reſpublica præcipitaret, toties præſentiſſimum ſenſiſſe Meſſanenſes Virginis auxilium, vt iam in prouerbium abierit, vſitatam Virginis gratiam ex prædicta cauſa toties deprehenſam nunquam apud eos communi voto illuſuram, quò profectò non iam in Meſſanenſes, ſed in ipſam Virginem iniurius ſit, qui confictæ Epiſtolæ contumeliam cuiquam auſit imponere.

Sed vt reuertatur vnde digreſſa eſt oratio. Hanc Traditionem, non ſolum eſſe antiquiſſimam, verùm etiam perpetuam, nemini non qui rectè ſapit, ex hactenus dictis obuium eſt ac procliue; perpetuàm verò non ea duntaxat ratione quòd per manus tradita ſit, ac publica Ciuitatis conſtantiq; aſſertione in hodiernum vſq; diem propagata, ſed multò maximè quod neſcia ortus ac principij ſui, in ea planè tempora, quibus Virgo inter mortales interfuit, velut in fontem continenti alueo recurrit, quo quidẽ vel propemodum vno, [q] ſi doctis credimus, ſumma veræ Traditionis cõtinetur. Inde verò non vſurpatione tantum famę per ora volitaſſe, verùm etiam literarum monimentis, velut riuis exceptam ad nos defluxiſſe, iterum teſtis Lucius Dexter & fortaſſe plures alij, quorum ipſe ſtudia laboreſq; hauſit.

q Suar. to. r de Relig. l. 2. c. 6. n. 6.

Sanè ex quo ille Ciuitatem Toletanam, biennio rexit, in Tabularijs [r] eius Vrbis multa ſcitu digna ſe reperiſſe fatetur; at quid vetat reperiſſe etiam, quæ hæc & id genus alia de Meſſanenſibus loquerentur. Nolo diuinare, ſed in tanta argumentorum copia, licet more Græcorum etiam ex minimis coniectare. Quamquam ego neceſſarium non puto ad exaggerandam veritatem Scriptis, priuatorum approbari, quæ publica populi contentione ſunt conſecrata, vt rectè de aduentu S. Iacobi in Hiſpanias arguit [ſ] Suarius, cuius Viri ſapientiſſimi rationes, quia apprimè ad rem noſtram faciunt afferemus & expendemus.

r Ad ann. 100.

ſ Loco cit. c. 6. n. 15.

AFFERVNTVR RATIONES FRANCISCI SVARII pro Traditione.

CAPVT QVATRAGESIMVM.

NON ſum eius animi, vt de S. Iacobo in quæſtionem vocem, quę nunquam voluiſſem eſſe controuerſa, neq; vt ſingulari certamine committam viros doctos in diuerſum ſentire cogentes. Verùm in ſimillimò prælio, ſimillima, vel eadem prorſus arma probo, certus in cauſa pietatis, non diu interſtituram ancipitem bello, ſed ad bonorum zelum & religionem palmam inclinaturam.

Itaq; Franciſcus [t] Suarius noſter vbi contenta velitatione ſatagit pro aduentu Iacobi in Hiſpanias, parum referre diſertè ait, quòd priuatæ hiſtoriæ humanæ temporum illorum, peregrinationis eiuſmodi Iacobi non meminerint, ſi neq; cum Hiſtoria Canonica, neq; cum alijs dogmatibus receptis pugnet ea Traditio. Rationes huiuſce rei affert & copioſas & appoſitas. In primis verò quia in ea peregrinatione Iacobi nihil accidit adeò publicum & prodigioſum, cuius fama vniuerſum Orbem ſit peruagata, quò poſſent excitari Hiſtorici ad id memoriæ prodendum. Deindè autem, quia ea tempeſtate non extitere diligentes rerum Hiſpaniarum Scriptores, externis verò non facilis fuit addiſcendi copia, niſi fortaſſe earum, quæ ad publica bella & Reipublicæ ſtatum ſpectabant, nihil illos, vel certe pertenui religionis manente cura. Quare cùm ea regni Hiſpanici ætas Scriptores ferret vel nullos, vel in ſcribendis

t A num. 15.

dis

dis Eccleſiaſticis Hiſpaniarum rebus modicos,mutiloſq;, mirum non eſt in hiſtorijs antiquis deſiderari memoriam profectionis Apoſtolicæ in Hiſpaniam. Profectò enim ſi Lucas Acta Petri,& Pauli poſteritati ſcripta non reliquiſſet, multæ illorum Apoſtolorum peregrinationes,& prædicationes obliuioni traditæ fuiſſent,nec aliter quàm ex Traditione ipſarum Eccleſiarum,quas fundaſſent cognoſci potuiſſent. Ita prorſus profectio Petri Antiochiam,quæ non tam præterijt Lucam,quàm ab ipſo prę terita eſt,non ſecus quàm ex illius Eccleſiæ Traditione fuit cognita,nec ad noſtram notitiam perueniſſet,niſi ex monumentis illius Eccleſiæ Clemens Alexandrinus,& ab illo Euſebius,& Hieronymus ſcriptum reliquiſſent.

Quod ſi ita ſe res habet,quid tam proprium quàm de Iacobi aduentu in Hiſpaniã, ex eiuſdem Hiſpaniæ Traditione eſſe inquirendum, quam quidem quò poſterorum religioni foret conſultum, Diuina prouidentia non permiſit excidere, nec vllatenus obliuioni tradi,aut in angulo concludi, ſed vniuerſis Hiſpaniarum Eccleſijs commiſſam voluit retineri, vt proindè nemo tam ſit præfractæ mentis, qui huic Traditioni auſit cõtradicere,niſi vnà alias etiam Eccleſiaſticas Traditiones velit cõuellere,quæ certè nuſquam inconcuſſæ poterunt conſeruari ſi huic fides derogetur. Idq; eò vel maximè,quod hanc Traditionem non modò commendat publicæ à parentibus ad filios famæ dimanatio,ſed etiam inſignis illa & antiquitatis ſpectatæ Aedes Cæſarauguſtana,in eaq; columna Virgineis ſignata plantis ſuadet ac planè perſuadet,neq; ſolùm,verum id ipſum manifeſtè loquuntur tot ſingularia præcipui amoris indicia, tam exquiſita Patroni tutelaris in Gentem adoptatam collata beneficia, quæ tot præconibus famæ aſcitis, pluribus etiam mundis, ſi ſunt,hactenus inaudiri potuerunt, & (*quod Suario ante omnia primum eſt*) pretioſum illud Sacri depoſiti pignus, propter quod hodieq; ſumma Gentium religione viſuntur Galeciæ, id eatenus conuincit vt preſſa omni ambiguitate neminem patiatur animi pendere. Hæc ferè Suarius.

Egregiè verò, ſed etiam pro re noſtra Vir doctiſſimus,quem tanquam ex Areopago libenter in hac veritatis dimicatione iudicem nomino,vt oſtendam quàm ſit conſtans,& conſulta nec tenui filo pendens hæc Meſſanenſium Traditio. Atqui nemo non videt quo tramite ſum ingreſſurus,facileq́, poſſe præripi quæ ſum dicturus.Conuertam nihilominus argumenti curriculum,& dum ab initio Suarij ſenſa euoluo, ſemina quædam rationum inſpergam,ex quibus fortiora apud intelligentis animum argumenta queant adoleſcere.

Ergo in ea Sancti Iacobi peregrinatione, nihil accidit adeò publicum & prodigioſum,cuius fama excitare ad ſcribendum poſſet Orbis Hiſtoricos? Sed enim inſoleas illa Virginis in corpore mortali apparitio,& veſtigium columnæ impreſſum ſatis habuit prodigij,ſi non ad excitandos Orbis Heſtoricos, certè ad Hiſpanos quantumuis oſcitantes excutiendos,ne rem tam mortalibus inſolitam,gentibus inauditam, intactam exortemq; relinquerent. Neq; enim clam maiore ſaltem Hiſpania eſſe poterat,quod Iacobus non ita multo poſt deſiturus in viuis,euulgare debebat, quò & demandatæ prædicationi non pænitendo (ſicut prius) fructu fidem, & cultui Virginis primùm à ſe importato,firmamentum ſufficeret. Alioqui vnde in Hiſpania ſecundùm necem Iacobi Virgo innotuit? vndè luxurioſæ Templi Cæſarauguſtani exædificationi initium datum?

Non hæc dico quaſi rei tot fulcris ſpectatæ fidem eleuem,ſed vt inde pro re noſtra eliciam minus habuiſſe prodigij, quàm vt Siculos indormientes nedum Hiſtoricos Orbis,Virginis manus iam ſcribendo inſuetæ excirent,neq;eam Legationem Meſſanenſium eius fuiſſe ſplendoris,cui excipiendæ Virgo humilis,& à regio faſtu ſubmota,purpuratorum Senatum aperiret faſtis inſerendum,ſatis deniq; habuiſſe famam, ſi

eo

Digitized by Google

eo tempore ſolã Meſſanã impleuiſſe, neq; è veſtigio extra anni Soliſq; viã exceſſiſſet, eò præſertim, quòd non de fide inferenda, publiciſq; miraculis adſtruenda, ſed tantùm de gratia tutelæ loqueretur, quã prima quod ſciã inter Vrbes, & Nationes apud Virginẽ demerita eſt Meſſana. Hùc accedit Meſſanenſes pro ratione temporũ, non illico Templis, Aris, ac ſimulacris excitatis ſuã quoq; gloriã ſuſcitaſſe, quæ vehiculũ ſolet eſſe famæ velocioris, tametſi dubio procul inſtituto primitiuæ Eccleſiæ, certas haberent ædes, quò frequentes coirent ad Chriſtianæ religionis functiones obeũdas, præſertim cùm Nero primis Imperij ſui annis, nondum Chriſti regno nefariũ bellũ indixiſſet. Nec dubiũ quin deferueſcente hac prima perſecutione, Chriſtianis è ſanguine Martyrũ, velut è fidei ſemente, verſatoq; animorũ ſolo, maiori ſegete ſuccreſcẽtibus, ſicut Euſebio teſte, in vniuerſis Vrbibus, ita Meſſanæ quoq; laxatis areis, nouas à fundamentis erectas, vt Auguſtinus [u] loquitur, Eccleſias, quæ tamen [x] Diocletia io furente immanius, iterũ euerſę iacuerũt, vt tu fortaſſe verũ fuerit, quod impius ille Cęcilius in Chriſtianos iactare ſolebat, eos videlicet nullas habere aras, templa nulla, nulla nota ſimulacra, quoad melioribus tẽporibus procreato Conſtãtino, & refixis de demoliendo decretis, toto Orbe Chriſtianæ religioni theatrum fieret, æquãtoq; diadematis regum, honore Crucis, ſacræ quoque baſilicæ palatijs Imperatorum eminerent.

Sed neq; tunc Meſſanenſes varijs fortunæ ſucceſſibus impliciti, dignam ſuo cogitatu rem moliri potuerunt, tametſi Templo Pauli nomini extra Vrbem dicato, ſcriptæ quoq; Epiſtolæ memoriam pridem ante coluiſſent, donec tandem reſpirante Euangelio eius Aedis, quæ nunc Cathedralis eſt ſedes, Diuæ Aſſumptæ ſacrandæ, quemadmodum alibi narrauimus, fundamenta locarent, deſignatoq; Sacello feſtos Epiſtolæ honores cum eximio Virginis cultu inferrent, celebrarent.

ALTERA Suarij ratio eò ſpectat, vt oſtendat inopia Scriptorum laboraſſe famam acceſſionis Apoſtolicæ, ſiuè quia nulli in Hiſpania ſcribendis Eccleſiæ rebus operam nauarent illis temporibus, ſiuè quia perpauci ijdemq; foris, ac caſtris magis, quã Aris & Templis calamo addicti. Ex quo tamen nulla neceſſaria ratio ſtat ab improbata fide Hiſtoriæ, quòd præ ſcriptis ſeruari debet ſua ſemper integritas Hiſpanicæ Traditioni.

Rectè ſanè. Sed non incuria mirabitur quiſpiam, in prouincia tàm vaſta, in gente tàm accurata, nemini præter Lucium Dextrum per quadringentos annos veniſſe in mentẽ, qui rem ad totius regni ſalutẽ, & gloriã ſpectantẽ vel obiter attingeret. Quo tamen in genere excuſanda eſt Meſſana, quæ nec ceteros Siculos quibuſcum ea gloria minimè communis fuit, adſciuit Scriptores, nec verò ipſa inter ſuos, quem ſcribẽdo ſufficeret, in ea perturbatione rerũ magis intẽta remis quàm pennis, inuenit. Quãquam non minima eſt glorię pars, habuiſſe externum, qui prouinciæ ſuppeteret, & viã famæ patefaceret. Sed nec facile quis admittat, extitiſſe Hiſpanos, qui ſemper in Sole & puluere queſtum facientes, non aliquando vmbra & otio delectarentur, hoc eſt qui de Reipublicæ ſtatu bellorumq; ſucceſſibus ſcribentes, non aliquando ſpiritum ac calamum, quem in eo etiã genere Patriæ debebant ad Religionem reuocarent. Nec enim verò de illis differere poteſt quiſpiam, cui non ſpontè ſe ſe offerat Religio, qua ſola rectè geritur Reſpublica, bella ritè adminiſtrãtur, vt qui eã vſquequaq; ſcribẽdo prætereat, nihil ſcripſiſſe videatur. Neq; enim adeò rudes Hiſtoriarũ fuere Hiſpani, quin ſæpiſſimè legerint in bellis vt plurimũ pro & è religione rẽ actã, pro aris focisq; dimicatũ, nec aliud quippiã adeò frequens incidere quàm religionis, quæſitæ, inuẽtæ aut mutatæ nomen, cum qua alia & alia ſemper exiſtit Reipublicæ facies; idq; in Hiſpanijs præcipuè tunc eſſe debebat, quando auctore Iacobo commiſſa cum ſuperſti-

 tione

[u] Lib. 2. in Leuit. tit. 59. citatur

[x] a Beda in Epiſt. ad Cor. 11.

tione religio, Chriſti nouum Regnum conſtituit, rebuſq; impenſius in medium conſuluit. Sed demus hoc ruditati illius temporis, vel etiam ac potius Scriptorum negligentiæ.

Certè aliquos ſaltem eſſe oportuiſſet ex diſcipulis Iacobi, quos Roma in Hiſpania à Petro remiſſos fama ſcriptiſq; didicimus, niſi etiam alios ſecum Iacobus ipſe itineris laborumq; comites, aut in ipſis Hiſpanijs Euangelij diſcipulos adſciuerit, qui geſta Magiſtri, vel ſaltem peregrinationis ſummã vtilitati poſterorum compendio trãſmiſiſſent. Nam quod Lucas Pauli comes, non pauca prętererierit, venia dignus videbitur, qui vnus geſta plurium Apoſtolorum amplexus, ſi ſingula complecti non potuit; vel potius alijs reliqua fecit, ſanè meditanda inuoluit. At Hiſpaniam toties à Paulo Cæleſti planè inſtinctu expetitam, ſi prius arripuit Iacobus, quàm Paulus eò peruenit, idquè nemo vnus diſcipulorum conſignauit, neſcio an non omnes cenſendi ſint non immerentes.

Sed ne multa inuoluam, quis facilè crediderit, eruditas illas, ac ad omnem inſignioris famę ſonum arrectas Hieronymi aures, latere potuiſſe eam Traditionẽ, & cõtinere manus quin de Iacobo ſcriberet, qui de Paulo [y] tam fortia, ac magnifica iactat, vt miſſis omnibus illi ſoli profectionem Hiſpanicam videatur condonare. Certè Hieronymus Romæ multus fuit, apud Damaſum aſſiduus, cum Hiſpanis etiam ab Hiſpano Pontifice crebrò reſponſa ferentibus frequens eſſe potuit, animoq; rebus Hiſpanicis intereſſe. Mentiar mediusfidius ſi non extemplò cuiuis hic veniat in mentem Damaſum, niſi dubitauerit, minus fauiſſe gloriæ Hiſpanorum, qui nec ipſe inter multa, ea de re ſcripſerit, nec alijs ſcribendi munus demandarit, inuidere enim non potuit Vir Sanctus ac Hiſpanus, nec ignorare Traditionem Pontifex, aures dare tamen facile non debuit vir prudens ac doctus. Occurras fortaſſe eius Traditionis illo tempore apud Hiſpanos implumem adhuc famam, minimè Romam aduolare potuiſſe; ſed continuò neq; natam concedes, cuius nec Oroſius & ipſe Hiſpanus inter deſides minimè recenſendus, nec præterea Dorotheus ipſo prior, nec alij horum ſuppares meminere. Quod ſi vixit in chartis Lucij Dextri, vixit etiam memoria noſtræ Epiſtolæ, longiuſq; tum egreſſa è Siculo, quàm illa ex Hiſpanico ſolo, beneficio auræ Hiſpanicæ firma ſemper conſtitit ac vegeta.

y In 5. cap. Amos.

Verùm hæc phalerata ſunt potius argumẽta quàm fortia, & validiora fortaſſe quis petat, ex obſeruata diuiſione Apoſtolorum in Orbem egredientium, ex articulo peremptì Herodiano gladio Iacobi, qui primus inter Apoſtolos ſanguine fuſo viam cælo ſignauit, ex alijs, quæ cum his velut anſulę ſunt coniuncta, Sed horum omnium calculus licet exerceat induſtriã, vireſq; hauriat multorũ, ita demũ ſuis numeris aptè per omnia reſpondere videtur, vt quantumuis multa exaggeratiſſima in mediũ conferantur, nunquam eatenus Apoſtolatus Iacobi tempora circumſcribant, quin ſpatiũ profectionis in Hiſpaniam abundè relinquant, vt proindè ſtabile fixumq; ſit nõ Iacobum modo, verùm etiam Paulum Hiſpanis in ſuo regno viſum fuiſſe, certius quidẽ Paulum ſi Scriptis antiquiorum, [z] Dominico Soto nequicquam obnitente inſiſtamus, æqualì tamen veritatis inceſſu ſi Traditionẽ cõſulamus, memores dicti illius [a] Chryſoſtomi, quod alta mente repoſitum vult Cyrillus [b] Hieroſolymitanus. *Eſt Traditio nihil quæras amplius* quod ipſum in re noſtra ſemel, ac ſæpius dictũ volumus, nec alia magis ratione cauſam probari, tametſi non deſint argumenta nec falſa nec fallentia, quæ apud æquos rerum arbitros præ calumnijs illuſtri ſemper loco habenda erunt.

z In cap. 15. ad Ro.
a Hom. 4. in 2 Ep. ad Theſſ.
b Cathec. 5.

Ac vt dici vere poteſt illis etiam Euangelij apud Hiſpanos initijs, fuiſſe Cteſiphontem qui Iacobo, quemadmodum Lucas Paulo, ſcribendo nauaret, ſed alios etiam, qui rerum ſucceſſum ad famam dirigerent, ſuis deindè in magna

Digitized by Google

temporum viciſſitudine monumentis hæſiſſe ſepultos, quoad parata cælitus occaſione rurſum emerſiſſent in lucem: ita ſanè fuerunt; qui voce & libris Epiſtolam Virginis ad Meſſanenſes datam vbiq; diuulgarent, alioqui vndè id acceptum in ſuam contuliſſet Hiſtoriam qui olim luxit, ſed nunc iterum maiore ſplendore lucere incipit Lucius Dexter, vndè celebrem apud Meſſanenſes memoriam ipſe quoq; ſuis monumentis celebraſſet; verùm in hæc omnia rerum varius ſtatus, ſi inconſtantiam iniecit, humiq; preſſit ad tempus, fama tamen immunis à chartis & lapidibus, per ora ſcilicet aureſq; volitauit, quoad ſopitas in libris hiſtorias Deo diſponente, vel è meditullio excitaſſet. Quin etiam ſicut ad veritatis detrimentum verti non poteſt, ſi Iacobum Hieronymus vel Damaſus præteriuit, quem Hieronymi tempore Lucius commendauit, ita ſatis eſſet in re noſtra, ſi Traditio auctoritate egeret, ad eam firmandam, eundem Lucium famæ ſtuduiſſe.

TERTIA Suarij ratio vel potius dictorum confirmatio, ſeminarium prorſus eſt argumentorũ pro Traditione militantium, planeq; id agit, multa quæ verè contigere ad poſterorum memoriam haud vnquam fuiſſe peruentura, niſi aliquorum ſcriptis fuiſſent excepta; quæ inter nihilominus aliqua Scribentium calamos effugerunt, nec niſi Traditione viam ad nos muniuerunt. Atq; huiuſmodi eſt profectio Petri Antiochiam, quæ à Luca prætermiſſa, ex eius tantum Eccleſiæ Traditione primùm fuit reſcita, deindè in hiſtoriam relata à nonnullis, poſteris fidem fecit. Hæc ferè ille. Ex his verò non inuoluta opinor conſecutione liquet, inanem eſſe iſtam & inualidam inficiandi formulam, Auctores eius temporis non meminerunt profectionis Iacobi in Hiſpaniam, ergo Iacobus non fuit in Hiſpania: niſi etiam conficias Petrum non ſediſſe Antiochiæ quia Lucas id miſſum fecit, quo ſemel admiſſo plurima nutabunt, quæ firmiſſima credebantur.

Hic enimuerò occurrit quàm lata ſit Traditionum poteſtas in Eccleſia, vt eadem auctoritate, & Hæreſum capita infirmet, & Catholicas ſanctiones conſolidet, nec immeritò dictum ſit Auguſtino, [c] Euangelio nõ crederem niſi Catholicę Eccleſiæ moueret auctoritas, hoc eſt niſi Traditionum vis & ratio compelleret. Aſt ego non tanta contentione ago, vt omnium Traditionum vires huc advocem, qui neq; tam ardenti diſputatione hactenus decerno, neq; contra iuratos Eccleſiæ hoſtes pugnato prælio rem gero, quod quidem præſtitere olim, præſtantq; hodie viri inuictiſſimi, refertiſſimis Traditionum copijs arcem Fidei diuino planè Marte propugnantes. Id ſolùm contendo ſicut non aptè conſequitur Iacobum ad Hiſpanias non adijſſe, quia id illius antiquitatis monumentis (finge ita eſſe) non commendatur, ita nunquam euincitur, Meſſanæ Paulum minimè fuiſſe, Meſſanenſibus Euangelium haud intuliſſe vel firmaſſe, B. Virginem ad Meſſanenſes minimè ſcripſiſſe, quia id volubiles Scribẽtium chartæ ab illo tempore non tradiderunt; alioqui ad omnem præpoſteræ conſecutionis formam, non ſolùm procliue accedat Petrum Antiochiæ non ſediſſe, Antiochenis non præſcripſiſſe, verum etiam Romam haud vnquam vidiſſe, in Orbis capite, caput Eccleſiarum minimè fundaſſe, iura Chriſtianis dare nunquam potuiſſe, quia id inter alios, ad quem maximè ſpectabat, Lucas præteriuit: quibus vna vice datis, contrahatur neceſſe eſt, & in anguſtum adducatur res Chriſtiana, religio penitus conuellatur.

[c] Cõt. Epiſ. Manich. c. 5.

Sed etiam illud hoc loco in animum inducendum, & ſi tum maximè irrefragabilis ſit aſſertorum auctoritas, quando Traditio bene fundata cum authenticis in ſententiam veniat Scriptorum, vt ſic dicam indigitamentis, eandem tamen etiam ſine ſcripto religionem habere ex antiquitate, & ex conſtantia vim & dignitatem, ſine quibus vel cetera teſtimonia pendeant, irritaq; ſint ſcripta, vel vncialibus literis exarata.

Digitized by Google

d De Teſtã. Anim. Rectè enimuerò [d] Tertullianus priorem dixit eſſe animam quàm literam, & ſermonem quàm librum, & ſenſum quàm ſtylum. Quin etiam in lege naturæ multo tempore ſine ſcripto vixerunt mortales, nec niſi quæ poſtea in volumina congeſta ſunt, ex ſermonibus & relatis maiorum acceſſerunt, vnde enim Moyſes accepit, quæ literis commendauit? vnde vel in Euangelica lege Matthæus, quod poſtea primus ipſe in Euangelium digeſſit, ſepteno videlicet [e] anno à Chriſto in ſublime recepto, poſtquam Euãgelicum ſemen tritura prædicationis abũdè iam in Iudęa fuiſſet extritum, vt non immeritò prætulerit [f] Lucas *ſicut tradiderunt nobis qui ab initio ipſi viderunt & miniſtri fuerunt ſermonis*; longeq; ante Lucam qui dixit *Patres noſtri annunciauerunt nobis, opus* [g] *quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis*: nullam inducens Hiſtoriæ Scriptæ memoriam, Traditionis duntaxat per manus maiorum ad minores traductæ fretus ſanctitate, quantumuis ea quæ renarraret, in Exodo aliiſq; libris dudum inſcripta extitiſſent.

e Baron. ad an. 91.

f Cap. 1.

g Pſal. 43.

QVARTA ac poſtrema ratio Suarij pro Iacobo capitalis eſt, nec dubito quin reliquæ præ iſta premi animis queant, ac deſpici, in hac verò pro nobis etiam totius penè rei cardo verti poſſit. Itaq; Iacobum in Hiſpanijs fuiſſe præter publicam famæ à maioribus dimanationem, teſtantur Aedes Cæſaraugustana, Columna Virgineis ſacrata veſtigijs, ſingularia præcipui amoris indicia, tot ſignis conteſtata Patroni in difficillimo quoq; tempore beneficia, ac deniq; pretioſum Apoſtolici corporis depoſitum, non Hiſpaniæ tantùm, ſed etiam exterarum Gentium religione Sacrum ac Sanctum.

Non poſſum equidem diſſimulare hæc ſumma eſſe: niſi verò planum fecero, hæc ipſa non parum commodi atq; adiumenti afferre argumento noſtro, nihil vltra conabor. Ac vt inde incipiam quod Suario caput eſt, tametſi ex Sacri illius depoſiti pignore, aliquam dignitatem, ac prærogatiuam arrogare ſibi iure queant Galeciæ, id tamen non ita præcipuum eſt, vt Apoſtolum ante mortem in Hiſpanijs fuiſſe conuincat, alioqui & Matthæus cum Bartholomęo, alijq; ex Apoſtolis Romæ fuerint, & Marcus ac Lucia Venetijs, Agatha quæ Catanæ nata ac denata, Bizantij, Nicolaus Myrenſis Barij, Tres Magi Mediolani, Coloniæ Agrippinæ, plures deniq; alij Sancti in diuerſis Regnis ac Vrbibus, quò tamen non peruenerunt ante, quàm poſt trãſcriptionem Spiritus in cælum, precioſa eorum cadauera allata fuiſſent.

Et quidem vt dubitari nequeat ſacras Iacobi exuuias Hieroſolymis Iriam Flauiam, hinc verò Compoſtellam delatas, ibidem aſſeruari, vbi per octo circiter ſecula, non terra magis quàm obliuione ſepultum, tempeſtate tandem Alphonſi Regis cognomento Caſti, cæleſti indicio repertum ac erutum eſt, idq; non magis firmo nitatur argumento, quàm celebri totius propemodum Orbis religione: fuiſſe tamen in Hiſpanijs Iacobum dum in viuis eſſet, facilius aliquãdo negatum fuit quàm creditum & probatum, vel ob id ſolum quod Rudericus Ximenius cuius alibi etiam meminimus, Archiepiſcopus Toletanus, & rerum Hiſpaniarum Scriptor accuratus vnà ac doctus, non vanis (vt putatur) rationibus, inter alios diſſentire coegerit [h] Baronium, qui ob id multa præterea quæ apud Hiſpanos certa credebantur, dubiæ fidei inſimulauit. Verùm nos hic duntaxat illud agimus, non ritè à ſacro illo corporis depoſito, rationem traduci ad acceſſum viuentis in Hiſpanias, neq; inde quempiam honoris prærogatiuam, ac præſtantiæ dignitatem rectè aucupari, vt proinde citra Traditionem quæ in re noſtra non minus firma eſt, haud vlla, quamtumuis præcipua ratio pugnet pro caſtris Suarij, quæ non æquè militet in noſtro campo; vel certè ſi in diſſimili genere verſetur, quæ non magis proficiat nobis quàm illi. Mitto hoc ipſum præſens argumentum laborare apud [i] Marianam, ſi ſpectemus nulla extare indicia, quæ in inuento illo ſepulcro, Iacobi oſſa dubio procul prodiderat, tametſi non niſi magna

h Tom. 4. ſub an. 816

i Lib. 7. Hiſt. c. 10.

Digitized by Google

magna de cauſa eam opinionem ſuſceptam Viri ſapientes autument; ſiuè ex antiquitatis veſtigijs id odorati, ſiuè ex gemijs paſſim occurrentibus redditi certiores.

Iam verò ſi beneficia in medium conferantur, quibus in omni genere Hiſpaniam proſecutus eſt Iacobus, ſingularia ſanè ſunt illa, copioſa, & Gentis Cælitibus dilectæ ſempiterna monimenta. Sed quantumuis exaggerentur, nulla ratione explicabunt Iacobum dum mortalis eſſet Hiſpaniæ limites attigiſſe; alioqui nullæ erunt gentes, populi, ac nationes, apud quas Deiparam Virginem peregrinatam fuiſſe non credamus, quando immenſa tantæ Patronæ beneficia, totum Orbem terrarum impleuere iam pridem, implentq; quotidie tot piorũ exarata volumina, quibus illa ad memoriã laudis ſempiternam commendantur. At ne tanta Virginis Maieſtate premaţur argumentum, ſexcenti ſi numerem Diui ſufficiunt, qui quot diebus quocunq; te vertas ingentibus beneficijs Ciuitates, Regna, populoſq; cælitùs cumulant, apud quos tamen dum mortales eſſent, nunquam ne fortaſſe animo quidem ſunt diuerſati.

Age verò vt euoluamus Calliſti (ſi tamen ſunt eius) de miraculis Iacobi libros cõſcriptos, nec non aliorum in dies exauctos annales, multa dubio procul inueniemus præclarè & opportunè, qua priuatim quà publicè geſta, ſed quod pleniore omnium ore & veneratione dilaudatur, ac ad omnem memoriam pro concione etiam paſsim commendatur, vnum ferè eſt, Ramiri videlicet aduerſus Sarracenos [k] incaſſum tota die pugnanti, ob metum deinde cum ſuis in collem Clauigij ſe ſe recipienti, & in vota preceſq; effuſo, hora demum noctis intempeſta ſomno ſopito, clara in luce aſſuliſſe Iacobum, vtq; exercitu peccata expiare Sacraq; Synaxi muniri iuſſo, manus cum hoſte conſereret, monuiſſe: experrectum è veſtigio Regem mandata Diui exhauſiſſe, animoq; erectum extemplò inſtructa acie ſigna contuliſſe, ac planè inuicto Marte, hoſtium ſeptuaginta circiter millia cecidiſſe, vaſa omnia, ac impedimenta direpta, caſtris ſuis intuliſſe. Egregium ſanè facinus ac digna victoria, quam Iacobus ipſe Dux pugnæ, candido vectus equo glorioſè reportaret, & niueum vexillum rubea Cruce tranſuerſim illuſum, quod dextera ferebat, Hiſpanis inſignia ſimul faceret ac Trophæum. k *Anno* 834.

Verùm ſi hinc aliquiſpiam contendat Iacobum ante Martyrium in Hiſpanijs fuiſſe verſatum, facilius certè euincet Principes Apoſtolorum interdum Roma in Apuliam ſemigraſſe. quòd hi temporibus Ioannis decimi [l] in prælijs aduerſum Sarracenos conſpecti, victoriam noſtris celeberrimam peperere. Fuerit etiam Dominicus Megarę hoc eſt Auguſtæ Siciliæ, quam Vrbem propemodum deſperatam, non modo viſus eſt propugnare, verùm hoſtũi, direptioni certiſsimę iã iam imminentiũ, furorem atq; impetum planè auertere, ciuiumq; animis, cum ſalute reuocatis, robur & vires cælitùs indere. Fuerit prætereà Ioannes Baptiſta Rhodi atq; item Melitæ, quòd vtrobiq; ſit conſpectus in ſublimi ſtricto gladio Turcas, ab ingreſſu quidem Rhodi Mahomete obſidente, Melitæ verò ab euaſione in arcem Diui Michaelis oppugnante Solymanno vetuiſſe, repuliſſe; quod ipſum paucis ab hinc annis Turcarum claſſe in Inſulam exſcendente, vel ipſis hoſtibus innumeris à parua manu terga vertentibus proditum eſt, non ſe [m] Melitenſibus ceſsiſſe, ſed Viro ſuper humanã ſpeciem auguſto, qui vnus præ mille, ſecurus ab ictu rem Inſulanorum ad perniciem vſq; Turcarum fortiter geſsiſſet. Extitere adhuc meo tempore qui altero poſt anno Melitæ adfui, ſtragis eius extra Vrbem in pago Diuæ Catharinæ veſtigia non obſcura, recenſq; adhuc opis cælitùs allatæ famam, me rogante præter inſulanos, mancipia quoque firmabant. Sed enim mentiar niſi eadem conſecutione verum euadat, Deiparam Virginem Meſſanæ aliquando fuiſſe, quæ vt dicemus non vna Ciuitatem ſtringente obſidione, raro ſane exemplo viſa eſt Meſſanenſes protexiſſe, oppugnantium

l *Luitprand. lib.* 2. c. 24.

m *Anno* 1614.

co-

conatus vndequaque irritos, & inanes reddidiſſe.

Atq; hæc non eo animo dicuntur à me, quaſi aut vacillare fidem hiſtoriarum velim, aut doctiſſimi viri quem ſemper venerabor rationes eleuare, quippe quas præ aliorum ratiunculis vndecunq; cum labore conquiſitis & corraſis, ideo expendendas ſuſcepi, quòd ſolæ robur, ac firmamentum totius veritatis continerent. Enimuerò illæ complexim omnes, vel certè aliquæ etiam ſingillatim, ſi enucleatè penſitentur, adeò firmam ac conſtantem apud ſapientes fidem faciunt, vt nihil à quopiam deprehendatur in quo titubare veritas argui poſſit. Mihi verò ſi cetera deſint ſola Traditio columnæ Cæſarauguſtanæ columen ſufficit, nullis rationum machinis euertendum, tametſi nec velim columnam illam, cum propugnaculo Meſſanenſi Virgineis item ſubſtrato plantis comparare, nec priuatam illam apparitionem, cum publico oſtento componere, nec deniq; protectorem vnius Regni, cum Regina Cæli, totiuſq; Orbis terrarum Domina, ac peculiari huius Vrbis Patrona in contentionem venire maieſtatis. Neq; enim cælites inter ſe, vel cum Dei Matre ſunt conferendi, ſed mortalium potiùs religio ſpectanda, quibus nempè ſtudijs cultum & honorem Diuorum promoueant in terris, quibuſue obſequijs, opem ſuis rebus demereantur.

Quo in genere quantum valeat inclyta natio Hiſpana, palam eſt vtriq; Orbi, quando à prima illa Ramiri victoria, aſcito in tutelarem Iacobo, nunquam ferè ac nuſquam irrito conatu cum hoſtibus fidei ſigna contulere, hodieq; conferunt, vbiq; pro ſalute Regni Imperij, totiuſq; Reipublicæ Chriſtianę expetiti animoſi bellatores, nec diuerſo impetu ingenij feruntur ad gloriam capeſſendam, quàm ardore mentis ad religionem protegendam ac propagandam. Quę omnia ſi ſecundùm Deum auſpicijs Iacobi meritò debentur, cui ſe ſuaq; omnia cum aris & focis deuouit Hiſpania; erit ſanè vt Meſſanenſes primi tantę ſuę felicitati gratulentur, quòd imploratam in omni alea Virginis opem, tot indicijs adeo certam habent ac conteſtatam, vt planè obſtrictam ſuis rebus Deiparę voluntatem & gratiam glorientur, quod nequaquam fieri poſſet opinor, niſi religione Epiſtolę ad ſe datę, nec non pręſenſione quadam cęlitùs indita, ſignatam Virgineę protectionis, ac penè iuratam fidem, non amplius in faſtis, ſed in animis atq; ingenijs circumferrent.

QVO GRADV SIT CERTITVDO TRADITIONIS de Epiſtola Virginis.

CAPVT QVATRAGESIMVM PRIMVM.

ETSI de hac Quęſtione ferè peractum ſit in profligato ſuperius Anonymi argumento, nihilominus hoc loco ſuam peculiaris diſceptatio poſcit arenam, ex eo maximè deſignatam, quòd idem cùm nonnullis alijs Anonymus Traditionem hanc piam quidem fatetur, negat tamen ex pietate ad veritatem illi robur accedere. Non abſimili ferè quondam cenſura perſtrinxit [a] Caetanus, piam illam de immunitate Deiparæ Virginis ab originis peccato ſententiam, cùm, *opinio* (dixit) *quæ defendit immunitatem Virginis ab originali, non continet veram pietatē ſed exiſtimatam*: Et iterum, *pietatem quidem eſſe ſed non ſecunndùm ſcientiam*. Quamquam longè moderatior fuerit Caetanus, qui ſuam opinionem probabilem, contrariam verò tolerabilem cenſeri poſſe non diffiteretur: cùm apud iſtos vſq; adeo parum valuerit pietas,

[a] *In trac. de Concep.*

vt

vt nedum tolerabilem, ſed planè reijciendam ſi non verbis, reipſa profectò judicarint, ceù mendacis famæ prædicationem, & cum libris Sacris Canonica fide firmatis pugnantem ſententiam: niſi fortè quo quo pacto fauere credatur is, qui tametſi non receptam, neq; tamen à ſe impeditam, ſilentio veneratur pietatem, ne religionem Vrbis Meſſanenſis, *palmari* vt ait *boni Oratoris eloquentia illuſtrandam* imminuat.

Equidem non ita ſum ad eloquentiam comparatus, vt par eſſe queam Meſſanenſium pietati commendandæ, & nedum exquiſitis verborum ornamentis, ſed nec ea dicendi copia, ſum inſtructus quę ſingula, quę ad hanc laudem ſpectare videntur, poſſit adæquare. Habent ipſi hominum in re Oratoria præſtantium delectum, qui tantum ac tam pręclarum munus, egregiè explere poſſint, niſi ipſa pro ſe loqueretur, nullius Oratoris indiga patrocinio pietas, quæ tot ac tantis per multa ſecula Virginis erudita ſingularibus beneficijs, exteris etiam occaſionem dedit, & argumentum ſuæ religionis, ad ſempiternam hominum memoriam commendandæ. Quod igitur hic agimus, non eſt, quaſi emptitio quodam artis Rhetoricæ fuco, nec non pleniore ſuadeamus ore, tanquam ancipitem rei difficilis fidem, ſed quò veritatem importunè calumnijs turbatam, ſponte ſe offerentibus vndiq; rationibus tueamur, eandemq; apud ſuos defenſores firmiorem faciamus. Id verò tùm præcipuè nos conſecutos eſſe putabimus, ſi non ſolùm diſſolutis aduerſariorum argumentis, quod huc vſq; præſtitimus rem in tuto collocemus, ſed etiam, quo certitudinis loco veritas iſta ſedeat explicemus. Erit enim hoc pacto, vt facile quiuis animaduertat Meſſanenſium pietatem in ea Traditione fundatam, cum veritate ſemper fuiſſe coniunctam, contrariam verò ſententiam an obtrectationem, labe quadam ſuffuſam, vt plurimum calumnia laboraſſe.

Itaq; ſi huius Traditionis antiquitatem, populi Meſſanenſis religionem per tot ſecula continuatam, ingentia Virginis in Rempublicam beneficia collata, eademque tam probatis cælo ſignis conteſtata conſideremus; nemini dubiũ eſſe poteſt, his duntaxat nominibus piam hanc de Epiſtola aſſertionem, quà n maximè, ſi non certam, probabilem eſſe ac vero perſimilem; vt non immeritò [o] Ioannes Carthagena protulerit, ſe non videre *cur huic* (Epiſtolæ nimirum ad Meſſanenſes datæ) *ipſiſq; Virginis Ignatijq; Epiſtolis humana fides adhiberi non debeat*. Difficile quippè eſt creditu, quẽadmodum rectè arguit [p] Franciſcus Piſanus, in Eccleſijs etiam particularibus in quibus multi ſanctitatis probatę Viri exiſtunt, reguntur q; à Prælatis prudentibus, ac Zelum habentibus, aliquid tradi commentitium, ac fictum ab iiſdemq; tolerari, quod maximè ad prouidentiam Dei ſpectat, nihil vnquam huiuſcemodi permittere.

[o] *Tom. 3. lib. 14. hom. 1.*

[p] *In Hiſt. Tolet. de Fundat. Templi. Cæſaraug. c. de Tradit.*

Iam verò ſi huc accedat feſta rei traditæ obſeruatio, Pontificijs exaggerata gratijs religio, magiſq; ac magis inflammatis in pietatem animis, ſalutaria, quę expiationem iuuent, ſuppetant ex Eccleſiæ Theſauro ſuffragia: quamquam ego non ſtatim inde confecero, certam prorſus, euidentem ac demonſtratam hanc eſſe veritatem, quæ nullam planè, vel leuiſſimam dubietatis ſuſpicionem queat admittere, omnino tamẽ euicero intra latitudinem, quod dicitur ſummę probabilitatis, ac ſimilitudinis ad verum, eũ obtinere gradum, vt qui oppoſitum mordicus, ac præfractè conetur adſtruere, impietati ſit obnoxius, nec parum criminis in religioſam pietatem admiſiſſe videatur. Nihil hic tribuimus rationibus, quibus vel noſtra ſtabilire, vel contraria niſi ſumus demoliri, memores imbecillitatis humanæ ſed præſertim noſtræ, qui nulla ex parte, vel cum infimis, qui hãc diſputationem tractare potuiſſent in comparationem venimus. Sanè in tanta opinandi latitudine, nulla adeò mediocris ingenij vis eſſe poteſt, quæ non modò noſtra diſſoluere non valeat, verum etiam alia quibus maiorem lapidem obijciat, argumenta inducere.

Sed

Sed enim qui id præſtiterit, vnà etiam cogitare debebit, nullam à ſe vel ab alio quopiam rationem adduci poſſe, quæ euidentem vt aiunt ingerat contradictionem, adeoque eam intellectui vim afferat, quæ tolli nullo vnquam humano ingenio queat. Id verò genus arguendi, cùm non parum momenti habeat in ijs etiam ſuadendis, quæ ab humano intellectu, nedum à ſenſu remota ſunt; quantum in re noſtra valere poſſit ac debeat, non eſt vt multis expendatur. Neque enim video cur huius Traditionis fides ex tam altis retruſiſque principijs ſit inueſtiganda, q *Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi* r *Interroga generationem priſtinam, & diligenter* (ex hactenus dictis) *inueſtiga Patrum memoriam* s *Nec te prætereat narratio ſeniorum, ipſi enim didicerunt à patribus ſuis*: Interroga velim Flauium Lucium Dextrum, nõ te prætereat huius narratio ſenioris, cuius vel vnius auctoritas ſi cetera deſint robur ſufficit ad veritatẽ, vt iã neceſſe non ſit aliunde firmamentũ quærere niſi de fide narrantis dubitatio ſuboriatur, quæ tamen vt temerè ſubeat, nõ ante locũ habere debet apud animum ſapientis, quàm cetera quoque ab eodẽ tradita minimè conſiſtere probentur, vt inde eſſe ſuppoſititia tota hiſtoria conuincatur.

q Deut. 32
r Iob. 8.
s Eccleſ. 8

Qua in re cùm nuper egregiè velitatum ſit pro Dextro à Franciſco Biuario, & alijs, hoc loco non putamus extra lineam abeundum, infra nonnihil ventilaturi, ſed intercepta etiam, quæ ex eodem Flauio Dextro accedere poteſt fidei dignitate, illud potiſſimùm præter hactenus dicta inquirere poſſumus, an ex dato religioni feſto Epiſtolarum cultu à Meſſanæ Præſulibus, & ex gratiarum conceſſione à Summis Pontificibus, huic Traditioni auctoritas conciliari queat, vt indè conficere liceat non modò magis eſſe piam, ac verò geminam huius Epiſtolæ fidem, quod hactenus oſtendimus, verùm etiam id generis ac ſanctitatis eſſe, vt qui oppoſitum peruicacius tueri auſit, temeritatis notam haud effugiat.

Qua in re cùm illud in primis in circulis Theologorum ratum eſſe debet, à Summo Pontifice non modò rem aliquam definiri poſſe, ac certam à fide, verùm etiam tanquam mage piam, & ad veritatem adludentem, cui qui proteruè contradicat, hoc ipſo temeritatis culpæ ſit obnoxius: tùm illud præcipuè in quæſtionem verti poteſt, vtrum ex inſtitutione feſti, & gratiarum conceſsione deduci queat eam Summi Pontificis eſſe mentem, vt rem eiuſmodi priuilegijs ornatam, magis quoque decretum velit, eſſe pietati appoſitam, germanam veritati. Sed hoc loco, vt certa ſeiungantur ab incertis, & ne ex dubijs præmiſsis non dubiæ modo, ſed penitus fallentes emergant aſſertiones, illud inter alia pro explorato eſt habendum, poteſtatem nempè ſciſcendæ legis, quæ vniuerſos ad agendam diei cuiuſpiam feſtam memoriam aſtringat, in Summo Pontifice præcipuè, & quodammodo in eo ſolo reſidere, deindè verò Epiſcopis etiam, per Diœceſes auctoritatem ineſſe feſtas inſtaurare functiones, idque ſine peculiari à Summo Pontifice, vel facultate collata, vel inſtitutæ rei confirmatione, quod proprium hoc ſit munus t Paſtoris iure contentum, & penè ipſa Iuris voce collatum, ſeù demum quia ſapientum opinione vetuſtior id Eccleſiæ firmat conſuetudo, tametſi hoc ipſo quòd vetitum haud ſit, conceſſum reputetur. Sed neque videtur multum referre, ſi ad legem de ſolemnitate diei rogandam, par cleri votum populique conſenſio debeat ſuffragari, quod ferè peritorum fundata in ipſa iuris conceptione ſententia, dudum euulgauit. Id verò præcipuè ſpectandum, quòd cùm feſtum, & religioſum cultum in veritate fundari oporteat, hoc fundamentum non eſſe ab Epiſcopo ſtatuendum, ſed eo duntaxat conſtituto, ius illi ſuppetere cultus præcipiendi, ſolemnitatem approbandi; id verò ſi in primis locum habet in feſtis, quæ ad ſolius Dei venerationem diriguntur, tùm deindè in ceteris ob peculiares fines inſtitutis parem obtinet rationem.

t Cap. 1. de conſecr. diſt. 1. & cap. vlt. de Ferijs.

Hinc

Hinc porrò quàm multa ſint firma ac præclara, quæ pro Virgineæ Epiſtolæ fide, res ipſa conſtanter deducat, nemini non palam eſſe poteſt, ſi ſingula ſuis momentis accuratè pendat: ſed nobis illud inter alia capitale eſt, quòd cùm idem ſit huius atque aliorum ferè celebritatum, quæ Sanctorum memoriam ſignant finis, eandem etiam in hac & in alijs mentem fuiſſe inſtituentium probè conijciamus, vt proinde ſi in illis cauſam vel hiſtoricam fidem, piam magis ac ſimilem vero, definitam reputamus, in hac etiam peractum exiſtimemus, eo duntaxat diſcriminis interuallo, quod in ijs quæ totius Eccleſiæ religione cenſentur ſolemnia, viua quædam Pontificis Summi proximè ſpiret intentio, in hac verò quæ ſingularis Diœceſis, vel etiam Vrbis frequentioris cultu, ſui Paſtoris inſtituto ſacra & religioſa eſt, ius ſcriptum & antiquior vſus Eccleſiæ cum voce ac ſenſu Antiſtitis, tacitam quandam Pontificiæ mentis edant interpretationem, quòd vt paulò ſupra poſuimus non Epiſcopi ſit cauſæ veritatem approbare, ſed aliundè acceptam ſuo quoque iure, auctoritate, ac præcepto colendam, ſacrare, proponere.

Sunt verò fines ob quos præcipuè religioſi feſtorum dies deſignantur, excitatio fidei, ne caducis indormiat, & erectio ſpei ne labore frangatur, dum ad gloriam anhelat, ad opem Sanctorum ſuſpirat, denique caritatis in Deum, ipſoſque Diuos in dilatatis pectoribus incrementum, nec non, vt plurima taceam, beneficij toties cælo percepti, perpetua, conſtanſque memoria. Quæ omnia quàm ſingularia ſint apud Meſſanenſes, argumento huius Epiſtolæ, longa per tot ſecula in difficillimis temporibus docuit experientia; vt non immeritò, decreto ſanctioris memoriæ cultu, veritatem firma, quod huc ſpectat fide tenuiſſe, credendi ſint Duces & auctores; eandemque gratiarum conceſſione tacitè ſuſpexiſſe, ſanxiſſe Pontifices, idque multò magis quod hæc religio Deiparæ Virginis honorem concernat, cui præ ceteris ſanctis Sacratiorem Eccleſiæ cultum ſolent decernere.

Nam etſi non eius ſit fortaſſe momenti res iſta, cui tanquam vniuerſæ Eccleſiæ comendandæ, totius Pontificiæ curæ ſumma debuit incumbere, eiuſmodi tamen eſt, quam ipſe accuratè exploratam, opinione magis probabili quàm incerta, piaq; magis & ſecura, quàm intuta & incauta niti, iudicare debuit, ac de induſtria conſtanter ſequi. Secus enim cui non ſubeat ea peruerſa ſuſpicio, Summos Eccleſiæ Antiſtites, in grauioribus etiam dijudicandis, ac totius Eccleſiæ theatro ſpectandis, minus tuta interdum ſuſcipere conſilia, fallaceſque facile abduci in opiniones? Id, cùm in iſtis fieri nequaquam poſſe ſanior ratio conuincit, tùm neque in illis aberrare facile poſſe Pontifices planè perſuadet, attenta ſcilicet rei cauſa non facto, tametſi penes eum duntaxat certitudinis gradum, quem ipſi cùm Sapientiſſimè dijudicant, alijs quoque tenendùm cenſent, vel iuris interpretatione per alios facta permittunt. Ea verò permiſſio ſi cum exhibitione cultus ab ſede Apoſtolica iuſſa, tacita quædam definitio eſt; eadem in ſimili per Epiſcopos in ſuis locis indicta, tacitæ cuiuſdam definitionis vmbra videri poteſt.

Atque hinc illud ſanè ſi non aliud, pio in Virginem ſtudio proximè quiuis confecerit, vt remota etiam omni hiſtorica narratione, quæ certitudinem phyſicam habere poteſt, hanc de Virginis Epiſtola Traditionem vero ſimili magis, magiſque pia, ac tuta ſaltem opinione, ſi non veriſſima ſententia teneri abſque periculo ſibi perſuadeat, neque ſolùm, ſed piæ quoque nomine ſententiæ auſit compellare, quæ ſicut humana quadam certitudine ad mores appoſita conſtans eſt, ita contrarium ad eandem euidentiam comparatum, planè incertum ſit, improbabile, impoſſibile. Nimirum ea uis eſt & potentia rationum, quæ piam hanc eſſe ſententiam perſuadent ani-

miſq; immittunt, vt ſi iuxta morem humanitatis definiendum ſit, falſitate circumſcribi nequeat ea Traditio, quam tot ac talia vallant argumenta, quemadmodũ è diuerſo quæ aduerſum pugnant, nullo difficiliori conatu ſuis vertuntur fundamentis. Etſi enimuerò ita reipſa cõparata ſit, vt quod dicitur phyſice & à parte rei fallere queat, ſi tamen cum ijs conferatur quæ certitudinem habent minimeq; fallacia ſunt, non minus firma eſt & ſolida, nulliſq; dubiæ fidei periculis obnoxia.

Sed enim hoc loco iterum in mentem venit, inuentionis Sanctæ Crucis per Orbem Chriſtianum inſtituta ſolemnitas, cuius origo tametſi ambiguam haberet narrationem, nec niſi humana fide & opinione cognitam, tantæ nihilominus auctoritatis eualuit momentis, vt Eccleſiam ad feſtam vbiq; ſanciendam memoriam induxerit, potuiſſetq; idem præſtare, quouis errore, vel etiam narrationis contrarietate in humanam hiſtoriam illapſa, dummodo de inuẽta Cruce famam teneret Orbis Chriſtianus, morali quod aiunt certitudine roboratam. Quin etiam illa de Septem dormientibus hiſtoria cuius alibi quoq; meminimus, quàm perplexa ſit ac inuoluta, locuples teſtis eſt [a] Baronius, qui non immeritò, *quid* (inquit) *in hac re ſentiendum ſit, ego minimè decerno, nec mihi tantum ſumo vt hæc audeam definire*. Et paulo poſt. *Quicquid ſit* (inquit) *optimo iure dicimus tam Latinos quàm Græcos, religioſè ac piè colere ac celebrare horum Sanctorum anniuerſariam ſolemnitatem*.

[a] *In Notis Iul. 26.*

Quorſum hæc, niſi vt oſtendatur vbi pietas præſumit de re tam proficua, nec vllus religioni ponitur obex, quin imò præcipua quædam cernitur ad ſanctitatis cultũ acceſſio, non magnopere curandum eſſe, ſi qua in humanis hiſtorijs oboriatur difficultas, quaſi ea piam Traditionem elidat, propiuſq; ad obruendam veritatem manus ferat. Enimuerò ſicut hodie temerarius ſit, qui prædictam de Crucis inuentione & de Septem dormientibus conſtitutam approbationẽ Eccleſiæ, nec non publico fidelium voto ſacratam obſeruationem, vellicare auſit ac improbare; ita qui religioſam Meſſanenſibus aliiſq; populis Epiſtolæ Deiparæ Traditionem, calumnijs labefactare præſumat, vt inde non vnius populi vulneret pietatem, qua nota inſignis haberi queat, ſatis apparet. Non equidem contendo priuatam vnius Ciuitatis (ſi ſolum id ſit) religionem cum publico totius Eccleſiæ voto in comparationem venire, multòq; maximè ſi ratio Myſterij habenda ſit, quæ in Crucis cultu Crucifixi reſpicit honorem, vt hac in parte nihil dicam de feſta dormientium memoria, quæ niſi fortaſſe quia publica Chriſtianis eſt, cum ceteris Diuorum cærimonijs exæquatur, religioſæ tamen Virginis ſolemnitati, quàm duliæ (quod aiunt) ritus ſacrat, longè ſecũda venit: ſed duntaxat prẹterita rei dignitate, ſi quæ humana hiſtoriarum fides ſit ob quam dictæ ſolemnitates præceptæ ſint, facile cuipiam nec præpoſterè veniat in mentem non multò maiorem in illis quàm in iſta certitudinem affulſiſſe, quin, ſi non imparem fuiſſe cõtẽdat vtraq; ex parte rationem, meo quidem iudicio nihil aberrabit.

Nam qui hactenus præcipuo duntaxat pietatis ac religionis argumento à Traditione ducto, fidem ſibi ſuffecit, is ſi animum in hiſtoriam Flauij intendat, nullis diſputationum ambagibus inuolutam, ſed ſyncera ſine ſuppoſitione vt præfertur fraude incedentem, quid apud ſe ſtatuere iſtum oporteat, facile opinor intelliget, ac ſecum ipſe tandem de re tota ſanctè decernet. Neq; enim impediti Scriptorum characteres quo quo tandem errore an oſcitantia inſidentes facere poterunt, quin ſi rationibus accommodetur animus, obſeptus ad veritatem aditus pateſiat, quando in non paucis alijs, ſed præſertim quẹ modo retulimus, nedum tempora, verùm ne rationes quidem implexæ fidem ſapientum remorantur.

Et non dubium ſi quæ ex prædictis aliiſq; rebus geſtis manauit, ea quoq; ex hac Virginis Epiſtola redundaſſet vtilitas in omnem Eccleſiam, nec in vnius dũtaxat populi

puli beneficium tam ingens donum conceſſiſſet, communem futuram fuiſſe religionem, Summi Paſtoris ſententia præceptoq; firmatam, ac tùm demum ſi pietatem ex ea Traditione profectam, nemo niſi auſu pluſquam temerario legibuſq; coercendo inceſtaſſet; qua hoc tempore ſententia ſtringendus ſit, ſtante videlicet eadem, non eodem fulta ſuffragio veritate, iudicio prudentis relinquendum. Equidem haud dubito plures fore, eoſdemq; Viros ſapientiſſimos, qui ſi ſemel huic religioni ratam ex more aſcribant certitudinem, contrariam aſſertionem ex omni etiam opinionis numero ſint exempturi. Sed qui temperatius, ac mitius agere volet, vt omnem à certitudine moris tot rationibus exaggerata, opinionem in more quoq; fundatam excludat, phyſicam etiam & quæ cum rei euidentia quo quo modo adpugnet, non vſquequaq; eſt proſcripturus, niſi ex hactenus dictis nulla ex parte dubiam eſſe conficiat veritatem.

Atq; hæc de Traditione eo præſertim ſenſu diſputata eſſe oportet, ſi aliunde robur ab auctoritate non accedat, ſed ipſa duntaxat per manus & ſecula propagata domicilium fixit in religioſis pectoribus, quæ non tàm ſcriptis, quàm pietate exaratam ſolent atteſtari veritatem. Enimuerò ſi extra lineam, ab Hiſtoria fides repetatur & dignitas inductæ religionis, alia decernendum fuiſſet arena, nec tam cautis circumſcriptionibus ducendi cancelli, qui dubitantem an illudentem calumniam, non iam ab animis verùm ab ipſis oculis arcuiſſent. Ac de auctoritate quidem exinceps ſtatuendum, interim ad roborandum hanc noſtram Traditionem & illud [x] Auguſtini laudandum. *In his quæ varia per diuerſa loca ſeruantur, vna hæc ſaluberrima regula tenenda eſt quæ non ſunt contra fidem, neq; contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicunq; inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolum non improbemus, ſed etiam laudando, & imitando ſectemur.* Sed etiam [y] Martinus de Ayula in ſuis de Traditione aſſertionibus, ſapientiſſimè decernit Traditiones particulares conſuetudine fidelium obſeruatas, ad cultum Dei & pietatem pertinentes, neceſſariò in Eccleſia vbi vigent, retinendas eſſe.

[x] Ep. 118.

[y] Aſſert. tion. 8.

Quæ propter [z] Franciſcus Piſanus non immeritò velut peſtem fugiendos monet eos, qui arroganti non minus quàm peruicaci ingenio Traditioni impedimentum obijciunt, & pietatem antiquam, à teſtium fide volunt roboratam, quaſi ſupra omnem auctoritatem non eſſet potior dignitas Traditionis bene fundatæ, cuius altiores egiſſet radices ipſa religio, quàm quæ ferrum calumniæ vellentis admitterent. In quo genere laudat Philippum ſecundum Catholicum, qui de fundatione Templi Cæſaraugustani, cum requiſitas teſtes Tabellas non inueniſſet, ſed duntaxat Traditione veritatem ſedere accepiſſet, *& hoc ſufficit inquit Rex ſapientiſſimus* exemplo ſuo premens intemperatum eorum faſtum, qui repudiatis Traditionibus, Phariſaicis tumentes animis ſigna quærunt, religionem angunt, ſuam ipſi fidem excedunt, quibus iterum obuertendum illud [a] Chryſoſtomi. Traditio eſt nihil quæras amplius. & reducendi, ſi fieri poteſt ad humanitatem, vt leges accipiant ex quibus diſcant animum ad mores componere, Si namq; legum ſanctione, probatio immemorabilis facti denis vel duodenis teſtibus roborata, veritatem habet quantumuis caſſis tabellis irrefragabilem, & ſi ſecularem præfert vetuſtatem planè conuertitur in naturam, quid de vnius Ciuitatis exceptione nobilioris, Traditione tam antiqua, tam religione ſacra cogitandum, facile viderit opinor, qui extra leges, aut etiam extra humanitatem minimè deerrarit.

[z] De fundat. Templi Cæſaraug. cap. 2.

[a] Hom. 4. in cap. 2. Epiſt. 2. ad Theſ.

AFFERTVR PRO EPISTOLA VIRGINIS

Flauij Lucij Dextri auctoritas.

CAPVT QVADRAGESIMVM SECVNDVM.

DE Traditionibus iam peractum. Illæ cùm ſolæ ſufficiant ad fidem in animis humanis ſacrandam, auctoritates inſuper haberi poſſunt, ſi tamen ad votum accedant, religioni quidem robur, illis autem qui teſtibus omnia ſancta volunt frenum inijciunt. Et ſi igitur religio Meſſanenſium per tot ſecula propagata ſeipſaq; maior in dies, ſatis ſuperq; pro noſtra Epiſtola vocem mittat: quia tamen ea ſunt hodie tempora moreſq; hominum, quod alibi etiam obſeruauimus, vt veritatem etiam in cauſa religionis, ex ore ſcriptiſue, non ex animi ſenſis pendere velint, proferam huiuſce rei Scriptorem hoc loco palmarem, infra reliquos etiam in paucis claros teſtes rogaturus, qui & numero & genere vel apud dubios arbitros veritatē ſiſtere poſſint.

Quod igitur ad Flauium ſpectat, optādum ſanè erat ijs, qui ante me de hac Epiſtola ſcripſerunt, vt in hæc tempora incidiſſent, quibus ſepultum Flauij per tot ſecula Chronicon, iterum ad lucis vſuram eſt reuocatum, leui ſanè quod aiunt digito calumniam omnem eleuaſſent, qua præcipuè in ſuo regno uiſi eſſe aduerſarij impetebant veritatem, nulla antiquiori auctoritate ſubnixam. Eo equidem nomine plurimum mihi gaudeo, quod omnium votis diu expetiti operis, mihi non inter poſtremos copia facta ſit, eo maximè tempore, quo tempore in Sicilia obtrectationibus quorundam plurima de hac Epiſtola miſcerentur. Ea nempè diuinæ prouidentiæ ſolet eſſe conſuetudo, vt nouis erumpentibus occaſionibus, quibus infenſa opera labefactari poſſet in parte religionis cultus, toties nouos opponat pietatis patronos & propugnatores, qui vel impetitam veritatem fractis calumnijs vendicent, vel iacentem apud alios, ac penè ſepultam, liberiorem in lucem aſſerant. Et fuit hoc neceſſarium his temporibus, quibus vt inquit [b] Caſpar Eſculanus (ſubacido vt videtur animo) cùm Cardinalis Baronius Iudicem vniuerſalem omnium auctorum tàm viuorum quàm mortuorum agere voluiſſet, hi duo vetuſtiſſimi Hiſtorici Flauius Lucius Dexter ſcilicet, & M. Maximus velut Enoch & Elias in extremis mundi ſeruati, è cælis ad teſtimonium veritati reddendum in terram venerunt.

Verùm ego ne longa inuolutaq; laude Flauij partes agam, ſi de antiquitate, vitæ ſanctitate, generis claritudine, hiſtoriæ veritate, dicere inſtituero; libenter remittam lectorem ad ea, quæ initio eius operis, honorifica ſemper tanti Viri præfatione recēſentur. Sanè cùm eo ſcribente, vt ipſe de ſe animaduertit, curreret [c] annus Chriſti ſupra quadringenteſimum quadrageſimus, ipſe verò ageret annum ætatis cum ſecūdo ſeptuageſimum, conſequens eſt vt Hieronymus, cuius ille obitum peracta iam ſenectute migrantis, annectit anno quadringenteſimo ſexto, ſenis ac denis, Auguſtino verò qui anno quadringenteſimo cum triceſimo in viuis eſſe deſijt, denis ſuperuixerit annis, atq; adeò in vtriuſq; tempora penè par æuo inciderit. Præterea cum S. Patiani Epiſcopi Barcinonenſis ex matrimonio proles extiterit, & [d] Hieronymo teſte clarus apud ſeculum, & fidei deditus, nec non Prætorij Præfectura decoratus, & etiam ſuoptè teſtimonio [e] Toletanæ Ciuitati biennio Præfectus, vt verò [f] Ferdinandus Salazar noſter, in Sacro Theodoſij Imperatoris conſilio Cancellarius maximus:

[b] Lib. 2. Hiſt. Val. cap. 1.

[c] Sub. an. 430.

[d] De Scri. Eccl. & in Apol. aduer. Ruffin.

[e] Ad an. 100.

[f] De Concept. Virg. c. 35.

omnino neceſſarium eſt virum fuiſſe, & ſanguinis, & vitæ genere clariſſimum, quem hoc ipſo Imperatores etiam à religione alieni (ita ſemper ſanctitas venerationi eſt) in pretio & admiratione habuerunt. Deniq; cum Hiſtoriæ ab eo conſcriptæ, vel potius fragmentis congeſtis, fidem faciant viri ſingulares, non eſt vt temporis gratia, quando idipſum minimè res poſtulat, operam laudando Flauio remoremur, iterumq; pro inſtituto ſufficiunt Hieronymus, Marcus Maximus & in paucis [s] Baronius ſeculorum memoria digniſſimus, qui quanti fecerit Flauium, luculenter ea deploratione oſtendit, qua Hiſtoriam illam ad Hieronymum ſcriptam magno diſpendio noſtro periiſſe conqueritur. [s] Tom. 4. an. 89.

Nempè Baronio viuente nondum Flauius è tenebris euaſerat in lucem, qui ſi prius inclaruiſſet, fortaſſe non ipſi modo, verùm etiam alijs plurimum luminis affudiſſet, ſed præſertim eos, qui Epiſtolæ Virginis ad Meſſanenſes ſcriptæ aduerſantur, planè perſtinxiſſet. Qui demum hoc tempore ſinictantibus oculis lucem ferre nequeunt, teretes afferant aures, quibus ſyncere hauriant, quæ ex eadem Flauio ſub annũ Chriſti octuageſimum ſextum, penè vncialibus ſcripta literis leguntur. *Apud Meſſanenſes celebris eſt memoria B. VIRGINIS MARIÆ, miſſa prius ab eadem dulci Epiſtola.* Quo loco mihi tot, ac tanta veniunt in mentem, vt difficilius ſit ſcriptionis exitum quàm initium inuenire, quando quod de Thymantis picturis prouerbium fecit, plura in ijs exprimi, quàm pingi, plura etiam Flauius ſenſu teneat, quàm verbis efferat, quæ tametſi in cõſequentibus non leuia poſſent eſſe capita rerum, hoc tamen loco breuiter attingentur, vt velut ſecto cortice nucleus inſpiciatur.

Itaq; Flauius & celebrem narrat Meſſanenſibus eſſe memoriam, & miſſam ad eos Epiſtolam Virginis; & quidem memoriam celebrem, non ob aliud magis, quàm ob miſſam prius à Virgine, ſanè dulcem Epiſtolam, neq; ſolum celebrem, hoc eſt fama latè manante diuulgatam, quo pacto celebris erat nedum apud Meſſanenſes & finitimos, verùm credas apud Germanos & Hiſpanos, & fortaſſe toto diuiſos Orbe Britannos: Sed celebris feſta obſeruatione, ſolemnitate quotannis vertente, quam per multa tempora deerrantem potius quàm intermiſſam, ne totus fortaſſe annus religione Virginis Meſſanenſibus ſacer, ſine ſtata die tranſiret, niſi etiam aliquando barbarici iugi inſolentia deſueſcentem, iterum ſuperioribus annis, quò ſugillatores premerentur, fieretq; cultus Deiparæ concurſu populi certior, opportunè reſtituta eſt diei ſignatæ Tertio Nonas Iunij, fecitq; religionem magis ratam Pauli Quinti Pontificis Maximi auctoritas, qui conceſſa piaculari gratia, non parum momenti addidit ad ferendam fouendamq; in animis omnium pietatem, idq; non alia de cauſa, quàm ſolius credas antiquæ Traditionis probitate fretus, nihil ſanè facturus, niſi firmiſſimum hoc veritatis vinculum credidiſſet, vel ſi alia quamuis non defutura argumenta quæſiuiſſet.

Non puto quempiam eſſe adeo ieiunum quin ſciat latè abire vocabuli Celebris ſignificationem, verùm ex more Flauij & Maximi nouerit, nihil illis toto illo opere magis vſuuenire, quàm eo vocabulo feſtam aliquam ſignare ſolemnitatem, vel certò non vulgarem alicuius facti memoriam, aut perfunctoriam recogitationem, verùm quæ præcipua deuotione gentium, populiq; religione, atq; adeo peculiari quadam Eccleſiarum obſeruatione ceteris emineat. Quamquam ſi ex id generis vocabulo, penes iſtos etiam auctores aliud quippiam ingeri queat, non admodum reluctabor, qui ab initio huius operis mihi propoſui omnia bona fide facere ac dicere. Ne igitur in his minutijs inuoluto artificio callidè fruſtrari videar lectores, afferam alium eiuſdem Flauij locum ſub anno trigeſimo ſuper quadringenteſimum, quo non ſolum Epiſtolam miſſam confirmat, verùm etiam velut ſublimi theatro elatam omnibus legendam proponit.

Eo-

Eodem (inquit) *tempore*, quo ſcilicet vt ibidem paulò ſupra dicitur, Epiſtolæ eiuſdem B. VIRGINIS ad Sanctum Ignatium, & Ignatij, ad Sanctiſſimam Virginem iam pridem ſcriptæ manibus fidelium ferebantur, *in Tabulario Meſſanenſi reperta eſt quædam Epiſtola Hebraicè exarata à B. Virgine ad eiſdem Ciues Meſſanenſes, & maximi dicitur*. Ex quo etiam loco tot argumenta emergunt, vt nulla penitus relinquatur occaſio tergiuerſandi, quantumuis omnes anguli, atq; vmbracula calumniarum excutiantur. Verùm ne ruptis repagulis extra cancellos excurram longiùs, illud hoc loco per quàm firma conſecutione teneri volo, ex breui & abrupta Flauij occaſione, ſenſum fortaſſe pendere dictorum, non animos legentium, quibus vel ſpontè occurrat cogitandum, diſſipata vſq; ad aures & calamum Flauij huius Epiſtolæ fama, non minimam Orbis partem fuiſſe occupatam, ideoq; non apud Meſſanenſes ſolùm, verùm etiam apud exteros fixo Meſſanenſis gloriæ domicilio MAXIMI dici vel cultus, vel honoris, vel ſi orationem extendas amoris, & beneficij Deiparæ erga Meſſanenſes argumentum.

DEFENDITVR AVCTORITAS FLAVII
Lucij Dextri.

CAPVT QVADRAGESIMVM TERTIVM.

ID modo agendum vt qui Flauium in multis teſtem laudauimus, eumq; vel ſolum omnium auctorum numeros explere non dubitamus, quo firmamento fidem adſtruamus, oſtendamus.

Ac in primis non deeſt vnde multis obruatur teſtimonijs ea fragmentorum, quæ circumferuntur congeries, quòd non modo recens prodita, ſed etiam nunc primùm inuenta creditur, ad confirmanda non pauca Hiſpanorum placita, quæ à nonnullis liberius fortaſſe quàm verius exagitata nutare cæperant in Hiſtorijs, nullis ſuffulta rationibus quæ fidem eruditioribus animis ſufficerent, cuiuſmodi eſt inter alia Iacobi Apoſtoli ad Hiſpanos acceſſio, Hiſpanæ Gentilitatis ante omnes Occidentales ad Chriſtum conuerſio: quod præterea paſſim, & præcipuè Hiſpanorum duntaxat, miſſis alienis, id figmenti laudes loquatur, diuerſa, vt putant à priſcis illis temporibus conſuetudine, niſi id moris etiam Viris grauibus, ac ſanctitatis fama notis, nationis genio quis ineſſe credat. Quæ ſingula nec non pleraq; alia, ceù fabulis appoſita, cùm opera muſſitantium ex angulis in liberiorem auram, noſtraſq; demum ad aures euaſiſſent, varia mentem cogitatio pulſare cæpit, non qui noſtræ Traditioni diffideremus, quam vel ſine Flauio propagatam, deinceps quoq; per manus ducendam non ambigebamus, ſed quia Viris qua eruditione, qua fide integerrima ſpectatis, quorum nominibus ea Flauij lucere cæpit Hiſtoria, nonnihil impingi doleremus, quaſi in re tanti momenti, fidem fuco nundinati, non tantùm Flauio cuius opera duntaxat, iacebant, fama ſepulta non erat, impoſuiſſent, verùm etiam toti Orbi illuſo, ſuam quoq; exiſtimationem ludibrijs, ac irriſui omnium obieciſſent.

Id cauſæ fuit cur eminentia quædā errorum de videbatur capita decutienda ſuſcipere animus eſſet ſi poſſem, non tàm ad exiſtimationem tantorum hominum in priſtinum locum aſſerendam, neq; enim deiecti erant vt hoc patrocinio egerent, quàm ad vituperationem vitandam, noſtramq; de Virginis Epiſtola teſtificationem Flauij

etiam

Digitized by Google

etiam auctoritate qua par eſt commendandam. Sed cùm ſæpius non indiligenter peruidiſſem exemplum Calderonis, non ea duntaxat capita quæ ſe omnium oculis inſerebant viſa ſunt exterenda, ſed ipſa penetralis Hiſtoria penitius introſpicienda, in qua cùm multa ſanè ſe offerrent prima ſpecie difficilia; cogitanti tamen diutius, nihil adeo viſum eſt durum, quod non facile emolliri poſſet flectiq; ad patentiorem veritatem. Id verò cùm non ſine Marte, & Minerua quo quo modo præſtitiſſem, tametſi ad alios proximè id rei pertinere non neſciſſem, nolui vulgare alienis quod proprijs duntaxat tabulis addixiſſem, eò præſertim, quòd cùm vnico Calderonis exemplo fuiſſem vſus, plura verò aliorum in Hiſpanijs circumferri intellexiſſem, nihil putaui peragendum quoad collatis omnibus, ſi nanciſci poſſem, & quæ hactenus meridiationibus lucubraui ad limam reduxiſſem, & quà propior elucere veritas poſſet, aperirem. Huc accedit accepiſſe me, iam cum ea Minerua paciſci, viros in Hiſpania varia ac multa librorum lectione eruditos, quibus cum exemplorum copia, maior etiam ſuppeteret amor, iſtoq; ſolus vires ſufficeret ad perficiendum breui, quod alij minus in eam rem intenti, non niſi ſero tandem eſſent effecturi Itaq; malui interim ſilere & velut Apelles, ſed poſt Flauij non meam tabulam aliorum audire iudicia, idq; non anxiè magis quàm cupidè, quòd quamcunq; in partem aliena caderet alea, Flauij auctoritas à nobis loco deteriore minimè conſiſteret.

Opportunè vero cogitatione haud in falſum iacta, venit ad manus meas, quod etiam Antonino Amico fero acceptum) Apodicticus in Flauium Dextrum commentarius pereruditi Franciſci Biuarij, eius qui non ita pridem Bernardum alioſq; Sanctos Patres, ab obſcura de BEATAE VIRGINIS origine, ſententia vindicauit; dignus ſanè qui in vtroq; opere Viris ſapientiſſimis, verum in Apodictico, præſertim Hiſtoricis probetur. Perlegi totum, penè ſingula expendi, quod diſpliceret, vix inueni. Nam etſi in nonnullis ab eo diſſentirem, in pleriſq; tamen ſententiam adamaui, & de toto opere quod Hieronymus de libris Hilarij, qui ſentirent, laudaui. Enimuero ſi magno Reipublicæ Chriſtianæ bono emerſit in auras Flauius Lucius Dexter, eam illi Biuarius adultam affudit Lucem, quæ tenebras à non paucis offundi cæptas fugaret, ac diſpelleret, idq; demum ſuis illuminatis præſtitit laboribus, vt Flauio aurum & pretium, Lucio lucem & ſplendorem conciliaret, Dextro dexteram porrigeret, multiſq; vt videbatur caſſibus irretitam veritatem, ingenij ſui dexteritate, enodaret, explicaret.

Sed etiam illud effecit, vt noſtram ab ea prouincia redimeret operam, & quos aduerſarios fortaſſe toleraſſemus, ad ſuam ipſe dimicationem auocaret, pugnæq; in poſterum locum præoccuparet: vt hoc propter cùm nullum nobis exinde bellum ciendum ſit, intecto quod dicitur capite liberè incedamus, & ſolùm, quæ adultæ iam Hiſtoriæ Flauij, religionem offert obſcuri nec conſtantis natalis, famam in conſcientiam eatenus ducamus, vt à ſuſpicione falſi longe eſſe velimus, nec ob diuerſam narrationem rei veritatem cadere cogitemus, quando ſi cetera conſiſtunt, inuentumque recens diu deſideratum Flauij Chronicon manibus tenemus, parum referat nouiſſe quo tandem diſpoſitu, vel vnde gentium ad forum humanum acceſſerit, theatrum inuenerit.

Ac in primis [h] Gabriel Pennottus qui nuper ſcripſit in hiſtoria tripartita Sacri Ordinis Clericorum Canonicorum, exactè quàm potuit hanc Flauij hiſtoriam videtur ventilaſſe. Arguit verò diſcrepantes multorum ſententias, quorum alij temporum incuria pridem abolitam volunt, alij vt perditam nolint, hanc eam eſſe non iurāt, plures verò Hiſpani, non aſſerunt ſolùm eam eſſe ratam ac probatam, ſed cæleſti conſilio vaſtitati Sarracenorum ſuperſtitem, ad Cænobium in Germania Fuldenſe dilapſam

[h] Lib. 1. c. 54.

pſam, ac diuinitus ſeruatam Sanctum habent, idque ſiuè, tandem cum alijs permultis Caroli magni prouiſu ex Hiſpaníjs eò deuoluta ſit, quemadmodum narrat Eutrādus vel ſi is ſit Luitprandus Titienſis Eccleſię Toletanæ Subdiaconus, qui ſuam hiſtoriæ præfixit Epiſtolam, ſiuè quod alij ſuſpicantur, à quodam Benedicti Ordinis Monacho, illis regni periculis ſuperſtite ac in Germaniam profugo, deportatam, & Fuldæ vſq; ad hæc ferè tempora conſeruatam.

l In Hiſt. Tol. 1 par. 1. de fundat. Tēp. Cæſaraug.

Franciſcus deinde [l] Piſanus inuentum Fuldæ Lucium Dextrum, ab Euthrando ſcilicet qui ibidem exulabat, poſtliminio reſtitutum ante annos plus minus ſeptingentos quinquaginta, narrat, ita tamen vt exſcriptum duntaxat fragmentum ab Euthrando velit, ac Regimundo Epiſcopo Illiberitano tranſmiſſum, cuius deinde exempla plura per Hiſpanias deerrarint. Addit verò, ex fide Virorum exceptione maiorum, idem opus in Bibliotheca Petri de Pechia Præſulis Giaenſis, ante annos quinquaginta ſuper ducentos extitiſſe, & adhuc ſupereſſe inter manus Fratris Auguſtini de IESV Pragenſis Archiepiſcopi, eo ſcilicet loco ac dignitate, quę apud omnes exiſtimationem habere queat. Idem de Præſule Giaenſi teſtatur Gaſpar Eſculanus, ſed qui præterea dicta fragmenta literis Gothicis in pergameno exarata, eademq; etiam apud Archidiaconum Laurentium de Padilla, Caroli quinti Chroniſtam narrat extitiſſe.

Pergit verò Franciſcus Piſanus, Hieronymum Romanum de la Higuera è Societate IESV, peritum antiquarum lectionum, & qui à P. Gabriel Vaſquez antiquitatum diligentiſſimi indagatoris nomen ferat, accepiſſe Lucium Dextrum è Germania miſſu Patris Thomæ Torralba Occanenſis ſui quondam diſcipuli, qui cùm Vuormatiæ ageret, amico vſus Ciue, librum offendit in membrana Gothicè perſcriptum, quem is ex Bibliotheca Fuldenſi habere ſe dixiſſet, rogatuſq; copiam exempli fecit, quod Torralba in Hiſpaniam Magiſtro ſuo tranſmiſit, ex quo demum ad alios multiplicatis ſcriptis dimanauit. Id verò circa annum ſuperioris ſeculi nonageſimum quartum accidiſſe refert, totamq; hanc narrationem literis Gabrielis Vaſquez ad ſe datis habuiſſe.

Exiſtimat autem Piſanus primigenium illud exemplum, vnde in Germania exemplaria pullularunt, illud ipſum eſſe, quod Euthrando in Bibliotheca Fuldenſi ad manus venit, à religioſo Benedictini ordinis ex Hiſpanijs vt ſupra dicebamus, Sarracenorum vaſtitatem declinante, illuc reconditum, ac recentioribus inde ſeculis conſecratum, neq; illud ſolùm ſed plures alios libros, quos ibidem vidit Euthrandus, ab eodem deportatos, eadem ſalute ſartos tectos permanſiſſe. Argumenta verò quibus ſibi fidem facit Piſanus, eiuſmodi ſunt, quæ ſi coniecturæ committantur nedum apud rerum prudentes, ſed apud obfirmatos præter mentem diſceptatores, locum habere poſſint, Ciuis nempè Vuormatienſis confeſſio, qui ex Bibliotheca Fuldenſi ad ſe verſum librum affirmauit, ſigna ipſa libri in membrana Gothicè loquentis vetuſtiora quàm vt recens figmentum olere poſſint, Accedit teſtimonium Euthrandi, fuiſſe in monaſterio Fuldenſi, vndè ipſe exceptum exemplar Hiſpanis remiſit, illius puta archetypi qui multis poſt ſeculis ad Vuormatienſem deuolutus eſt, quin verò multis ante annis quàm è Germania opinor reuertiſſet, extitiſſe Scriptum Dextri & Maximi apud non paucos Hiſpanorum, atq; inter alios apud Laurentium Padillam Archidiaconum Rondinenſem, & Petrum Alocerum Chronicum Toletanum. Addit demum commenti locum non appoſitè implere, quaſi ad firmandam traditionem de aduentu ad Hiſpanos Iacobi Apoſtoli, tempori emerſiſſe dicatur Lucius Dexter, quando non ſolum præter hunc fidem ſatis tuta, ac firma ſemper ea fuit religio, ſed etiam à pluribus annis, ex quo è Germania venit, neceſſarium illi teſtimonium non ſubrogauit.

De-

Digitized by Google

Deniq; ſi nihil aliud, ſtylus ipſe cum Hiſpanicarum Traditionum conſenſu, veritatis non improbum eſt ſignum, verùm prætereà Patrum Societatis auctoritas, quæ ſpontè interponitur, omnem figmenti ſuſpicionem procul pellit.

Inter hos Patres primus cenſeri poteſt, quem idem Piſanus laudat [y] Coſmas Magalianus Bracarenſis, qui vt honorem patriæ, ſplendidioris ex Lucio Dextro lucis fulgore affunderet, ipſe quoq; Lucij nomen, atq; auctoritatem honora mentione amplificauit, & in multis alijs veritatem hiſtoriarum apud Bracarenſes ſatis conſtantem, acceſſione quoq; narrationis Lucianæ fecit conſtantiorem. Sed Magalianum ſuo loco in partem vocabimus, nunc ceteros audiamus.

Secundus fortaſſe ſit [z] Ferdinandus Salazar, qui cùm ex votis aliorum nobile teſtimonium Flauij Dextri ad probandam à temporibus Apoſtolorum, Conceptæ ſine labe Virginis feſtam antiquitatem produxiſſet: Aiunt (inquit) huius hiſtoriæ locuples exemplar inuentum hoc ſeculo apud Germanos in Bibliotheca Monaſterij Fuldenſis, quod nimirum longo ab hinc tēpore per Monachos Benedictinos, ex Monaſterio illo nobiliſſimo agri Toletani, quod Ciſla vulgo dicitur, Fuldam tranſlatum fuerat Gothicis characteribus exaratum. Huius autem exemplaris excepta fragmenta, ad eruditum quendam noſtræ Societatis virum, Hieronymum de Higuera (cuius locupletem rerum Hiſpanicarum hiſtoriam, quam iam texebat fatum nobis inuidit) è Germania adductam dicunt grauioribus teſtimonijs munita, quæ hodie in domo noſtra Toletana, vbi Hieronymus obijt diem, adſeruantur & leguntur. Hæc Salazar. Qui tamen cùm antea duobus è Flauio locis allegatis pro feſto Conceptionis intemeratæ pugnaſſet, quorum altero à Iacobi prædicatione, à tempore Apoſtolorum altero dictam ſolemnitatem publicè Sanctam adſtruxiſſet, deindè tamen eadem teſtimonia ab aliquo parū credulo facile abnegari, & pro ſuppoſititijs haberi poſſe cenſuit, quod ea, quę de Flauio circumferuntur, ipſa etiam ſtyli gracilitate nouitatem prę ſe ferant, & hactenus in ſchedis & chartis (vt ait) habeātur; quamquam paulo poſt ſecum ipſe in gratiam reuerſus: *Sed tamen* (inquit) *quia credulus eſſe malo quàm indoctus, teſtimonia quidem libens admitto, tamen auctores iſtos grauiſſimos* (loquitur vnà etiam de Oroſio) *Non de Conceptione Virginis Sanctiſſimæ locutos exiſtimo* (*liceat ſic dicere*) *paſſiua quatenus ſignificat illibatum ipſius in viſceribus Annæ conceptum, ſed actiuè quatenus CHRISTI Domini in ipſius Mariæ vtero intemeratum itidem conceptum ſonat, luculentiùs dicam per Conceptionem Virginis Mariæ, ipſam Verbi Diuini Incarnationem accipiendam eſſe autumo.* Hactenus ille.

Ceterùm Pennottus plures alias nec parum inter ſe variantes, ac interdum ridiculas de inuentore huius hiſtoriæ profert opiniones, vt iam non quid prudenter conijci potuit, ſed quid cuiq; in mentem venit dictum videatur. Hùc fortaſſe accedere queat diuerſitas exemplorum, quæ nuſquam vt videtur, conſtantem lectoris habet mentem ac fidem. Nobis ad manus illud eſt, quod Ioannes Calderon Cæſarauguſtę Anno milleſimo, ſexcenteſimo, decimo nono in lucem miſit, prælato nomine Flauij Lucij Dextri Barcinonenſis; aliud verò accepi circumferri in Hiſpanijs, ſed nuncupatione Marci Flauij Dextri. Et mirum quæ diſceptatio inter Hiſpanos auctores, cui nam exemplo fides potior adhibenda, quando vel hæc duo, nedum ſi plura quemadmodum dicitur emerſerint, in non paucis, vt quibuſdam videtur, aut redundent, aut reciſa ſint, in pleriſq; ſibi pugnantia; quid etiam, ſi verùm, apud Hiſpanos non ſolùm non eſſe conſtantia, ſed neq; integra exempla, verùm compendia quædam rerum, eademq; hiulca interdum, plerunq; mutila, delumbata. Ex ijs verò quæ extant vtrum alteri prætuleris, ex fide commendatorum repoſces.

[y] In .. præm. operis Hierarch. fol. 15.

[z] De Concept. Virg. cap 35. §. 2. n. 10.

Ioannes Calderon ea ſuum alteri præſtantiâ præponit, vt alterum corruptionem potius quàm abbreuiationem vocari malit, quod nempè nonnulla præferat à veritate remota, ſed grauitati eius hiſtoriæ præter id etiam indigna. Huic adlaborat [a] Didacus Morillo, dum non pauca inſuper dicta, planè vt videtur mendacia, recenſet ex eadem abbreuiatione, (niſi hæc alia ſit ab ea quam Calderon inſectatur) ijs è diametro pugnantia, quæ Dexter & Maximus ſancta habent, quamquam in paucis cum vero quoq; exemplo incedat, illo puta, quod Didaco præ manibus erat, à Calderonis ſcripto alterum habebatur. De eadem verò abbreuiatione idem Pennottus, ita decernit, vt non integram hiſtoriam, ſed epitomen velit eſſe, adeoq; compendium ſubinde auctum, demutatum, non vno loco deprauatum.

[a] De Fid. Temp. Cæſaraug.

Contra Caſpar Aluarez apud eundem Pennottum Ioãnis Calderonis exemplum, omnium vocat corruptiſſimum, idemq; ſentiunt, qui apud Calderonem plura deſiderant, vt iam cum rerum copia, veritas quoq; magis imminuta, quàm in alijs credi poſſit. Ipſe demum Pennottus quemadmodum prius, abbreuiationem illam deprauatam affirmauit, ita planè hiſtoriam Dextri & Maximi à Calderone vulgatam, erroribus defædatam pronuntiat, neq; paucos in vnum congeſſiſſe ipſum putaueris, ſi quod animo concepit, re peregit; eos, ne aliud non actum agere videamur, hoc loco cenſendos haud putamus.

Ex horum niſi fallor diſceptationibus ſuam [b] Cornelius à Lapide ſententiam deſignauit, vt cùm arbiter eſſe nollet, cautè pro re ſua circumſpiceret, nec niſi parcè interdum à ſuis inſtitutis Flauij placita ſtare vellet. Ante annos ferè (inquit) mille ducentos æuo S. Hieronymi & Auguſtini, Flauius Lucius Dexter, filius S. Paciani poſtea Epiſcopi Barcinonenſis, Præfectus Prętorio Orientis ſub Theodoſio Imperatore, Hiſpanus, & Hiſpanorum encomiaſtes, ſcripſit Chronicon à natali Chriſti vſq; ad annum Chriſti quadringenteſimum trigeſimum, quo mortuus eſt S. Auguſtinus, illudq; dedicauit S. Hieronymo (& eo vita functo Paulo Oroſio) vt ipſe teſtatur libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis in fine, quem librum S. Hieronymus viciſſim eidem Lucio Dextro inſcripſit. Quæſiuit illud Cardinalis Baronius, ſed non reperit, poſt mortem eius inuentum eſt in Bibliotheca Barcinonenſi; eo olim translatum ex Bibliotheca Fuldẽſi, vti ferunt, typiſq; editum in Hiſpania Cęſarauguſtę, anno milleſimo, ſexcenteſimo decimo nono, cum appendicibus Maximi Braulionis, & Helec. Epiſcoporum Cæſarauguſtæ, qui ſucceſſiuè in ſua tempora cõtinuarunt. Multi viri docti præſertim Hiſpani illud auidè arripiũt, citantq;. Nonnulli tamen eruditi, quibus acris eſt criſis ſpurium cenſent, vel certè aliorum lacinijs aſſutum & vitiatum, tùm quia varia eius circumferuntur exemplaria, quæ inter ſe euariant & diſſonant, tùm quia ſtylus rudior Dextri ſtylum non æquat, tùm quia paradoxis & parachroniſmis inſperſum videtur, tùm quia vbi, & quando, & à quo poſt tot ſecula primo repertum ſit, ignoratur. Sanè Fuldæ illud ſtudioſè perquiſiui, nec inueni. Nolim ego in hac lite ſedere arbiter, nec tanti auctoris iudicium mihi vẽdicare, vt fidem illi arrogem, vel derogem. Audio eſſe in Hiſpania qui illud recuſuri, & limaturi, eiq; fidẽ arrogaturi ſint. Subinde ſed parcè illud citabo, præſertim vbi veriſimiliora & rariora narrans, aliorum grauium auctorum teſtimonio fulcitur & roboratur. Hæc Cornelius.

[b] In Chron. in Act. Apoſt.

Atqui in tam cauta circumſcriptione facilẽ nihilominus ipſe dederit aſſenſum, ſi plurium accedat ad Hiſtoriam Lucij Dextri ſuffragiũ, vel certè ſi & iſti renarrẽt, quæ ille pridem auctoritate prima direxit ad famã. Rectè an ſecus id requiratur, modo nõ diſcepto; cetera quæ in luxatis temporum iuncturis aliorum morantur narrationes, illis cõcedo, quos Cornelius innuit in Hiſpania Lucio Dextro fidẽ adrogaturos, quos inter iam enitere cæpit ſæpè laudatus Franciſcus Biuarius, qui deſignatam à nobis

pro-

tia feliciter geſſit, vt ſecundum fortaſſe non requirat, qui humeros ſupponat, niſi qui ad amolienda, quæ recens fiunt impedimenta manus admoueat. Is verò cùm de inuentione Lucij Dextri eadem ferè quæ Piſanus adſtruit niſi quod miſſum [a] Vuormatia cum literis datis ad P. Hieronymum Higueram, anno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto, quod neq; neget iſte, velit, in reliquis enodandis & explicandis eũ ſe præſtat, vt nihil prætеrijſſe multa vero, vel latentia eruiſſe, vel obſcura in luce repoſuiſſe videri poſſit. Nam quod de reliquo Piſanus aliorum coniecturas ex Euthrando, ſua videtur opinione caſtigare, dum Lucium Dextrum, non vtiq; ab Helipando Archiepiſcopo Toletano donatum velit Carolo Magno Imperatori, qui demum in Fuldenſe Monaſterium intulerit, ſed à Monacho religionis Benedictinę cum alijs librorum monimentis, quò ſarta tecta manerent, eò delatum cenſeat vero ſimilius, à Biuario nihil diuerſum opinatur, quin veritati aliunde quoq; fulcrum ſufficit eiuſmodi, cui ſi ceteri innitantur illam egregiè defenſam putent. Certè enim ſi ab Euthrando Fuldæ exulante, Regimundus Epiſcopus Illiberitanus per literas, quemadmodum narrat ipſe Euthrandus, petiuit, vt diligenter Chronicon Dextri quod Maximus Cæſarauguſtanus rogatu Argembati Epiſcopi continuauerat, inquireret, & ſi vacaret ad ſua tempora produceret, facile quiſpiam cogitarit, non tàm à profugi latebris, quàm à Caroli Magni munificentia Lucium in Bibliotheca Fuldenſi famam inueniſſe. Verùm hæc inſtitutum haud morantur, dum ſuo loco ſedeat Veritas, habeatq́, à re ipſa firmamentum vndecunq; tandem in coronam veniant, & cum rationibus aſſiſtant coniecturæ. Antequam tamen cauſam Lucij Dextri, quam pro parte noſtra ſuſcepimus, peragamus, nonnulla in medium afferemus quibus fortaſſe aduerſæ opiniones haud parum niti queant, ſed quæ demum in partem venire volumus, ne vel pugna exceſſiſſe deſertis armis, vel aduerſantium vim diſſimulaſſe videremur, quamquam à nobis comparatam, vt quid vndiq; pro illis facere poſſet, quidue illis, quà ſatis, deſtructis, rem noſtram redderet illuſtriorem afferremus.

[a] In apolog. §. 1.

AFFERVNTVR NONNVLLA RECENTIORA DE INVENTO Chronico Flauij Lucij Dextri.

CAPVT QVADRAGESIMVM QVARTVM.

ITAQVE vt meum quoq; iudicium, ſi quod in tantorum ſapientum cætu eſſe poteſt interponam, ſi quam à primis recentioris famæ initijs, Lucius Dexter animo religionem obtulit, vt diligentius, ac penè, quod ſolet in nouis rebus, nimis curioſè veſtigia famæ inquirerem, acribus ſtimulis impulit; vt verò abijcerem propter nonnulla quæ ſtatim à limine videbantur offendere, minimè flexit, quod ferè accidit quibuſdam imbecillis ſtomachi, vt nondum inter fluctus maris, ſed in ipſo portu velut ad ſentinam nauis nauſearent. Hi nimirum digeſtos à Chriſti natiuitate annos in argumentum duxere falſi, quod certò ſibi perſuaderent, quina poſt ſecula Dionyſio Exiguo primùm putante, id Aeræ Chriſtianis vſuuenire cæpiſſe, vt proindè à ſciolo quodam, commentitio Chronico rerentur immiſſum, ad conciliandam ſcilicet Hiſtoriæ probitatem ſi illi anni ritè ducti fuiſſent, ſiuè quod nonnulli explicatius ingerebant, ad gloriolam quandam præcerpendam, quam natura & arte venantur Hiſpani, quaſi non Dionyſius Exiguus natione Scytha,

Digitized by Google

ſed longè ante ipſum Flauius Hiſpanus, eius Epochæ à Chriſto putatæ auctor extitiſſet. Sed verò contemptis luſorijs,& quæ perſæpè ex affectu proficiſcuntur rationibus, aliundè inquirendum exiſtimaui, quo tandem loco inter ambigentium pugnas, media conſiſteret veritas,vt aurum inter vitia metallorum,non admodum magni ratus, ſi quo quo modo fixam iam apud multos alteram opinionem, quam boni omnes cum Hiſpanis tutam vellent, iterum,ſi non omnino dubiæ aleæ, ſaltem nouæ diſceptationi ſubijcerem.

Ergo diſſipata iam apud pleroſq; voce ac Scriptis fama,cùm accepiſſem, omnimodam vt vocatur Hiſtoriam Flauij Lucij Dextri, per tot ſecula in Germania deliteſcẽtem,ex pulueribus celebris quondam Fuldenſis Bibliothecæ recens in ſolem prodijſſe,ne Meſſanenſes,qui auctoritate tanti Viri ſuam de Epiſtola Deiparæ Traditionem ſacratiorem vellent, in ambiguum cogitare ſinerem,ipſe verò varijs,& fortaſſe interdum vanis ad veritatem coniecturis incederem, literis extemplò Fuldam miſſis quæſiui,doceret quidnam ibi famæ,quid rerum eſſet Flauij, veranè quæ vulgò ferrentur, quæ ſigna recentis inuenti, quæ veſtigia diù latentis theſauri,cuius vel latebras animo penetrare iucundum foret, vt indè veritatem odorarer. Fauit humanè conatui R.P. Lambertus Strauius Collegij noſtri Fuldenſis Rector, eoq; libentiùs, quod iam impenſa aliorum ante me ſtudijs,ſua opera,quid reſponderet in promptu habuit.

De Scriptis(inquit Flauij Dextri ſæpius ex me quæritur per literas. Idem reſpondere omnibus cogor, in hac Bibliotheca,non ſupereſſe eum auctorem, ſed neq; conſtare fuerit ne aliquando, multò minus an Toletum in Hiſpaniam miſſus ſit. Fuit quondam celebris Fuldenſis Bibliotheca. Ceterùm iam olim totis plauſtris auecti libri Hiſtorici in primis, præſertim tempore Concilij Conſtantienſis,atq; item ſeculo ſuperiore, cùm Germania vniuerſa tumultibus,vt nunc quoq; miſceretur à Centuriatoribus Magdeburgenſibus. Hinc factum vt nomine & fama apud exteros manſerte, quod in ipſa librorum ſupereſt, parum & pertenue ſit. Vixit in hoc Collegio R. P. Chriſtophorus Brouerus,Fuldenſium antiquitatum Scriptor perdiligens. Is quod de Bibliotheca hac communicaret vix habuit, neq; in Indice librorum qui ſuperſunt aliud ferè inuenitur,quàm Patrum nonnullorum opuſcula & fragmenta,præter codices ad rem Grammaticam & literas humaniores pertinentes. De eodem auctore Roma & Louanio perſcriptum eſt nuper ad Reuerendos Patres Franciſcanos qui hic degunt,verùm reſpondere illi aliud quoq; non potuerunt. Hæc ille.

Sed enim quia omnium ferè Scriptis, qui hac de re meminerunt, caput famæ ad Ciuem aliquempiam Vuormatienſem deuoluitur, qui videlicet acceptum ex Bibliotheca Fuldenſi à maioribus puta ſuis Chronicon Flauij, domiq; ſeruatum, Patri Thomæ Torralba videndum conceſſit, imò, cùm alioqui nec prece,nec pretio primigenium exemplum auelli à ſe permiſiſſet,etiam exſcribendum gratioſè indulſit, vt indè quod pridem optarat Torralba,ſtudium ſuum erga Patrem Hieronymum de Higuera, quem ex eiuſmodi opera plurimum delectationis capturum cogitaſſet, cõprobaret:hanc inquam ob cauſam è re viſum fuit, Vuormatienſes quoq; literis compellare, ſi qua tandem hinc acceſſio fieret ad partes, omnemq; de cetero velut tabellæ ſignatæ inconſtantiam teſtium dimouerent. Quid verò indè reſponſi acceperim à R. P. Ioanne Geleno noſtri ibidem Collegij Rectore, qui pro ſingulari humanitate ſua non minori in rem tàm eximiam quemadmodum ex literis apparet, quàm in Vuormatienſes ſtudio, ſategit, hic ſubiungam.

Sperabam(inquit inter alia)nos certò aliquid de chronicis M. S. Flauij Lucij Dextri & M. Maximi, quæ à P. Thoma Torralba Vuormatiæ viſa dicuntur, & illius rogatu ad P. Hieronymum de la Higuera in Hiſpanias tranſmiſſa, cognituros. Quæſiuimus

vbi

vbi vbi potuimus,ſed nihil inuenimus, neq; P.Thomæ, neq; Chronici memoriam. Fuit, hic prędicans Vuormatienſis filius, antiquitatis ſtudioſiſſimus, qui nunc aliò migrauit, tamen egimus vt ex eo aliquid intelligeremus, ſed negat ſe vnquam quicquam audijſſe. Idem planè literis ad me datis Antuerpiæ vigeſima Maij *(quo etiam ait ego Meſſanæ ſcripſeram)* petit [p] P.Heribertus Roſuueidus, ſed nihil poſſumus aliud eidem reſpondere, quæ res nobis eò maiori eſt dolori, quò diutius inquiſiuimus fruſtra, vt petitioni tàm iuſtæ, tàm honeſtæ, virorum tantorum, Patrumq; nobis chariſſimorum faceremus ſatis; & habuiſſet res noſtra maiorem auctoritatem apud Vuormatienes, eorumq; magis deuinxiſſet animos ſi vidiſſent ſua per Societatem in lucem edi & celebrari. Quod ſi adhuc aliquid cognoſcere poterimus per Notarium ſcribi curabimus & mittemus. Hæc P. Gelenus. Et poſt ſubſignatam Epiſtolam hæc ponit ex literis P.Heriberti. P.Heribertus in ſuis literis hæc addit. Hæc quæro (inquit) quia anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo, Lugduni prodijt Flauij Lucij Dextri Barcinonenſis Chronicon omnimodæ hiſtoriæ, quod multi viri docti ſuppoſititium, & fictitium credunt. Ego multos in eo errores deprehendo contra mentem aliorum Hiſtoricorum. Hæc ille.

[p] Anno 1655.

Atq; ex his ſatis opinor liquet, quam dubiam etiam apud viros eruditionis fama claros, habere queant res antiquæ probationem, ſi à ſignis rarò fallentibus argumenta inducantur ad earum aſſertionem: at enim eiuſmodi ſigna fallunt interdum, nec ſemper dicebat ille fumantia mapalia flammam produnt, & alioqui ſicut Ilium ita Roma quondam exciſa fuiſſet, arſit enim. ſic interdum quærimus in manifeſtis, quæ certa ſunt ex ſubobſcuris, & ſplendent in nocte, quæ ſolem auerſantur, ſua tamen luce ſunt clariſſima, nec non intuenti claritudinem obijciunt, quam in communi ſole ſpectantibus ſæpè negant. Nec primus eſt Flauius Lucius Dexter, de quo ſapientum olim diſceptatio vertebatur, an idem eſſet, qui quæreretur, quem præ manibus habebant, verſabant, velut ignotum venerabantur, & dudum inuentum, quæſitum nihilominus volebant, vt tandem & inuentum perderent, & quæſitum non inuenirent, ac proindè multa alioqui veriſſima, cum dubijs & incertis implexa, pleriq; mundo propinarent, hoc etiam in peius deerrãtes, quod cùm repurgare ad antiquam vt putabatur fidem multa voluiſſent, pleraq; demutarunt, poſteris verò quibus deindè fortuna meliore, in monumenta rerum eruta contigit incidere, hiſtorias implicatas, labores trãſmiſerunt vix tolerandos. Hinc hodie tot Acta Apoſtolorum, & Apoſtolicorum Virorum, tot narrationes rerum ad religionem pertinentium, tot hiſtoriæ quæ certamina Martyrum, ſeculorum in Eccleſia ſtatum, aliaq; id genus perturbatis planè referunt, vel ordinibus, vel temporibus, vel enormitate rerum à communibus ſententijs abludente: vt maiore manu ſit opus quæ ſancta ſeligat ab improbis, quàm oculo qui omnia peræquè luſtret.

Quid enim aliquando de Euſebij ſcriptis non dubitatum, quid de Hieronymi, quid longè ante, de Origenis lucubrationibus, Minutij Felicis, Iulij Africani, Tertulliani, Egeſippi, Melitonis, Iuſtini, Dionyſij, Ignatij, Hermetis, Abdiæ, vt ſexcentos taceam? & tamen omnes hos ſcripſiſſe conſtabat, inter manus eorum volumina verſari nemo dubitabat, & nihilominus inter fluctuantes in copia Scriptorum ſententias, quid cuiuſq; eſſet dubitari cæpit, in vno variatio ſtyli, in altero tenuitas argumenti, in alijs atq; alijs depreſſio, itemq; ſupercilium, redundantia non pauca, permixta præterea multa, quæ vel commentitia viderentur, vel planè falſa, nec alia ratione venirent excuſanda, niſi quòd ab alijs inſerta dicerentur, hæc inquam vel omnia in nonnullis, vel nõnulla in ſingulis, ita in noxam vocabantur, vt cùm de auctoribus certa apud omnes notitia vagaretur, de Scriptis incerta omnia deerrarent, nec vllum ſe offerret tàm

cui-

Digitized by Google

euidens ſignum, quod omni ex parte dubium amoueret, manaretq; in ſecula ſimilis ferè fama, quæ de Homeri patria, quem extitiſſe omnes noſſent, ciuem cùm ſingulæ ciuitates vellent, nulla certum haberet.

Nihil hic dicam de Sibyllinis libris, quos fortaſſe nimia vetuſtas, cùm ab hominum memoria ſeiunxiſſet, ita etiam in ſuo ſitu demutauit, vt quid quæq; dixiſſet, vel etiam an aliqua ex illis, & non potius adſcita ſub nomine Sibyllarum peregrina auctoritas protuliſſet, diù dubitatum ſit apud peritos, neq; à Tarquinij duntaxat tempeſtate, verùm poſt florentia quoq; ab Auguſto ſecula, poſtquam vndiq; magnis impenſis conquiſitæ augurales chartæ lucem recepiſſent, confuſè omnia iacuerunt, vt neq; hodie certam per omnia ſine ſuſpicione argumentum ferant. Quid de Sacratioribus Religionum Codicibus, quid de Scriptura ipſa, de ipſis inquam ſalutis noſtræ indigitamentis, pleriq; olim cogitarunt, non ij ſolum qui Chriſtum & fidem exciſam vellent, quos inter haud poſtremus impietatis Dux & auctor cenſetur Iulianus, neq; illi duntaxat, qui ab Eccleſia proſcripti Chriſtum non omnino abieciſſent, verùm etiam qui ſanctiores à religione Catholica ſpiritus ferebant, non vno tamen argumento, nec prauo putes cogitatu plures de libris Canonicis verterunt diſputationes, vt ſine ſanctitudinis offenſa apud pleroſq, dubitari poſſet, an Salomonis interpretamenta, nec pauci Dauidis pſalmi, Res geſtæ Machabæorum, Eſdræ narrationes, ac demum vt in nouo Teſtamento cetera prætercam, epiſtola Pauli ad Hebræos, inter ſancta habenda forent; quoad diſtrictum Eccleſiæ iudicium Capitis auctoritate legem ferret, ac delectum inter ſacra & profana, probitate interpoſita præciperet.

At enim ſi inter tot ambages illi nihilominus in rerum natura eſſent, de quibus ambigebatur, atq; interdum ipſi ſuorum dictorum eſſent aſſertores, neq; tamen vel citimi æuo facere poterant, quin liberam cuiuis altercandi relinquerent aleam; quid de Lucio Dextro cogitandum, quem per tot ſecula ſepultum, nec ſi votis omnibus expetitum, tempore tamen ſignato redditum, ſed inopinatò lux fauentior detexit, ac in auras miſit, tot nouitate quadam inſolita perculſi mirentur ſapientes, & admirabundi quodammodo refugiant, quod aliorũ inſueti luminibus tametſi ex obliquo interiectis, ad directos Lucij radios aciem vt videtur confuſam afferant, nouaq; omnia putent, quæ clariori quàm dubia luce, vel illa ipſa quæ ipſi intuentur, commonſtrant, vel quæ fortaſſe latentia nondum viderunt, detegant, ad oculos animumq; ferant, in meridie veritatis conſtituant.

Age verò ne ad ſpecioſum Lucij Dextri nomen vno velut impetu feratur animus, & tantum in gratijs credat, quicquid tandem ea fragmenta in lucem intulerint, nec alijs quàm nouitatis illecebris ad partem accedat; paulatim veſtigia carpenda ſunt, quæ tandem ad caput conſtantioris veritatis, itineribus deſignatis, neq; enim ab alijs actum egero, deducant, in tuto ſiſtant; ac ſaltem pro re noſtra indemnem ſeruẽt Hiſtoriæ ſanctitatem. Ac vt ingenuè quid animo ſedet aperiam, vel in tanto rerum diſcrimine, verum aliquid auguror, quod non neſciam ipſa interdum diſcrimina non tàm arguere falſitatẽ, quàm implexis ambagibus inuolutam prodere veritatem, & vt in ſcrobe latens aurum, diſſipatæ hinc inde venæ tandem certioribus quibuſdam indicijs offerunt, prorſus multiplices coniecturæ tametſi tot dubijs laceſſitis, vix primùm oſtendant vndè ad rem propè quis accedere queat, demum tamen rebus ad rationem reuocatis, certum deſignant tramitem, quo perueniri poſſit ad penetrale veritatis.

Et profectò aliquid ſaltem hiſtoriæ omnimodæ Flauij extitiſſe, certius eſt Hieronymo, quàm vt à recentioribus bona fide poſſit controuerti. Quin verò ſi in ceteris ad partes opinionum ſecedunt Scriptores, in hanc omnes ſententiam conueniunt,

Dex-

Digitized by Google

Dextrum ſcilicet S.Patiani filium, omnimodam hiſtoriam Diuo Hieronymo nuncu-patam pertexuiſſe,nec alia magis quàm Hieronymi teſtificatione fatentur etiam illi, quibus pro inſtituto ſatius videtur euertere,quàm vel hac auctoritate Flauium propugnare. Deindè verò eandem Hiſtoriam iniuria fortaſſe temporum, ſi non induſtria Caroli Magni Imperatoris ab Hiſpanis excidiſſe, nec deteriori fortuna à Germanis conſeruatam,nemini opinor abſonum videri queat, ſiuè tandem ceù Theſaurus Imperatoria munificentia dignus,in Bibliotheca Fuldenſi locum inuenerit, ſiuè ſi à viro Toletano ordinis Benedicti ad Fuldenſem familiam,ceù naufragij reliquiæ in portum ſecuriorem ſint delatæ.

Et crediderim niſi cum Sarracenorum barbarie, ſicut multæ aliæ prouinciæ, ita Hiſpaniæ quoq; fuiſſent conflictatæ,floruiſſet olim res hiſtorica magis quàm vt Traditiones Eccleſiarum Hiſpanicarum euaneſcere permiſiſſet. Quandoquidem experti ſunt poſtea Viri docti, quanto fuerit damno,ac iacturæ humano generi, ea Sarracenorum labes,illud incendium,aut potius diluuium ſubmerſa penitus bonorum librorum ſupellectile. Eandem porrò Hiſtoriam diu Fuldæ ſeruatam, deindè verò tempore Concilij Conſtantienſis cum ceteris libris eodem auectam, nunquam reuertiſſe,cùm facile ſit creditu, quid etiam prohibet potuiſſe, vel tum poſtliminio redire in Hiſpaniam,vel ſi multò ante per Euthrandum Fuldæ exulantem, patriæ in ſuo exemplari reſtituta eſt,iterum ibi perditam, vel ſaltem à communi luce remotam, Fuldæ in primigenio exemplo remanſiſſe, vſq; ad Concilij Conſtantienſis tempora, quando allatis ad Concilium Fuldenſis Bibliothecæ monimentis ampliſſimis, hiſtoriam Flauij relictam eſſe non oportuit,vnde non parum afforet præſidij, ad rem Chriſtianam ex antiquis Traditionibus ordinandam. Ac tum fortuitò inter manus legentium,aut etiam cuſtodientium ſicut ceteri libri,ita etiam Hiſtoria Flauij potuit interuerti,qua qua tandem euadere,vel ſi iterum Fuldam reuertit, dubio procul fuerit, vt gliſcente factionibus hæreticorum,quemadmodum annis ſuperioribus Germaniæ, Centuriatores Magdeburgenſes non ſolùm ad ſe auerterent, verùm etiam omnis Sacræ antiquitatis oſores, penitus corrumperent.

Vulgatum ſanè iſtos omnis ſanctioris literaturæ inimicos, ſemel antiquitati bellum indixiſſe, conſpiraſſe vnà omnes communi odio in Eccleſiaſticas Hiſtorias,inque omnem Traditionum veritatem,vt ſtirpitus tollerent,ne vna quidem Sacra Hiſtoria, integra in tota Germania inueniretur. Sarracenorum igitur immanitatem imitati, quicquid librorum habere potuerunt, nihil intactum reliquerunt, ne vllum omnino Sacrarum Hiſtoriarum,ac Traditionis antiquæ, quam iſti penitus execrabantur vſquam extaret veſtigium. Vt Sarraceni præ illis,ſi experientiæ credendum, in hoc genere immanitatis fuerint abſtinentiſſimi, vſq; adeò optimum quemq; Codicem crudeli premebant calamo,calumnijſq; omnibus & fabulis implebant, vt nihil minus qui legeret,quàm de antiqua veritate cogitare poſſet.

Itaq;pernicioſo illo libris Viriſq;doctis tumultu,tot egregia temporum,locorum, hominum,rerumq; in Eccleſia geſtarum monimenta,par fuit interire, vt iam Flauius Sarracenorum vaſtitati ereptus, Centuriatorum Magdeburgenſium manus,ſi Fuldæ eſſet haud effugeret, quæ quidem in optimos lautiſſimoſq; codices ſemel impactæ, eos vel conſcindebant,vel corrumpebant,& multis erroribus tanquam humanæ vitæ religioniſq; Orthodoxæ venenis inſpergebant, omnia polluentes, nihil penſi, nihil ſancti habentes, vt meritò non iam Fuldenſes tantùm de ſua Bibliotheca, ſed plures ſapientiſſimi Viri cum tota Germania,tot antiquitatis præcepta ad rectè Beateq; viuendum, tot veterum annales, de antiquæ Traditionis & Hiſtoriarum Eccleſiaſticarum ratione pertractantes,iure ſe doleant amiſiſſe. Et fuerit ea ſtrages vt diuturnior, ita

ita immanior illa Diocletiani, quæ flammare vbiq; iuſſit quicquid librorum Chriſtum ac religionem loqueretur, nam ſi hæc in omnem peruaſit Orbem, tandem deferbuit, nec latentia monimenta populata eſt; hæc Centuriatorum, quemadmodum iſti callentes erant ſimulandorum Myſteriorum, ita occultè etiam in abdita rerum ſerpebat, & corruptela morum, ac religionis in inuentos libros noua temeritate immiſſa, in eos etiam, quos inuenire non poterat venenum parauit.

Ac fuit hæc corruptela, Diocletiani flamma longè ſæuior, quæ libros duntaxat abſumpſit, non etiam doctrinam corrupit, mendacijs temerauit; & omnino quicquid Sacrum & Sanctum in libris extabat fortaſſe excidiſſet, niſi Sapientum Catholicorum diligentia ſe ſe conſtanter oppoſuiſſet, conatum Hæreticorum ne in maiorem Orbis partem ſe ſe effunderet, compreſſiſſet, in ipſo librorum, vt ſic dicam, incendio, nec nõ flagrante Hæreſis crimine, ſuperfuſa doctrinæ ſanctioris vnda, flammam omnem reſtinxiſſet, ipſam Hæreſim ſuo iam rogo vſtulatam, præterea etiam ſubmerſiſſet. Verùm vt hoc ſanctè præſtiterint, neq; tamen facere potuerunt, quin ſuperſtite religionis doctrina, quàm plurimi Codices, quibus ea continebatur, interirent, nec tantam iacturam facilè compenſarit, numeroſa illa, & ſelecta librorum ſtrues, quæ nuper expugnata Haidelberga Friderico Palatino id commerente, ex celebri eius Vniuerſitatis Bibliotheca exportata, ſanctioriq; loco aſſeruanda in Vaticanum eſt illata.

Atq; ex his omnibus id demum conſequi volo, nihil in narrationibus recentiorum redundare, qui & Fuldæ poſt vaſtitatem Sarracenorum, conſeruatum tradunt Lucium Dextrum, & nihilominus poſt curricula temporum, clam publica memoria, Vuormatia in Hiſpaniam remigraſſe contendunt. Enimuerò ſi quemadmodum ſcribit P. Lambertus Strauius, quàm plurimi ex Bibliotheca Fuldenſi codices, integris etiam plauſtris ad Conſtantienſe Concilium aucti ſint, atq; indè diſtracti non amplius Fuldam reuerterint, nihil omnino vetat Vuormatiam quoq;, ſi non aliò, hiſtoriam Lucij Dextri, inter priuatas manus euaſiſſe, ibidemq; à communi luce remotam, hæſiſſe, vel apud paucos, vel certè apud vnum, qui theſaurum domi reconditum vellet, eoq; publicam notitiam defugiſſe, quoad parata diuinitus occaſione, meliori tempore in forum prodiret, ſeipſam famę concederet. Vt ſic indubium ſtatuatur, & Fulda veniſſe pretioſum inuentum, & iterum Vuormatia quemadmodum narratur emerſiſſe, tametſi qui ita narrent, interuallum illud duorum propemodum à Conſtantienſi Concilio ſeculorum haud recenſeant, veritatem ſatis habentes intueri, quibuſcunq; tandem tramitibus acceſſerit, quibuſuè temporum ſpatijs latentem duxerit ætatem, id quod communem ferè habet in hiſtorijs exiſtimationem, vt ſicut eadem res geſta ſed diuerſo loco ac tempore à diueris, nec eodem modo narrata, interdum diuerſa quemadmodum in Eleutherio vidimus, cenſetur, ita etiam non rarò vno tempore contigiſſe, quæ de eodem in vnum congeruntur, à pleriſq; iudicentur, quod non magni ducant ad veri exiſtimationem, ſi de re conſtet, de ijs quæ circumſiſtunt conſiderare. Et accidit ferè iſtis, in non diſcretis rerum circunſtantijs, quod à longè ſpectantibus obiecta ſibi in directum cõſtituta, vt non percepto quamuis magno interuallo, interdum ſibi proxima, interdum etiam vnum corpus videantur.

Ergo ſi nulla apud Fuldenſes Lucij Dextri fama fuit ante ipſum in Hiſpanijs, ſed vita Vuormatię recens accepta rediuiuum, nihil id habet tantę admirabilitatis, quod in ſtuporem vertat ſapientes, quando bina ſecula ſatis erant ad fugandam hominum memoriam, nedum ab hiſce minutis fragmentis, verùm ab ingentibus codicibus deſideratis, quæ hodie coniectura Fuldæ putantur fuiſſe, vix ſciuntur, multoq; magis profecit ad abolendam, vel ex antiquioribus hiſtorijs cognitionem, viciſſitudo illa rerum ac temporum, quando gliſcente Centuriatorum inſania, non tàm libris quàm

liberis

Digitized by Google

liberis voluntatibus omnia gerebantur, vt ob eam cauſam nec Fuldæ quippiam de Lucio circumferretur, nec Vuormatiæ, quo loco fortaſſe diutius quàm par eſt delituerat, aliquid ſciretur prius, quàm fortuitò nata occaſione, vox famæ reſonaret apud Hiſpanos, quæ ad Vuormatienſes nouitate quadam attonitos reflecteret, vt tunc primum excitati mirarentur apud ſe exortam lucem dici, quæ illos prætеriuiſſet, apud exteros in meridie ſplendeſceret. Ex quibus etiam, ſi modò quæras, quid de Lucio ſcitum ſit apud illos, vix ſuſpicione rem ferant, nedum ad certam cogitationem admittant, tametſi ea ſe apud exteros beati fama gaudeant, & ſi poſſint ad communem vtilitatem, vſuram tantæ gloriæ libentes vertant.

Sed enim haud mirum videri debet in publicam famæ coronam Lucium Vuormatiæ non veniſſe, quando priuatis ſingularis familiæ vendicatus fortunis, ad communem copiam accedere non debebat, ne gloriam domi in latebris quidem ſuccreſcentem, ſed quæ demum in amplificationem honoris explicanda erat, auerteret ad plures, quæ vel in paucis vni fortaſſe debebatur. Et fieri poteſt ita deli tuiſſe apud ſuum hoſpitem, vt Gothicis exaratus characteribus ignotus eſſet, eoque ſolùm nomine pretioſus ac reconditus, quòd quis eſſet neſciretur, veſtigio duntaxat antiquitatis, nobilitatem præ ſe ferens; quoad altius quippiam vel coniectura, vel à nota fronte odoratus P. Thomas Torralba, deſiderio ſuo rem inuentam æſtimauit, pretiumque apud auarum potius lucis, quàm auidum laudis dominum auxit. Qui demum ſi copia exſcribendi libenter data, primitiuum exemplum ſeruauit, ad poſteros, niſi defodit, theſaurum ingentem religionis tranſmiſit, vel ſi non amplius cuſtoditum eatenus amiſit, vt quærentibus hodie ſpem omnem inueniendi præciderit, pœnam ipſe ſuæ tenacitatis dedit, gloriam ſibi ademit: quin fortaſſe vel eam ob cauſam nomenclaturam apud exſcriptorem non obtinuit, quòd cùm iſte putaret, ex edendo mox Lucio Dextro, maiori illum nominis fama per Orbem inceſſurum, ſuæq; Ciuitatis gloriam apud omnes Europæ Vrbes clarioribus ſignis illaturum, maluit ſilentio præterire, quàm paucis inducere, quod clariſſimi operis fronti præfigendum erat. Qua in re ſi expectatio vtrumq; luſit, Ciues tamen in primis Vuormatienſes, vt opinor ignorata felicitas haud parum afflixit, exteros certè magno doloris ſenſu conturbauit.

Quòd verò per tot annorum ſpatia nemo vnus Vuormatiæ inuentus ſit, qui vel tenui fama latentem apud amicum Ciuem, Lucium Dextrum acceperit, communem habet cum multis dubitationem, ſed quæ ipſa facile ex aduerſo reſpondeat, rerum apud homines eam eſſe conditionem, vt interdum præſentia in clara luce ignorentur, quid ni quæ cuſtodis induſtria vel Lynceos effugiunt oculos; variaq; vt fit etiam inter amicos ſimulatione conteguntur. Sed neque in abſtruſo quærenda huius rei argumenta, quando paucis ab hinc annis inuenta Theophraſti Paracelſi clariſſimi apud ſuos Ciuis, maximi apud exteros Viri medica Chymicaq; opera, pleroſq; in ſummam admirationem adduxerunt, quòd cùm ab eius morte multi apud diuerſos exquiſitiſſima diligentia, nec minus liberalibus expenſis, eius hominis monumenta inquiſiuiſſent, quod ſummum omnium fuit in priuatis ac illiterati Ciuis ſcrinijs cautè ſeruatum, ſerò tandem inuenerunt, & latuiſſet adhuc diutius niſi morte illũ admonente, cùm amplius haberet neminem, cui ſicut ipſe à Maioribus acceperat, ita tutò ſecretoq; ſeruandum concrederet, Senatus tutelæ ac fidei commiſiſſet. Nimium videar diffidere prudentiæ lectorum, ſi in huiuſmodi exemplis aſſerendis velim immorari, ſi per exquiſitas Principum, Vrbiumq; præſtantiſſimarum; vel præterea priuatas virorum doctrina clariſſimorum, atque etiam Religionum Bibliothecas

animus ſit diuagari, in quibus latentia, imò verò ignorata non vno ſeculo ſumma ingeniorum argumenta, neq; vno contenta volumine, ſerò tandem ac fortuitò potiùs, in communem lucem emerſere, de quibus diſceptari ſane per multas ambages potuiſſet, an illorum eſſent quorum nomina præferrent, quandò ſecundùm præſentem ætatem, alia longè de ipſorum placitis, vel in ſcholis credebantur, quàm quæ ipſi mente olim concepiſſent, chartis intuliſſent. Verùm in his omnibus prudentia modum ponit, ne ſi ex obarmata coniecturis etiam fallentibus, vel certè apparentibus dubietate, peruicacia ſubingrediatur, omnia permiſceat, nihilque certi vel in rebus certiſſimis reliquum eſſe ſinat. Id quidem ſi ad experientiam conferendum eſſet, arguendi limitem ratio vix offenderet.

Quin etiam hoc pro inſtituto populare, non pauca in noſtro Muſæo extare clariſſimorum in Orbe Virorum, Mathematicorum præſertim, literis perſcripta monumenta, eaq; vt de rebus ſingularibus, prorſus admiranda decreta, quæ cùm ipſi fortaſſe luci ac famæ non dederint, ſi cum tempore extra patriam, in forum prodeant, nemo facilè iudicabit, ipſa eſſe placita, quæ ipſi longo ſtudio probarunt, & duntaxat recétiores Codices præclara nomina mentitos traducet, quòd ipſos auctores nũquam ideo longè extra natale ſolum diuerſatos, vbi apud ſe conſtituerit, cetera omnia coniecturis in ſpecie veriſimilibus tranſegerit. Errabit tamen, & quid fors pro re & tempore ferre queat, ignorabit. Etiam verò ſi Meſſanenſes inquirat, an apud ſe huiuſcemodi virorum monimenta aliquando fuiſſe hoſpitata acceperint, rectè iſti quidem negent eam in Vrbe ſua famam (ſi hæc à nobis ſcripta non ſint) vnquam auditam; abſonè verò ille cum animo ſuo conſtituat, ne in priuatis quidem aſſeruari potuiſſe penatibus, vt ab vno vel altero nunquam notitia decrrarit ad plures, etiam vna domo commorantes. At vereor ne in tam lata opinandi licentia, vel nugans nuger quaſi non ſatis ſit, verbo interpoſito veritatem ſignare: Non refert; vel nimium præſumam, qui prudentiam alios docere videar, & quàm varia contingentium per tempora rerum eſſe queat imago, pluribus explicare velim, ac ſi extra humanitatis leges cum Aboriginibus agendum eſſet.

Adhuc tamen non omittam, quod palmare in toto hoc opere eſſe queat argumentum, atque vtinam prius ad votum veniſſet, paucis rem totam confeciſſemus, ſi inuentam ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Alphonſo Paleoto in Archiuio Bononienſi, Virginis ad Meſſanenſes, de qua agimus, datam Epiſtolam, ſanctioris ſanè vetuſtatis, quàm vt Conſtantinum Laſcarim auctorem velit fama ferri accipiat, neque tamen Bononiæ quippiam, poſt vel ante ſcitum, ea de re intelligat, continuò rectè figmentum cogitabit, ac non potiùs Epiſtolam illam antiqua manu exſcriptam, & inter Sacra ſecretam, vel adhuc latere oculis, vel ſemel viſam inter deuotas ſupellectiles hæſiſſe, ad priuatos ab obitu Præſulis deueniſſe lares, periſſe iudicabit. Ita prorſus, deprehenſum vna vice à P. Torralba Lucium, ſi nemo deinde Vuormatiæ vidit, ſicut neque antea fortaſſe præter ſuum hoſpitem nouit, fortunam incuſabit, non fidem rei damnabit. Potuit enimuerò ita deinceps quoque latuiſſe, vt vltimum viſus vel domi ciuibus ignotæ hæreret, hodieq; clam nemini animaduerſus deliteſcat, vel eodem tempore plurium etiam exterorum manibus oculiſque contrectatus, ad alienum ſolum deſignatis euaſerit modis, non amplius in publicum theatrum aſſerendus, niſi ipſe ſua ſe rurſum, oblata tandem quacunque occaſione, luce ſignet, rurſumque vocem mittat, ad manus aduocetur.

Iam quod P. Thomas Torralba Vuormatiæ nominis veſtigium haud fixerit, eamq; ob cauſam extra memoriam horum temporum conſtitutus videatur: non inde

con-

Digitized by Google

conſequitur nunquam ibidem fuiſſe, ſed tantum diuturnam moram, ex qua ſtabilem apud pleroſq; notitiam conciliare potuiſſet, haud traxiſſe. Quid ſi aliò profecturus, ad dies tantum non manſurus ſtetit, præteriuit? quid ſi nec militari via ſed diuerticulo tantum, vt Vrbem viſeret, acceſſit? vel ſi ſponte qua qua tandem de cauſa flexit iter, in deſignatis, vt credi par eſt, curis, longiora cer è ſpatia temporum ducere non oportuit. Ceterùm Patribus Societatis Hiſpanis, non vnam ſubinde fuiſſe occaſionem veniendi ad Germanos, quocunq; ſemel inſtituto, imprudens rerum noſtrarum ſit, qui ignoret, illis maximè temporibus, quibus Gregorius de Valentia Ingolſtadij docendo per omnem Europam inclaruit, quæ quidem tempora emergenti in ſolem ex priuati Ciuis Vuormatienſis vmbris Lucio, tam citima fuiſſe conſtat, vt vel hinc P. Torralbæ parari potuiſſe occaſionem viſendæ ex cauſa Vuormatiæ, credi queat.

EXPENDVNTVR NONNVLLA PRO ASSERENDO

Flauio Lucio Dextro.

CAPVT QVADRAGESIMVM QVINTVM.

EXTITISSE aliquando Flauium Lucium Dextrum extra controuerſiam eſt apud omnes, qui inter multos, locuples Diui Hieronymi teſtimonium non infimo loco ſint habituri, eundemq; omnimodam hiſtoriam clariſſimis texuiſſe notis, eadem certitudine probaturi. Quod verò in diſceptationem pleroſq; agit, hoc eſt; an videlicet inuenta non ita multis ab hinc annis Fuldæ vel Vuormatiæ fragmenta, quæ id nominis a fronte gerunt, ea planè ſint, quæ genuinam eius hiſtoriæ ferant probitatem, fidemq; ſapientibus dubio procul facere queant. Qua in re cùm tumultuaria ferè ſint in aduerſum argumenta, à nobis quoq; ſine delectu afferentur, non tam premendi, quod iam ab ijs, quorum maximè intererat, preſſa ſatis ſint ac verſa, quàm animo ſemouendi, quò ſubmotis velut impedimentis facilior ſit inceſſus ad ea, quæ hac in parte ſe ſe offerre poteſt germanæ ſpeciem veritatis.

Ergo ſi plures ſint Hiſpani qui Flauio recens inuento multis ſignis contradixerint, vanum ſit illud argumentum, quo commentum id eſſe Hiſpanorum, imprudentia magis an calumnia nonnulli aſſeruerunt, quaſi ſuis diffiſi Traditionibus & à gloria Gentis male comparati, ſicut olim Bedam in cauſa Iacobi falsò allegarunt, ita nunc Flauium, nunquam antea ſuperis inferiſq; viſum in medium producerent, eo, ; Vade non pauca hactenus minimè credita, plura verò etiam dubitata, quo quo modo ſuſtinerent, penè ad conſtantiam reformarent. Omninò namq; nihil eſt adeo præter admirationem enorme, quod Hiſtoriam Flauij ſuo loco poſſit deijcere, nec non ereptam ſemel Sarracenorum, ac iterum meliori fortuna Hæreticorum diritati, rurſum in tenebras queat abijcere. Profectò enim probitatis non inane ſignum cenſendum eſt, eiuſdem Hiſtoriæ vulgata tot variantibus inter ſe libris exempla, quando diuerſitas nunquam commento rem obtegit, ſed inuolutam duntaxat veritatem oſtendit, vnàq; ſapientibus, quid in ceteris quoq; paſſa interdum ſit Hiſtorica Traditio, velut quibuſdam cicatricibus obductis manifeſtat.

Enimuerò quod non ſemel diximus, non abſimilem priſcis quoq; illis temporum iniurijs ſubiuere aleam geſta martyrum, quibus ſi multa commentitia penitus adhæ-

Digitized by Google

ſere,nunquam tamen veritas ita fabulis preſſa eſt,quin ſuopte ingenit, non adulteratis conſpicua notis emergeret. Demus igitur gratis quod minimè remur in fragmẽtis Flauij quædam male ſibi cohærentia, & in exemplorum diſcrimine non pauca redundantia,interdum manca & mutila: eſſe tamen permulta etiam vera,quæ in argumentum perplexæ diſputationis trahi nequeant,nemo niſi hebes, & qui priſca rerum veſtigia ignoret,dubitarit, imò quãtumuis perditum cupiat Flauium,affirmarit. Itaq; tametſi multa in ijs fragmentis legantur peruerſa ac præpoſtera,nec ſolidis annorum iuncturis hærentia,non pluſculum veritati hactenus defenſæ officiũt, quàm ceteri errores,qui probatiſſimis aliorum ſcriptis perſæpè irrepſere, poſſetq; id iterum hoc loco multis exemplis congeſtis oſtendi,niſi iam hæc ratio re magis,quàm verbis haberetur obſoleta.

Atqui errores in Flauium, ſi qui ſunt immiſſi, non ita ſunt inuoluti atq; obſcuri, quin obliteratam,vel potius nondum eruderatam veritatem ſponte prodant,idq; nuper ſatis argumenti habuit apud Franciſcum Biuarium, vt nota in paucis inducta ſuo flauentem auro Flauium luci daret;idq; præſtare potuit,antecedentia cum conſequẽtibus,temporumq; nexus cum rerum rationibus eatenus comparãdo,vt meo quidem judicio,ſi quibuſdam non ita certis videatur inceſſiſſe veſtigijs, quæ pleraq; offendicula velut in meridie detegerent, profectò in tenebras noctis Flauium vltro conijci non ſinat, pluresq; ſecum quibus longè alius erat animus ſentire cogat. Qui tamen niſi callidè rem expendant,illud meminiſſe debebunt, omnimodam hanc hiſtoriam, ſecundas fortaſſe Flauij manus non ſenſiſſe, ſi quid verò poſt funeratum ipſum in ea redundauit vel reciſum eſt,à quopiam alio nomini Flauij fauentiſſimo potuiſſe accedere vel decedere, ne iam ad temerarios Hæreticorum calamos ſuſpicio deuocetur, quibus cùm nihil ferè Sancti in rebus Sanctis habetur, labem profectò non vnam intuliſſent,quæ totum Hiſtoriæ corpus infeciſſet,corrupiſſet.

Porrò ſi quæ nihilominus ſint in Flauio, quæ cum ceteris in partem minimè veniant,ac planè non vnius Hiſtorici ſententiam à longè ponant, imò deſtruant, haud video cur iſti modum Flauio præſcribant, vt ideò ille minus rectè dixiſſe cenſeatur, quia cum iſtis non idem dixit,& non potius iſti à veritate abluſiſſe ſtatuantur, quia quam Flauius veritatem tradidit, iſti non nouerunt, eamq; ob cauſam horum narrationes ad illius amuſſim examinandæ ſint,non illius Hiſtoria cum erroribus iſtorum definienda. Qua tamen in re ſi moderatio quædam habenda ſit, vt firmatæ fortaſſe longo vſu vulgi opiniones,quæ religionem haud attingunt,ſua ſede relinquantur,omnino conceſſa conſuetudine, ſeruanda ſcientia eſt, quæ norit vſum in errore fundatum,veritati non derogare, & ſi res poſtulet,legem quæ iuris ſit,contra exemplum poſſe rogare; cuiuſmodi ſanè inprimis foret inſtitutum,ſi correcta Dionyſij putatione,Chriſti anni ad legitimam rerum,ac temporum ætatem figerẽtur, ſua mundo ſenectus redderetur; eſſet enim vt ſuis motæ res geſtæ cardinibus,nouam Hiſtoriarum faciem inducerent, nouum penè ordinem in Orbe præſcriberent. Non hoc dico quaſi velim emendatis ad Flauij narrationem hiſtorijs,omnia vertenda eſſe, nec quippiam ſanctum,niſi quòd illi placet,decernendum: Verùm ſi interdum, etſi non in paucis controuerſæ cum alijs intercedant ſententiæ, indemni pietate ſtandum potius Flauij,quàm qui ſecundum illum ſcripſere teſtationibus, nec ideò damnandus ille quia cum ceteris in partem haud veniat, verùm corrigendi iſti,vt ad Flauium accedant,& qui de rebus à ſe neſcitis narrationes pertexuerunt, ad filum ab ipſo ductum geſtorum fidem ordinent, mentem cum mente componant. Neq; id ſolùm ſi æuo poſteriores,ſed ſi pares quoq; fuerunt, quòd Viro in ampliſſima dignitate conſtituto facilior fuerit acceſſus ad indagandam veritatem, quàm ceteris præſertim longè

exi-

Digitized by Google

exiſtentibus,neque copia librorum affluentibus, vel animus ad hiſtorias conſcribendas.

Ac mihi quidem in non paucis id iudicium eſt de Flauij ceterorumq; ſcriptis narrationibus,quod diſcriminis plerique cenſere poſſunt ac debent inter eos,qui ſomnia,vel audita narrẽt,quiuè res oculis ſuis viſas,vel quod ille dicebat, manibus ocularis contrectatas,voce primùm recenſent,calamo deinde ſubijciunt,vt hi conſiſtente rerum geſtarum veritate, memoriam quodammodo refricare, illi nuſquã adeò raris teſtificationibus,mentem potius videantur excutere. In quo tamen conatu ſi laudandum eſt ſtudium,quo poſteris conſultum voluerint & veritatem ,circumſcriptam duntaxat ab aliorum narratis,non ſuopte ingenio temeratam tranſmiſerint, non illo tamen loco reponendi ſunt,qui rerum ab alijs,ſerius licet, verùm qui oculis inſpexerunt perſcriptarum,arbitri ſedere poſſint. Id quod pro Flauio maximè velim militare,qui recens inuentus,ceteris tamen dignior ac vetuſtior, ad tumultuarium tribunal vocari non debet,verùm ipſe ſuo loco reſtitutus virgam tenere cenſoriam,de dictis aliorum ferre ſententiam. Alioqui,vt hoc incidenter dicam,nuſperus ille rerum in Orbe geſtarum,ſed præſertim Germanicarum,& Hungaricarum Scriptor, qui ſine delectu quicquid vel à circũforaneis accepit,annalibus ſuis ingeſſit,&figmenta inferciens hiſtoriæ velut rimas expleuit , præ nobis, alijſq; teſtibus occulatis ſi quæ vidimus & conſultò ſpectauimus,cum auctoribus præterea facinorum excuſſimus, literis commendemus, digniori loco habebimur, eritq; vt coronam inter hiſtoricos mereatur, qui mendacijs Orbem,tametſi fortaſſe non animo malus, negligens tamen credulus,& parum circumſpectus, impleuit; ſed qui veritatem domi natam,ſenſu ac mente exploratam, cautè inter rationes eductam, ac tandem ſuis numeris adultam, in theatrum produxerunt,fabuloſi cenſeantur.

Nimis fortaſſe exundo,ſed qui in redundantes nonnullorum animaduerto ſententias. Sunt enim qui cùm abolitis Gentilium Aeris, annorum à Chriſto nato putationes Dionyſio ferant acceptas, id maximè crimini in Flauio ducant, quaſi concinnatores figmenti, anteuerſis quæ longè poſt eſſe cæperunt rerum ac temporum ſignis,commento fidem,architectis famam,nationi gloriam vellent affingere, & vſurpatam ab alijs opinionem redimere. Leuis ſanè hęc eſt & inconſulta cogitatio,iamq; à nobis ſuo loco ſatis profligata. Nec video cur ea numerandi forma, prꝫterquam à Dionyſio nullo ab alio potuerit induci,cur per quinq; ſecula, nemini fors inciderit, inter tot præſertim Scriptores,qui res Martyrum geſtas, aliaq; ad religionem ornandam ordinandamq; pertinentia,diligenter conſignarunt. Et fuere nonnulli qui id inuenti vno ante Dionyſium ſeculo, Hieronymo redderent commendatum, cui cùm ætate, non parua ex parte conuixerit Flauius, cur etiam ipſe in pari ſtudio felicis indepti auctor haberi nequeat, vix apparet, niſi vterq; demum in Minutium Felicem, vel etiam iſto antiquiorem Phlegontem,id laudis refundere optarit,ſibi verò de vſurpatione tantum velit gratulari.

Sed enim potuiſſe tam Minutium quàm Hieronymum, ſi non primos eius calculi auctores, fuiſſe ſaltem gratos vſurpatores,nemo iure dubitauerit, ſi cogitet multa inſignium iſtorum Virorum [q] præclara ingenij monumenta, non minimo rei Chriſtianæ damno in interitum conceſſiſſe. Sanè Hieronymi tempeſtate id genus putandi in vſu fuiſſe,dubitare niſi ipſe falſus ſit,minimè ſinit [r] M.Maximus,qui in ea quam ſuo Chronico præfigit ad Argebatum Portugalenſem epiſtola. *Sequemur* (inquit) *rationem temporum more noſtro,per æras Cæſari,& annos Chriſti, magis quam annos Vrbis, Conſulum & Auguſtorum*, vt proindè niſi ipſe hunc morem aliunde acceperit, eius inducti, ſaltem apud Hiſpanos auctor eſſe longè ante Dionyſium potuerit. Sed

q Baron. tom. 5. Ann. 420.
r In Chr.

etiam

etiam Flauius controuerſus, vbi extremam hiſtoriæ manum imponit: *Cùm hæc* (inquit) *ſcriberem regnabat in Hiſpania* [f] *Theorededus Rex, currebatq; eius annus vigeſimus ſecundus Roma* [t] *milleſimus centeſimus, nonageſimus ſecundus, Chriſti,* [u] *quadringenteſimus quadrageſimus, Aera* [x] *quadringenteſima ſeptuageſima cum octaua.* Nec abs re quiſpiam putabit, Flauium ſub lite conſtitutum, ſibi ſuffici vadem, quando ex hoc loco ſignum duntaxat vetuſtioris antea producti teſtis repoſcimus, recentiora qua res poſtulat apponimus. Et verò ſit ſemel Dionyſius ille, qui annis in ampliorem deductis ſeriem, deſideratiſq; iam temporum iniuria Minutij, aliorumq; monumentis, poſteris eius calculi copiam fecerit eatenus, vt cùm fortaſſe reſtitutor eſſet, auctor haberi cæperit; nunquam inde conficias non alium fuiſſe, cui longè ante Dionyſium ea cogitatio inceſſerit, quiue morem Chriſtianis fecerit, religionem obtulerit.

f XXII.
t MCXCII
u CCCCXL.
x CCCCLXXVIII.

EXPENDVNTVR NONNVLLA CIRCA TEMPVS QVO CHRONICON conſcripſit Flauius Lucius Dexter.

CAPVT QVADRAGESIMVM SEXTVM.

HOC (niſi fallor) præteritum ab alijs argumentum, quo nonnulli verſam volunt Flauij cum fide Hiſtoriam; fortaſſe quia Viris doctis vix dignum arundine viſum. Nobis tamen & iſti eximendi ſcrupuli, leues quidem, ſed qui ab aduerſarijs iniecti pedes hiſtoriæ vulnerare putantur, quaſi hoc ipſo, nullo amplius tramite rectè inceſſura ſit ad veritatem. Aiunt igitur qui negotium hac in re faceſſere videri volunt, Flauium Hiſtoriæ ſuæ extremam impoſuiſſe manum circa annum Chriſti cum nonageſimo ſecundo trecenteſimum, idq; hac conſecutione prorſus ad mentem ipſoſque oculos deductum volunt. Flauius perſcripſit omnimodam Hiſtoriam, decennio prius quàm Hieronymus, cui eandem nuncupauit, ſecundam aduerſus Ruffinum Apologiam contexeret; at enim ſi quæ Baronio fides, dictam [y] Hieronymus Apologiam circa quadringenteſimum ac ſecundum annum, vltimo ſignauit charactere, vt inde neceſſario conficias, anno trecenteſimo ſuperque ſecundo cum nonageſimo Flauianam Hiſtoriam in lucem prodijſſe. Scripſiſſe verò Flauium denis ante datam Apologiam annis, Hieronymus [z] ipſe teſtatur cum ait *Ante annos ferme decem, cùm Dexter amicus meus, qui præfecturam adminiſtrauit Prætorij me rogaſſet, vt auctorum noſtræ religionis ei indicem texerem*: ſed præterea res ipſa pro ſe clariſſime loquitur, quãdo niſi iam Flauius abſolutæ à ſe Hiſtoriæ punctum fixiſſet, à Hieronymo certe in albo Scriptorum Eccleſiaſticorum, quemadmodum factum eſt, recenſeri minimè potuiſſet.

y Sub eodẽ anno.
z In eadẽ Apol.

Rectè ſanè, verum cui ſic argutare animus fuit, legiſſe etiam alterum Hieronymi de Viris Illuſtribus librum debebat, vbi ille. *Dexter* (inquit) *Paciani de quo ſupra dixi filius, fertur ad me omnimodam Hiſtoriam texuiſſe, quam nondum legi.* Quemadmodum igitur eam hiſtoriam nondum Hieronymus acceperat, ita fieri potuit vt neq; integram Dexter illo tempore confecerit, quam tamen voto pridem ſuſceptam, puta ſibi promiſſam, & de qua finienda minimè dubitaret, in tabulam recenſionis intulit, quaſi iam ad manus haberet ſed nondum perlegiſſet, auido duntaxat animo præcepiſſet, quando fieri vix poterat, quin ab vltima Dextri manu ſtatim, necdum formoſa, per-

& perpolita in ſinum Hieronymi aduolaret.

Sed fortaſſe ambigat etiam aliquis Apologiam illam ad Ruffinum, quadringenteſimo & ſecundo anno datam, ſi ſecum retractet, eam à Hieronymo [a] cum ceteris à ſe lucubratis operibus haud putatam, quantumuis pleraq; acc enſeret vel leuioris momenti opuſcula; niſi cum [b] Baronio velit de Hieronymo dicendum, quod iactari ſolet de redundante rerum copijs homine. *Adeo prædiues fuit, vt numerum neſciret diuitiarum ſuarum*. Et alioqui ſi ſeriem illam Scriptorum illuſtrium, decimo quarto Theodoſij ſenioris anno, qui cum tercenteſimo nonageſimo ſecundo Chriſti anno recurrit apud Baronium, pertexuit Hieronymus, longè ante ſcriptam eſſe oportuit Flauianam hiſtoriam, cuius in ea ſerie meminit ipſe nō ſecus, ac ſi rem tota penè literatorum corona explicatam induceret, nec ſtabit decem poſt annis, hoc eſt quadringenteſimo & ſecundo datam aduerſus Ruffinum Apologiam, illa ſcilicet tempeſtate, qua Romæ ſedit Anaſtaſius, Orbemq; diuiſum tenuere Honorius & Archadius. Quæ res quàm varijs plurima impediat inuolucris, quantamq; rebus Hieronymi pariat confuſionem, nemo eſt cui obſcurum eſſe queat, imò qui in meridie non cernat, quemadmodum huiuſcemodi argutiarum venationes, non ſemper exquiſitè in temporum coniugationibus veniunt aſciſcendæ, ita Flauianæ hiſtoriæ ſi quæ ſunt ambages, minimè queunt explicare. Ceterùm ad multa quæ hic obſcura videri poſſent illuſtranda, ſatis fuit Hieronymo, quam ſpe deuorauerat nuncupatam ſibi hiſtoriam, ſuorum inſerere librorum Catalogo, nec non ſplendidum in ſubſellijs, amici nomen auctoris, illuſtrium quoq; virorum in libris coronæ apponere; tametſi Deo ſic diſponente, animum tantùm in tam optato munere, non etiam manus oculoſq; habuiſſet, morte videlicet, incæpti finem operis anteuertens, expunctumq; chartis nomen, cùm in librum vitæ moriens inſcripſiſſet, vt ab eodem Flauio, Pauli tandem Oroſij Tarraconenſis appellatione viduum opus inſigniretur, ſpatium ſcribenti relinqueret.

Iam verò & illa ratio, quam inter alias nonnulli aſciſcunt, quaſi nouo quodam cuniculo aptam ad ſubruendam Hiſtoriæ Flauianæ firmitatem, minus videtur roboris afferre, quàm vt pugnantibus animum addat, pugnatis demat. Si videlicet anno Chriſti, ſupra quadringenteſimum, quadrageſimo, quo Flauius vltimam in Hiſtoria lineam duxit, ipſe ſecundum præter ſeptuaginta vertebat ætatis annum, haud ſanè vigeſimum exceſſerit, cùm à Theodoſio ſeniore Prætorio præfectus fuit Orientis, vt iam ſupra fidem ſit adoleſcentem vix ephæbis ſuperiorem, ingens omnimodæ hiſtoriæ molitum opus, eamq; ſibi laudem comparaſſe, qua inter illuſtres Chriſtianorum Scriptores, digniori ſanè loco quàm Orientis fortaſſe Prætorio cenſeretur. Quid enim hic adeo prægrandis prodigij, quod ſapientem, vel qui talis videri velit, eò vſq; admirari cogat, vt cum fide mentem abnuat, & imprudens rerum, tam exiguo præſidio vel ipſe ſuum ingenium definiat, quaſi non plurima per retroacta ſecula ſuppetāt exempla, ne quotidianas afferamus experientias, quibus penè adoleſcentes difficilioribus etiam ſtudijs tentatis & ſuperatis, non ſolum ad culmina ſcientiarum euaſere, verùm etiam admiranda poſteris ingeniorum ſuorum monumenta, breui reliquere, documento ceteris exiſtentes, non adeò rectè conqueri mortales, quaſi ars longa, vita breuis, experientia vſquequaq; ſit fallax, quando in exiguo vitæ curriculo, immenſum illi gloriæ campum inuenerint, deſides ſenectæ annos, & qui paucis contenti, vna duntaxat in re conſeneſcerent animis, longo ſpatio poſt ſe relinquentes.

Sed etiam potuit amico non indigno id honoris habere Hieronymus, vt necdum viſis operibus aut explorato in ſcriptis ingenij ſpecimine, inter ceteros literarum Heroas eum concluderet, qui plures etiam in album retulit, quorum vel nulla, vel certè pauca admodum fuere præſtantiæ argumenta, cùm ſatis haberet aduerſus Cel-

ſum,

[a] *In lib. de Viris Illuſtr.*

[b] *Ad an. 392.*

ſum, Porphyrium & Iulianum, qui Chriſtianos imperitiæ damnabant; plures proferre viros eruditione rerum literariarum præſignes, tametſi non paribus omnes numeris cenſerentur. Et vero præſtabat in Flauio cum titulo nobilitatis vel mediocrem, ſi ſumma non eſſet, neq; enim id negarim, conueniſſe eruditionem, quæ in ea ætate magis admirabilem, imò & formidabilem Hæreticis redderet Chriſtianam religionem. Sed neq; præter decorum aut ſuper ordinem rerum fuiſſe, Flauium eius ætatis, à Theodoſio, tametſi illis temporibus Imperium in Oriente nutaret Prætorio præfici, ſatis euidens eſt ei, qui non modò Olybrium atque Probinum adoleſcentes fratres, ad dignitatem Romani Conſulatus aſcitos, aut etiam Caium Auguſti nepotem penè puerum eidem Orienti fuiſſe præpoſitum, verùm etiam, vt innumeros taceam, Pulcheriã Archadij filiam nondum quindecim annos natam Orientalis Imperij gubernacula ſuſcepiſſe, ac propemodum quadraginta quinq; annos, haud minus ſapienter, quàm in varijs ſucceſſibus, ad ſexus inuidiam feliciter tractaſſe cogitarit.

Iam quod ſtyli gracilitas non eam prodit in dicendo dignitatem, quam vel grauitas Hiſtoriæ, vel eruditio tantis commendata præconijs requirit; nihil vſquequaque moratur rerum fidem, quando ſi dubitari non poteſt ea Hieronymi tempeſtate ſuum eloquentiæ Romanæ ſtetiſſe florem, neq; tamen parem vbique habuiſſe decorem credi poteſt, vbi præſertim alienæ permixta facundiæ vernacula lingua, quod Hiſpana cum Gothica fecit, in Latinum oratio ſermonem, haud planè æquabili flexu fundi potuit ac temperamento. Sed etſi, quod nemo neget, eloquentia ſimul ac dicendi elegantia domi fuit Flauio, vt tamen Hiſtoriam lucubrationibus ſubigendam, quam inter Prætorij rerumq; forenſium curas, meridiationibus duntaxat perſcribebat, delicatiori quodam, & vt ita dicam, ſerico verborum & ſententiarum texeret apparatu, pretium operæ tunc nondum erat; & alioqui differunt vt ſpecies rerum ab ipſis rebus, ita monochromatica à coloratis picturis, ab imaginibus lineamenta, lignei archetypi, à ſtructuris marmoreis. Id potius animaduertendum magnam Hiſtoriæ Flauianæ conciliari cùm fidem, tum auctoritatem à Gothicis characteribus, qui velut materni ſigna ſanguinis, fætum produnt Hiſpanum, qui vel ab vtero, quodammodo ſurreptus & in peregrinum ſolum deportatus, genuina ſemper lineamenta, cum producta per ſecula ætate non mutauit. Scripſiſſe verò Flauium literis, ſi etiam latinis, certè & Gothicis ex eo ſuaderi poteſt, quòd non minor quàm olim decreto Auguſti & Claudij, Græcis cum Romanis, Hiſpanis cum Gothis fuit ſermonis communicatio, ſed hoc etiam maior, quòd neceſſitudine quadam animorum & ſanguinis, quodammodo tranſiret in naturam, vt non immeritò [c] Ioannes Magnus, generoſos Gothorum filios vocet Hiſpanos, cum quibus non tantum commune ſolum & ſedem per trina ſecula tenuiſſent, verùm etiam per illos [d] ab omni exterarum gentium incurſu liberati in eam amplitudinem & gloriam aſcendiſſent, vt nunc quemadmodum idem loquitur, aut præcipua aut inter præcipuas totius Orbis nationes meritò exiſtimetur.

[c] Hiſtor. Goth. Lib. 9. c. 17.

[d] Lib. 15. cap. 17.

AF-

AFFERVNTVR QVAEDAM ALIAE RATIONES pro Flauio Lucio Dextro.

CAPVT QVADRAGESIMVM SEXTVM.

AGE demum, ſi per tot rerum diſcrimina, Saracenorum ac Hæreticorum vaſtitatem noſter euaſit Flauius, quin apud ſapientes Catholicos omnem eluctetur aleam, haud videtur ambigendum, niſi plus poſſit fortuna apud illos, quàm pietas & religio cum ratione apud iſtos. Quanquam ego in cauſa Deiparæ Virginis Epiſtolæ, dum Flauium lego & laudo teſtem, non ita diſtrictis argumentis pro eo pugnatum velim, quaſi contra nitentes Gordio fune reuinctos optem, ſed quos procul cauillis, eiuſmodi rationibus in ſententiam flectam, quæ apud prudentes & quibus religio cordi eſt, ſemperq; meliora placent, locum habere queant.

Atque vt illæ rationes quæ prudentem Franciſci Piſani permouerunt animum, vt pro Flauio decerneret, ſua in coronis ſapientum dignitate cenſeantur; tum verò ad faciendam inſtituto fidem permultum addit, virorum haud vulgarium, vel qui in Areopago ſapientiſſimi haberi poſſint auctoritas, qui in calce operis viceni ac ſeni omnes cùm numerentur, & genere & numero de ſummis etiam rebus, non diſceptare ſolùm, ſed ſtatuere queant ac ſenſa præcipere, in quibus tamen ſi aliqui meminerint duntaxat Flauij, quem vetuſta pridem fama toti Orbi commendauit, pleriqúe tamen hunc ipſum recens inuentum, eſſe eundem illum quem Hieronymus alijque celebrarunt, tametſi in fragmentis duntaxat ſcintillantem, non toto ſplendore Hiſtoriæ fulgentem, aſſeuerant, ſanctum habent. Hos inter cum Franciſco Piſano ſi cenſeri poteſt Ferdinandus Salazar ceteris nondum adnumeratus, qui quemadmodum vidimus, credulus eſſe mauult quàm indocilis & teſtimonia libens admitttit, tum verò [e] Coſmas Magalianus ſententiam dignè explere poteſt, qui vbi fragmentum Chronici Flauij Dextri, Placentiæ ſeruari in Collegio noſtræ Societatis adſtruxiſſet, tum ex eo rebus ſuis auctoritatem ſufficiens: Quis non (inquit) magni faciet quæ a Dextro narrantur? Quis non videt primam Hiſpaniæ ſedem, & religionis Metropolim Bracaræ fuiſſe, auſpicijs Diui Petri Raticenſis Martyris, à Diuo Iacobo Apoſtolo conſtitutam? Profectò nemo hoc inficiari audebit, niſi, qui duo negauerit, quæ vera eſſe & hiſtoriarum fides aſſerit, & hominum publicus conſenſus, videlicet Diuum Iacobum veniſſe in Hiſpaniam, & Diuum Petrum illius diſcipulum, primum Epiſcopum Bracarenſem fuiſſe. Hæc ille, cum quo libenter & nos in re noſtra fidem ex Hiſtoria Flauij repetimus; eamq; ob cauſam, quæ ille de Virginis Epiſtola ad Meſſanenſes data narrat, magni facimus amplectimur, exoſculamur.

[e] In pro. ad Tit. ſec. 15. n. 9.

Ceterùm ſi à certis quibuſdam ſignis, de rerum probitate licet periculum ſumere, apud me non minimo loco, ſi quippiam aliud, habetur illa de imaginibus à Petro Antiochia delatis atteſtatio, quas tamen non Hiſpaniæ duntaxat ſed alijs etiam

Occidentis regionibus viſas ac celebratas, imò antequam Antiochia Petrus decederet, præmiſſas, lego in Euagrio Pancratij Taurominienſis diſcipulo Græcè loquente, non minori ſanè argumento pro confirmanda in Flauij dictis eiuſdem Hiſtoria, quàm vertenda Hæreticorum contra religionem Imaginum prauitate, qui cùm earum vſum Apoſtolis Sacrum, & Sanctum fuiſſe vel ignorent, vel non credant, hodieque Catholicæ Eccleſiæ profanum habent in illis colendis ritum, & antiquis Iconoclaſtis immaniores, illas non confringunt modò, verùm etiam ludis impijs contaminant, religionem Catholicis probro & ioco vertunt. Et profectò nunquam Saluator noſter viuifici vultus ſui effigiem linteo impreſſam, vel ad Abagarum Edeſſanum miſiſſet, vel Berenicæ reliquiſſet, vel totius corporis in ſepulcro cubantis Sacra veſtigia exſignaſſet, niſi ad religioſam quandam memoriam, in animis fidelium ſuorum, Sacrum Imaginum honorem ac venerationem extare voluiſſet; idque ſibi quàm carum eſſet, ſi multis patere voluit exemplis, tum verò, qui eas impiè temeraſſent, quàm dirè cenſuit affligendos, vel manifeſtis prodigijs demonſtrauit. Poſſet hoc loco nouiſſimum illud in edita nuper Hæreticorum ſtrage proferri indicium, niſi rei tam inſignis ad Catholicæ religionis ſanctitatem commendatio, ſuos iam nacta eſſet Scriptores, quando videlicet, illuſa ſceleratorum manibus ab effoſo oculo Deiparæ Virginis effigies, certiſſimum fuit argumentum diuinæ vindictæ de tam immani impietate quàm primùm ſumendæ, ſi Matris honos filio Dei pretioſus crederetur. Nec ſpes & religio fefellit, extemplò collatis bello decretorio ſignis, verſa impietatis acies & fugata, neque tamen vlla ſalute ſeruari potuit, ſed penè ad internecionem tanto crimini expiando victima cecidit. Eius victoriæ religionem, numiniſque in tutela rei Catholicæ poteſtatem, hodie Roma colit, illata in Templum victrice ipſa Virginis effigie, quæ temeritati profligatæ ſuperſtes, ipſa ſuæ Victoriæ ſignum ac trophæum extat, Catholicam pietatem, Ferdinandi Cæſaris cauſam in debellandis Hæreticis ac rebellis eximiè commendat, Principes de re Catholica obſcurè ſentientes ad abiurandum mentem inuitat, Catholicos ad parem in gemina cauſa felicitatem accendit. Sed hæc obiter.

Illas porrò, quas Petrus Antiochia miſit, ac deinde ſecum etiam detulit, Myſteriorum CHRISTI fuiſſe Imagines, ac totius vitæ repræſentatas per[illegible], narrat idem Euagrius, ea præſertim occaſione Antiochiæ ab inſigni pictor[illegible]eri iuſſas, quòd cùm non pauca fieret ad CHRISTVM acceſſio, vt ibi primùm diſcipuli cognominarentur Chriſtiani, eatenus conſultum eſſe oportuit afflictis piorum animis, qui cùm de cetero magno in CHRISTVM flagrarent amore, maximè tamen dolerent, quòd amantiſſimum generis humani Saluatorem, quique ſe pro eo redimendo & pretium Patri expendit, & victimam Cruci impendit, in carne agentem videre non potuiſſent. Excitabat præterea magis, caritatis in pectore flammas, quòd recordatione dulcis Magiſtri ſui IESV, flammatum quoque Petri animum continuò in ſuauitatis lacrymas ſtillare cernerent, ſibique eo ſpectaculo ingentes ad amandum ſtimulos admoueri, vt quod Petro ſubinde contigiſſet interruptis inter prædicandum verbis, ad cæleſtia quodammodo ſemigrare, idem ipſis inter audiendum vſu eueniret, præciſis non raro ſuſpicijs elanguere, in Chriſtum abſorberi. Sed etiam fuiſſe Hieroſolymis, refert idem auctor, qui effigiem Crucifixi auro argentoque cælarent, ac inter Chriſtianos,

vel

vel longè exiſtentes occultè diuenderent, primumq́; Antiochiæ fuiſſe Pancratium iam in religionem animo flexum, qui mero decoram auro de collo geſtaret, ſed deinde in diſciplinam Petri, qui aliquando dixerat *Argentum & aurum non eſt mihi*, aſcitum, creato precio neceſſitatibus pauperum impendiſſe, pictam accepiſſe. Sed vt verum ſit Iudæos quæſtus cauſa clam id factitaſſe, Nicodemum tamen diſcipulum Chriſti, ligni, metallorumq́; celandorum callentiſſimum, ex vſu pietatis feciſſe, ac Chriſtianis donaria eiuſmodi erogaſſe, quin credam, nihil vetat. Ceterùm Iudæis olim in Aegyptiorum morem trangreſſis, eoq; in Idola propenſis, tametſi religio caſtigata præcepiſſet, mente ſola Numen vnum intelligere, & qui Deorum Imagines mortalibus materijs, vt Tacitus loquitur, [1] in ſpecies hominum effingerent, prophanos habere, eamq́; ob cauſam nulla ſimulachra Vrbibus ſuis, nedum Templis tolerare conſueuiſſent: deinde tamen patratæ in Chriſtum nefandæ cædis, iudicio Dei, rei conſtituti, illud etiam non immerentes ſupplicij tulerunt, vt qui viuentem in terris & apud ſe hoſpitantem Deum hominem, agnoſcere peruicaciter detrectaſſent, morientis præterea memoriam, ſi fieri potuiſſet, nedum imaginem abolere prorſus inhumanis modis cogitaſſent, cæleſti planè diſpoſitu & à Caio ſuam Templis effigiem inferri iubente plurimùm vexarentur, & demum ſtātem in loco ſancto deſolationis abominationem, inuitis ſpectarent oculis, ſuaq́; obſtinatione in grauiorem acti noxam, tandem & Chriſtum & templum, & rem & imaginem, cum regno & Sacerdotio, amitteret.

[1] Lib. 21.

Sed ne longiùs extra cancellos eamus, ſi hæc coniectura prudentum iudicio commiſſa quippiam facit ad genuinam Flauij notam, hæc altera etiam in poſtremis haberi non debet, & ad dimouēdam commenti ſuſpicionem ab Hiſpanorum ingenijs momenta affert. Qui enim adeo reſtricti ſint animi, & fingendi rudes, [illegible]a voluiſſent, vt non ſtatim ſuis fallaciam nexibus irretitam aduertiſſent, quaſi verò cogitare non potuerint Fuldam Germaniæ, non ipſis extra anni Soliſq́; viam, vel certè vltra Garamanthas & Indos diſſitam, indicium doli proditurum, vt irriſui forent apud omnes, quibus hactenus tot monumentis, ſapientiæ, religioniſq́; ſuæ famam commendaſſent. Quaſi non etiam, ſi comminiſci mens fuiſſet, eam in dicendo orationis elegantiam fundere nouiſſent, quæ Hieronymianam aut Oroſianam lucernam olere putaretur, vt imprudens rerum ſit, qui, niſi animi gratia, de Hiſpanis tam abiectè ſuſpicetur, & non potius in ſimplicitate ſtyli, niueæ candorem probitatis, ſine fuco incedentem in partes ducat, nec circumſpectus qui Traditionem de aduentu Iacobi firmandam, hoc ingenio ſuſcepiſſe cogitarit viros illos, à quibus antiquior ſtabat religio tot miraculis approbata, quàm vt recentioribus vndecunque tandem conquiſitis argumentis loco moueretur, animis concepta fides euelleretur. Quaſi non ſexcenti numerentur qui ante Flauium rediuiuum, eam hiſtorijs veritatem commiſerint, nec tam dubiam, rationibus firmarint, quàm ratam ac ſanctam nouis ac nouis narrationibus celebrarint. Quaſi etiam à Ruderici Toletani vehementiori conatu, quippiam apud nationes effectum ſit, quo dicta religio fecerit detrimentum, aut ab Innocentio, coram quo diſceptatum fuit, aliquid pro ſubſellijs ſancitum, quod fidem eleuaret, famā deprimeret, & non potiùs ſexcentos, vt dixi, ea cauſa patronos aſciuerit, qui Traditionem ſua ſede firmam, religone totius Orbis celebrem, ſuis etiam patrocinijs conſtantiorem, ac prorſus redderent immobilem.

At enim demus hæc omnia gratis dicta, nec quippiam à nobis hactenus pro Flauio velificatum: demus finxiſſe Hiſpanos, quæ ad ſe ſpectant, demus & Flauium Hiſpanum, quod nonnulli ipſi apponunt, gloriæ nationis fauentiorem, rebus tantùm Hiſpaniæ ſtudere, alienas laudes vel premere vel præterire. Quid verò ſi nihil vſpiam de

Hi-

Hiſpanis, quod non alij quoq́, ex quibus hauſit Biuarius aſſeruerunt, ipſe protulit in medium, vt velut index eſſet aliorum, qui ipſo ſepulto pleraq; perſcripſerunt, vel ſi etiam exemplum fuit, antiquior certè haberi debet, quàm vt recens licet in Germania inuentus, Hiſpanorum commentum dici queat. Quòd ſi non pauca narrat quæ aliarum quoq; nationum partes concernũt, errarit fortaſſe in non diſcretis temporibus, quòd non vni Scriptori, quantumuis ſecundis manibus elaboranti ſcimus, euenisse, figmentum certè non compoſuit, virille, cuius grauitatem & auctoritatem Prætorium Orientis adorabat: ſed nec populis externis hanc adulationem vendebat, vt honorem mentiendo amplificaret, quid enim inde ad ſuam dignitatem nundinatus accepiſſet? Igitur hæc ſaltem proba erunt, vel certè non à fuco, planius dicam, non ab animo mentientis profecta. Quid verò vetat, cum his, vt ſemel argumentum in rem noſtram conuertam, Virginalis Epiſtolæ Traditionem acceſeri, vt hoc maximè, ſi cetera deſint, ſanctiſſimam apud omnes fidem mereatur, quòd ab homine Hiſpano, Meſſanenſibus minimè obſtricto, longiſſimè remoto, in ſumma dignitate conſtituto, nullius indigo, ſtudio duntaxat veritatis rerum monumenta conſectante, non ſemel ſed iterum, ne temerè excidiſſe putes, Deiparæ Virginis Epiſtolæ ad Meſſanenſes datæ mentio inducatur, vt iam ſi iuxta Athenienſium inſtitutum, bis aſſerta veriora ſint ſemel prolatis, & ex communi formula, idem repetitum, confirmatio ſit dicti prioris, longè ſanctior habenda ſit, ſi quippiam vſquequaq; Sanctum eſt in Flauio, de qua agimus Epiſtolæ Traditio Meſſanenſis.

Rurſum verò ſi reapſe conſiſtat à religione conſtanter fulta ea Traditio, quid etiã vetat auctoritate Flauij, commendatam, fidem ac ſedem obtinere? valere verò dignitatem Flauij vel ſola apud Hieronymum oſtendit memoria, vt qui ſemel omnimodæ meminerit hiſtoriæ, ſimul etiam monumenta rerum in ea contentarum poſteritati commendarit. Sanè ſi cuipiam in hoc argumento verſato, prius quàm fragmenta Flauij lucem ſecundam aſpexiſſent, appellatione omnimodæ hiſtoriæ apud Hieronymum cogitatio huius Epiſtolæ incidiſſet, nemo hunc temerè cogitare, prudens arguiſſet; qui nunc fieri queat, vt cùm non elinguia diluceãt in his ipſis fragmentis veſtigia veritatis, obſcura hæc potius & fallentia ſigna, quàm clariſſima & in media luce poſita inſignia cenſeantur, vt qui iam ad conciliandam huic Epiſtolæ fidem, Flauij repoſcat auctoritatem, nullam in corona ſapientum repulſam patiatur. Quid enim Flauio cum Epiſtola Virginis hiſtoriæ ſuæ toties intexenda, niſi Vir Hiſpanus celebrem eius temporis Traditionem, longè lateq; diſſipatam ſuis quoq; monumentis, ne non omnimodam hiſtoriam conſcriberet commendare ſtatuiſſet, & quidem eò magis ſibi exploratam, quò dum Prætorio fungeretur Orientis, certiore fama potuit nanciſci veritatem. An verò id Hæreticorum ludibrio quiſpiam putet inſertum? præpoſterè ſanè & ſine ratione, quid enimuerò Hæreticis cum Republica Meſſanenſium? quid imò commune cum rebus Deiparæ Virginis, cuius laudibus nemo non Hæreticus pro more, quantum lutulento ore ingenioq; potuit, ſemper detraxit: quin certè in ſummo Numinis beneficio reponimus, euaſiſſe hanc Virginis Epiſtolam manus illas deprædatrices, quæ nulla non Patrum monumenta, ſicut & Sacram Scripturam auſæ ſunt temerare.

Atq; hæc omnia prorſus ita ſe habent, vt quicquid in aduerſum feratur, integritati fragmentorum non officiat, ſtabitq; fides omnimodæ Hiſtoriæ vel ab Epiſtola Virginis, tanquam à palmari ſigno, rurſumq; Sanctitas Epiſtolæ, quantum par eſt, ab auctoritate Flauij, ſpontaneam aſſerentis veritatem, non precariam famam commendantis. Et profectò ſi multa in ijs fragmentis veriſſimè dicta, quamquam fortaſſe rariora nemo ſanus pernegarit, tum verò nihil vetat ſanctum eſſe, quod ſemel ite-

Digitized by Google

rumuè de Epiſtola Virginis perunlgatum, etſi nemo alius ante vel poſt Flauium, rem, vt multis videtur, inuſitatam literis conſignarit. Ne verò eodem argumento conficiat quiſpiam, cùm multa in ijs fragmentis (ſi ita ſit) exorbitent à vero, facilè etiam eiuſdem Epiſtolæ Traditionem inter ea poſſe recenſeri; longè quemadmodum prætendimus diuerſum ſuadet aliena à fingendo ratio, quæ nullum eo mendacio fucum religioni facere, nullam architecto ſuo gratiam apud Diuos, hominesq; conciliare, nullam denique vel popularis auræ gloriolam, vel pertenuis commodi ſpem valuit comparare.

Et verò ſint ea fragmenta non Flauij, vel cuiuſuis alterius illi æuo quàm citimi, certè ſeculo eſſe longè ſuperiora nemo dubitarit, qui multas Scriptorum quantumuis inter ſe differentes ſententias retractarit; Id verò ſemel ad illam infringendam calumniam, quam non vna vice compreſſimus, ſatis erit, vt huius Epiſtolę Traditio commẽtum Laſcaris minimè habeatur apud Sciolos; neq; ſolùm, ſed cùm ſupra Laſcarim haud proximus ſit, qui famæ principium dederit, in longiſſima retro tempora, conſueto genuinæ Traditionis tramite retrahatur neceſſe eſt. Nec verò aliud dixerint Flauiomaſtiges, quamquam nec ipſis aliud præcipuè venerit in mentem, niſi non eſſe eam Flauij hiſtoriam, quam vel Calderon luci dedit, aut ceteri hucuſque in Hiſpania vel aſſeruarunt, vel recens compoſitam in auras emiſerunt. Verùm cur eiuſdem hiſtorię fragmenta ſaltem obiter digeſta, vel etiam, vt multa gratis concedamus, tumultuariè compacta, eſſe nequeant, hactenus ipſi conſtanter non euicerunt, & alioqui ſi ex paucis, vt videtur, mendis iudicium ferant, actum ſit de multis antiquarum Traditionum, ne quid grauius dicam, monumentis, quæ, vt vidimus, interdum pluribus implexa ſunt ambagibus, quàm quòd vel ad Thelei filum explicari queant.

Sed enim hactenus cùm omnes pro Flauio vel retruſos angulos excuſſerimus, imò quibus etiam latebris aduerſæ rationes tutari ſe poſſint oſtenderimus; neque tamen quippiam offenderimus quod partes aliorum magnoperè firmare, noſtram verò ſententiam poſſit infirmare, ſemel de auctoritate Flauij, noſtriq; inſtituti, ex eius dignitate commendatione, quantum par eſt, volumus eſſe conſtitutum, ac deinceps, quæ ex aliorum quoq; ſapientum placitis ad rem veniant, cenſemus in medium afferenda.

AFFERVNTVR AVCTORES DE EPISTOLA B. MARIAE Virginis ad Meſſanenſes data loquentes.

CAPVT QVADRAGESIMVM SEPTIMVM.

TRADITIONEM auctoritate ſuperiorem eſſe, licet non oſtendiſſemus, hoc loco à Sapientibus acceptum poneremus. Sed enim, ſi hinc etiam fulcrum fiat veritati, vulgò præclarè actum putatur; religio cum pietate roboratur. Id igitur nunc agendum, vt liquidam ſuopte ingenio ſententiam, teſtibus quoq; reddamus locupletiorem, ne, ſi vel iudicio forenſi diſceptandum ſit, de ſuo ſtatu cauſa deijciatur. Vicenos ac binos alibi produximus, ſed hoc loco velut ad album nomina dirigimus, inter omnes verò, ſi Flauius Lucius Dexter omnem implet exceptionem, ceteri nihilominus & genere valent & numero, pluresque ſi accedant, coronam perficiunt, religionem detrectantibus offerunt, propenſis ad pietatem animis ſtimulos addunt. In his verò cenſendis, ſi nonnullos ex ordine & gradu fortaſſe compellabimus, ple-

pleroſque ſecundùm tempora quibus ſerius aut citius ad manus peruenerunt, aſſeremus.

Ac, vt à capite feriem ordiamur, primus ſe offert tot rationibus controuerſus Cõſtantinus Laſcaris, qui tamen alieno quod dicitur clypeo tectus tela repulit, extra ictum & vulnus ſtetit. Is verò in prologo in Epiſtolam B. MARIAE Virginis ad Meſſanenſes: Non omittam (inquit) vnum quod ab externis penitus ignoratur, in laudem B. MARIAE Virginis & ipſius Ciuitatis. Cùm Beatus Paulus Apoſtolus eſſet in Calabria, in Ciuitate Rhegyj euangelizans omni Creaturæ Euangelium Dei iuxta illud Diui Marci, [g] *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ*, fuit vocatus mirabili deuotione à populo Meſſanenſi, vnde venit, & prædicauit primo die de Domini Noſtri IESV CHRISTI Crucifixi Paſſione, in ſecundo verò de Virginitate B. MARIAE, & Incarnati Verbi Myſterio. Quibus auditis Vniuerſitas Meſſanenſis inſtanter & inſtantiſſimè interrogauit, vbi reſidebat iſta Regina Cælorũ Mater Dei: cui Beatus Paulus reſpondit, Hieroſolymis moratur & adhuc viuit. Repleti gaudio Meſſanenſes, inſtituerunt Legatos, qui vna cum ipſo Paulo nauigio Hieroſolymam ſe contulerunt. Vnde facta prius oratione, Beatam Virginem MARIAM in Dominam ſusceperunt, quæ Sanctiſſimis manibus proprijs ſe ſubſcripſit in quodam chirographo, acceptando & confirmando omnia, appellando ſe perpetuam protectricem ſuæ Meſſanæ. Hactenus Laſcaris. Nam cetera quæ in Manuſcriptis addita circumferuntur, exceptoris vel Notarij potius ſunt ſigna quàm Laſcaris argumenta, ſi ſtilum, verba, formulamque ſeruamus. Sic enim habent. Quod Chirographum fuit Hebraicis literis ſcriptum, & ab eodem Beato Paulo, in Græcas tranſlatum. Temporibus verò noſtris à Conſtantino Laſcari, viro præſtantiſſimo in latinas literas tranſlatum eſſe affirmant (vel vt alij legunt, affirmo) tenoris ſequentis. Subijcitur deinde Epiſtola, & alioqui neſcio quid inanis ſpeciei præ ſe ferat, Virum ſapientem ſuæ laudis eſſe præconem, & ſeipſum de ſe tanquam alieno loquentem ore inducere.

Ceterùm ſi oratione latina Græcum hominem, & in Græcis eximium non adeò limpidè fluentem legis, latinè nihilominus loquentem intellige, hoc eſt, vt Tullio placet, non accuſatoriè, vel etiam eleganti verborum circuitione, quaſi tectæ ſuppoſitioni fidem teneatur ex verbis, non amoto tectorio ſynceram apertè oſtendat veritatem: quòd ſi viro ad eloquentiam latinam æquè ac Græcam arte ac ingenio, quod docti volunt comparato, nihilominus ſimplex illa dicendi forma arriſit, quæ ad omnium aures animoſque ſuauitate potius veritatis accederet, quàm orationis numeris & harmonia lenocinaretur, nihil de argumentis aliorum quoque ſapientum erit dubitandum, interdum illa rationibus valere magis quàm verborum phaleris, nec ſermonem, ſed morem inconditum, nomini ferre præiudicium, proinde (vt obiter aciem reflectamus) gracilitatem ſtyli Flauiani in fragmentis, ſuum non negare auctorem, ſed potius commendare. Cetera ſi in Laſcari dictis, offenſatoribus mira quædam videantur & pugnantia, ad noſtram alibi explicationem animum aduertant, & temporum vices rerum ordinibus nectant, vt ſic plus ipſi gratiæ non excipiendo recta, quàm offenſæ reprehendendo praua inueniant, & alioqui ſi quo tempore Paulus Meſſanam venit, eodem cum Legatis Meſſanenſium ad Deiparam deductis adoratione perfunctum, ex Laſcari, quaſi inſcitè mentitus ſit, haberi contendant, facilè etiam in Sacra Scriptura non pauca dementer & imperitè dicta, cum Iuliano temerè pronuntiet, ac vt ſexcenta mittam, vno eodemq; die [h] Oſeam mandata Dei capeſſentem, & abijſſe, & accepiſſe Gomer filiam Debelaim, & hanc concepiſſe, & peperiſſe ei filium deblaterent.

[g] Cap. 16.

[h] Oſeæ cap. 1.

Pro-

Proximus à Laſcari venit Mutius Iuſtinopolitanus non infimæ notæ apud omnes Hiſtoricus, ſed quod aduertit Alphonſus Villegas, [i] apud Italos in primis celebris, Summiſque Pontificibus vel eo nomine carus ac precioſus in paucis, quòd modis omnibus vehementer, ſed ſcriptis præſertim Hæreticos acriter conuelleret. Hic verò libro primo Hiſtoriæ Sacræ, capite decimo tertio, [k] non quacunque & velut per tranſennam occaſione, ſed accerſita narratione, illis ipſis temporibus maximè neceſſaria, Hæreticis etiam fidem facit. Quod equidem eius nominis virum facturum fuiſſe, non adducor vt mihi perſuadeam, niſi vnà etiam credam, hoſtibus, aduerſum quos pugnabat, gladium ſimul ac iugulum præbere voluiſſe, ſi Virginis laudibus fucum feciſſet, & quod ipſe literis tradidiſſet, minimè verum credidiſſet. Erupiſſent ſanè ex ſexcentis latebris, infanda Hæreticorum capita, & qui nullum penè apicem in ſcriptis Orthodoxorum intactum prætermiſere, hoc loco planè arcem tenuiſſent, vnde cetera etiam de Virgine Hæreſum domitrice diuulgata, calumnijs obnoxia redderent. Id cùm ipſi minimè fecerint, ceteris etiam occaſionem calumniandi, niſi peruicaciores ſint, eripuerunt.

II. Mutius Iuſtinopolitan.
i Tom. 2. Legend. cap. 20.
k L. 1. Hiſt. Sac. c. 13.

Narratio porrò Mutij Iuſtinopolitani, non alia eſt præter eam, quæ vulgò circumfertur, niſi quòd explicatiùs aſſerat, Deiparam Virginem acceptis à Meſſanenſium Legatis, literis publicis, probatiſque de Vrbis ſuæ protectione poſtulatis, ſua manu viciſſim ſcripſiſſe, traductumque Græcè tunc, exemplum Hebraicum, propius deinde ad noſtram ætatem ab excellenti Viro Conſtantino Laſcari Latinè donatum, publica fide nec antiqua minus, in Tabulario Meſſanenſis Ciuitatis aſſeruari. In eo differt à pleriſque, vt alibi ſignauimus, quòd auctorem Græcè conuerſionis haud prodat, in quo tamen conuenire ipſi putandum cum Laſcari, qui & ipſe nomen Pauli miſſum fecit, vt iam illi, qui ad Laſcaris dicta, noui ſignatores & pararij nomen Pauli, ceteraque ſubmiſerunt, aut vetuſtius aliquod exemplum inſpexerint, aut à veriſimili coniectura pro rei veritate ſint arbitrati, niſi iam Traditio ad manus ducta, hoc quoque ad ſcribentium calamos adduxerit.

Ceterùm, qui ad dicta Laſcaris, commentator an exceptor, notas illas adiecit, idem etiam temporum characteres Epiſtolæ Deiparæ facilè meo iudicio ſubſignarit, ad conſuetas vt videtur Siculorum obſeruationes dirigens putationem, quæ numeratis ſcilicet à concepto, necdum CHRISTO nato labentibus annis, quod vetuſtiſſima ſanè manuſcripta, quemadmodum iuxta alias dicta, Piſanis, ita Siculis in more fuiſſe teſtantur, nonnullam, ſi ad communem hodie calculum temporum ducantur, parit confuſionem, imprudentes morum in errorem mittat. Eaſdem vero notas, cùm & Mutius Iuſtinopolitanus inſertas voluerit, ſi non eandem nobiſcum habuit cogitationem, maiora fortaſſe etiam ſuſpicatus fuit, vel certè, ſi errorem putauit, ex eo vetuſtæ Traditionis religionem vitiari non iudicauit.

Tertius accedit Alphonſus Villegas, [l] laudator Mutij, idemque pius Scriptor, cuius de hac Epiſtola ſententia, ſi eam apud omnes, quam illa apud ipſum tenuit, fidem inueniat, nihil vltrò diſceptandum erit; cur vero inuenire non debeat ſi citra peruicaciam animorum ſenſa tranſigantur, haud video: quo demum ſicut ipſe inter eas, quæ nomine Deiparæ Virginis, ad diuerſas ſcriptæ feruntur Epiſtolas, hanc duntaxat atq; illam ad S. Ignatium exaratam, genuinum habere characterem

Alphōs. Villegas.
l Tom. 2. Leg. cap. 20.

con-

conſtanter ponat; ita ceteri qui in Villega Viro Hiſpano,pio,ac docto,nihil habent quod à ſtudio partium,vel alicuius gratiæ interuentu reprehendant, quam proximè ſint aſſenſuri. At quia de Villega vbi eius argumentum expendimus, non vno verbo diximus,hoc loco pro numero duntaxat ac ordine paucis induxiſſe ſufficiat.

IV. Martin' Nauarr'. m Cap. 21. num. 18.

QVARTVS in ordinem venit Martinus Nauarrus, [m] vir pius, doctus,& ſcribendo nauus in paucis,qui in ſuo libro de oratione & horis Canonicis,inter alia quæ de Beata Virgine narrat: Quin etiam(inquit)mihi nunc hæc prælo ſubijcienti, allatum eſt cuiuſdam eruditi teſtimonium, quo affirmat Conſtantinum Laſcarum, Virum eruditione præſtantem,tranſtuliſſe è Græca in Latinam, Epiſtolam quãdam breuem, iam ab alio antea ex Hebræo factam Græcam,qua ipſa Virgo Mater amantiſſimè in ſuam protectionem ſuſcepit Ciuitatem Meſſanam, quæ a B.Paulo Apoſtolo edocta, ipſam adhuc viuentem per ſuos Legatos reuerenter viſitauerat. Hæc Nauarrus,cui vel vnius eruditi teſtimonium ſatis fuit ad fidem faciendam, quod Vir diſcretus & experiens apprimè noſſet,non eſſe tricandum in ijs,quæ ad omnium pietatem fouendam, ſed in primis ad Ciuium religionem augendam conſeruandamque plurimum momenti afferunt, mentiri verò vel viles & nauci homelli nefas ducunt. Ceterùm & eruditus ille quem laudat Nauarrus, ad eorum accedere videtur ſententiam,qui Græcæ verſionis auctorem non norunt,neque tamen iſti aliorum qui Paulo id muneris deferunt, coniecturam omninò fallunt,ſed indiſtricta Traditione,(ſi Traditione habetur Paulum ex Hebræo conuertiſſe) prudentem nihilominus iſtorum cogitationem ad animos admittunt, quando ſi expendantur,quæ cum re & tempore coniuncta ſunt,ſepoſita etiam Traditione, nihil adeo eſt ſimile vero, quàm Paulum Apoſtolum eius verſionis auctorem, Virginis interpretem,imò & amanuenſem haberi.

V. Petrus Caniſius

Atqui hactenus,ſi in iudicio diſceptatum fuiſſet, quando in ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum, rem omnem ex ſententia confeciſſemus, Verùm quia pro dignitate velificandum eſt,non ſolùm quò iure vincat, verum etiam quo ſuffragio cauſa triumphet, agendum. Itaq; teſtem plane triarium adduco Petrum Caniſium, virum non minus doctrina quàm ſanctitate conſpicuum, cuius laus,vt inquit

n Tom. 1. Ad an. 9. o Lib. 5. cap. 1.

Baronius, [n] eſt in Euangelio per omnes Eccleſias. Hic verò in ſuis eruditis de Deipara Virgine lucubrationibus. [o] Apud Siculos(inquit) extat inſignis Reſpublica Meſſanenſium, quæ aliam Epiſtolam (dixerat paulò ante de Epiſtola ad Florentinos data) ab eadem Virgine miſſam prædicat, atque,vt audio, reuerenter in ſuis ſcrinijs aſſeruat.Hæc ego velut Marianæ charitatis ſymbola dixerim,quibus talem tantamq; Matrem,de multorum etiam abſentium,longeq; diſſitorum ſalute, non parum ſollicitam fuiſſe res ipſa declarat. Hæc Caniſius. Præclarè verò in tam reſtricto Virginis elogio,& Meſſanenſium pietatem in prædicanda Deiparæ gloria commendat,& Reipublicæ felicitatem tantæ Virginis patrocinio firmatam innuat. Ac de Caniſij mẽte ac dicto cùm non paucis alibi tranſactum ſit, non eſt opus hic iterum ſententiam edere, longioremq; explicationem producere. Quin actum agam ſi vel ſpontè currentem calamum haud reprimam, rurſumq; profluentibus adſtruam rationibus, Virum tantum,qui impoſturas omnes,ac Hæreticorum mendacia,partes in omnes verſabat,nunquam ſuis ſcriptis id inſerturum fuiſſe, ſi vel minima ſuſpicio falſi, religioſiſſimum hominis animum ſubijſſet, eo tempore præſertim,quo factionibus Hæreticorum flammata Germania,prope omnia ſanctitatis flagrabant apud impios inſtituta,ſed præcipuè honori Virginis meditatæ faces intentabantur.

VI. Ioannes Carthagena. p Tom. 3. lib. 14. hom. 1.

Caniſio ſuccedit Ioannes de Carthagena [p] Theologus ætate noſtra eximius, qui de Scriptis à Deipara Virgine ad diuerſos Epiſtolis de induſtria differens: Extant (inquit) & aliæ duæ Epiſtolæ B. Virginis, quas Meſſanenſes Florentiniq; ſe accepiſſe

glo-

Digitized by Google

gloriantur à Deipara miſſas, & paulo poſt vbi Baronij contra vel obſcurè ſentientis verba recitat. Ego vero (ſubdit)non video cur his Epiſtolis humana fides adhiberi non debeat, vt enim à recentioribus exordiar, illas acceptant doctiſſimus Caniſius, & inſignis concionator Hieronymus Ferrarienſis, qui illam quæ ad Florentinos ſpectat,pro concione explicauit vigeſima quinta die Octobris, anni milleſimi quadringenteſimi nonageſimi quinti. Accedit quòd cùm antiquiſſima & immemorabilis ſit vtriuſque huius celebris Vrbis traditio, quòd B. Virgo eas per Epiſtolas ſalutarit, non videtur veriſimile rem eſſe confictam. Hæc ille; quod viri doctiſſimi iudicium egregiè reprimit eam nonnullorum intemperantiam, qui cùm nimis tricari amant in non neceſſarijs, idemque diſcriminis volunt in luce & vmbra, pias obſcurè lacerant traditiones,& cùm aliud non valent, cauillis aſperant pietatem, vel certè ſi non ipſam religionem, cauſam impugnant religionis. Singulare verò eſt Sapientum piè ſentientium, in argumento religionis iudicium, & planè Sanctis Eccleſiæ patribus, ac doctoribus aduerſus Hæreſes vſurpatum, vt Traditionem plus poſſe velint, quàm pleraſque humanas, quæ ambiguæ eſſe poſſunt,nec niſi ipſæ à Traditione firmæ, auctoritates. Id verò ſi præcipuè militat in ijs quæ propriè Eccleſiaſticæ ſunt Traditionibus, in Hiſtoricis etiam locum habere poteſt.

Sed enim de Epiſtola ad Florentinos data, pridem, eximia Gentis ingenia ſuum habent argumentum, quo in omnem nata laudum excelſitatem, hinc quoque ſe ſe efferant in culmen, & propius ad Deiparæ gloriam extollendam accerſantur. Quod ad Hieronymum Ferrarienſem ſeu Sauanarolam ſpectare poteſt,ſuis illum notis à præſtantium virorum ſenſis, cùm inſignem velim, tum in publica concione pietati illuſiſſe, religionem temeraſſe apud nationem præſertim in rerum ſeria propendentem, non crediderim;quin etiam à ſingulari Numinis diſpoſitu factum, eodem æuo Laſcarim Meſſanæ,Sauanarolam Florentiæ nouis ex antiqua veritate argumentis,Deiparæ Virginis gloriam propagaſſe, libenter aſſenſerim, idq; cùm ceteris parem habuiſſe occaſionem, quæ interdum circa Virginis argumenta, præter expectationem in Eccleſia Deo faciente effloruerunt.

Secundum Ioannem Carthagenam ad manus & mentem eſt Ioannes Maria Tarſia, vel hoc laudandus, quod Deiparæ Virginis regnum ad nouos pietatis fines pro virili ſtuduit proferre, ſuoque in eo nomini perpetuum famæ domicilium extruere, Is igitur in illis quæ de excelſæ Virginis Monarchia conſcripſit libris [q] eadem ferè de hac Epiſtola quæ Mutius Iuſtinopolitanus narrat ac cenſet,Latinam verſionem Laſcari, Græcam cui tribuat non appellat; demum ſignata omnia Meſſanæ publica fide, & inter authenticas antiquitatum Vrbis tabulas,huius quoque Epiſtolæ exemplar aſſeruari conteſtatur, id quod ipſe ita ponit ad vulgatam formam exſcriptum, vt tamen ſubſignationem miſſam faciat, nihil opinor ex ea ratus vel accedere ad rei firmitatem,vel decedere ab integritate, ſatiſque roboris eſſe in cetero corpore, ad fundatam Deiparæ Monarchiam, vel ſtabiliendam,vel ſi neceſſe foret,etiam fulciendam;quãquam pro re nata ornamentum potius ex tam inſigni Dei Matris exemplo duceretur, & in pijs animis pro religione firmamentum, quàm pro principatu Virginis fulcimentum.

Ioannes Maria Tarſia.
[q] *Lib. 4. cap. 10.*

Sequitur Chriſtophorus Verucchinus ex ordine Capuccinorum, non minus à pietate quàm à literis comparatus.Is verò in deuotis ſuis commentationibus, [r] vbi primùm egiſſet de illo Dionyſij ad aſpectum Deiparæ Virginis exceſſu, quo vix humanitatis in illa memor, Deum eſſe cogitaſſet, pronuſque ſummam religionem niſi fides animum direxiſſet,deuouiſſet: Hinc (ſubdit) factum, vt cùm omnibus adeundæ Hieroſolymæ copia non ſuppeteret, interdum Virgo per literas re-

Chriſtophor. Verucchin.
[r] *Medit. 77. num. 10*

Oo qui-

quireretur, in vota flecteretur, nec eſſet, qui ſummè benignum ab ea reſponſum non ferret; quemadmodum nonnulli contigiſſe narrant Ioanni, Ignatio, Ciuitatibus Meſſanæ, Florentiæ. Hæc Verucchinus, cui pro pietate ſatis fuit à benignitate Virginis ducere argumentum ad huius, aliarumque Epiſtolarum religionem, extra inſtitutum ratus in re tam digna fide, tam conſentanea moribus Virginis ad implorationem quærentium paratiſſimis, narrantium auctoritatem veſtigare.

Ceterum quæ cogitatio Verrucchino inter pias meditationes incidit, illam ab antiquiori eruditione acceſſitum etiam venire potuiſſe nemo dubitarit, qui in eandem ſententiam iuiſſe aliquando Ioannem Viguerium in Theologis eximium animaduerterit.[f] Hic verò de B. Virgine verba faciens; Tempore (inquit) vitæ ſuæ non eguerunt Apoſtoli congregatione Concilij, quia eius reſolutioni omnes in omnibus aſſentiebantur, qui poterant ad illam accedere, accedebant & inſtituebantur, & per eos etiam alij per literas; vnde legimus literas Diui Ignatij ad eam &c. quibus verbis preſſo quidem ſermone, ſed velut per incile profluit in eam quam Verucchinus intendit explicationem. In eo tamen quod Deiparam Virginem ante indictum Legale Concilium mortalitate functam inſinuat, nec neceſſariam ducit rationem, nec, vt alibi multis pereginus, conſtantem auctoritatem.

f In inſtit. de Myſt. Incar. c. 20. §. 9.

IX. Petr. Anton. Spinellus.

Accedit ad numerum Petrus Antonius Spinellus, inter eos qui præcipua quadam religione Virginem colunt non poſtremus, ac inter alia glori e Deiparæ monumenta, refert,[t] non immerito Meſſanenſium Vrbem gloriari ſe recepiſſe Epiſtolam à Deipara in terris adhuc agente, & inter alia Templa eiuſdem nomine Sacra, Cathedralem ædem Aſſumptæ Virgini, inſigni magnificentia extructam habere, quam quidem Thomas Fazellus[u] à Meſſanenſibus conditam (non à Regibus vt quidam ferunt) ait pulcherrimam eſſe, & quoad interiorem cultum cuicunque Italicæ non temerè comparandam.

t Tract. de feſt. ac Tēp. Deip. n. 11.
u Hiſ. Sic. Decad. 1. lib. 2.

Rectè verò Spinellus ait, ea ſcriptæ ad ſe Epiſtolæ prærogatiua gloriari Meſſanenſes, quando hæc ſola ſit, quæ inter mortales ſummo loco reponere poſſit Ciuitatem eo præſidio munitam, quod & Ciues religione beare queat, & Vrbem ipſam vel nullis mœnibus exaggeratam, nec ſitu loci & natura commendatam, etſi his omnibus munita ſit Meſſana, contra omnes hoſtium, fortunæ, & vt ſic dicam, fati incurſus firmam, ac tutam reddere poſſit, & conſeruare; vt iam reliquæ Meſſanæ laudes, adulatorum magis, quam oratorum argumenta, à ſydere, ſituque Vrbis, à Martijs factis, a nobilitatis ſtolonibus, titulorum illigaturis, honorum prærogatiuis, ex ſexcentis id genus alijs, in quibus æquè cum virtute fortuna poteſt, præ iſta deſpici queant, contemni, & quamquam opinione hominum maxima ſint, pro nugis haberi.

X. Ioannes Bonifaci.

Sed etiam Ioannes Bonifacius, quem aliqui auerſum volebant, ad partes venit. Is verò in illuminatis ſuis de Virgine lucubrationibus,[x] cùm paulò ante ſua aliorumq; ſapientiſſimorum Patrum voce Beatam Virginem, magiſtram magiſtrorum, Apoſtolorumq; præceptricem nominaſſet, ad quam velut ad Cæleſte Oraculum, & auguſtiſſimum ſpectaculum vndiq; mortales, quos inter aliquando magnus etiam ille Dionyſius fuit, confluere, & ſciſcitari conueniſſent: Fieri etiam (inquit) fortaſſe potuit, vt hoc tempore literas illas ad Ciuitates Florentiam Meſſanamque dederit, quas ipſæ iactant, & à Virgine ſe habere gloriantur, quod mihi pro cetera Beatiſſimæ Matris facilitate, & humanitate non magnopere videtur eſſe mirandum. Si enim Florentini & Meſſanenſes ſuam vtraque Reſpublica, ad Beatam MARIAM Virginem Epiſtolam inſerunt, (fides ſit penes Hiſtoricos quorum

x Lib. 1. cap. 12.

eſt

Digitized by Google

eſt religionis in vtraque Vrbe antiquitatis indagare) non eſt dubium, quin Virgo reſcripſerit, & ambas Ciuitates, qui Virginis mos erat, conſolatione repleuerit.

Hæc Bonifacius, qui prudenter ſanè relicta penes Hiſtoricos fide miſſarum ad Virginem Epiſtolarum, ſuæ quamque Ciuitatem religioni maluit permittere, quàm vel ſine cauſa tricando impedimentum obijcere, vel importunis cauillis, an calumnijs ſenſum pietatis ſine fructu perturbare. Multa verò quæ ex mente Bonifacij conſideranda veniunt, quia ſuo loco non vna ratione cum Anonymi argumentis commiſſa peregimus, iterum adſtruenda non cenſemus.

Poſt Bonifacium ſe offert Ioannes Petrus Odeſcalcus, idemq; Antiſtes Vigueuani, ea Prouincia non indignus, qui in ſuo Inſtituto deuotionis Beatæ Virginis. [y] Non (inquit) contenta hæc inſignis Magiſtra, doctrina duntaxat & operibus Vniuerſæ prodeſſe Eccleſiæ; multarum præterea particularium Eccleſiarum ſuſcepit curam, quibus per quam vtilia, ſanctiſſimaque tradidit documenta, nec non impenſis larga manu gratijs ac beneficijs, amplo eas fauore proſecuta eſt. Cuius rei clarum perhibent teſtimonium literæ, quæ hodieque aſſeruantur, exaratæ (quemadmodum creditur) ab hac Virgine ad Eccleſias Florentinam, & Meſſanenſem, ſigna dubio procul euidentia curę quam ipſa, Mater dixeris amantiſſima an Magiſtra, circa earũ ſalutem gerit, mentem impenſam habet. Sic ille. Egregium verò argumentum amoris à ſingularibus petitur beneficijs, quando communis illa ſollicitudo, quàm Dei Mater vniuerſæ pendit Eccleſiæ, proprijs quibuſdam ſignis commendatur, ac quemadmodum animi Principum, priuatis in benemerentes quaſdam Vrbes prærogatiuis cenſentur, quibus ceteræ velut illecebris ad rectè factorum exempla pertrahantur, ita pium Virginis ſtudium, & cum ſecunda auctoritate ſummum erga genus humanum patrocinium, deſignatis quibuſdam apud nonnullas nationes eluceſcit priuilegijs; vnde velut noui fontes exiſtere queant, qui ad alios quoque gratiarum fluenta poſſint emittere. Et certè niſi aliquando Deipara Virgo, ſcribendo & monendo, Euangelicum inſtitutum fouiſſet, religionique contuliſſet, præſidem gratiarum in terris, Nato in Cælos abeunte, relictam ſe ſe, vix alio ſigno liquidius oſtendiſſet. Quo in genere, ſi omnia ſint præclara, illud Meſſanenſibus glorioſum ac ſalutiferum, ſiuè demum ſortitò, ſiuè ex electione, primos ſe materiem ſcribendi Virgini non quacumque obtuliſſe, ſed vnde gratiarum in Eccleſia ſignandarum, ipſi primum argumentum eſſent, Virginis poteſtatem primi in religionis prærogatiuis ferrent.

XI. Ioannes Petrus Odeſcalcus, [y] *Diſcurſu octano.*

Huic annumero Franciſcum Faſanum, [z] & ipſum ex ordine Clericorum Regularium, pro Deiparæ gloria piè velitantem, eoque inter ceteros ſingularem, quòd in ſuo de formando Chriſtiano, inſtituto, non ſolum ab antiqua Traditione, & virorum grauium auctoritate, fidem huius ad Meſſanenſes Epiſtolæ rogat ac probat, ſed multò maximè, à iugi Deiparæ protectione ſibi quoque in difficillimis temporibus, quibus Meſſanæ aderat, explorata, eatènus confirmat, vt apud rectè opinantes, nihil dubij reliquum eſſe velit. Atqui hoc argumentum à ſignis protectionis, ſi vllum aliud, quia vaſtiſſimam habet in rerum narrationibus explicationem, infra à nobis ſuo ſpatio deducetur, vnaq; inter alia quid Faſanus id temporis viderit, quid Meſſanæ periculi fecerit, cenſebitur.

XII. Frãciſcus Faſanus. [z] *Part. 2. l. 1. c. 25.*

Ex noſtro ordine præter Caniſium, Bonifacium, Spinellũ, inſignis huius ſententiæ patronus eſt Franciſcus Arias, qui ſua ſapientia vel in Prytaneo Theologico ſummã ferat; Ait verò in egregio ſuo de imitatione Virginis argumento, [a] Deiparã eximiæ

XIII. Frãciſcus Arias. [a] *Cap. 10.*

 cha-

charitatis officia non inter præſentes modò coluiſſe, verùm etiam apud abſentes, miſſis ad eos literis pietatis & ſolatij pleniſſimis expleuiſſe, eoſdemque myſterijs diuinorum imbutos, ſolidos ac firmos reddidiſſe. Id maximè probat ab Epiſtolis, inprimis ad Ignatium Martyrem, deinde ad Ciuitatem Meſſanam datis, quarum altera, cùm teſtes habeat auctores grauiſſimos, altera ſibi teſtis, pretioſæ inſtar reliquię quemadmodum ipſe ait, aſſeruatur, vtraque perpetuæ Traditionis manu cuſtodit roboratur.

Hic ferè ſenſus dictorum Franciſci Arias, quem tamen de Epiſtola Virginis Meſſanæ conſeruata, non in primitiuo, ſed in propagato exemplo velim intelligas; vnaque Viri ſapientiſſimi iudicium, in libranda vtriuſque Epiſtolæ fide, cùm perpenderis, ſi probatiſſimi teſtes exploratam reddunt Ignatianæ veritatem, Meſſanenſium Epiſtolam à teſtibus & religione ſacram, ſed à perpetua ſuper hæc Traditione ſanctiſſimam cogitabis; vt hoc propter ſapientiſſimus Iudex, cùm de altera nihil dubitaret, ad eius certitudinem alteram reuocaret, & vtramque à genuina Traditione roboratam, alteramque ab altera fulciri perſpiceret, in diuerſas ab inuicem abire conſecutiones minimè vellet, ſed in vnius argumenti vim, vtriuſq; fidem coaleſcentem, ad immenſam Dei matris charitatem commendandam aſſumeret.

XVI. Laurentius Maſellus. [b] *Lib. 4. de B. Virg. cap. 12.*

Laurentius deinde Maſellus poſt relatam è Mutio Iuſtinopolitano hiſtoriã. [b] Nolo (inquit) Syndicum huius agere deuotionis. Nihil quod ædificat, charitatem auget, deuotionem excitat, à ſapienti & deuoto pectore eſt repudiandum. Hæc ille. Nec ſcio quid apertius pro pietate dici potuerit, quid pro commendanda Meſſanenſium religione magis appoſitum, vt mirum ſit extitiſſe, qui ſtrangulata, quod dicitur, verba in contrariam formulam abriperent, cùm ſi quæ dubiæ mentis incidiſſet obliqua ſuſpicio, in meliorem (niſi ab iniquis animis) partem explicari debuiſſet. Verùm quia retractum ab alienis caſtris, quò nolentem vi abripuerant aduerſarij, noſtro Sacramento militare, multis alibi oſtendimus, quod hic peragendum ſit, reliqui nihil eſſe cogitamus.

XV. Felix Aſtolph. [c] *De reb. Meſſan.*

A Maſelli, vel etiam Bonifacij, ceterorumque piè arbitrantium ſententia non abſcedit Felix Aſtolphus Canonicus Saluatoris, dignam ſanè & pietati Catholicæ perutilem ponens operam, in Vniuerſali (vt vocat) Hiſtoria de miraculoſis Dei Matris Imaginibus vbique gentium religioſis; [c] Opinatur verò, quod & nobis ſemper arriſit, illis ipſis temporibus, quibus Deiparæ Virgini proximè in cæleſtia migrandum erat, exaratas ad Florentinos, & Meſſanenſes, quibus iſti non immeritò ſe ſe efferunt Epiſtolas. Et quamuis Sacramentum pro veritatis euidentia nolit interponi, neque tamen alienum putat à ſingulari Virginis humanitate, quæ non generoſa magis erga iuſtos, quàm facilis eſſe ſolet erga peccatores, ſcribentes, ac deprecantes Meſſanenſes, aut Florentinos, reſponſo dignari ſuo, protectione conſolari. Quin etiam recentioris cuiuſdam, vel etiam in vno deſignato, plurium ad improbandum obſtinationem, ita prudenter obtundit, vt gloriæ ſummi Numinis, honorique Matris Virginis immaculatæ, nihil ex ea Ciuium gloriatione decedere velit, ſi præſertim ex ea flammati ad religionem animi, in tantæ Reginæ obſequijs efferueant magis, magiſque exardeſcant.

XVI. Ferreolus Lorius de B. V. XVII. Io. Paul. Ferrella c. 54. XVIII. Ioannes Baptiſta Laurus.

Ac, vt Ferreolum Locrium, & Ioannem Paulum Ferrellam in ſuo ſpiritualium floſculorum, vt ſic dicam, hortulo, alioſque ab ipſis aduerſarijs accẽſitos, nominibus tãtum ſignem ſuis, quòd eandem cum ceteris Hiſtoriam, & Epiſtolarum fidem, vel renarrent, vel verbo duntaxat, vt certam ſibi ac obſtinatam, intendant, Ioannes Baptiſta Laurus in amæno ſuo & laurea digno, de pronubo Mariæ Virginis Annulo commentario, vno velut Sacro indiculo, multa, quæ ad huius Epiſtolæ conſiderationem venire

Digitized by Google

re poſſunt, commonſtrat argumenta, dum Franciſcum Spataphorum Maletti Principem, cui nuncupat opus, ita alloquitur.[d] Repetens animo Meſſanenſium thorum Virginale Chirographum, diſce è noſtris ſchedijs Virginalis Annuli haud ita multis intellectam Hiſtoriam. Hæc ille. Sed mihi Virginalis Annulus obuerſa ad Meſſanenſium Epiſtolam pala plura oſtendit, quàm fabuloſus ille, Gygi, cuius beneficio, repente Rex Lydiæ dicitur eſſe exortus: vt & Virginalis Annuli Hiſtoriam Lauro docente probè intelligam, & ex illa pro inſtituto præſenti, meopte genio plura conijciam. Etſi enim annulus ille, pronuba Sanctiſſimi coniugij teſſera fuerit, quin tamen ſignatorius quoq; eſſe potuerit, à dubio longè eſt, & à veterum vſu contrarium ſatis exploratum. Vt ea de cauſa, ſi quod alibi diximus ſubſignatam eam Epiſtolam, Symbolico aliquo charactere Virgo notarit, eodem ipſo annulo quoq; ſignaſſe, quaſi teſtem gratiarum tabellam credi poſſit.

[d] In ep. in dedic.

Atq; hinc magna Meſſanenſibus cum Peruſinis, Sacramenti cuiuſdam auguſtioris intercedere queat neceſſitudo, quando quæ Diua manus ſponſalem geſſit annulum, eadem ſponſionem exararit Meſſanenſium votis ſtipulatam, annuloque ſignarit eodem, vt eſſet repromiſſa protectio quodammodo ſolemnior, quàm fidei, vinculiq; animorum ſacraſſet Index. Hic verò ſi arcano ſuperum diſpoſitu deuenit ad Peruſinos, non tam depoſiti cuſtodes, quàm ſponſus Virginei Vades, quàm caram ipſa Ciuitatem vtramq; complectatur. quarum in altera ſignum, in altera fidem voluit extare ſignatam, dubitare nemo poteſt.

Hoc etiam loco libenter annumerarim ex manuſcripto Ioannis Camerotæ Bouenſis Antiſtitis, Viri non minus literis, quàm vitę ſanctitate conſpicui, quòd in huiuſce rei argumentum ipſe vulgandum ſuſceperat, ſed mors conatum intercepit, Præconium Archiepiſcopum Panormitanum, Cornelium Muſſum Bitundi Epiſcopum, vtrumq; Cæſarum, illum Caroli Quinti, hunc Maximiliani ſecundi Eccleſiaſten, Viros ab ea ſapientia comparatos, quam talis dignitas & muneris amplitudo requirebat, vt inter laruas & genuinos vultus, inter veritatem & figmenta diſcernere noſſent, facilè non aberrarent. Iſti enimuerò ita de hac Epiſtola Virginis decreuerũt, vt Ioanne Camerota,[e] qui vel Oraculi fidem habeat, atteſtante, in ſumma doctrinæ & eruditionis abundantia, Traditione pręſertim Meſſanenſium, ab Epiſtola Virginis, religionem ſacratam vellent. Vtriuſque ſanè auctoritas non parum momenti rei noſtræ addit, ſi præſertim Cornelius, ijs, quas coram Maximiliano habuit concionibus, (nam & in ea dignitate prædicatoris munere apud Cæſarem fungebatur,) ex ea Traditione ſubinde argumentum ſibi ſuffecit, quando pro rei grauitate, loci maieſtate, auditorum, quos inter Lutherani quoq; proceres, ac dynaſtę frequentes erant, dignitate, non ſine ſumma Traditionis huius fide & auctoritate dicendum erat, ne alioqui tum ipſe irridendum ſe omnibus propinaſſet, tùm præcipuè ornamenta, ac penè religionis noſtræ fundamenta, pias Traditiones ad fabulas traduxiſſe videretur.

XIX. Præcon. Archiep. Panorm.

XX. Cornel. Muſſus Bitund. Epiſc.

[e] In M.S.

Sed neque extra ſeriem habẽdus Georgius Gualterius, iam aliàs nominatus,[f] qui licet alieno ore locutus ſuam non interpoſuerit ſententiam, hoc ipſo tamen arbitriũ ſuum ad mentem aliorum effinxit, dum quid iſti de hoc inſtituto pronunciarent, ſuis ipſe Tabulis ex formula cenſeri voluit, ſententiam in laudatis auctorum nominibus dubio procul approbauit.

XXI. Georg. Gualtherius.

[f] In Tab. Antiq. Sicilia.

Atque hæc Scriptoribus exteris qui ad manus adfuerunt. In quorum album, ſi nominis quoq; noſtri vocabulum inſeramus, facturi ſumus cum Hieronymo rem non inſolentem, qui clariſſimorum Virorum ordinem, qui Chriſtianum inſtitutum ſcriptis illuſtraſſent, ſua nomenclatura claudendum exiſtimauit. Quia tamen toto hoc opere, non aliud eſt argumentum, quàm quod noſtram in ſingulis apicibus mentem gerit,

noua

Digitized by Google

noua nominatione non eſt opus, vel ſi ad declarandam ex antiquo ritu formulam, ac ſententiam id agendum, poſt recenſitos patrios Scriptores nouiſſimè repetendum arbitrium, Ad iſtos modò gradus faciendus.

AFFERVNTVR PATRII SCRIPTORES DE *Epiſtola B. M. Virginis.*

CAPVT QVADRAGESIMVM OCTAVVM.

HACTENVS quos nacti ſumus Scriptores exteros cenſuimus, deinceps patrios quoque ſiuè illi Siculi tantum ſint, ſiuè præterea Meſſanenſes, quorum dubio procul in re ſua copia maior eſt, ad ordinem aduocemus. Hi verò, vt recentiores ſint, antiqua tamen fide vno vel altero dempto, ſcripſere, & neglectam ab ante natis de patria bene merendi occaſionem in ſe tranſtulere, tametſi neſcio neglectam potius ab illis, an de induſtria dixero prætermiſſam, ne, ſi obliuio prætendatur, excuſatio calua, ſegnem incuſet pietatem, & nationem alioqui patriæ laudis appetentiſſimam, væcordiæ inſimulet. Certè Thomæ Fazello, quem multi rerum Sicularum inexperientes in precio habent, nihil videtur fuiſſe antiquius, quàm varios belli paciſque ſucceſſus, regumque ſucceſſiones attexere, nec non plura alia foris etiam accerſita, ne dicam interdum fabuloſa miſcere, quæ tamen ad cultum religionis ſpectant, niſi ea quoquo modo in priuatam Principum gloriam, quos ipſe colebat redundarent, perſæpè nequaquam, vel tenuiter, attingere. Mitto quàm multa perfunctoriè & oſcitanter tractauerit, ſeria ac memoratu digna, & in facie totius penè Orbis geſta ſilentio inuoluerit, leuia ſubinde, & vix domeſticis aduerſarijs digna, pluribus ſit proſecutus: quorum non pauca initio Hiſtoriæ Sicanicæ notauit Maurolycus, nec immeritò hominem inter eos recenſuit, qui non tam Hiſtoriæ auctoritatem quàm ſtudia partium ſit ſecutus.

XXII. Fräcilcus Maurolycus. Franciſcus itaque Maurolycus, idemque Meſſanenſis, & ſuo tempore Matheſeos Phœnix, in ſuo rerum Sicanicarum compendio [a] Paulus (inquit) diuini Verbi concionator, à Feſto præſule vinctus Romam miſſus, Melitam, Syracuſas, Rhegyum, atq; Meſſenium fretum pernauigat anno ſalutis quinquageſimo octauo. Tunc ſicut ceteris in prouincijs, ſic & in Sicilia iacta ſunt prima Chriſtianæ pietatis fundamenta. Memorant & Paulum in Sicilia concionatum, quòd ab re non eſt, quando non tota eius peregrinatio literis mandata eſt. Quin & Meſſanam, miſſis ad Deiparam Legatis, receptoq; ab ea epiſtolio abiectis gentilium erroribus ſub eius tutelam veniſſe. Hæc Maurolycus, cuius tamen dicta de quinquageſimo octauo ſalutis anno iuxta putationem Siculam, de primis verò in Sicilia poſitis Chriſtianæ religionis fundamentis, iuxta noſtram alibi explicationem ſunt intelligenda.

[a] Lib. 1.

Ceterùm ipſe accuratè quamuis res geſtas Siculorum, ſed Meſſanæ in primis incunabula, fortunæ adoleſcentiam, ad ætatem Reipublicæ florentis perductam deſcripſerit, quo minus tamen Vir ceterà pius, ac Virgini votiuus, huius Epiſtolæ pluribus meminerit, è genio hominis factum norunt experientes, quòd cum breuitatem in omnibus lucubrationibus ſuis adamaſſet, & maximè in Hiſtoriæ compendio, quæ à Fazello præterita ſunt dicere propoſuiſſet, maluit paucis inſinuare in profana Hiſtoria, quàm pluribus narrare, quod pro inſtituto verbo dicendum erat, pro dignitate tamen,

Digitized by Google

tamen, reſtringi nec poterat,nec debebat,ſed peculiarem ſibi operam ac opus depoſcebat. Quod ipſe iam coronidis ſuorum laborum loco deſignatum, præſtitiſſet dubio procul, ſi cum ætate quamquam ingraueſcente, modicum adhuc vita diem retardaſſet.

Sed quamuis ex ſupremo illo monumento, nõ parùm commodi ad Ciuium votum acceſſiſſet,nihil tamen abſque etiam eo detrimenti veritas fecit,quam fama vel tacẽtibus Siculis, ſola obloquente calumnia, paſſim apud exteros publicauit, iamq; pridem Hiſtoriæ fides ſtabilem nacta ſedem foris, domi ſolùm nonnullius erat indiga patrocinij,idq; duntaxat hoc tempore, quo in ſcripturienti ſeculo, manus etiam plurimorum ſcribendo pruriunt,& præ inopia argumenti, ne ad culicem redigantur, auidè quæuis etiam rata ſacrauè,ſi aliquantum obſcura ſint,nec illicò peruia, immoderato ingenio arripiunt,& quibus lucem afferre debebant, tenebras offundunt, non ſine inſigni animorum vulnere,quo priſca pietas etiam in religioſis animis nimium quantum exaſperatur,exulceratur.

Id potiſſimum cauſæ fuit, cur non multò ante plures Siculi, ſed poſtremis hiſce temporibus ſcribendi prouinciam ſuſceperint: quia videlicet non prius apud Baronium ſuborta,ſerpere cœpit apud Siculos cum vlcere dubitatio, quàm quæ dudum concepta fuerat,ſemel tandem nata eſſet genuina proles inuidiæ calumnia, quæ primùm quidem in ore vulgi conſedit, deinde verò animos etiam meliorum ſuis aculeis fodere cœpit, feciſſetq; cum tempore non minimam pietatis ſtragem,niſi bonorum zelo quoquo modo fuiſſet obuiam itum. Quod in poſterum etiam pro religionis ſenſu non dubito facturos Meſſanenſes, quibus ego accenſam pridem ab alijs non tam præfero,quam commonſtro facem.

Sanè Diui Iacobi Apoſtoli in Hiſpanias profectio,ibidemque prædicatio, tametſi dudum incolarum Traditione famam obtinuiſſet, non ante tamen tot præcones inuenit,quàm cum à Ruderico Toletano temporibus Innocentij Tertij conſtanter negata fuiſſet. Fecerit fortaſſe id Rudericus animo reprimendi Præſulem Compoſtellanum,quem ſibi eius Traditionis dignitate præferri geſtientem à faſtu depulit: non eſt quod metuant Meſſanenſes,eo animo Virgineæ Epiſtolæ Traditionem à quopiam eleuandam, quod ab Vrbe ſua dignitatem Capitis aliò conetur auertere, quando non ex momento eius Epiſtolę,tametſi ad alia de ſe maximo,ſed aliundè pendenda ſit eius ratio poteſtatis: pugnabit duntaxat cauillis,quò vel minima ex parte gloriam à religione partam infringat,verùm, ne hilum quidem proficiet calumnia, quæ nulla non Ephimera minus diuturna, vix naſcitur apud ignauos, quin denaſcatur apud ſapientes.

Quamquam ego non ſoleo appellare calumniam ſenſatorum argumenta, quæ ſuis rationum ponderibus plurimum afferunt ad librandam veritatem, ne ſi paſſim quæ in vmbra & otio pia figmenta naſcuntur,in forum veniant, vt olim ſuperſtitio Ethnicorum,ita in fabulas abludat religio Chriſtianorum. Verùm vbi eò loci ventum eſt,quo auctores ſummi ſubſellij,Traditioque per omnes ætates perpetua quadam ſerie tanquam propagata, firmamentum rei ſufficiunt; non eſt quibuſdam ſcrupis,quos imperitorum animi plexuerunt,peruicacius inhærendum, ſed indagandæ ſunt rationes, quibus ingenti cum pietatis bono ambiguitates tollantur,inuoluta explicentur. Atqui id nos hactenus pro virili contendimus, ſed neque aliorum partes abſtulimus: quod vero à rationibus in medio conſtanter fiximus,hoc etiam ab auctoritate quamuis neceſſe non fuiſſet roborauimus,nec quoſuis auctores quaſi prima tantũ velitatione dignos,ſed planè triarios in militiam aſſeruimus, tametſi velut extremo loco firmum quoq; aciei cornu,patrios ſcriptores,quos modo nominatius ſeruauerimus

Poſt

XXII. Ioannes Camerota.

Poſt Maurolycũ ergo cenſendus venit Ioannes Camerota Bouenſis Præſul, quem etiam ſuperius, nec tamen ſatis laudaui, quod ſua commendatum apud Siculos fama, vitæ ac doctrinæ probitas, religionis zelus, ardens in diuina pietas, ſyncerum integritatis ad omnes exemplum, longè faciant nobiliorem, quàm quæ ex huius argumẽti copia repeti queat teſtatio. Is verò pro generoſo in patriam religionem pectore, in id ſe totum diſtenderat, vt Virginis regnum in religioſis animis, quibus poſſet dicendo ac ſcribendo conatibus proferret. Verùm eo, qui in manibus ſuis illum deſcripſerat, aliter diſponente, iam ſatis auctum opus in medio curſu morte ſuccidit, nec magis ipſum, quam ſuas quoq; lucubrationes caſus ille ſepeliuit, ex quibus vix iuſtum folium ad noſtras peruenit manus. In hoc autem in laudes Deiparæ Virginis effuſus, in ea quam ad Equites ſtellatos habuit oratione, huius quoq; Epiſtolæ memoriam, in argumentum beneficiorum Meſſanenſi Vrbi ab eadem Virgine præſtitorum ducit in primis deinde, verò ne otioſus narrator videri poſſit, qui rem ab incõſtanti fama, vel etiam à vulgi credulitate hærentem pro concione decernat, Pauli ad Meſſanenſes acceſſum, non vna ratione probat, ſilentium Lucæ ad conſilium reuocat, nec pauca quæ Paulus geſſit, ab illo prætermiſſa pro explorato habet, teſtemq; laudat [h] Chryſoſtomum, qui inter alia Paulum illo viperæ in ignem excuſſæ miraculo, Melitę viginti milites cum Centurione ad fidem adduxiſſe narrat, vt ob eam cauſam, quod & nos alibi expendimus, humanitate Viri vſus Paulus, non adeo reſtricta vincula pertulerit, quin liberum faciendi quod vellet haberet obſequium, aut etiam pro inſtitutis ſuis auxilium. Sed demum miſſis vltro citroq; argumentorum cum auctoritate commiſſuris, ad Traditionẽ omnia deuoluit, qua ſola ſi cetera deſint, quamquam & rationes pugnent, & teſtes exceptione maiores accedant inconcuſſam ſtare velit, Epiſtolæ veritatem.

h. Hom. 54. in Acta Apoſt.

Quo loco illud dicendum occurrit, interdum miſſa in Actis à Luca, in Epiſtolis à Paulo reſtituta videri, facilemq; habere explicationem ſi vtriuſq; ſpectetur inſtitutum, vt ille hiſtoricam multarum rerum narrationem, in breue concluderet argumentum, hic verò præcepta morum cùm à ſuis formaret exemplis, quæ ſibi maximè obueniſſent, ipſe renarraret. Quamquam interdum ſicut in ſingularibus vtriuſq; narrationibus, quæ vere diuerſa ſunt, eadem repetita videntur; ita quæ à neutro cenſita ſunt, facta minimè putantur, ideoq; deinde narrata redundare creduntur, imò ex fabulis accerſita, in hiſtorias penè fraudulenter immiſſa. Et hinc in primis vt ſexcentos mittam, error ille, qui Melitenſe naufragium à Luca deſcriptum, vnum è tribus fuiſſe quos Paulus [i] ad Corinthios ſcribens enumerat, in multorum explicationes diſſeminauit. Alter deinde qui penè delirium habuit, dixiſſe nonnullos Paulum aliquando Cizyci fuiſſe, cùm id neq; Lucas in Actis, neq; Paulus aliquando in Epiſtolis expreſſerit.

i 2. ad Cor. 11.

Et tamen illam ad Corinthios Epiſtolam longè ante naufragium fuiſſe ſcriptam, nemo niſi temporum Apoſtolicorum ignarus, non nouit, & cùm conſtet [l] Paulum aliquando veniſſe Troadem, Cyzicum etiam in Propontide ſitam acceſsiſſe par eſt credere, vt non immeritò [k] Beda ex Theodoro, profundum illud maris, in quo nocte & die Paulus ſe fuiſſe narrat, Cyzicenum velit dici carcerem, qui quòd altiſſimus eſſet, teterrimus, adeoq; deorſum depreſſus Profundum maris eſt appellatus, illi puta ſimilis qui apud Athenienſes Barathrum, apud Syracuſanos Latomiæ, apud Romanos Tullianus eſt nuncupatus. Et profectò ſi [l] Strabonis ſententia, ea Ciuitas ob magnitudinem, pulchritudinem, & legum bonitatem, bello paciq; accommodata, comparari poſſet cum principibus Aſiæ Vrbibus, quæque iiſdem eſſet prædita ornamentis, quibus Rhodiorum, Maſſilienſium, Carthaginenſium nobiliſſimæ Ciuitates;

k Lib. quæſt. 5. 9. tit. 8. col. 891.

l Lib. 12.

vt eam

vt eam ob cauſam à Paulo non fuiſſe neglectam, [m] Baronius æquum velit exiſtimari: quid de Meſſana dicendum, quæ omnes illas nomenclationes haud immeritò vendicauit, nec tantùm prima inter Siculas, ſed dignitate paucis ſecunda inter exteras ſemper habita eſt: quid etiam de Paulo cogitandum, quàm vt ea Centurionis humanitate vſum, fama præterea nobiliſſimæ Vrbis imbutum, in occaſione tam parata, vel ſi accerſitus minimè fuiſſet, nullo modo prætermiſſurum fuiſſe, quin accederet. [m] *Ad ann. 61.*

Id verò ſi nec Lucas Hiſtoriæ, nec Paulus Epiſtolis commiſit, peculiaris conſilij fuit inſtitutum, neq; tamen ideo non eueniſſe, ſi ſapientibus credimus, eſt putandum. Et fortaſſe quod in Melitenſibus humanitatem laudauit Lucas, inſolentem Barbaris morem commendauit; quod verò Meſſanenſium erga ſe benignitatem ſpontaneam expertus Paulus, nihil de illa meminerit, haud magnopere ex eiuſmodi commendatione, vel ſuam cauſam, vel Vrbis laudes efferri cogitauit, quando Ciuitati legibus & Societate Romanorum, multiſq; prærogatiuis exornatæ, parum eſſet humanitatis officia, tanquam eximiam laudem attribuere, quæ multis, à moribus excultis, communis eſſet. Quamquam non ab re cogitari poſſit, Paulum pro ſuis laudibus, vbi viſum, nuſquam attexere ſolitum, quæ oſtentationem haberent à gentium vel admiratione, vel obſequijs ob admirationem præſtitis, ſed quę duntaxat Euangelicum inſtitutum, per multos labores ac rerum diſcrimina proferendum, obfirmatis ad virtutem pectoribus commendarent, vt ob id miracula, quæ paſſim ingentia patrauit, nunquam in coronam laudum venire, ſed difficultates maximas quibus vbique conflictatus eſt, ad animum ſuum premendum, ad aliorum conatus erigendos, audiri voluerit, perſæpè tamen collatæ cælitus gratiæ, qua tot mala eluctatus, interdum etiam raptæ ad ſuperna mentis voluptates, quibus perfuſus eſt, meminiſſe è re fuit, quò conantium ab Euangelica fortitudine Chriſtianorum pectora, nec laboris difficultas auocaret, nec difficultatis amaritudo deterreret; verum in illa, gratiam opitulantem ſi certò noſſent, in hac, cæleſtem ſuauitatem omnia condientem ſi prælibaſſent, inuicta conſtantia quicquid in Euangelij curſu difficile, ac aſperum ſe ſe offerret, deſpicerent, ſuperarent.

Sed neq; velim Meſſanæ Paulum, etſi conſenſu meliorum, inſtantiſſimè vt Rhegyo veniret, poſtulatum, ita fuiſſe extra omnem periculi aleam conſtitutum, vt vel accuſationi Iudæorum, quam literis Roma (vt alibi diximus) acceptis cognouerat, vel Neronis ingenio, quem ſuſpectum habere poterat, nihil concedendum iudicaret, etſi Iulij Centurionis iam Chriſto credentis officio, comitatum pro occaſione tutum haberet. Quin fortaſſe quod aliquando varijs ſe iactatum malis, ſed præſertim periculis in Ciuitate gloriaretur an quereretur, ſi ęquè alibi, Meſſanæ certè id Paulum intellexiſſe ob dictas cauſas credi poteſt. Atque hæc eius occaſione argumenti quod Ioannes Camerota tractandum ſuſceperat, libenter calamo rurſum excidere paſſi ſumus, rati ſemper ad inſtitutum accedere, quod aut aliorum ſtudium agitat, aut proprius conatus ſuggerit, nec in excedentibus defenſionibus ijſdem armis rem agere, ſi fortia ſint, turpe eſſe.

At iam in ſeriem venit Antonius Viperanus, Iuuenatij Antiſtes, idemq; Philippi ſecundi Catholici Hiſtoricus, quem Camerota in ſuo Manuſcripto in paucis eximium habet, vt eius auctoritate publica fides ſtare queat. Atq; huic pares ſunt cùm ceteris à Traditione rationes, ſed hoc ad ſuadendum firmiores, quòd viro à literis & prudentia rerum inſtructo, non tumultuarias cogitationes, ſed meditatam ſententiam ſediſſe compertum ſit, vt hoc propter teſtem duntaxat eum laudaſſe, verboq; nominaſſe ſit ſatis. Ponè laudari poteſt Philippus Gothus, & ipſe de Patria ſuè ſcrip- XXIV. Antonius Viperan. XXV. Philipp. Gothus.

ſcriptis ſiuè munijs egregiè meritus; ſed qui rem narrat modò, ceù creditam, nec niſi Baronio ſat leniter ſuſpectam, non etiam argumentis in forum agit, cùm nondum fortaſſè eſſent, qui pietatem laceſſerent, ciuiumq; religionem ad opiniones reuocatam, in arenam producerent, diſceptationem penè in ritum conuerterent.

XXVI. Ioſephus Bõſilius. Itaq; Ioſephus Bonfilius, rerum Patriæ ſcriptor ſat nauus, primus ferè fuit, qui diſceptationi Tribunal fecit, verùm creſcente in dies iudicij ſtrepitu, non potuit facere, quin extemporaneo duntaxat ſuſcepto arbitrio, ſententiam alijs dicendam relinqueret.

XXVII. Archãgelus Ruſſus. Hos inter Archangelus Ruſſus cuius lucubratione nondum lucem aſpexerunt, dignam in ſuis vt vocat Octaplis nauauit operam, ductiſq; ad rationes controuerſijs, patricum pietate doctrina, patriæ religionem, ab hac Deiparæ Virginis Epiſtola commendatam tutatus eſt.

XXVIII. Alexãder Calamatus. Alexander quoq; Calamatus, iam ſedulam manum ad tabulam admouerat; ſed nobis demum lineam ducendam reliquit, ſatis habens in ſuis de Aduentu CHRISTI, & Hymnorum Eccleſiaſticorum interpretatione, probatis operibus, ex communi formula ſententiam dicere, patrocinium cauſæ ſibi à Traditione certæ & exploratæ, nobis committere.

XXIX. Albertus Piccolus. At Albertus Piccolus iam multa luce clarus, paucis & neruosè ſatis dixit, alijs tamen Patriæ honoribus protegendis intentus, integrum ad hanc rem ſtudium afferre non eſt permiſſus; alio tempore nauaturus operam, niſi eam à nobis Prouinciam ſuſcipiendam intellexiſſet. Id etiam cauſæ fuit nonnullis (quod de Alexandro Calamato inſinuaui) vt à ſcriptione quàm non paucis protulerant manum amouerent, alijs nihilominus hunc noſtrum partum abortiuum præſtolantibus, vt ipſi ſuum formoſiorem in lucem edant. Verùm de Alberto Piccolo id dici poteſt, quod de muſca in Laconis clypeo.

XXX. Bartholomæus Petraci⁹. Sed poſtremò non eſt omittendus Bartholomæus Petracius noſter, dignus ſanè, qui inter huius cauſæ patronos, honorarium ferat, famam habeat. Is verò amore Virginis ac Patriæ; quò reliquum vitæ innocenter actæ, digno labore ſacraret, Romam profectus, Bibliothecam Vaticanam diligẽter luſtrauit, materiem operi de hac re edendo idoneam congeſturus. Et feciſſet omnium deſiderio ſatis, niſi redeuntem inde, Neapoli mors inexpectata meliori voto ſuo inter Cæleſtes tranſcripſiſſet. Ceterùm quæ ipſe Romæ collegerit mihi compertum non eſt, vulgò ferebatur plurima è vetuſtiſſimis codicibus; qui in hanc rem multa contulerant habuiſſe; verùm quæ ſchedijs duntaxat, nec in literam digeſta, facilè deinde inter alia ſcripta euanuerunt, vel certè inuenta non ſunt. Et fuere Viri digni, qui cùm olim ſe in Bibliotheca Vaticana hanc Epiſtolæ Virginis Hiſtoriam legiſſe teſtarentur, pluteo & libro ſignatis, ſicut eundem ad profectionem animarunt, ita mihi quoq; periculi per literas faciendi, cogitationem iniecerunt.

Itaque non ſemel vbi cum Viris eruditis, & nomini Mamertino deuinctis illic tranſegi, non aliud reſponſi tuli, quàm in tanta ſpei copia, labores fruſtrari quærentium, quòd non alia ratione ſe voti compotes euaſuros rerentur, niſi innumeros, qui ſe offerrent Codices, noctes dieſque verſarent, vt proinde ſatius eſſet ſpem interea dilatam, æquo animo tolerare, quàm longiori quærendi tædio, deſideria multorum remorari. Tentauit id ipſum propenſiore voluntate Senatus ipſe Meſſanẽſis, datis honorificis literis, ad neſcio quem hominem qui in ea Bibliotheca multo ſtudio, ſingulis penè codicibus ineſſe credebatur, Scriptorem à ſacris vel ſacrorum vulgò vocabant, Verùm & iſte poſt repetitam diligenter operam, quam antea quoq; Bartholomæo Petracio præſtitiſſe ferebatur, nihil inueniri in ea Biblio-

theca

Digitized by Google

theca quod ad rem faceret diſertè reſcripſit; & facturum ſe fuiſſe ſtudio nominis Mamertini rem ſummam, niſi iam ſemel iterumq; opera ludificata certò compeririſſet, nihil ſeſe, quod ad inſtitutum magnoperè conferret, præter recens illatum Flauij Lucij Dextri Chronicon, quod Petracius iam peruidiſſet, & cuius ſolius fama in argumentum pertracta, plures decepti, aliud ſibi vulgoq; perſuaſerunt, quàm credi reapſe debuiſſet.

Id vbi Meſſanæ reſcitum apud nonnullos, ſi quid ſpei præcidit, latentiori tamen ſenſu ſcribentis mentem interpretantibus, fidem nec dedit, nec ademit. Verùm mihi cùm in re moleſta tricandum haud videretur, ſatiùs fuit animò conceptum pietatis opus, abſque illa etiam auctoritate proſequi, ea ſemper moderatione, vt ſi aliquando meliori fortuna arridente, aliquid noui ex ea Bibliotheca emergeret in lucem, primitios hoſce labores non tam obſcuraret, quàm illuſtraret, nec ſtudium pietatis, ſed errorem hiſtoricum ſi qui obrepſiſſet emendaret, quod in poſterum etiam, ſiue pro religionis ſenſu, ſiue ſi laceſſiti fuerint, non dubito facturos Meſſanenſes, quibus meridiationes noſtræ animum additur æ ſunt, vt norint quantum ipſi meditatis lucubrationibus præſtare queant.

Verùm ne Batholomæi Petracij memoria, quam niſi fatum obſtitiſſet, præclara ab Eccleſiaſtis munere monumenta commendatura erant, minimè nobis ab excellenti in patriam ſtudio inſignis prætereat, ea hoc loco velut teſſeram cęterorum apponemus, quæ aliquando in anniuerſaria Virgineæ Epiſtolæ celebritate, coram Senatu & frequenti populo pro concione dixit, non quidem vt famam augeret ſuam, quam toto iam Regno Siculo, nec minus foris, à laude inuentionis, ab amænitate eloquij vbiq; exaggeratam offendebat; verùm vt religionem patriam amplificaret, animos Ciuium ſuorum ſpontè iam ardeſcentes, vehementiùs ad amandam & colendam Dei Matrem inflammaret, & fortè gliſcentes factione Serpentis illius cuius ipſa caput contriuit, aduerſum hanc religionem contradictiones, quoquo modo premeret, eleuaret. Erunt hæc velut ſigna quædam vndis ſupernatantia, quæ inſignis deſideratos à multis viri labores, communi vt eſſe ſolet in morte clarorum, naufragio peſſum iuiſſe prodant, niſi huius naufragij prætextu, inter manus aliorum ſalui deliteſcant, qui hac diſſimulatione famam aucturi ſuam, callidè æſtimarint quanto vel laboris compendio, vel gloriæ ſuæ emolumento, tam præclara tacuiſſent. Atq; vtinam ex omnibus illis monumentis, quæ multo tempore maximis laboribus exſignarat, illa ſuo ſalua manſiſſent domino, quæ propediem in lucem mittenda, (nam & hanc curam Romana illa profectione decreuerat Petracius) quadraginta concionibus honorem Ignatij Patriarchæ loquebantur; eſſet, vnde Meſſana ſuum Ciuem, ſuum ordo noſter alumnum, ſuum Sicilia Eccleſiaſten, immortalitate dignum laudaret, Italia loquentem in libris, qualis fuiſſet in ore conijceret, commendaret. Sed hæc eſt rerum viciſſitudo, hoc, vt inſinuabam literarum fatum.

Nos tamen ne importuno loco leſſum facere videamur, qui tantùm meminiſſe amici volumus, & ab eius auctoritate, cùm rei noſtræ robur, tùm à præcipuò in Virginem ſtudio, beneuolentiaq; in patriam, apud poſteros memoriam inducere, has velut naufragio reliquias in publicum ſignum aſſerimus; non ea quidem orationis venuſtate, quam vernaculi ſermonis gratia fundit, ſed quæ à currenti calamo in argumentum aſſertæ duntaxat Epiſtolæ, plana ſententia venit; libenter alioqui conceſſuri genuinum exemplum ijs, qui hæc noſtra Italicè daturi ſunt, penes quos etiam curam eſſe optamus, qua inſignium virorum ornamenta, quibus annuam poſthac ornaturi ſunt celebritatem, in monumenta referant, poſteris ad veritatis teſtationem, religioniſq; commendationem vertant. Nobis inter multos quos eximiè dicentes, audi-

uimus hunc delectum res ipſa non permittit, ne ſortem fortaſſè, vel non ritè, vel non ad omnes æquè decerrantem, in præiudicium animorum accerſamus, quod in Petracio iam ſuper humanam aleam poſito minimè formidamus.

DE EPISTOLA, SACRATISSIMA DEIPARAE MANV ad Meſſanenſes ſcripta, concio P. Bartholomæi Petracij, habita in Aede Cathedrali, ipſo die Epiſtolæ ſacro.

Ann. 1614 ETSI mille illuſtres tituli, milleq; excellentes prærogatiuæ decorant te reddant, diuitemq; honorum ac laudum; Meſſana Ciuitas Nobilis, Orienti aduerſa, iucundo ſitu, bellæ confinis Italiæ. Neq; ſolùm, ſed proſpectu amæno, ſalubri aura, ſydere Martiali, & imperioſo, portuq; prædita capaci, quo te meritò celebrem habet Orbis, Europa cum Aſia iactat, amplum ſis receptaculum gentium exterarum, diues emporium mercium, clauis Siciliæ, murus barbaris obiectus, Vniuerſitas prætereа ſtudiorum, Regia numorum officina, clauſtrum religionis, ſeptum Martyrum, Theſaurus Reliquiarum, deniq; Regina Tyrrheni maris; Vt non immeritò in te exornanda, totq; glorioſis dotibus, & gratiarum inſignibus perficienda, natura cum auctore ſuo certaſſe videatur. Nihilò minus tamen, quòd Sereniſſima Regina Angelorum, & inclita reparatrix hominum MARIA, dignam te ſua penna fecit, dignam quæ literas ab illa, benedictione fætas reciperes, dignam quæ potentiſſimi patrocinij & protectionis, ſanctam repromiſſionem teneres, hæc omnium eſt culmen gratiarum, prærogatiua maximè ſingularis. Hæc ſola quicquid in te eſt maieſtatis coronauit, cętera decora illuſtrauit, gloriæ omnis, omnis gratiæ ſumma fuit. Digna enimuerò quam orbis pulpita celebrent, pennæ omnium immortalitati commendent, linguæ omnium loquantur, ſummis omnes honoribus proſequantur, venerentur. En verò id propter, hunc conſcendi locum AA. vt cùm in primis de ipſa Epiſtola, tùm de modo & occaſione, qua ſcripta fuit, tùm deniq; de miſſa vobis à clementiſſima Domina ſalute, verba facturus plenam & integram in medium afferam narrationem. Benignas quæſo in ſingulari argumento, ſingulariter attenti præbete aures, & ordiamur.

Et iam ſuperbo clamore volatuq; rapidiſſimo, per gyrum telluris ſe ſe circumfuderat, ac planè admirabili applauſu in Regium vſq; Iudææ penetrauerat, glorioſa fama Romanæ granditatis, rerumq; ab ea geſtarum, & ſecundi rumor ſucceſſus: Eſſe videlicet in corde florentis Italiæ, ſedentem ad ripas Tyberinas nationem, omnibus illis animi dotibus, & heroicis præditam virtutibus, quæ ſummæ æſtimari poſſent ac deſiderari, prudentem in conſilijs, valentem in armis, clementem in populos ſubiugatos, beneficam in confæderatos, victorioſam ſemper in bellicis factis, armorumq; conatibus; eandem in debellatis paulò ante Galatis eximia moderatione vſam, potitam præterea ſuperbis Hiſpaniarum regnis, vnaq; diuitibus Gazis, & copioſis auri argentiq; fodinis, deniq; repreſsiſſe, ac domuiſſe quàm plurimas nationes; deuiciſſe barbaros, qui aduerſum caſtrametarentur reges, ſuperaſſe potentiſſimum Aſiæ Monarcham Antiochum, innumeris peditum equitumq; turmis, ac centum inſuper ac viginti Elephantis, capitali acie decernentem; fręnaſſe Medos, Indos, ac Garamanthas, ſecum vbiq; ferre fortunam, Cælum habere amicum, nec non inſtar noui Solis ſparſis vbiq; fulgidi nominis radijs, & maieſtatis ſplendoribus relucere.

Quarum rerum fama mirum in modum incenſus, magnus ille Dux Machabæus, qui ea tempeſtate vnà cum fratribus ſuis, felici Hebræorum Reipublicæ moderabatur, quò intolerandum Græcanici Imperij iugum ſemel excuteret, publico totius populi con-

Digitized by Google

conſenſu Legatis Eupolemo,& Iaſone Romam deſtinatis, literas tradidit poteſtatis aſſertrices,quibus ex fide & voto communi,pacis ac ſocietatis pacta peragerent, pacem conficerent. Earum tenor libro primo Machabæorum capite octauo talis erat. Iudas Machabæus & fratres eius,& populus Iudæorum,miſerunt nos ad vos ſtatuere vobiſcum ſocietatem & pacem,& conſcribere nos ſocios & amicos veſtros, &c. Qui demum magno itinerum flexu Romam ingreſſi,literis in Curia præſentatis, vbi rationem ſuæ Legationis,nomine Ducis ac Reipublicæ coram Senatu explicarunt, benignè accepti, ocyuſq; ſunt expediti; nec ſolum firmatæ pacis fuere conditiones, ratæ ſacræq; rationes;quin publica lætitia feſtoq;applauſu,& literas & legationem,quò firmum eſſet ac æternum monumentum,in tabulis æreis inciderunt. BENE SIT ROMANIS & genti Iudæorum,in mari & in terra in æternum, gladiuſque & hoſtis procul ſit ab eis.

Ita prorſus AA. vndique reſonabat, vbique gentium inaudiebatur clangor illius tubæ tertij Cæli, Pauli inquam Apoſtoli, eiuſque prædicationis in Peloponeſo ceteraq; Græcia,nouam legem,Deum q; incarnatum & mortuum intonantis,Meſſanam quoq;, ſcilicet Vrbem Romanis confæderatam,eidem q;coronæ mancipatam,continuò fama peruenit. Et hoc forſitan intendit S. Chryſoſtomus Homilia quinquageſima quarta de laudibus Pauli cùm dixit, Prædicatio eius vſq; ad Siciliam peruenit. Et alibi Prædicante in Græcia Paulo,multæ Italiæ Vrbes ad fidem conuerſæ. Vt inde Nobilis Meſſana curioſa pro more, ſemperq; auida nouitatum, & amica legis & Religionis, cui cum recta ratione quàm proximè conueniret, deteſtata impium Idolorum cultum,ſine diſceptatione diuulgatam amplexa ſit fidem, lectiſque Legationi duobus Viris,literas & prouinciam dederit, qua focos, & aras, fortunas & vitam paciſcerentur.

Vt primùm in Græciam delati Paulum viſerunt, ab eodem ad vnigeniti Dei Matrem eo tempore Hieroſolymis commorantem directi, raptim aduolarunt, & ſub aſpectum Virginis admiſſi, quo ſe modo primùm habuerint, haud equidem norim edicere,iuuat tamen credere,quod olim Dionyſio Areopagitæ, idem iſtis eueniſſe; ille verò eiuſdem inſtituto Apoſtoli aliquando eidem accidens Virgini, ſplendore penitus offuſus, & celeſti illa pulchritudine,quæ ex vultu fulgurabat incenſus, denique; mira odorum quam ſacratæ Veſtes ſpirabant,fragrantia perculſus, in eam eſt coactus prorumpere ſententiam,quòd niſi à Paulo Magiſtro ſuo mortalem didiciſſet feminam,Numen cæleſte crediidiſſet, Numen diuinum adoraſſet. Porrectis ſumma cum reuerentia,totoq; corpore cernuo literis,eas benignè relegit Sereniſſima Regina Angelorum, doctoq; ad animum argumento, conuerſis in Cælum oculis,Creatori pro more gratiam habens,tandem in id conſueti ſui cantici prorupit: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes; ſuſceptoq; Vrbis Patrocinio, Sacris illis literis quas ſua manu exarauit, protectionem conſignauit. Epiſtolæ inſcriptio hæc eſt. MARIA Ancilla Dei humilllima, CHRISTI Crucifixi Mater,Meſſanenſibus omnibus ſalutem, & Dei Patris Omnipotentis benedictionem. Dimiſſi tandem ab illa cum gratia,patriæq; ſuæ redditi, longè lætiores quàm duo illi exploratores in terram promiſſionis à Ioſue miſſi,retulerunt,non iam de fertilitate, verùm de Virginali fæcunditate, terræ illius benedictæ, lac ab vberibus, mel à labijs diſtillantis;quin etiam in atteſtationem veri,non iam corymbos vuarum, ſed literas patẽtes & gratioſas reportarunt,idq; feſta cum ſolemnitate honorificentiſſimo cultu peractum, tertio Nonas Iunij fuit. Quo in argumento tria duntaxat pro tempore veniunt explicanda, modus ſcribendi,veritas ſcripti,miſſa ſalutatio.

Quantum ad modum ſcribendi. Narrat Quintus Curtius Alexandrum Magnum reli-

relicto patrio Macedoniæ regno ad conquirendam Aſiam profectum, Parmenioni vicem reliquiſſe, claues ærarij tradidiſſe, eo tamen pacto, vt & Matrem Olympiam regni haberet conſortem, muneris directricem. Non alio ſanè modo CHRISTVS in ſublime receptus, Petrum in terris Vicarium quidem ſuum inſtituit, clauibuſque theſauri cæleſtis inſtruxit: ſed nihilominus Matrem ſuam dulciſſimam ad gubernaculum Eccleſiæ, nec non Magiſterium voluit aſſidere, non id quidem poteſtatiuè quod dici ſolet in ſcholis, ſed illuſtratiuè, tãquam aptiſſimum illapſus, & auræ diuinæ vel organum vel receptaculum, vt pote quæ ſupernis illuſtrata luminibus ac reuelationibus, etiam arcanorum eſſet conſcia, cæleſtiumque argumentorum & voluntatum. Hoc eſt quod aliquando ſignauit Abacuc Prophetes cùm dixit, Eleuatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo, CHRISTO nimirum in ſublime eleuato, remanſit Mater in terris vt Eccleſiam ordinaret. Ac quemadmodum antea cõmorante inter mortales Nato, ipſa conſiluit, ita deinde illo in Cælum abeunte, taciturnam linguam ad docendum relaxauit. Et hæc ſunt aurea illa duo tempora, tantopere Salomoni celebrata, Tempus tacendi, & Tempus loquendi. Tempus tacendi cùm inter homines ageret filius, Tempus loquendi cùm poſtea receſsiſſet. Et quemadmodum de illa dictum eſt prius. Sicut vitta coccinea labia tua ſponſa mea, ita poſtea, condentum, Fauus diſtillans labia tua ſponſa mea: & ſi primùm hortus fuit concluſus & fons ſignatus, poſtea cùm patuit, Emiſsiones eius Paradiſus malorum punicorum.

Nicephorus enimuerò, aduertite animos, ex breui orationis gyro magnam libaturi ſuauitatem, Nicephorus inquam ſcribit, poſt aſcẽſum Redemptoris in Cęlum, Apoſtolis accepto Spiritu Sancto in varias Orbis partes, ad inuulgandum Euangelium diſperſis, Ioannem dilectum Domini, Virginem ſacram, domum abduxiſſe ſuam in Monte Sion, ac quotidie Sacris operatũ, communione impertiuiſſe. Epiphanius præterea, S. Thomas, Albertus & alij, narrant, quatuordecim & amplius annos in recolendis monimentis, lociſq; veſtigio & ſanguine nati ſignatis, Virginem produxiſſe: Hieronymus addit, quotidie ab Angelis viſitatam, quotidie viſione beatifica perfruitam, Rupertus Abbas: Suſtinuiſſe Cathedram Cæleſtis Magiſterij pro Nato, primoq; præſediſſe Concilio, quod Hieroſolymis coactum fuit; vt hæc propter ad illam, ceù arcanorum ac diuinarum decretorum conſiliariam, ac quod dicitur à ſecretis, interpretem etiam Spiritus Sancti, ſuper Cælos illuminatam, perſæpè in dubijs & controuerſis Caput ipſum Chriſtianitatis Petrus recurreret, ſciſcitaretur. Quin etiam ex illa, quod ad infantiam Domini ſpectat, quicquid Euangeliſtæ ſcripſerunt, ac pręſertim Lucas, totam Euangelij ſui ſeriem, acceperunt, vt hanc ob cauſam à Damaſceno dicta ſit magiſtra Euangeliſtarum, & de Iohanne, qui aſsiduitate quotidiana Virgini animo aſuetus, tàm altos ad ſcribendum ſpiritus hauſit, Ambroſius aiat; Non mirum præ ceteris Ioannem fuiſſe locutum, cui præſto erat aula Cæleſtium Sacramentorum. Ad illam ſcilicet Angelorum cætus aduentabant, quò Myſterium Incarnationis clarius edocerentur, quàm didiciſſent frequentes ad ſcholam Pauli dicentis: Vt innoteſcat Principibus & Poteſtatibus multiformis gratia Dei. Ad illam accurrebant Sanctiſsimi Præſules, Hierothei, Polycarpi, Dionyſij, Ignatij, ad ordinandas ſedes ſuas, ornandaſq; optimis doctrinæ & conſiliorum inſtitutis, plus quàm gemmis & auro tiaras ſuas. Ad illam affluebant fideles tanquam ad Cæleſte prodigium & Sacratiſsimum ſpectaculum, quò magnam illam Matrem ſuſpicerent, quæ fontes Paradiſi recludebat, in qua tanquam in lucidiſsimo ſpeculo, ſimilitudines Saluatoris coruſcabant; quæ vel ſolo intuitu pudicitiam cordibus, mentibus lumen, affectibus amorem cæleſtium, rerumq; terrenarum contemptum infundebat. Eius vbiq, exempla formæ per manus Lucæ depictæ expetebantur, quò ſemper in oculis ver-

Digitized by Google

verſarentur ſimilitudo abſentis; cuius præſentiam diſtantia loci, ſuffurabatur. Ad eam deniq; Ciuitatum recens conuerſarum Legati mittebantur, quò Dominam omnium venerarentur, ſecumq; omnia ſua mancipio darent: quos omnes ipſa humaniſſimè habitos, ſub vmbra protectionis ſuæ recepit, ad progreſſum in fide ſuſceptæ faciendum hortata eſt. Sic enim fecit Epheſiorum Reſpublica per Ignatium, ſic Ciuitas Florentina, ſic per Apoſtolum Paulum, ſuoſq; miſſos, Senatus Populuſq; Meſſanenſis, extantq; hodie reſponſa Virginis, ad ſingulas iſtas Ciuitates. Et ecce Sacratiſſimæ huius origo Epiſtolæ.

Quod attinet ad ſecundum caput, hoc eſt ad veritatem Epiſtolæ. Quæras forſitan vbinam gentium extat illa? quis vnquam vidit? quis legit? quis atteſtatur? Sed enim vel de primigenio quæris exemplo, vel de exemplari: Si primum, vbi quæſo exemplum Epiſtolarum Pauli? vbi ſeptem Canonicarum Petri, Iacobi, Ioannis, Thadæi? vbi aurea illa, à Senatu Apoſtolico, imò potius à Spiritu Sancto in primo illo Concilio Hieroſolymis celebrato dictata de Legalibus Epiſtola, eademq; per Silam & Barnabam miſſa, quò excuſſo graui Moſaicæ legis iugo, abſtinere duntaxat à ritu gentilium iubebantur fratres, à ſuffocatis & ſanguine; quam quidem nouella Chriſtianitas illa ineffabili ſuſcepit conſolatione. (Illi ergo dimiſſi (Actorum decimo quinto) deſcenderunt Antiochiam, & congregata multitudine tradiderunt Epiſtolam, quam cum legiſſent, gauiſi ſunt ſuper conſolatione:) at quoniam Euangeliſtarum hæc Epiſtola recenſita, quo capite Actorum Apoſtolicorum eſt conſignata? Vbi etiam quæſo diuinum illud à Saluatore ad Abagarum Edeſſæ Regem exaratum, quod iſti cum ſalute corporis, animi quoq; ſalutem conciliauit? & tamen nemo aliquis eſt Patrum, aliorumq; Sanctorum, qui illud fuiſſe neget. Deus æterne, tria millia librorum (quod ſcribit Poſſeuinus in ſuo apparatu) ſeruabantur in Bibliotheca S. Saluatoris Meſſanenſis, eademq; magna ex parte erant manuſcripta, maximorum ſcilicet Orientalis Eccleſiæ luminum ſplendores, à Comite Rugerio Normanno ex omni Græcia conquiſita; at hodie vix centena ſuperſunt, ita omnia hinc inde diſperſa, imo extincta, nedum à blattis ſunt exeſa; & tu, in tot inuaſionibus barbarorum ac Tyrannorum inundationibus, inter tot mutationes, & religionis ac dominiorum viciſſitudines, conſeruatam vis, ac integram præſeruatam minimeque læſam exilis folij bracteolam?

Dices etiam fortaſſe, Lucam ſiluiſſe, quid tum? quot enim maxima ipſe rerum momenta præteriuit? quot Epiſtolas CHRISTI & Apoſtolorum reticuit? An ignoras argumenta Magnam hanc Matrem concernentia, ceù diuina quædam Sacramenta, reueritum Lucam, ſilentio connoluiſſe, digna duntaxat aurea ſummorum pēna Cherubinorum, quis igitur huic Epiſtolæ fidem facit, quis conciliat auctoritatem, dignitatem? Traditio Traditio, ſic enimuerò hæc ſola reddit, & ſtellis firmamenti firmiorem, & Horizontis Sole clariorem, & religione Areopagitæ Aræ Sanctiorem. Certè [n] Rechabitæ apud Hieremiam, abſtinentiæ ſuæ religionem à Traditione ſola aſſeruerunt. (Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab, pater noſter præcepit nobis.) Quin etiam orationes pro defunctis, pietatis Machabæicæ inſtitutum, non aliam nouere ſcholam, non aliam Cathedram quàm Traditionem (Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare.) Præterea cultus Sacrarum Imaginum, Traditionis eſt dogma, non ſanctio legis. Ecquid verò Paulum Apoſtolum circitorem an lictorem fecit? quid imò fecialem perſecutionis auctorauit, vt literis conſignatis pectus, ferro manum armatus, ſpirans minarum & cædis in Chriſtianos graſſaretur, ni quod ipſe ſcribit, zelus Traditionum (abundantius inquit æmulator exiſtens paternarum mearum Traditionum: ita demum ille Theſſalonicenſes [o] alloquens Fratres

n Cap. 35
o Ep. 2. c. 2

(Fratres ſtate & tenete Traditiones, quas didiciſtis, ſiuè per ſermonem, ſiuè per Epiſtolam,) non aliud armaturæ genus magis elaboratum, ad elidendos ictus, & fraudes verſutiſſimi Antichriſti commendat quàm Traditiones. Eaſdem proponit & magnus Areopagita in Eccleſiaſtica Hierarchia (ſecundum Sacratiſſima eloquia & Traditiones) Clemens Romanus, (Auctoritates Apoſtolicas & Traditiones.) Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos. (Multa quæ per Traditionem in Eccleſijs obſeruantur, auctoritatem ſibi ſcriptę legis vendicarunt;) quod ipſum Tertullianus in Epiſtola ad Hieronem, ad Philadelphos, in libro de Corona militis, non vno loco ſubſignat; nec ſecus Nazianzenus contra Iulianum, Irænæus in tertio aduerſus Hæreſes, denique Patres Concilij Epheſini & Conſtantinopolitani, ſingulare velut ornamentum, caſtæq; Sponſæ Chriſti Eccleſiæ cimelia aſſignant Traditiones.

Et verò aureæ duæ manus illæ, hinc & inde ſuſtentantes ſedile Salomonis, quid niſi Euangelicam auctoritatem itemque Traditionem ſignant, manus vtrinq; Eccleſiam fulcientes, ſuſtentantes? Sed etiam Nazianzenus, Traditiones ſcutum ad retundendos Hæreticorum ictus, faces renaſcentia Hydræ Infernalis capita vſtulantes, denique filum Theſei per inextricabiles dirigens Labyrinthos appellauit. Nec minus alij rectè cynoſuras, quæ nauiculam Petri ducant, anchoras quæ eandem firment, denique columnas, quibus Eccleſiaſticorum dogmatum cardo vertitur, vocauit Tertullianus. Et vno verbo, quemadmodum ſi fabuloſus antiquis Athlas, ſtellantium ſphærarum molem, humeris haud ſuſtineret, Cælum ipſum trepidaret, quateretur; ita prorſus ſi non eſſet in Eccleſia Traditio, grauiſſimum Dei Euangelium pateretur detrimentum, teſtatur Baſilius.

Ergo Traditio eſt, quæ veritatem Epiſtolæ Virginis ad Meſſanenſes datæ corroborat, ſanctam facit. Num etiam ab auctoritate ſcriptorum dignitatem repoſcitis? En verò: Taceo manuſcriptum illud Græcum, quod in theſauro Cathedralis, edacitate annorum detritum ſeruatur ac corroſum, ſed cuius carioſa vetuſtas recens ſigillum eſt, ad irrefragabilem veritatis ſanctionem. Adeſt in primis Laſcaris ille, Magiſter Coronæ Imperialis Conſtantinopolitanæ, Cornelius deindè Muſſus Bitundorum Antiſtes, qui non modò Italiam prædicatione, verùm etiam ipſum Concilium Tridentinum, doctrinæ & eloquentiæ ſuæ harmonia colluſtrauit, Octauianus item Præconius, Cæſareus apud Carolum Quintũ Eccleſiaſtes, Viperanus Iuuenatij Apulorum Præſul, Philippi ſecundi Catholici æternæ memoriæ; dignus Hiſtoricus. Mitto Franciſcum Maurolycum eius apud Romanam ſedem auctoritatis, & exiſtimationis in ſacris faſtis, vt Martyrologium ab eo conſcriptum, ceù ad veritatis fidem magis exploratum, in omnibus Eccleſijs legẽdum admitteret. Mitto Syluestrum Maurolycum Roccæ Amatoris Abbatem, eiuſdemq; Franciſci nepotem, in ſuo Mari Oceano. Nauarrum prætерea Sacrorum lumen Canonum, complures alios Scriptores Hiſpanos & Italos, ſiuè in flore Sanctorum, ſiuè in Chronicis Orbis, ſiuè in Virginis Monarchia. Tres duntaxat dignitatis prorſus Heroicæ viros in medium adducam, qui firmamentum hactenus dictis auctoritate ſua ſufficiant. Caniſium [p] in primis non minus doctum quàm Sanctum, apud Germanos luminibus accenſis adoratum, qui venenum Aquilonis extinxit, & de quo extat illud Baronij dictum, Eruditiſſimus Caniſius, cuius laus eſt in Eccleſia Dei. Deindè Franciſcum Arias, Magnum Spiritualis profectus Magiſtrum, denique Frãciſcum Coſterum in paucis eximium doctiſſimum.

[p] Lib. 5. de Vir. Deip. c. 1.

At enim ſi Perſarum inſtituto, viſo in fronte literarum annuli Regij ſigno, nemini dubitare fas erat, aut deliberare, controuertere (Literis ſignatis annulo Regis nemo audebat contradicere) ſi & ego deinceps in hac ſacra Epiſtola, ſigillum impreſſum, Regias impreſſas imagines, collata videlicet beneficia, fauores auxiliares, acceptam

ab ipſa

Digitized by Google

ab ipſa Virgine patrona, virtute huius Epiſtolæ gratiarum copiam manifeſtè oſtendero, quis in poſterum auſit vel minimum dubitare, conſultare, in aduerſum diſceptare?

Tria verò præcipuè ſunt armorum genera, quæ ad caſtiganda hominum delicta, ſolet omnipotens adhibere. [In gladio & in fame, & in peſte viſitabo ſuper gentem illam] eademq; ſingula conſiſtens in area Iebuſęi Angelus, ex pharetra iuſtitiæ vindicantis, eduxerat, ſed quod ex tribus viſum fuiſſet ferire mitius, vt Dauid eligeret, optionem dabat. A ſingulis verò iſtis, præſidio Patronæ Virginis Meſſana defenſa, eſt, liberata eſt. Ac in primis cùm peſtilens contagio centum ab hinc annis, ita regionem aëream infeciſſet, vt pro alimento virus ſpiraret, paſſimq; depopulatione viuentium deſolatis plateis, cadaueribus agros impleuiſſet: extẽplò Meſſana, antiquis inſueta tutelis, ad antiquum recurrit Virginis patrocinium. Erat verò Virginis effigies extra Vrbis muros ad radicem collis Riccij, ſolitario ac deſerto culta loco, hinc verò ſublata, vbi ſupplicatione inſtituta prouecta fuiſſet, (ſtupendum dictu) non ſecus ac olim tempeſtate Gregorij in conflictu peſtilentiæ Romanæ, ita quacunque ſacra proceſſit imago, repente omnis contagio viſa propelli, & noxia intemperies apricatione purgari, in ſalubrem verti auram; quo factum, ne in poſterum, præſentiſſimum Ciuibus deeſſet antidotum, vt ea imago Vrbe ac templo recepta Monaſtico, (ad Scalas vocant) hodie frequens viſatur, recolatur.

Iam quod ad bella ſpectat, ac primum ad conflictum naualem. Recordamini quæſo, poſt vaſtatas aliquando flammis Calabrum & Apulorum oras, poſt deſolatas Maſſæ, ac Surrenti Ciuitates, poſt Lyparim penè verſam, tandem ad fretum hoc Meſſanæ delatum, fama clarum Pyratam illum, Ariadenum Barbaroſſam, minaci non minus ac temerario faſtu, quàm barbara prorſus immanitate exterminio Ciuitatis imminentem, cùm iam capitalem proximè pararet impetum, vidiſſe in ſublimi ac ſpatioſo mænium vallo, ſtipatam exercitu Angelico protectricem Dominam, ſcuto lanceáque armatam, ſpecie adeo formidabili fulminantem, vt & aſpectu conterritus ac tremebundus barbarus, illico ſublatis anchoris, ruptiſque rudentibus tumentia vela, verſus Orientem explicaret, nec non grauiſſima cum ignominia, ſed maxima cæleſtis auxilij gloria, Martianam, imò Marianam Ciuitatem relinquere cogeretur. In cuius beneficij memoriam, Senatus Meſſanenſis decreta quotannis ad ſingularia puluinaria ſupplicatione, votiuum cereum flammat, adoream Virgini canit.

At hæc in mari; quid verò ſi memorem terreſtri acie conflictatam Virginis ope Meſſanam triumphaſſe? Veniat vobis in mentem Roberti Regis, filij Caroli Andegauenſis, quando ille fixis propter Vrbis muros tentorijs, illo ipſo loco, quo templum Diuæ Cæciliæ Sacrum hodie viſitur, non contentus agrorum, villarum ac vicorum deuaſtatione, temeraria ſigna ad inuadendas etiam turres, & arces extulit, & Ciuitate forti obſidione cincta, inſtanti impetu muros & mænia, arietauit quaſſauit; tum verò in ſumma Turri cui poſtmodum ab hoc miraculi argumento Victoriæ nomen fuit, comparuiſſe Bellonam inclytam, Virginem inquam, Vrbis tutelarem, candida amictam palla, ſed caſſide caput, ſcuto brachium armatam, manu tuliſſe vexillum, & vndique defenſantes fulgurantem radios, oculos aduerſorum perſtrinxiſſe, ſagittas in vibrantes retorſiſſe. Quo factum, vt temerarius hoſtis, malo ſuo perculſus, receptui quàm primùm canere, nec impune obſidionem ſoluere ſit compulſus, idq; ipſo die Cæciliæ Sacro, cui poſtmodum quo loco Robertus tentorium habuerat, in monimentum gratiæ, templum dicatum, ſupplicatio quotannis decreta eſt.

Digitized by Google

Prætereo turpẽ receſſum,& potius fugã lunatæ claſſis præfecti Cicalæ, & ad exortum ſurgentis auroræ, Virginiſq; naſcentis aſcenſum, diſparentia Lunæ inſignia, quãdo is inleſſo freto, incenſa Rhegyo, modiſq; omnibus haud vno conatu tentata excĩſione, quò maritimæ, ſuburbioq; vaſtitatem inferret, nequicquam antea decurſionibus territa,& rapiniſq; circum exhauſta regione; re demum infecta, collecta cum ſarcinis & impedimentis ignominia, nec minori pænitudine receſſit ipſe, quàm Meſſanenſes lætos,& voluptate geſtientes reliquit, eoq; celebrandæ Virginis liberatricis Natali, maiori quàm eatenus honorum apparatu intentos, ex beneficij cultu ſollicitiores, atq; etiam memoriæ ſanciendæ cauſa, votiua quotannis argentea lampade, ex illo tempore religioſos. Vt ex his omnibus argumẽtis renouare poſthac liceat, ac libeat non iam in tabulis æreis ſed aureis, imo ſingulorum celare pectoribus, antiqui monumenta fœderis, idq; non inter Machabæos ac Romanos, ſed inter Virginem & Meſſanenſes, quòd illa verè inclyta Patrona tam fortis & prompta ſit ad Meſſanenſium defenſionẽ, quòd iſti tã clientes fauorabiles, eximiȩ protectionis cõtinuò gratiã ferãt; libeat inquam antiquũ renouare Sacramẽtũ ac dicere, Bene ſit Meſſanẽſibus patrocinante Virgine, in mari & in terra in æternum, gladiuſq; & hoſtis procul ſit ab eis.

Sed fortaſſe etiã deſideretis AA. extare ab hac Epiſtola, propulſæ diuinitus famis fidem ac regale ſigillum? In promptu eſt; nec alterum rei, quàm grandis in hoc facto miraculi argumento, pendet illud è tholo lampadis inſtar luminoſæ, argenteæ ſignũ nauiculæ. Enimuerò flagellata aliquando ex ſegetum calamitate annona, cum rabida fames, per Vrbem, horrendum graſſaretur; præter omniũ expectationẽ inaudito præteritis memorijs exemplo, Hieroſolymorũ è finibus, è natali inquã Virginis ſolo, frumento naues onuſtæ in portu adfuerũt, caritatẽ victus, copia cõpenſarunt, ſubleuarũt.

Iactet modò Reſpublica Hebræa ſuum Aaronem, quòd minacibus diuinæ iræ fulminibus ſe ſe obiecturus, literas illas de quibus [a] Scriptura dicit, Magnificẽtia tua in diademate capitis illius ſculpta erat, fronti ſuæ impoſitas obuerterit, & indignationi cæleſti fidenter ac penè audaciter interceſſerit (properans homo ſine querela deprecari pro populis, proferens ſeruitutis ſuæ ſcutum orationem, & per incenſum deprecationem allegans, reſtitit iræ & finem impoſuit neceſſitati.) Et in atteſtationem profligati velut ab aureis literis furoris diuini, ſubditur. Cum enim iam aceruatim cecidiſſent ſuper alterutrum mortui, interſtitit & amputauit impetum, magnificentia enim, (præter gemmas Rationalis, nomina duodecim Tribuum exprimentes,) in diademate capitis illius ſculpta erat, hoc eſt ſacri characteres, exarati. His autem ceſſit qui exterminabat,& hæc extimuit. Sed enim maiori cũ ſtupore Sacratæ huic Epiſtolæ ſe proſternunt,& noxia contagio,& rabida fames, & bellum ſanguinolentum.

[a] Sap. 18.

Habeat ſibi volupe dilectus Domini Ioannes Angelicam palmam, Virginis exuta mortalitate in ſublime aſſumptæ; Habeat Damaſcenus reciſam manum, à manu Virginis cuius ipſe encomia ſcripſit inſertam, reſtitutam; Habeat Hildephonſus niueam Sacrorum pallam; nec minus candidam veſtem Bonitus, gemmatam tiaram Nicolaus, lac Bernardus, Aegidius lilia, Franciſcus bullam gratiarum; auream acum, qua lacerum pectus necteret, Gerardus, ſuum vtraq; Catharina annulum, ſcientias Albertus, mille alij; mille alia dona. Meſſana enimuerò ſuo contenta bono, ex recepta à Virgine Epiſtola, ſuæ iactabit gloriæ trophęum. Tumeant deinceps ſuperba Peruſia ex pronubo Virginis annulo, Pratum Hetruriæ ex cingulo Thomæ relicto, Roma ex faſcijs, Florentia ex crinibus, ex lacte Venetiæ: Meſſana enimuerò erecta ſuper omnes cæſarie, ex accepta Epiſtola, arduo ſemper inceſſu ſe ſe efferet, ceteras Vrbes digno faſtu premet.

Dicat nunc liberè deuotiſſimus Bernardus iterumque dicat, vt omnes creaturæ

cæle-

Digitized by Google

cæleſtes ac terrenæ,viſibiles & inuiſibiles, conuerſis in MARIAM oculis, & deſiderijs omnem ab illa opem,& conſolationem auidè præſtolentur, ex eius theſauro ſuum capiant ornamentum, ex eius gemmis ſuas explicent gemmas, ex eius floralibus ſibi flores,quin imò floribus in hoc Paradiſo lectis coronas texant, eius demum ſplendoribus illuſtrati, mentis aciem in pulchritudinem Virgineam conuertant, & ex iugi illius venæ fluxu, perennique gratiarum fonte omnem plenitudinem,ſatiemque capiant quàm poſſunt maximam, hi quidem redemptionem, illi ſolatium, alij gaudium,iſti gratiam,denique alij gloriam. Nam de plenitudine eius omnes accipiunt, æger curationem, captiuus redemptionē,triſtis conſolationē,peccator veniā, iuſtus gratiā,Angeli lætitiā,tota Trinitas gloriam,& ego adiūgo Meſſana Epiſtolam, Meſſana Epiſtolam.Reſtat vt de ſalutatione dicamus, ſed hic pauliſper reſpirandum.

PARS SECVNDA.

HOnoratus ille titulus pſalmi quinquageſimi ſexti, (In finē ne diſperdas, Dauid in tituli inſcriptionem,) ſumma ſanè cōſideratione venit dignus, quādo in eo Regius Propheta mirum erga titulos zelum ſuum oſtendit, vt minimùm demutari nolit ſed inuiolatos ſine vitio conſeruari. Ne diſperdas inſignia mea,legit Vatablus; inſignem aureolam meam,Caetanus. Sed enim quemcunq; tandem in finem dictum ſit illud(in finem ne diſperdas,Dauid in tituli inſcriptionem)cùm ſit,& inſigne,& aureola, & corona triumphalis Dauidicarum victoriarum & trophæorum: ſi etiam Meſſana digna fuit Sacrata Virginis penna, digna Epiſtola,digna titulis, & hoc eſt inſigne, hæc aureola,hæc corona triumphalis eiuſdem victoriarum ac trophęorum,eſſe fauorabilem illi,ab eademq; literas accepiſſe & eſſe ſalutatam,defenſam,deniq; commendatam ab inclyta Cælorum Regina,Matre,& Sponſa Dei, omninò videtur nihil in hoc titulo,nihil in hac inſcriptione demutandum,emendandum. Verùm quæ(malū) ratio,tot,errore an inuidia exceptoris,vitia inſediſſe,characteres peregrinos inceſſiſſe. Ceterùm titulus ſacer Epiſtolæ ad Meſſanenſes,(niſi Myſterium aliud habeat,)vel iſte ſit MARIA Ancilla Dei humillima,Chriſti Crucifixi Mater, Meſſanēſibus omnibus ſalutē,& Dei Patris Omnipotentis benedictionem.MARIA dulce & amabile nomen,auras ſpirans beatas,celeſtem ſtillans dulcitudinem,nomen è Cælo datū, à Tribus diuinis perſonis Virgini impoſitū.Vnde doctus Idiota,Dedit tibi Maria tota Trinitas nomen,quod poſt nomen filij tui eſt ſuper omne nomen,vt in nomine tuo omne genu flectatur,Cæleſtium,Terreſtrium,& Infernorum:hoc nomen ſuper omnia Sanctorum nomina reficit laſſos,ſanat languidos,illuminat cęcos, penetrat duros, vngit agoniſtas,iugum Diaboli extrudit, tantæ virtutis & excellentiæ eſt,vt ad eius inuocationem,Cælum rideat,Terra lætetur,Angeli gaudeant,Dæmones contremiſcant, & Infernus conturbetur.

Ancilla Dei humillima.Stupenda humilitas quàm præ ſe tulit pulchra illa Abigail Spōſa Regis Dauidis. (Ecce famula tua ſit in ancillam, vt lauet pedes ſeruorū Domini mei.Et ſecuta eſt nūtios,& facta eſt illi vxor.) Sed q̃d de Virgine dicēdū, q̃ certior reddita à Cæleſti nūtio,futurā ſe flore Virginitatis ſaluo,Matrē fęcūdā, ſuſcepit monitū,ꝓbauit nūtiū,ſeq; ꝓnā obtulit,nō iā Dominā Orbis,ſed Cæli Reginā, Angelorū Imperatricē,Matrē factoris ſui.Verū hęc ipſa humillima Ancilla.(Ecce Ancilla Dñi) ſecuta eſt nūtios & facta eſt illi vxor;Titulus certè humilis in ſpecie, ſed qui titulis,& chriſtis excellit Angelicis. Vndè Arnaldus Carnotēſis, Licet ſe Dei ꝓfiteatur Ancillā,hoc ſeruitutis genus ōi regno ſublimius eſſe intelligit, cōſtituta q̃ppe eſt ſuꝑ oēs creaturas,& q̃cunq; IESV curuat genu,Matri quoq; ꝓnus ſupplicat, & filij gloriā cū

Matre, non iam communem iudico ſed eandem. Merito verò titulum Ancillæ anteponit, quæ tanta demiſſione, velut curſu retrorſum indepto, ſaltu quodam traiecit ſe ad alterã ripam, Maternitatis nẽpè Dei, riuos trãſiliens omnium creaturarum: ideò ſequitur: CHRISTI Crucifixi Mater. Hic verò omnis perſtringitur intellectus, vacillat memoria, lingua omnis obmuteſcit, nulla nõ penna cuiuſq; Selciſſimi Seraphini ſe demittit ac proſternit: non eſt cogitatio, quæ altitudinem eius attingat, non eloquentia, quæ exaggeret, nec penicillus, qui adumbret. Titulus verè debitus humili confeſſioni Ancillæ, vt rectè dixerit Cancellarius Pariſienſis in ſuo de vniuerſo libro; Habet hoc peculiare humilitas, quòd vacuitas eius impleri non poteſt donis largitoris, ſed contendit cum immenſitate diuitiarum Dei, & dicit imple ſaccum vacuitatis meæ ſi potes Domine Deus.

Talis erat humilitas Mariæ, quæ cum theſauro Deitatis certabat, nec eius exinanitionem Deus, etſi ditiſſimus, potentiſſimus, glorioſiſſimus, ad votum explere valebat, quia quanto maiorem ei diuina bonitas gratiarum copiam affundebat, tanto magis illa ſe demittebat, viliſſima ſui exiſtimatione capaciſſimam ad honorum exaggerationem exhibebat, vt inde munificus rerum Dominus, noua continuò largitione tantæ humilitatis vacuitati dona infunderet, neq; tamen ad ſatietatem vnquam illam expleret, quòd ipſa ſe continuo magis ac magis dilataret, ampliaret; quanto humilius ſedebat, tanto amplius capiebat, inquit Auguſtinus, certabantque mutuo creatoris omnipotentia cum humilitate creaturæ, illa quidem in dies plus gratiæ influendo, hæc magis ſe demittendo, vt tandem Creator, quò victoriam reportaret, (liceat ita loqui) coactus ſit ſeipſum in vterum Virginis immittere, taliq; pacto humilitatem eius implere, & velut gemmam pretioſam vtero pudiciſsimo inſerere, ſic illa mater eſt effecta ſui creatoris, ob profundiſsimam duntaxat humilitatem, quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ.

Mater ait. Titulus verè immenſus, qui diuinam abſorbet omnipotentiam, vt proindè quemadmodum S. Thomas declarauit maiorem efficere Creator nequeat, Matrem ſcilicet, quæ maioris filij ſit mater, quia non eſt qui maior ſit Deo. Nec ſolùm habet titulus iſte neſcio quid infinitudinis, ex ratione perſonę terminantis naturam humanam ex hac matre ſuſceptam, verùm etiam, (cum Scholis loquamur) ipſam cum diuinitate identitatem, quatenus Virginei pars ſanguinis, hypoſtaticè Verbo fuit vnita, idemque vt Beatus notauit Damianus cum Deo effecta eſt. Mater ait. Titulus verè ſingularis, quę ſuper trinas beatitudinis aureolas, Martyribus, Doctoribus, Virginibus debitas, digniorem obtinuit auream, eoque longe magis excellentem, quòd corona ſit omnium coronarum, aureola aureolarum, illa quippe coronando Verbum in vtero ſua carne, ſingulari maternitatis prærogatiua, coronam gloriæ merita eſt ſingularem. Mater ait. Titulus verè eximius, quò in cælo nouum ipſa ſortita eſt cælũ, nouum domicilium acquiſiuit. Enimuerò cùm non eſſet dignum tantis meritis & dignitatis gradui receptaculum, viſum eſt diuinæ bonitati, quod ſentit S. Bonauentura, nouum creare cælum Matri ad incolendum, tanto ceteris cælis eminentius, quanto Empyreum infimam Lunæ Sphæram ſuperaret.

Mater ait. Titulus tantæ potentiæ, tantiq; in impetrando valoris, vt ſi fors Theologorum ſententia beati omnes & Angeli, commiſsis precibus aliquid emereri contenderent, cuius oppoſitũ Virgo mater flagitaret, quẽadmodũ accidiſſe Angelo Perſarũ, itemq; Angelo Iudææ legimus apud Danielem; dubio procul oratio Matris prævaleret, ipſa pro ſua dignitate cunctis prælata, voti compos foret, vt hoc propter potentiſsimam illam nominarit [t] Damaſcenus, & Damianus dixerit (Nihil tibi impoſſibile, cui poſsibile eſt deſperatos in ſpem beatitudinis reuocare, quomodo enim illa

[t] Serm. de Natiu.

Digitized by Google

illa poteſtas poterit tuæ potentiæ obuiare, quæ de carne tua carnis ſuſcepit originem? accedis enim ad illud aureum diuinæ reconciliationis Altare non ſolum rogãs, ſed impetrans, domina non Ancilla.) Non ſecus ac aliquando potentiſsimus Aſuerus, venientis Eſther, vt ſupplicaret, animum dicto præcepit, quid vis Eſther? quæ eſt petitio tua? etiam ſi dimidium regni mei petieris dabo tibi.

Hæc igitur tam digna, tamq; potens Mater & Sponſa Dei. Meſſanenſibus omnibus ſalutem: ecqui cum audis tam amicam Cæleſtis Reginæ ſalutationem, non gaudes, non exultas, non tripudias? & tamen cùm aliquando vox ſalutatricis iſtius per aures Eliſabethæ, ad ventris vſque clauſtra, quæ magnum Baptiſtam velut concha margaritum continebant, penetraſſet, continuò corpuſculum illud vix organizatum, ſigna ingentis edidit gaudij, lætitiæ plauſit argumentis. (Vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.) Etſi enim adhuc originali merſus delicto, impedimentis naturæ vinctus, arbitrio tardus, expers gratiæ, extorris à gloria; ad ſimplicem nihilominus vocem, & pudicæ Matris ſalutationem, longè melius quàm ſceleſtus ille ad ſonum cytharæ, quàm ſtatua Memnonis ad radios ſolis, quàm Dauid ad Arcam Teſtamenti, exiliuit, plauſit, exultauit; neque ſolùm, ſed in momento deterſa originis macula, præcium rationis vſum, gratiam ſanctitatis, lumen prophetiæ ſuſcepit, deniq; ſuum agnouit redemptorem, & futuræ beatitudinis dulcedinem, guſtu mentis prælibauit.

Et ecce ò Mater caſtiſsima, & Domina, non ſecus etiam ad feſtam Sacræ Epiſtolæ celebritatem, altiſsimi gaudij, & exultationis Meſſana tua protulit argumenta, copioſis flammata luminibus magnifico ornata apparatu, concentu reſonans Angelico, frequentiſsimo dignitatum, ac ordinũ cõcurſu ſolemnis, hæc Aedes tibi gratificatur, ſed etiam tecta & plateæ Vrbis diem feſtum agunt, poſitæ vbique honori tuo Sacræ Aræ, triumphales erecti arcus, theatra extructa, ſcenæ contextæ. Nox præterea luminum offuſa copia, clarum diem mentita tibi plaudit, tympanorum ſtrepitus, tubarum ſonus, vocalis harmonia cum alterna, mixtaque ſubinde inſtrumentorum ſymphonia, pectora omnium inuſitata opplent voluptate, iucunditate; compita, plateæ, palatia, tecta omnia, ciuitas vniuerſa lætitia geſtiunt, omnem complexa hilaritatem. Nimirum hoc argumentum, hic effectus eſt, dulcis illius & amabilis ſalutationis, Meſſanenſibus omnibus ſalutem.

Sequitur, Et Dei Patris omnipotentis benedictionem. Gratia ſicut [f] Paradiſus in benedictionibus dixit Eccleſiaſticus. Sic prorſus ad illud. Benedictionem: apertæ ſunt cataractæ diuinarum gratiarum, paradiſus delitiarum & cæleſtis fragrantiæ, nec dubium quin maiores adhuc effundet benedictiones, exaltata iam Virgo ad ſupremum gloriæ ſedile. Sic aliquando ad ſpecioſam [t] Ruth protulit Dux Militiæ Booz. Benedicta es à Domino filia, quia priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti; quo loco gratioſè argutans Anſelmus, Magna inquit fuit miſericordia Mariæ erga miſeros adhuc exulantis in terra, ſed multò maior eſt iam regnantis in Cælo. Benedixit Meſſanæ MARIA, viuens in terra, degẽs inter exules, ſed lõgè maior erit benedictio eleuatæ in excelſum thronum, ad dexteram filij conſidentis. Magna fuit miſericordia MARIAE, erga Meſſanenſes, adhuc exulantis in terra, maior erit, maior erit iam regnantis in cælo. Et profectò videor mihi videre illam eo propemodum vultu ac geſtu, quo ſe aliquando Diuæ Tereſiæ videndam obiecit, lucido coruſcam nimbo, turma vallatam Angelica, & gratioſo renidentem ore, chlamydem reducere auream, quo detectos; ſed ea Virginis tutela protectos Loyolæ filios Tereſia conſpiceret; ita prorſus hodie lætiſſimo aſpectu, materno planè affectu propenſam contueor eam, quæ pridem animum ſuum Epiſtola, ſua manu ſcripta edidit, Sacramentum ipſa pro-

[f] Cap. 40.

[t] Ruth. 3.

protulit, protectricem & Patronam Meſſanæ ſe deuouit; En prona mater aureum pandit amictum, gratiæ ſinus explicat, vos omnes appellat, ſingulos aduocat, & ad vmbram inclyti ſui patrocinij, vt veniatis inuitat, excitat: Ite fidentibus omnes animis, procul repulſæ periculum: Sub tuum præſidium cõfugimus Sancta Dei genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias, ſed à periculis cunctis libera nos Virgo glorioſa & benedicta.

Agitedum verò, quia MARIA in Clientam ſortem vos adiniuit, filios adoptauit, agnoſcite patronam, profitemini matrem, protectrici nomina dicite, Sacramento pectora deuouete. Id faciant Religioſi in clauſtris, Clerici in Eccleſijs, populus in domibus, vbiq; vniuerſi. Enimuerò ſi Illuſtres equitum ordines tutelaribus ſuis obedientiam voto præſtant, ſolemniq; religione fortunas & vitam ſacrant, id etiam præſtare erga MARIAM, quàm vos deceat Meſſanenſes, bene noſtis. Ego vos in hoc ſuggeſtu voce & exemplo præibo, vos proni ſequimini, omneſq; prouoluti, ſuum quiſque nomen edito, & mecum ſic dicito. Ego N. N. Patrona Sanctiſſima coram diuino tuo nato, peculiare tibi obſequium toto corde promitto, tuæ me totum ſeruituti dedo, tui mancipij eſſe volo; te in patronam ac Dominam meam ſuſcipio, tibi facultates, vitam, & quicquid mihi eſt offero, vendico, tui iuris aſſero. Sed inſuper recipio nullam me vnquam in te noxam admiſſurum, nihil quod tibi diſpliceat patraturum, nihil quod placeat pro virili non facturum. Id ſolùm te ſupplex oro, conteſtor, prorſus obſecro, digneris adeſſe nouiſſimis meis, defendere me contra tẽtationes & incurſus diabolicos, larga benedictione ſuſpirãtem ad te circumuenire, gratiæ tuæ copiam & fauores egenti impendere. Bono animo, bono animo Meſſanenſes, adeſt MARIA præſens, annuit votis, ſubſidium in articulo mortis ſpõdet, & benedicit omnibus. MARIA Ancilla Dei humillima, CHRISTI Crucifixi Mater, Meſſanẽſibus omnibus ſalutẽ & Dei Patris omnipotẽtis benedictionẽ. Amen.

Atque hæc eſt concio Bartholomæi Petracij ſuis penè herbis & ſucco, ſi non coloribus, in qua primùm ad animum verterim, Franciſci Coſteri auctoritatem pro Virginis Epiſtola recitatam, excidiſſe inter hominis alioqui diſerti ac diligentis calamum & linguam, vt in tanta teſtium qui laudari potuiſſent copia, alium pro alio nominaret, cùm niſi me, pluresq; alios diligẽtia præteriuerit, Franciſcum Coſterum, (etſi fauentiſſimum, ſi illi in mentem veniſſet,) ad partem ex dicto vocari vix poſſe, crediderim. Deinde verò Pauli in Peloponneſo prædicantis fama excitos Meſſanenſes, miſiſſe qui hominem conuenirent, miſſoſq; ab eodem ad Virginem directos, eximiam quidem habet in coniecturis ſpeciem, ſi Traditio contra non militet. Hanc nos tuemur, nec alioqui conſtanter aſſeri poteſt mediante Pauli Meſſanam venientis prædicatione, religionem indeptos Meſſanenſes, quamquam poſtea non vna vice Meſſanæ eſſe potuerit: ſed neque ſi miſſi ab illis Viri, iidemque à Paulo edocti, fidem deinde in Patriam intulerint, vſquequaque rectè dictum ſit à Prædicatione Pauli audita, CHRISTVM hauſiſſe Meſſanenſes, niſi latiſſima quadam acceptione ſententiæ, plura permiſceantur, quæ apud pleroſque conſtantiſſima ſunt, nec tamen de cetero veritates etiam demonſtratæ habeant explicationem. Mitto ſi id placitum à fronte arrideat, pluribus tamen à tergo circaque implexum difficultatibus, non modo religioſam dictæ Epiſtolæ Traditionem, vel etiam quæ à profanis auctoritatibus accedit firmitatem, ſed præcipuè quæ in hiſtoria Pauli rebuſque geſtis Apoſtolorum verſatur, planè elidit narrationem. Sed enim eius ſententiæ non primus auctor Petracius.

XXXI. Sylueſt. Maurol. In fine. Nam Sylueſter Maurolycus Franciſci nepos, & ipſe Abbas, in ſuo Mari Oceano, (ita inſcribit opus de religionum inſtitutis) felici nauigans ingenij zephyro, paribus

verbis

penè verbis narrat, diſſipata per Orbem nouæ Religionis fama, quam Paulus in Peloponneſo prædicabat, Meſſanam quoq; excitam, hoc magis quòd curioſa nouitatum in rebus præſertim religionis eſſet; ſtuduiſſe famæ, nouæ demutationis ſategiſſe. Itaque miſſis ad promouẽdum Legatis, hos primum ad Paulum, deinde illo vel duce, vel docente veniſſe Nazarethum ad Virginem Matrem viſendam, adorandam, nouis Sacramentis excolendam. Ab ea demum obtentis literis quibus clementiſſima Cæli Regina, mundiq; reparatrix, promiſſam nobili ciuitati tutelam, perpetuumq; patrocinium conſignaſſet, ad ſuos rediiſſe. Eius rei memoriam hodie Meſſanæ feſta celebritate Sacram cenſeri, tertio nonas Iunij; nulloq; intermittendam æuo, quemadmodum ipſa Virginis protectio defectura nunquam eſt, commune omnium votum interpellare. Hæc ferè ille, niſi quòd directos à Paulo Nazarethum velit Meſſanenſium miſſos, nullo fortaſſe errore ſi Traditio remittenda, quòd anno quadrageſimo ſecundo, qua exarata ſignatur Epiſtola, non ab re conijci poſſit, Virginem [u] Nazarethi cõſecrationi cæleſtis ædis, in qua Deum vtero conceperat interfuiſſe, niſi Aſianum iter & hanc occaſionem auerterit, & plura etiam præter Traditionem incidant, quæ penitius rem introſpicienti longè aliud perſuaſerint. Sed neq; hanc coniecturam aliquando Maurolyco in mentem veniſſe putem, qui potius ob vitiatam à characteribus temporum falſo immiſſis, quemadmodum & Petracius opinari conſueuerat Epiſtolam, in eam abire maluit cogitationem, vt poſita ſemel veritate rei, congruam de ceteris circumſtantijs, extra temporum argumenta proferret ſententiam. Verùm nobis à Traditione communi & ipſa religione pridem ſacra, diſcedendum minimè eſt, & huc potius reuocandæ rationes, quamuis interdum ſpecioſi quidam prætextus, nouas, & quæ facile premi nequeant, ingerant opiniones.

[u] *Lucius Dex. ad An. 42.*

AFFERVNTVR AVCTORITATES GENERATIM pro Epiſtola Virginis.

CAPVT QVADRAGESIMVM NONVM

HACTENVS & patrios, & exteros teſtes, quorum ferè dignitas in luce extat laudauimus; deinceps verò anticipata hoc loco laude, illos etiam probamus, de quorum pietate, & religione in Virginem ita confidimus, ac ſi ab ipſa Virgine meditato Sacramento ad ſcribendum auctoratos, oculis noſtris concernamus. Vnus quidem in omnibus noſtris inuentus eſt Chriſtophorus Caſtro, qui vt vidimus, cùm illam ad Ignatium, tùm hanc quoq; ad Meſſanenſes Epiſtolam eruditis preſſit argumentis, dubio procul animo veritatis in lucem eruendæ, quod in ceteris quoque ſcriptis viri docti plerunque obſeruatum, & potius ſtabiliendæ, quàm vertendæ ſtudio pietatis. Et fecit ſanè non minimum apud rectè ſentientes in promouenda religione profectum, quod ex diſſolutis difficultatibus, quæ non parum impedire poſſe videbantur, documento fuit alijs, non plus poſſe calumnias quàm grauiores rationes.

De Octauio Caetano multa obſcurè ferebantur quaſi in hoc argumentum tetricus offendiſſet. At ipſe vel inſimulationis inſciens, datis ad Cornelium à Lapide alia de cauſa literis, ſuæ mentis vindex fuit, à nobis præterea non vno loco in partem aſcitus, nihil quod graue eſſet, & non potius multis in rem intentam momentis propendens XXXII. Octau. Caetan.

pendens aſſeruit. Et ne fortaſſe quippiam aduertat, mitius illum de Pauli quidem Meſſanam aduentu ſenſiſſe, ſcriptam verò à Virgine Epiſtolam prorſus extra mentem habuiſſe, non admiſiſſe proferam eius ſententiæ teſtem velut tabellam, illud epigramma, quo id non probauit modò, ſed cum religione laudauit, Meſſanam eo argumento extulit, à ſecuritate, perennitate, & conſtantia commendauit. Extat verò apud [x] Syluestrum Maurolycum in hunc ſenſum.

[x] In Mari Ocean. in fine.

Litera Chriſtigenis quam Meſſanenſibus olim,
Ipſa ſuis manibus, Cæli Regina ſuperſtes,
Dum coleret terras, dignata eſt mittere, certi
Nobile præſidij monumentum, & pignus amoris,
Nulla dies aderit, ſeclorum nulla vetuſtas,
Quæ gratis inſcriptam animis te deleat, imò
Oſtia falcati portus dum fida patebunt
Claſſibus, & Siculas inter Caput efferet Vrbes,
Inſignis Meſſana freto, per Templa per Aras,
Semper honore, die ſemper celebrabere feſto.

Hæc Caetanus. Nec dubito plurium pectoribus eam pro religione pietatem inſediſſe, vt ſicut de Matre Dei Virgine, Matre miſericordię, rectiſſimè ſentiunt, ita pietatem Meſſanenſium ex eius Epiſtolæ traditione ſi quando ſcribendi inciderit occaſio, nuſquam non, ſint probaturi ſiue demum de rebus Siculis generatim fuerit agendum quod plures conſueuerunt, ſiue præterea propriæ Meſſanenſium ſcribendæ Hiſtorię, quas illuſtri labore lucubratas & pene vltima ſignatas manu, paulo poſt in lucem mittet Marius Pax, noſter, ſiue etiam hoc ipſum de Epiſtola Virginis argumentum explicandũ, quod noſter item arripuit Paulus Belli eximio in patriam ſtudio nomen ſibi facturus, ſiue demum in quauis Sacra pertractatione exemplum & robur accerſendum, quod plurimi in dies præſtant. Quemadmodum enim in omni religioſo argumento, neceſſarium ferè ac præcipuum Virgo tenet locum, ita in ipſa dilaudanda raro caritatis & conſtantiſſimæ fidelitatis exemplo, hæc ad Meſſanenſes data Epiſtola inducenda venit ac commendanda. Sed verò qui res à Paulo Apoſtolo geſtas, præclaram ſanè ſcribendi materiem, explicandas ſuſceperint, ita ſibi norint de Pauli ad Meſſanenſes aduentu, de huius item Epiſtolæ religione ſtatuendum, vt his præteritis, quemadmodum & maiores qui hæc vel ignorarunt, vel non inſcientes tranſmiſerunt, vix aliquid emolumenti ſe ad veritatem attuliſſe, conſtituant.

Quo loco non eſt diſſimulandus error, quem ab omnibus vitari velim, & miror à Baronio multoq; magis ab alijs quos vidi, qui Acta Apoſtolorum enarrarunt, fuiſſe præteritum, nouatoris Matthæi [y] Beroaldi non magis noua quod ipſe fatetur, quam aliena à vero, quod rectè ſentientes teſtari debent, proferentis: Errorem ſcilicet eſſe recentiorum Geographorum auctoritate confirmatum, eundemq; in pluribus codicibus hæſiſſe, de Melita Inſula vicina Siciliæ, ad quam naufragio eiectum fuiſſe Paulum Apoſtolum exiſtimant, quum (vt inquit ipſe) ex ipſo Scripturæ Sacræ contextu, in aliam longè Inſulam, ab ea quæ vulgò creditur, fuiſſe expulſum diſcimus. Nempe capite vigeſimo ſeptimo Actorum, Centurione plus fidei habente Nautis quàm Paulo ſuadenti vt hybernarent in Creta, cùm præuiſa tempeſtate Paulus omnes in quandam Inſulam eijciendos declaraſſet, docetur deinde quartadecima nocte ex quo iactari cæperant, eos fuiſſe in mari Adriatico, in quo naui fracta eiecti fuerunt omnes in Inſulam eius maris Adriatici, quam intelligunt poſtea dici Melitam. Eſt

[y] Lib. 4. Chron. ad finem.

ergo

Digitized by Google

ergo Melita Inſula in quam cum reliquis qui vehebantur, eadem Naui fuit eiectus Paulus in Mari Adriatico,in quo Ptolemęus poſt Corcyrã,quę veluti fauces Adriatici ſinus occupat,collocat Melitã aut Meladã, quę longè alia eſt ab eiuſdẽ nominis Inſula Melita,quã dicimus hodie Malthã,quę quidẽ in mari Africo verſus Siciliã iacet.

Vlterius verò erroris cauſam Geographis opinatur fuiſſe,inexploratam ſignificationem vocabuli Syrtis;nam quod dicitur, Timentes ne inciderent in Syrtim, exiſtimarunt ſignificari periculos, & vadoſos Africę ſinus,quibus Syrtium eſt nomẽ, vt ipſis conſequens fuerit,Apoſtolum naufragio facto in Mari Africo,delatum in eam Melitam,quę in illo Mari eſt ſita: & tamen inde abijt longiſsimè,vt debuerit potius eijci in Africę littus,quàm in eam Inſulam detorqueri. Sed debuerant(inquit)ſpectare contextum,quo diſertè docetur naufragium contigiſſe in Mari Adriatico, quod longiſsimè abeſt ab Africo. Quod verò attinet ad vocem Syrtis, ea ſignificat loca vadoſa, in quę pulſa nauigia, vel potius tracta abſorbentur, vnde & Syrtis à verbo Gręco *σύρω* quod eſt traho,deducitur; eiuſmodi quippe loca deſtituta aquę copia, trahunt quodammodo & retinent ad ſe pulſas Naues, quas tandem abſorbent, arena ipſa cedente ponderi more luti,& terrę multa aqua dilutę,quę põdera ipſa admittit, recipit & intra ſe recondit. Quia verò in illis ſinibus littori Africę pretentis,huiuſmodi ſunt pericula, ijs Syrtis minoris & maioris appellatio eſt tributa. Sed in hac hiſtoria naufragij Melitenſis,vox Syrtis non eſt loci nomen proprium, ſed nomen eſt appellatiuum, quo periculum loci vadoſi deſignatur in Mari. Id quod ex Virgilij verſu, quo Gręcæ vox Latina iungitur. *In breuia,& ſyrtes vrget &c.* intelligi poteſt, vt proinde cùm Syrtes ſint vadoſa loca, eadem voce latina reddenda ſit hoc loco Græca & tollenda de ſinu Africo(quæ quæ ſit illa) annotatio, & pro *timentes ne in Syrtim inciderent*, vertendum,*ne in loca vadoſa inciderent.*

Denique cenſet tabulas Geographicas,quibus exponi ſolet illa Pauli Apoſtoli nauigatio & deportatio Romam,emendandas eſſe, & à Clauda Inſula Nauim deducendam in ſinum Adriaticum,nõ autem in Africi littoris ſinus:& in littore Melitę Inſulæ, quę eſt poſt Corcyram naufragium eſſe depingendum. Eſſe verò Melitam Inſulam in Mari Adriatico, præter Ptolemæum, & Stephanum Plinius quoq; auctor eſt inquiens. Ab his orcyra Molæna cognominata & inter quam & Illyricum Melita,ea verò eſt Melada,quæ non eſt ignota noſtris Geographis.

Hæc ferè ille totidem verbis, quibus multa imprudenter inuoluit, vndè in temerarias conſecutiones abire neceſſe ſit. Id plerumq; contingit quoties iniecta leui ſuſpicione vel ex Synonymis,vel quæ ſimilem habent, aut etiam interdum eandem appellationem,nouas venamur opiniones, & ab alijs,cùm neſcitas potius quàm cõtemptas exiſtimamus,ita in medium afferimus, vt quaſi inuenta (quod de illo dictum eſt) Paphiæ crepida,plus nimio nobis applaudamus. Ita nullus error eſt, planius dicam nulla Hæreſis eſt, quæ non ex huiuſmodi turbidis fontibus colluuione quadam profluxerit. Ac quemadmodum Eon ille ſimplex & penè dementiens, cum interdum vel in Eccleſijs audiuiſſet, vel ipſe legiſſet, per *eum* qui venturus eſt, &c. & iterum in [a] Actis, Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ populum dicens. In *eum* qui venturus eſſet poſt ipſum, vt crederent,hoc eſt in IESVM, ex ſimilitudine vocum Eon & eum, de ſe ſermonem eſſe ſtolidè opinatus hæreſim inuulgauit, nec paucos breui dementiæ ſocios nactus eſt: ita qui Melitam ſiuè Melidam Adriatici Maris Inſulam,cum Melita Mediterranei Maris Inſula confundat,facillimè erret, longeque periculoſiorem quàm metuebat Pauli Nauis,in Syrtim impellatur.

[a] Act. 19.

Sed enim ille ſi Scripturam non oſcitanter legiſſet, nec extra Geographorum lineam mentem ſuam abduxiſſet, in Adriatico Mari haud tantum diſcriminis adijſſet,

vt ad iactum doctrinæ, & operæ cogeretur. Enimuerò arrepta ab Euroaquilone, & cùm non poſſet conari in ventum, data flatibus Naui, quibus in Inſulam Caudam decurreret, vel vt Gloſſa legit (iuxta curreret) neq; enim (inquit) applicari poterat propter vim venti, neſcio quæ ratio, quiſue nouus Hydrographiæ Magiſter doceat electum Paulum in mari Adriatico poſt Corcyram, niſi ſolus iſte qui ſicut nouam ſe inferre opinionem profitetur, ita Geographis, hoc ipſo errantibus, inexploratam quos proinde noua pingenda orbis arte inſtruit, quaſi elementarijs noua præcepta cudit. Rectè quidem, nemò enim Geographorum hactenus exiſtimauit, ſed nec deinceps, niſi dementiat, ſibi perſuaſerit, flante Euroaquilone, ventis Africo, & Noto aduerſis, à Cauda Inſula, quæ minus Septentrionalis eſt Creta, vnde iam ſoluta Nauis validè ferebatur, redeundum fuiſſe poſt Corcyram aut Meledam, Creta ipſa non vno gradu magis Broreales, & non potius eo vehementi ſpiritus impetu, niſi Melita Mediterranea obſtitiſſet, etiam ad ipſa Africæ littora procurrendum.

At inquit ex ipſo contextu Scripturæ diſertè docetur naufragium contigiſſe in Adria, hoc eſt mari Adriatico. Non abnuo: tametſi non nemini ſuſpicionem ingerat, quod Scriptura dicit (nauigantibus nobis in Adria) petroſa & ſcopuloſa, vel ipſa vocis origine, nec certo & definito mari ſignari loca: non inquam abnuo, ſed tamen

V. Philip. Cluuer.

Scripturæ interpretem ſciſſe oportebat, Adriatici maris extremos ſinus cum Africo & Ionio vel etiam Siculo Mari confundi, & interdum ſine religione intra certos Mediterranei maris gradus, alterum pro altero à doctis vſurpari. Nolo teſtes laudare Geographos, quibuſcum iſte nihil commune habuerit, errarunt enim, vt ipſe iactat, Interpreti Scripturarum, Hieronymum oppono maximum Eccleſiæ Doctorem. Is verò nauigationem Hilarionis in Siciliam deſcribens, narrat ex Parætonio Libyæ Vrbe maritima, in medio fermè Adriæ, id eſt mari Adriatico fuiſſe verſus Pachynum Siciliæ Promontorium tendendo; ſiuè etiam Parætonium regio ſit Marmaridarum,

a Lib. 5. cap. 5.

iuxta [a] Plinium vſq; ad Syrtim maiorem ſe ſe porrigentium; vtrumq; enim ad rem facit.

Verùm ſi quæ hactenus diximus Melitam illam interioris Adriæ, nauigationi Pauli eximunt, tum verò non pauca alia, Melitam hodie Rhodienſium Equitum habitatione factam, naufragio quoque Pauli, nec aliam vllam, celeberrimam faciunt, & maximè religioſam. Locus in primis Dithalaſſus, quod nonnulli bimarem vertunt,

b Gloſſa Rabanus.

ſiuè quia duo [b] maria diſcriminat, & tota ipſa Inſula loco quodam iacens (qui ſenſus eſt Syri) duas inter profunditates maris hæreat, ſiuè quia naufragij locus eodem Mari vtrinq; allutus iſthmum conſtituat, & vt loquitur Beda littus ſit in mari protenſum, eodemque circundatum mari, quod hinc & hinc diſpeſcitur; & adhuc clarius ad vulgi vſum Carthuſianus explicat linguam. Terræ in mare protenſam, mari vtrinque circundatam; quæ quidem poſterior Bedæ & Carthuſiani explicatio, tam congruit Traditioni & loco, quem nos ipſi fama naufragij Pauli clarum, oculis non ſemel aſpeximus & conſiderauimus, vt in meridie cæcutiat cui ſecus in mentem venire poſsit. Habet verò & ſuam locus ille Syrtim hodieque conſpicuam, habet & vadoſam arenam impingendæ naui aptiſſimam, nec tanta eruditione in Syrtibus explicādis opus, vt cum dicat Scriptura *Timentes ne inciderent in Syrtim*, continuo interpretes, & Geographos ad Syrtes Africanas reſpexiſſe quis putet, & non potius ad quævis alia

c Act. 27. n. 29.

loca vadoſa & aſpera, (quod ipſum Lucas [c] inſinuat) Mari mediterraneo frequentia cogitationem transtuliſſe. Quamquam quid ipſis nauigantibus in mentem incidere potuerit, quibus neque Sole, neque ſyderibus apparentibus per plures dies, & tempeſtate non exigua imminente, iam ablata ſpes omnis ſalutis erat, vt ſcilicet in præſentiſſimis periculis, etiam longè poſitas cauſas

for-

formidarent, norunt illi diuinare, qui diſcrimina Maris ſunt experti.

Deindè verò vt mittam Meliteníes illos Adriaticos, quòd ferè communem cum Græcis, vel certè non ignotam verſarent linguam, vix dici potuiſſe Barbaros, ab ea quam memorat Lucas humanitate laudatos: tot monumenta redarguunt inconſultam Beroaldi ſententiam, vt non immeritò, vel ſi à fide malus non eſſet, hac de cauſa temeritatis notam ferret: Certiſſima in primis Traditio, Religio Inſulanorum Paulo deuota, Sacellum eiuſdem in crypta abditum, vbi Sacris dum hybernaret operabatur, locus frequenti exterorum concurſu, ea de cauſa cultus, crebra miracula, ſed illud continuum, petræ videlicèt Melitenſis contra vim morborum à benedictione Pauli præſentiſſimum remedium; multoq; maius illud, in ſignum excuſſæ in ignem viperæ, innaſcentium in viſceribus petræ ocellorum & lingularum prodigium, ophtalmiæ, morbiſq; venenatis ſalutiferum. Præterea certiſſima Publij Principis Inſulæ, Paulo inſtruente ad Chriſtum conuerſio, quem etiam fides Hiſtoriarum Incorrupta, primùm eodem loci inſtitutum à Paulo Antiſtitem, deinde etiam Athenis Dionyſio ſubrogatum, conſtantiùs tradit, quàm vt à quouis Nouatore queat improbari. Ac deniq; vt quàm plurima præteream, poſt hyberna trium menſium, ſoluta inde naui prope neceſſaria Syracuſas adnauigatio, quò demum circumlecta reliqua Sicilia, Rhegyum deueniret: quæ enim Traditio? quæ vnquam fama tulit Paulum Melitæ, poſt Corcyram hyemaſſe, tot ibidem miracula patraſſe? quæ ratio nauigandi fuit, emenſo Adriatici Maris inferiore ſinu, longo ſatis itinere Syracuſas vſq; traijcere, & non potius lectis Calabriæ oris compendioſo flexu in fretum Siculum ſe ſe immittere.

Ergo locus ille dithalaſſus, vt hinc etiam aliorum dubia dimoueam, in quem nauis eatenus impegit, vt prora quidem fixa maneret immobilis, puppis verò ſolueretur à vi Maris, niſi tota ſit Inſula, non alius fuit, quàm reuulſa illa à reliqua crepidine Terræ lingua, aquis hinc inde admiſſis in iſthmum formata, & Euroaquiloni quemadmodum & hodie cernitur eatenus obuerſa, quà neceſſarium penè Nauibus ex Adriatico pulſis obijcit impedimentum. Rectè verò, cùm nullis fere cliuis tumeat, ſed humilis Mari ſuperſtet Melita, eamq; ob cauſam vel clara luce, etiam non longè nauigantium oculos effugiat, die primùm facto, & adhuc dubio puta Sole, terram non agnoſcebant, ſinum verò quendam conſiderabant habentem littus, in quem cogitabant ſi poſſent eijcere Nauem. Is verò ſinus, Melitæ cauus erat, ſed qui protenſo Iſthmi cornu vix procelloſis vndis eminente, Nauim curſu obſtinatam obſtinatior ipſe infregit, nauigantes ad tabulas adegit, ac tandem nando vadando periculis euadentes, eam eſſe Meliten Inſulam, vulgato alijs vocabulo Mitylenen perdocuit.

Atq; hæc incidenter dicenda, pluribus fortaſſe extrita ſunt; ſed neceſſariam habuerunt explicationem, tùm ad Nouatoris inconſiderantiam excutiendam, tum maximè ne à reuulſa ſemel eius Traditionis firmitate, noſtrorum vis argumentorum, quæ hinc obliquam ferre calumniam poterant, labefactari putaretur; tum deniq; vt quàm plurima, quæ ex Pauli ad Melitenſes Pachyno Siciliç aduerſos appulſu, religionem apud omnes habeat, inconcuſſa permanerent. Nunc cetera pro inſtituto proſequamur.

Hoc igitur loco inter auctores pro Epiſtola Deiparæ promiſcuè cenſitos, referri poteſt illuſtre teſtimonium inſignis Hieroſolymitani Ordinis Sacerdotis, viri non minus religione, quàm opinione præſtantis, Ioannis Caprij oretenus prolatum, nec mihi vni, cùm iam alias inaudiuiſſem, verùm quàm plurimis alijs ceù teſtibus aſſertæ veritatis ſanctè, & grauiter affirmatum. Retulit enimuerò ſe Bononiæ per annos [d] commorante, cùm adhuc in viuis ageret Alphonſus Paleotus, dignus immortalitate Bononienſis Archipræſul, inuentū fors inter repurgatas Sacri Archiuij char- [d] *Circa an. 1606.*

tas exemplar Epiſtolę MARIAE Virginis ad Meſſanenſes membrana exaratum, ac vt videbatur, ea vetuſtate conflictatum, quæ propemodum quina ſecula numeraret. Eo tam inopino inuento lætitia geſtientem Præſulem, miſiſſe confeſtim, qui hominem Meſſanenſem accerſerent, de argumento Epiſtolæ, quæ certò noſſe crederetur edoctutum. Acceſſit quàm primùm accitus Ioannes, ac ſtatim poſt honora verba, non minus ad curioſè, quàm anxia pietate quærentis votum, ſermonem vertens, quæ Traditio Meſſanenſibus, quæ Religio ex ea Epiſtola cum lacte eſſet, quid exempli in publicis Tabularijs ſupereſſet, multis explicauit, docilemq; nactus auditorem, ita Præſulem flexit, vt is felicitatem cum voluptate gratulatus, Beatos ex eius prærogatiuæ Sacramento Meſſanenſes prædicaret, tantaq; protectione tutiſſimam Ciuitatem, iam animo ciuis, flagitandam deſignaret. Ac feciſſet deſiderio ſatis, niſi cæleſti prouiſu, non multò inde permanentem fuiſſet adeptus Ciuitatem. Interim tamen miſſæ eiuſdem hortatu Meſſanam literæ, quibus exemplum Epiſtolæ fide publica ſeruatæ, rogaretur. Fecit verò Meſſanæ Ioſeph Caprius, frater Ioannis, vt auro decenter exſcriptum Bononiam mitteretur. Quod ſtatim ac primum Alphonſus accepit, cum altero collatum, liberam mendis ad paria verba ſynceramq; habentem fidem miratus, exinde ſanctiore etiam Epiſtolam religione colere cæpit.

Atq; hæc tum acta ſunt Bononiæ, ſed quorum occaſione, non nemo diceret, eius Epiſtolæ famam, tametſi à publica religione minus cultam, alijs etiam Italię locis notam eſſe, neq; tamen in Sacrorum copia peculiarem habere venerationem, quod illis hiſtoriæ duntaxat exſcriptæ, non etiam, vt Meſſanenſibus, tutelaris Sacramenti vicem ferret, eoq; diſtaret à Sacris reliquijs, quòd hæ Diuorum proxima ſigna eſſent, non in alias impreſſa rerum ſpecies, hæc Epiſtola tot alienæ manus fuſa characteribus, tantum in exemplaribus eluceret; digna nihilominus eximia mortalium æſtimatione, ſi norint præcipuè charitatis ſymbolum, hoc tam ſingulari argumento à Dei Matre edito, in communem erga omnes amoris, & beneuolentiæ teſſeram redundare. Verùm quid de vetuſto illo Bononienſis Archiuij exemplo deinde ſit actum, non multò poſt, recedente ab ea Vrbe Ioanne Caprio, ſcitum non eſt. Opinio fuit, priuata duntaxat religione pro tempore domi à Præſule cultum; eo demoriente, cum ſupellectile vel manſiſſe, vel defluxiſſe: nam quòd aſſeruatum in publicam fortaſſe alicubi religionem abiuerit, hactenus quod ſciam, compertum non eſt.

Quæ demum ita narrata volui, vt auctoris fidei, ſi res pro tempore minimè dictis reſpondeat, illuſum haud velim, ſuoq; pretio ſtare nihilominus veritatem, & ſi in varias pro occaſione viciſſitudines relabentem crediderim. Equidem in re ſeriùs quàm oportebat accepta, famam & auctoritatem Bononienſem hactenus ſi conſulere, percipere non licuit, nec interea prælum calamo ferianti morari viſum, quòd temporis iactura, lucrum famæ non eſſet, nec vnquam dilata teſtatio diſpendium laboris allatura foret, ſi vel tardius acceptam fidem, rata operis appendice ſignaremus; vel certè aliorum induſtriæ, quod noſtræ ſuperfuit, concederemus, digitum duntaxat hoc loco ad fontem intendentes, quò poſteris, vnde certiora deriuarent oſtenderemus.

Quamquam ſi variante rerum ſtatu nec illis certitudo reſpondeat, prudenti cogitatione ad exiſtimationem primi auctoris adhibita, fuiſſe, quod dictum eſt, credere ſufficiat: quando vel in toto hoc argumento, multorum exquiſitiſſimis iudicijs non ſemel decretum ſit, atq; adeò pro religione apud ipſos obtinuerit, veriſſimum eſſe quòd Traditio docet, Deiparam ad Meſſanenſes aliquãdo ſcripſiſſe, vt Solem in meridie negare videatur, qui ſecus exiſtimarit: an verò hæc vel alia, quæ circumfertur Epiſtola, ſit ab illa exarata, non ita conſtanter poſſe affirmari. Id verò maximè certum & obſtinatum volunt, ob lacinias illas à temporum notis nominiſq; ſubſignatione

aſſu-

Digitized by Google

aſſutas, quibus cum reliquo Virginis ſcribendi more minus conueniat, quàm par ſit vel ad Epiſtolæ argumentum, vel ad rei inſtitutum: illis tamen reſectis, quin cetera ſuam habeant à pietate Virginis, genuinaq; ſcribendi ſpecie integritatem, dubio procul eſſe ſinunt. Verùm quid hac in parte venire poſſit vel ad rationes, vel ad coniecturas firmandas, infirmandas, quæuè denuum ſententia decerni poſſit ad veritatis commendationem, non vno verbo, iam loco ſuo confectum eſt.

Nunc demum quæ in hac auctoritatum ſerie dignam meritò coronidem faciat, & ſola ſapientum ordinem præſtantiſſimè exornet, in medium afferamus, laureatam illam coronati oratoris, Ludouici inquam Albericij noſtri laudationem, quam anno ſeculi currentis vigeſimo octauo, quo Meſſanæ in ſumma Aede concionatorem egit, cùm pro more Sabbatinis ferijs, de Beata Virgine dicendum eſſet, inter alia pręclaro ad rem præſentem arrepto ex Epiſtola Virginis argumento, ea affudit eloquentia, quæ ad ceteram admirationem, de ſe, vt paſſim alibi, concitatam, hinc quoq; illi famam adijceret, ac gratiam ſingularem. Et vellem in noſtra hac verſione, verba verbis quaſi demenſa & paria reſpondere: verùm vt limpitudo fontis non eadem eſt in riuis, ita diuerſa floridiorq; vernaculæ venuſtas orationis, quàm ſecundę linguę: eoq; magis in præſenti argumento, quòd noſtræ infantia dictionis, ad conſummatæ vim eloquentiæ nequaquam valeat accedere. Verùm enim quia non pigmenta quærimus & fucum verborum, ſed ex viuidis ſententiarum coloribus, ſpirantes rationum venamur vultus; ſi ad tantam elegantiſſimi ſermonis dignitatem alludere non licet, pro inſtituto noſtro, quocunq; tandem modo luſiſſe, & ex auctoritate non parum contuliſſe ſit ſatis. Sic igitur ferè ille.

O te beatam Meſſanam Ciuitatem Nobiliſſimam, cuius inter gloriæ prærogatiuas, vna eſt toto orbe tàm ſingularis, tàm vnica; quæ, non dico te omni tempore Metropolibus Regijs, tametſi auguſtæ ſummorum Monarcharum ſedes, meritoq; ſuperba iactentur domicilia, reddet inuidioſam: verùm enimverò ſuper omnem contentionis aleam, immune tibi ſeruabit cuiuſdam ſine exemplo venerationis glorioſum mancipium. Iuſtiſſimum ſanè rerum æquis arbitris commendationis argumentum, & quod attonita potius admirabilitate, quàm encomijs artificioſæ facundiæ celebretur. Equidem haud modò memorarim, te, tam dignam eſſe portionem, vel vt dicam melius, tàm excelſum florentiſſimi Siculi Regni Caput; quod indubijs ſanè teſſeris euincit, & eminens Prælatorum tuorum dignitas, & ſtabilis Archimandritarum ſedes, & lectus ab antiquo Hieroſolymitani Ordinis Prioratus, & publica Regij nummi officina: ſed præterea cana illa priuilegiorum ſanctitudo, Sarracenis ipſis religioſa, quam Romana tibi auctoritas contulit, Arcadij Principis, qui te Imperioſæ Conſtantinopoli exæquauit, Maieſtas confirmauit, magnifica Rugerij Regis poteſtas ampliauit.

Nihil etiam renarrarim de primis tui ortus incunabulis, cuius tempora, longa adeò retro agit antiquitas, vt niſi clariſſima fundatorum nomina, obtectos in immenſa ſeculorum ſerie natales tuos illuſtrarent; ignara magis & obſcura eſſent Mamertinæ principia nobilitatis, quàm ſint famoſi, primitiui fontes ignoti, Nili. Neq; præterea verba fecerim de fertiliſſima regionis adiacentis amænitate, in qua Romanus Orbis frumentatus, & refertiſſimum ſemper habuit horreum, & innumerabili populo nunquam non copiam annonæ fecit. Non etiam de clementiſsimi aëris temperie, cuius argumento fauorabilem te Cælum habet, & benigno in horas aſpectu ſalutariter influit, priuilegiariam confinium auram ſeruat. Nihil dixerim de poſitu commodiſsimo, eodemq; commercijs omnium gentium adeò exquiſito, nemo vt à Sole ſiuè naſcente, ſiuè denaſcente quæſtum agat, quin felicem negotiorum curſum, ſecurum rerum, ac mercium traiectum, tuæ tutelæ commendet, in fidiſsimo tui portus ſinu ſpe

ſua

ſua conquieſcat: tam prætereà congruo ad defenſionem Regni totius ſitu, ex te vt ſola ſecuritatem vnicamq́; ſalutem (quòd prudens rerum cenſuit Alcibiades,) tota deſignet Inſula, tota ex te dependeat: tam deniq; opportuno Claſſium expeditioni contra Catholicæ Coronæ, Religioniſq; hoſtes loco, vt tibi acceptam Otthomannica ſuperbia non ſine fremitu ferat, memorandam illam Chriſtianis ad Echinadas victoriam, & elatas cum faſtu, Lunatæ Claſſis quam humillimè depreſſas antennas.

Nihil adſtruxerim de numeroſa populorum frequentia, quorum confuſus ſtrepitus, variumq́; murmur domus omnes, diuerſoria, plateas, ſuburbia, littora circumiacētia, paſſim opplet, aēra miſcet, ſilentes pulſat aures. Nihil de immenſis diuitiarum copijs, quæ magnificis expēnſæ largitionibus, vndiq; generoſi ſplendoris aureos vibrant radios, gratam numeratæ ad trapezas reddunt harmoniam. Nihil de magnifica ædificiorum pompa, quorum vel prima à fronte ſpecies obiecta, eatenus exterorum ad tua littora appellentium, oculos animoſq; ſua pulchritudine prorſus explet, nihil vt reliquum admirationi faciat, vnde fabuloſa poëtarum, & ab incantationibus prodigioſa theatra, magni æſtimare queant. Nihil de ſingularibus eximiorum tuorum ciuium meritis, quos omnes præſignes reddit, vel vetuſtas familiæ, vel ſanguinis claritudo, vel maiorum valor, vel ingeniorum acumen, vel eminentia doctrinæ, vel artificia manuum, vel maturitas ſenſus, vel gubernandi prudentia, vel ornati mores, vel beneuolentia erga ſuos, vel humanitas erga exteros, vel dexteritas in armis, vel fortes animi, vel intrepidi in acie & conflictu vultus: qua quidem in parte ſua quoque fæminis debetur gloriatio, quando in conſeruando pro iure Petri Aragoniæ Siciliæ Regno, non generoſo minus ſpiritu quàm maſcula prorſus virtute adnixæ, rerum ſategerunt, vt inde pulſa tandem barbarica Sarracenorum Tyrannis, vacuum poſſeſſori remitteret Principatum.

Scilicet vna res eſt, quæ totum ad ſe rapit animum meum, totum defigit in admirationem. Portus iſte tuus. Non quia ſublimi ſumptuoſorum vndiq; cingitur Palatiorum coronamento, nec quia colles aprici decoram varia venuſtate ſcenam effingant, variamq́; iucundi proſpectus gratiam illi concilient; vel quod aduerſus ventorum turbines, validæq; cuneos procellæ, naturæ & artis inexpugnabile ſit propugnaculum: aut etiam quia indefeſſæ in Portis tuis aguntur excubiæ, perennes in muris obſeruant ſpeculatores, pacem ſecuram promittunt exaggeratæ mœnibus arces, & fortiſsima valla; Nec prætereà quia laxitate ſua, vel numeroſiſsimæ Europæ Claſsi ſpatium præbet minimè impeditum: nec quia profunditate ſinus, quantumuis in imum depreſſas, longè ſuperat etiam onerarias carinas: nec demum quia publico Ciuitatis ærario continuò pretioſum pendit vectigal, aurariam imò fodinam præſtat.

Verùm enim quia inclyta illa Nauis, quam hactenus vela facientem oratio proſecuta eſt, Virgo inquam MARIA, hic iecit anchoras, hic ipſa fixa eſt, æternū haud molienda. Hic nempè mille inter naualia, vacationem ſibi legit, hic perpetuam ſtationem deſtinauit. Ac ne fortaſſe metueres, aliquando velis aliò directis à te receſſuram; publico Epiſtolæ ſuæ Sacramento (o maior omni exemplo fauor) ipſa ſeipſam tibi deuinxit, defenſioni tuæ protectioniq; perenni ſponte auctorauit, quoad tandem ad fortunata illa te littora, vbi tranquillitas ęterna, pacatum ſine fluctibus Mare ſeruat, & ſine tempeſtate, ſecura voluptate beati perfruuntur, traijciat.

Fortunata Ciuitas, quam tot gratiarum pignoribus Regina Cęlorum colit, quot venerandi in ea Epiſtola leguntur characteres. O pulcherrima formatę manu formoſę imagines, viuida benignę mentis ſimulacra, gemina propenſę voluntatis lineamēta, beneuolentię ſpecies, humanitatis exemplaria, perfecti vultus amoris argumenta! O carum ambroſia dulcius atramentum, cinnabaris auro pretioſior, Sole minium

lucen-

Digitized by Google

lucentius! O nobilis penna, gratioſi decreti liberalis ſcriba! O fortunata charta, feliciſſimi nuntij interpres fideliſſima! O clari apices, fida promiſſi pignora, ſecura calentis animi ſigna, promptiſſimi patrocinij inſtrumenta! O magnifica verba, quæ procul ab arrogantia, generoſa quadam, & ſancta ſuperbia meritò queant in Cælum extollere! O non audita mentis ſenſa, quæ præ exceſſu ſuauitatis, ſolutum ſenſibus animum, vinculis quoq; corporis valeant abſoluere! O igniti ſub candido tectorio carbones, ardentibus amoris fauillis, omni ex parte ſcintillantes! O Epiſtola terq; quaterq; benedicta, ſuper Regia priuilegiorum diplomata, ſuper ſummas quarumcunq; rationum tabellas, planiùs dixerim, ſuper bullas etiam coronarias, & libellos Regni cuiuſuis inaugurales, Meſſanenſi populo, gratior longe, acceptior, religioſior! Tu communis ſpei fulcimentum, in neceſſitate refugium, in diſcrimine præſidium: tu gaudium cordis, tu corona capitis noſtri, tu magnificentia, honos gloria, tu inuidioſa teſſera nominis noſtri. Dixi noſtri, veſter enim ſum ciuis, ſi non natali ſolo & ſanguine, profecto affectione, obligatione, deuotione, recordatione: date mihi vt hiſce prærogatiuis exornato, veſtræ lætitiæ, liceat partem ferre.

Atq; hæc de auctoribus & laudatoribus dicta eiuſmodi ſunt, quæ in ſapientum ſubſellijs ſanctionem facere queant, nec ita aduerſam habeant contradicendi leuitatem, quin ea à grauibus ſupercilijs facile prematur ac deſpiciatur. Neq; enim hoc loco pro Concilio ſtatuendum, vt ſanctiores extra ordinem accerſantur dignitates: Quamquam ſi neceſſe ſit, minimè deſiderentur oracula, quæ omnium ſacrent auctoritates; Pauli videlicet Quinti, & Vrbani Octaui, qui hodie ſedet, Pontificium ſanctiſſimæ aſſenſiones, quatenus vterq; plenis gratiarum de more indultis, feſtam Epiſtolæ celebritatem annuam, ita religioſam eſſe duxerunt, vt eà ratione pietatem in animis fidelium, ad Eccleſiæ totius emolumentum pro zelo, & officio promouerent. Fecit verò id Paulus, Anno milleſimo centeſimo decimo ſexto, Pontificatus vndecimo; Vrbanus verò octauo poſt anno, hoc eſt currentis ſeculi vigeſimo quarto, Sedis ſuæ primo, quo etiam gratulatæ primùm Vicariam Capitis Eccleſiæ dignitatem Meſſanæ, benignis ipſe, ad imitationem puta Dei Matris, & honorifice fauentibus reſpondit literis, ſanctaque ſalute bene comprecatus eſt. Rectè verò, tametſi alias Religio Meſſanenſium tutam haberet à Traditione commendationem, illò tamen tempore piacularibus etiam huiuſmodi ſanctitatibus, arma ſibi & robur ſufficere orſa eſt, quando tunc primùm profana quorundam temeritate, quaſi non ex veritate famam ſuſcepiſſet, vexari cæpit.

A MVLTIS PROTECTIONIS SIGNIS, ET *exemplis oſtenditur veritas Epiſtolæ.*

CAPVT QVINQVAGESIMVM PRIMVM.

QVI Meſſanam laudare conſueuerunt, permulta ſanè dicunt de Vrbis antiquitate, nobilitate originis, de ſpecimine Reipublicæ beneficio Principum nunquam deformato, quaſi non ſit paſſa, ſed ipſa ſuſceperit Reges, de ciuium frequentia, diuitijs, moribus, optimiſq; legibus, & inſtitutis maiorum, virtute populi, quæ latè patet, & vndè omnium rectè factorum proficiſcitur gloria, de ſtudijs rei militaris, ſplendore, ingenio, fide, grauitate, conſtantia, ſingularibus, ac perpetuis in Rempublicam, Roma-

num

num Imperium, atq; adeò in Catholicam Eccleſiam meritis. Neq; ſemel repetunt ſpecioſum Ciuitatis ornatiſſimæ ſitum, benigno Cæli aſpectui ſuppoſitum, portum tutum ac amplum, tot Nauibus auctum, tot rebus venalibus refertum ac redundantem, pluribuſq; mortalibus carum, ipſam Ciuitatem Regni Siculi, ac totius Inſulę Caput, munitiſſimum Orientis propugnaculum, gloria ac dignitate ſedibus Imperatorum ipſis iubentibus exæquatum, quam omnes propinquæ Ciuitates meritò ſi ſapiat, ornatam cupiunt, quam cuncta Europa, populi, nationes, prouinciæ, regna, laudant, cuius apud omnes gentes maximum ſemper fuit nomen & graue, quæ Regibus ſuis ſuam pecuniam in difficultate ærarij, ſemper prōptam expoſitamq; habuit, præbuitq; eos viris, armis, varijſq; rerum copijs nunquam non iuuit, ſemperq; communibus hoſtibus ſe oppoſuit opportunum belli ſubſidium, vnde & illis ciuium fides, ſtudia ac merita ſemper fuerunt teſtatiſſima, ſemperq; illi Ciuitatem honoribus & beneficijs complexi, multis & magnis pignoribus obligarunt.

Addent in poſterum laudatores huiuſmodi, & iam non pauci ſcriptis, & voce addiderunt, Vrbis elegantiam, ædificiorum magnificentiam, quæ vetuſtate omni funditus eruta, in eum nuperrimè Philiberto Sabaudo nauante exurrexit Maieſtatis, ac nouitatis ſplendorem, vt vno immenſo theatro facto, vniuerſo Orbi ſcenam præbeat, & ſpectaculum opum, gloriæ, dignitatis. Quippè quæ hactenus à pulchritudine ſitus nulli Vrbium ſecunda fuit, ipſa verò portus elegantia inter Orbis miracula recenſita, hodie ſeipſa longè pulchrior & elegantior, illa etiam miracula multò ſuperet, ac velut infima & abiecta penitus premat ac deſpiciat; vt non immeritò quæ hucuſque Regni Sicanici multis alijs titulis caput extitit, (quod ipſi non ex Onomaſticis recentiorum, ſed ex diplomatibus Principum, & vetuſtiſſimis hiſtorijs teſtatum volunt,) hodie ſi elegantiam ſpectes, omnium Vrbium Orbis Regina dici queat, quæ eam ſibi ſuis meritis debitam pulchritudinis impoſuit coronam, propter quam ceteræ Vrbes non modò ſpectare Meſſanam, verùm etiam admirari debebunt, quo ſcilicet Deus & homines, velut in ea ſumma ſint omnia, videtur congeſſiſſe omnia ornamenta, fortaſſe quia talem oportuit eſſe Ciuitatem, quam Virgo Regina Cæli præ ceteris adamare, ſingulariter protegere, prorſus in delitijs habere debebat.

Atq; hæc & id genus alia in quibus fortuna etiam aliquem locum obtinet, cùm iſti dixerint nihil fortaſſe mentientur, nihil oratione amplificabunt, nihil verbis exaggerabunt; quin verò verborum penuria cuncta ferè extenuabunt, prement atq; affligent, ſed videlicet ſi Meſſanenſium gloriam non ex incertis & in caſu poſitis rebus, tanquā fortunæ ludibrijs, ſed ex Religione in Deiparam Virginem accuratè pendant, in qua nullam aliquando partem ſors tenuit atq; fortuna, tametſi pro varietate temporum, non ſemel Regni Sicanici ſtatus mutationem ſubierit, manente ſemper Ciuitate Meſſanenſi ſalua & incolumi, ſi non à dominatu, certè à Religione Ciuium in Diuam Virginem, non minus quam mœnibus exaggerata.

Equidem non ignoro dubitaſſe aliquando viros plurimarum artium ſcientia inſignes, qui præſertim diuturna ſyderum obſeruatione, deſcriptiones Chaldæorum noſſent, Cæli duntaxat an etiam Soli vi quadam naturali eueniat, cur in hoc Cæli tractu in quo Vrbs Meſſana ſita eſt, quàm alibi in Sicilia, plerunq; homines acutiores, & vegeta quadam mente prædici, ad omnia ſumma capeſſenda paratiores, & in retinenda opinione, præſertim ſi Religionem ſapiat, tenaciores naſcantur; an id educationi ſit adſcribendum potius in Ciuitate Martia, atq; ab initio ſuperſtitioni plus ſatis dedita, in qua maioribus ſuis antiquiſſimum ſemper fuit, eas leges vel domi ſciſcere, vel foris inductas retinere, quibus velut firmiſſimis vinculis Ciuitas colligata, viros fortes ſemper gigneret, atq; conſtantes.

Sed

Sed enim ego altiora huius rei principia mecum reputo, quod nempè cœleſti conſilio factum ſit, eam Ciuitatem inter tot, ac tantas rerum viciſſitudines nunquam potuiſſe labefactari, quæ aliquando cultus Deiparæ Virginis extitura erat perpetuum à tam præclara Epiſtolæ datæ teſſera domicilium, à quo nec fortuna tametſi volubilis repetere poſſet, eam quæ diuinitus ei deſtinata erat dignitatem. Enimuerò vt repreſſa fabularum inuolucra taceamus, vtq; Cyclopas & Leſtrygones, & obſcuram Aboriginum & Sicanorum hiſtoriam prætereamus: poſt Tyrannorum dominium; poſt varios Græcorum, ac Pœnorum motus, Romani Conſules & inde Cæſares, ac multò poſt Gothi, & rurſus Imperatores Græci, rerum in Sicilia ſunt potiti. Tennerunt eandem per ducentos fermè annos Sarraceni: Hos Nortmanni debellarunt, Nortmannos Sueui expulerunt, Sueuos Galli expugnarunt, Gallis Aragonij ſuffecti ſunt, à quibus tandem ad Auſtriacos translatum Regnum, hodie in Hiſpanorum felicitate, ac potentia conquieſcit.

Atqui in tanta varietate, ita ſemper ſteterunt res Meſſanenſes, vt nunquam eatenus verti potuerint, quin ſemper maiores, ſuis poſteris meliorem relinquerent Ciuitatem, tanquam nati ad eam gloriam & dignitatem viri, quam ex Virginis protectione non ſolum conſecuturi erant poſteri, verùm etiam inde velut à nouis Vrbis incunabulis, per omnes Religionis ætates perpetua ſerie ad hæc vſq; tempora propagaturi. Fuerunt ſanè Meſſanenſes priuſquàm ſe Virgini dederent, apud omnes bellorum gloria domi foriſq; clari, ſed apud Romanos in primis in exiſtimatione atq; admiratione habiti, ob fidem, conſtantiam, aliaq; id genus merita laudati, muneribus affecti, & à communi municipiorum iure, ſumma cum laude exempti. Verùm hæc omnia præambula quædam fuerunt, ad eam quæ conſequentibus ſeculis, Deiparâ Virgine fauente adepturi erant dignitatis excellentiam, quando ſcilicet ad animorum fortitudinem, ſacratioris fidei cultus acceſſit, & diuino planè inſtituto, vſq; eò Religio Virginis Ciuitati inſerta eſt, vt cùm hæc ſola omnia apud illos in bello, pace, rebus ſecundis & afflictis, æquè poſſit; nemo ſit qui tantam Vrbis felicitatem, ex repromiſſa illa Virginis protectione proficiſci non fateatur.

Referam ex multis vnum aut alterum exemplum; ne quod multi quotidie præclarè præſtant, annales Meſſanenſium videar contexere. Itaq; primo bello Punico anno ab Vrbe condita, ſupra quadringenteſimum tertio ac octuageſimo; ante Chriſtum ducenteſimo circiter ac ſeptuageſimo, Appio Claudio Quintoq; Fabio Coſſ. cùm Meſſanenſes * Pœnorum copias Hieroni Regi Syracuſarum coniunctas tanta celeritate ſuperaſſent, vt ipſum Claudium auxilio miſſum, potius virtutis admiratorem, quàm belli ſuſciperent adiutorem; & ipſe Rex vt Oroſius ſcribit rerum magnitudine perterritus ante ſe victum, quàm congreſſum fuiſſe prodiderit; Pœni cum Hierone vltra Leontinum profugi, ducentis talentis oblatis pacem ſupplices redemerunt. Quod vbi S.P.Q.R. Appio referente reſciuit, Nobilitatis titulo Meſſanam ornauit, alijs Prouinciæ Vrbibus præpoſuit, Siciliæ Caput effecit, Sacerdotes eius Ciueſq; Romanorum honore ac poteſtate auxit. (Vnde factum vt Gentilitatis ritu in Eccleſiaſticas Cærimonias poſt ſecula conuerſo, Meſſanenſes Canonici hodieq; in publicis functionibus Præſulum infulis ornentur, ex vetuſti honoris inſignia) probantibus etiam Romanis à Chriſto Pontificibus, (præferentes) Lapides præterea Ciuitatis à Leontino Pactas vſq; amplius ad ducentorum quinquaginta millium paſſuum ambitum extendit, quod ferè illo ſpatio, ceteris deficientibus auctoritate & induſtria Meſſanenſium, fides & Societas pacta cum Romanis integra conſtitiſſet. Id Senatuſconſultum à Cn. Collatino Trib. Pleb. approbatum, ſemper deinde Sanctum ac Sacrum fuit, ſemperq; Meſſanenſibus ob tanta in Rempublicam merita domi di-

* Maur. lib. 2. Hiſt. Sic.

Sſ gnita-

gnitatem, ſortis famam & auctoritatem conciliauit.

Non me fugit in Faſtis Conſularibus variare Conſulum nexus, & annorum iuncturas, primumq; bellum Punicum, in annum Vrbis Cōditæ quadringenteſimū & nonageſimum primum conijci, quando iam quinquennio prius, Plinio [f] referente argentum Romæ ſignari cæptum eſt. Sed hoc loco non eſt inſtituti noſtri, conuulſas temporum ſedes ad ſuas anſas religare, & ex confuſis ordinibus ſeriem ordiri non neceſſariam, quando ea Appij Claudij, Quintiq; Fabij coniugatio cum anno ſignato, ſignatorem & pararium habeat exceptione maiorem [g] Oroſium, quàm vt de re toti Orbi nota pugnare ſinat. Cetera verò quæ laudem & prærogatiuam, poteſtate Romana Meſſanenſium virtuti collatam oſtentant, vel in Triuijs vulgata ſunt.

Rurſum verò anno ab Vrbe condita ſexcenteſimo circiter ac viceſimo Ser. Fulio Flacco [h] & C. Calphurnio Piſone Coſſ, cùm tetrum, ac periculoſum ſeruile bellum Siciliam premeret, ac Conſules etiam ipſos terreret (quippe ſeptuaginta capitum millia in arma conſpirarant) ſeruos Meſſana ſagaciter habitos, quod item refert [i] Oroſius, ac pace maturè frænatos, Calphurnio Conſuli cōſignando, perniciem à Siculis, à Republica ſtimulos, à ſuo iugulo gladium prorſus auertit. Cui beneficio rependendo vt S. P. Q. R. aliqua ex parte par eſſet, Meſſanam à Prouinciæ, Coloniæ, & cuiuſlibet vectigalis fixi, vel mobilis onere in perpetuum ſubleuauit, ac planè liberauit; vt quemadmodum à ſeruili ſeruitute ipſa ſe vendicarat, ita libertate parta, quam vitæ & fortunis prætuliſſet, pleniùs frueretur. Dignum ſanè facinus liberis ac ingenuis animis, ſed quo Meſſanenſium laudatores vel ſolo contendunt, Meſſanam cum ceteris Siciliæ Vrbibus nunquam in contentionem ac diſcrimen demittendam, cui in omni diſcrimine ſemper conſtantia ac fides præſidio fuit, eamque ſanctiorem quàm ſuam ſalutem ſemper duxit, tametſi quòd à fide non deſciſceret, interdum non paruas clades & calamitates acceperit.

Verùm vt dicebam hæc omnia, & pleraque ante ſeculum Salutis alia, præambula quædam, vel potius ſimulacra fuerunt eius dignitatis, quam deinde conteſtatus Virginis amor, ſuſceptæ ſemel in fidem Ciuitati, apud Diuos ac mortales, per omnes gloriæ gradus conciliauit. Quod ne longè abeam, vnico Archadij Imperatoris Orientis exemplo, non magis ad gloriam Meſſanenſium, quàm ad beneficium Virginis recolendum, quo nihil opinor illuſtrius in hoc genere videri poſſit, iam faxo vt quiuis intelligat; eritque hæc hiſtoria fortaſſe multis exteris ignota, non tantum ad memoriam facti iucunda lectu, ſed etiam ad præcipuam Virginis Religionem eximiè commendabilis, quando in tanta pietatis abundantia, non ſolùm ab aduerſis tutatur Virgo, ſecuroſque malorum ſeruat clientes ſuos verùm etiam pacatis rebus, ſecundiſſimis exauget honoribus, inter mortales ſummo loco cenſet, planè ad Coronas ſiſtit, vt quemadmodum qui contemnunt eam, ignobiles ſunt futuri, ſic qui piè colunt & glorificant, exaggerato gloriæ fænore, norint ſe nobilitatis palmam ferre, ſplendoribus Regijs illuſtratum gerere nomen.

[f] Lib. 33. c. 3.

[g] Lib. 2. c. 7. V.

[h] Ante Christum 121. circiter.

[i] Lib. 5. c. 6.

OSTEN-

Digitized by Google

OSTENDITVR SINGVLARIS PROTECTIO DEIPARAE Virginis erga Meſſanenſes ex Archadij Hiſtoria.

CAPVT QVINQVAGESIMVM SECVNDVM.

PLVRES hanc hiſtoriam narrant, nec paucis complectuntur, quia neq; anguſtum eſt ſpatium, quod ex ea partam Meſſanenſium gloriam circumſcribat; quæ tamen ſi quemadmodum debet ad Virginis laudes reſpiciat, omnium Scriptorum laudes exhauriat neceſſe eſt, niſi quod nos facturi ſumus plura animo meditanda, quàm literarum monumentis relinquant conſignanda. Habetur porrò ea Hiſtoria ex antiquiſſimo Codice Græco, Regum geſta continente, qui hic Meſſanæ in Cænobio Patrum Ordinis Diui Baſilij olim ſeruabatur, & Conradi Siculorum Principis, ac Romanorum Regis mãdato, per Emmanuelem de Magijs Callipolitanum, & Richardum Frumentinum latinitate donata, multis deindè ſcribendi & admirandi materiam præbuit Eius partem aliquam [k] Franciſcus Maurolycus in ſuo compendio fideliter inſeruit, plures verò alij eandem vel referunt, vel pro inſtitutis ſuis, in mentionem vocant, & inter alios [l] Thomas Fazellus, [m] Ioannes Bolognettus, [n] Alanus Copus, [o] Petrus Gregorius, [p] Iacobus Gretſerus [q] Ioſephus Bonfilius, [r] Octauius Glorioſus, [ſ] Ludouicus de Caſanacte Hiſpanus & alij. Nos ex conſueto nobis Marqueti ano manuſcripto, ſed breuiter & variata phraſi, quod etiam fecit Maurolycus, hoc loco ſic aſſerimus.

Itaq; anno ſalutis ſupra quadringenteſimum ſeptimo Archadio Auguſto Imperium Orientis habente, cum Thraces, Macedones, Cretenſes, Dalmatæ, alijq; populi fidem Imperatori Sacramento dixiſſent, ſoli Bulgari, & Archades Conſtantij proditoris opera (erat hic Archadij nepos) iugum detrectantes, Theſſalonicam ductoribus Catillo & Aſſariele, graui cinxere obſidione, miſſaq; claſſe præcepere nõ modo Cretenſium naualibus ignem inijciendum, ſed præterea Chium, Mitylenen, Zacynthum ceteraſq; ad Tenedon vſq; Inſulas, ne quo ſubſidio Theſſalonicenſibus eſſent incurſando territandas. Factum id ſanè votis fortuna per tempus arridente. Interim verò Archadius vt obſeſſis opem ferret, eductis Byzantio copijs, non multos poſt dies in conſpectum hoſtium venit, quibus cùm magis è re viſum fuiſſet fortiter pugnando occumbere, quàm vitam pactis turpem ſeruire ſeruitutem, extemplo tentoria diruere, vaſa diripere, impedimenta conferre, & ne cuiquam ſpes fugæ ſupereſſet, rates etiam quæ forte aderant diſſoluere conſilium & opus fuit. Dehinc acie vtrinq; inſtructa prælium inſtauratum. Et pugnatum eſt continuò per horas octo, dubio Marte, proruentibus etiam extra mænia Theſſalonicenſibus, & pro Archadio rem fortiter gerentibus. Verum dum Bulgari & Archades proiecta iam vita, ferarum more in cædem præcipites & ſine mente ruerent, tandem Græcorum viribus acciſis Archadius receptui canere iuſſit, & cum reſiduis copijs ipſe quoq; intra Vrbem ſe ſe recepit. Exinde protracta in ſemeſtre ſpatium, & arctata in dies obſidione, & obſeſſis fame iam ac tabe periclitantibus, eò rerum adductus eſt Archadius, vt penè ſupplex vnius menſis poſtularet inducias. Id verò negante Catillo qui ſpem capiundæ quàm primum Vrbis iam animo deuorauerat, Archadius priſtinæ maieſtatis & fortunæ pertæſus, in lachrymas ſe ſe abijcere, Diuum hominumq; fidem teſtari, Conſtantium,

[k] Lib. 1.
[l] Lib. 2. Dec. 1. cap. 1.
[m] Conſ. 1. n. 51.
[n] Dial. 4. cap 10.
[o] Lib. 11. c. 16. De Repub.
[p] Lib. 2 de Cruce cap. 51.
[q] Lib. 4. Part. 1. Hiſ. Sicul.
[r] Reſp. 1. par. 1. n. 27
[ſ] Reſpon. pro immunit. Meſſ. artic. 1. n. 170.

quem cum imperio Byzantij reliquerat, perfidiæ damnare, Vrbes Vrbiumq; rectores, ac ceteros imperij ſummates, quod belli inſtantis curam cùm ſuſcepiſſent, rebus iam tunc afflictiſſimis, nihil penitus mouerentur, grauiter accuſare, deniq; deſperata propemodum ſalute procerum aſtantium conſilia, & auxilia implorare.

Non poſſum facere quin hoc loco tui meminerim Ferdinande Cæſarum decus, ac fidei Catholicæ propugnator fortiſſime, inuictiſſime. Quo animo eras non ita pridem, cùm Saxone amico fideli, & paucis melioribus exceptis, qui tibi ex antiquo Sacramento fidem ſeruauerunt, quibus vtinam Deus agnitione veræ fidei rependat, reliqui truces Hæreticorum Tyranni, omnem Bohemiam à te auerſam ſub poteſtate nefaria redegiſſent, Imperioq; Catholico ac nomini Auſtriaco, ſed præſertim fortunæ ac dignitati tuæ imminerent; per multos iam dies Vienna, quæ te habebat obſeſſa, tãtis armatorum copijs, quantas Hæreticorum perfidia multis annis occultè machinata, ſocietate etiam cum Chriſtiani nominis hoſtibus agitata, conflare potuit. Cumq; iam ſibi de totius Imperij, Italiæ deinde ac Hiſpaniæ ſubiectione, victoriam animo exultantes repromiſiſſent, indomitiq; ac feroces Vrbibus tuis, ac præſertim Viennæ, vt te cum tuis è medio tollerent, exitium intentantes, præcipites graſſarentur; qui torrens Deus immortalis? qui turbo? quæ tempeſtas? quæ procella? quæ flãma? quod incendium? quo te non vertebas in tam repentino caſu, ac difficillimo tempore, vel hoc vno miſerior Archadio, quod ille Theſſalonicenſes haberet fideles, tu Viennæ quàm plurimos Ciues, tuæ dignitatis, ſuæ fidei ac patriæ proditores occultos, ſed manifeſtos ſimulatores, quem tuorum, qui pauci erant non implorabas? quæ non extrema animo verſabas? quando vno penè momento fortuna volubilis, Imperium & Regna, quæ tibi paulò ante virtus & merita legitimè contulerant, repetebat, & Hæreſis perfida Religionem fundo vertere, ſacraq; omnia & profana pro libidine exæquare geſtiebat.

Actum erat de ſumma rei, niſi tu fide ac fidentiſſima pietate tua ſuggerente, ad Chriſtum in Cruce pendentem cõuerſus, deſperatiſſimis rebus extremam eius opem, cuius cauſam tuo periculo agebas, inſtantiſſimè imploraſſes: tum enimuerò iniecta diuinitus mente, vt conſtanter ageres, animum aſſumpſiſti, ſpemq; omnium, qui tecum erant cogitatione maiorem concepiſti. Et adfuerunt ferè inexpectatæ (diuinitus puta) Florentinæ equitũ alæ, ab amãtiſſimo cognato tuo Coſmo Mediceo peropportunè miſſæ, quorum inopinus aduentus, virtute quàm multitudine maiorem oſtentans ſpeciem, & obſeſſores Vrbis tuæ turpiter abſcedere coēgit, & infidos ciues in officio continuit. Sic planè præter omnium ſpem & mortalium expectationem, Arcadio Meſſanenſes Cælo velut delapſi tum adfuerunt, vt parem cum illis ad tutandam Imperij gloriam Florentini tuliſſe videantur animorum ſortitum, quos eadem Regina Cæli, Regnorumq; ac Imperiorum conſeruatrix, ſuis quondam literis dignata eſt, & generoſa quadam Religione imbuit, ad fortiſſima quæq; vel ferenda vel agenda. Tum etiam fideliſſimo Eccleſiæ Catholicæ, tibiq; addictiſſimo Principi Maximiliano Bauaro, cuius præclara pro Religione facinora nulla vnquam ætas conticeſſet, demãdata belli Prouincia, & impertita labentis Imperij cura, Germaniæ Regna erexiſti, & quod ſemel meritis tuis debitum acceperas, iterum virtute tua peperiſti, atq; armis, penè amiſſum Imperium, recepiſti.

Enimuerò Maximilianus inuicti & ipſe animi Heros, in tanta calamitate, dura conquiſitione paucis diebus conſcripto, comparatoq; exercitu, incredibili animi robore perduellium copijs obuiam factus, non modò exultantes, atq; impunè volitantes Hæreticos retardauit, verùm etiam reſpondente votis optabili exitu, Tyranni, Bohemici Regni inuaſoris præcipitem curſum atq; impetum repreſſit, amentiam illam hære-

hæreticam compreſsit, audaciam fregit, nec modò à Regia Bohemiæ, Vrbe Praga recepta, atq; adeò à perfidè occupato ſolio auulſum detraxit, verùm etiam in turpiſſimam fugam coniectum, paulò poſt Regno etiam proprio, qui alienum iniuſtè inhoneſteq;, non tam ſua indole, quæ ad omnia præter Religionem recta ferebatur, quàm prauis ſuorum cõſilijs vſurpauerat, deiecit: deinde verò incredibili virtute, profligato non ſemel hæreticorum exercitu, eos etiam quorum potentia nitebantur, rebus ſuis timere coëgit totiq; Orbi palam fecit, nunquam in omni annalium memoria, ab Hæreticis contra Catholicos, fidei cauſa impunè bellum aliquod ſuſceptum, nunquã ferè acie dimicatum fuiſſe ſine victoria Catholicorum, ac ſine inſigni clade & ignominia Hæreticorum.

Dum hæc ſcribo, vnà etiam in mentem venit recentis beneficij in Religionem collati, cui par, ac Regnis tuis calamitas atq, tempeſtas ab Hęreſi imminebat, in eademq; prorſus, imò peiora mala ac tempora incidiſſemus, quibus Imperante Carolo Quinto proauo tuo, Lutherana peſtis tot alijs Hæreſum fœta venenis graſſari cæpit, niſi tua Ferdinãdi, certè Dei Optimi Maximi munere ad hæc tempora procreati, ac tam pręſtantis Imperatoris, eximia, incredibilis, ac planè diuina virtus, tetram rebellium crudelitatem, cum Pontifice Romano ac tecum non modo de Imperij, ſed ferè de tota Religionis ratione diſsidentium, à Catholicorum iugulis dimicatione capitis tui, vitæq; (vt nihil dicam de Regnis) periculo auertiſſes, iugumq; acerbiſsimum ſeruitutis quæ à Turcis Hæreticorum ſocijs imminebat, à ceruicibus totius Reipublicæ Chriſtianę repuliſſes. Pro quo immortali beneficio, hęc ætas, omniſq; poſteritas dum Latinæ loquentur literæ, tibi Ferdinando Secundo Romanorum Imperatori, ſe ſuaq; omnia debere fatebitur; ſemper enim cogitabit, qualis Catholicorum futurus erat ſtatus, ſi deuicto Cæſare, ſuperatiſq; legionibus in Germania, illi victores fuiſſent, qui fortunis Eccleſiæ, ſuam cupiditatem ac temulentam ferociam Religionis nomine celantes, imminebant.

Deus bone, dum hæc interdum animis verſarent Meſſanenſes, quos non ſpiritus ſorbere, quibus non ſtimulis agitari, ac ſecum voluere, ſi priſca illorum temporum fuiſſet conditio, nihil ſe antiquius habituros fuiſſe, quàm belli ſubſidia, vel in ſumma difficultate numaria imperare, Ferdinando ſicut olim Arcadio, corporibus, opibus, copijs præſto eſſe, nullumq; ſubſidij genus omittere, quo dignitas tua cum Imperio defendi ac iuuari potuiſſet. Oſtendiſſent enimuerò quantum ex repromiſſa Virginis protectione, animis atq; armis valeant, nec in iure atq; arbitrio inſanæ fortunæ, ſed in virtute tantæ Patronæ, ſpem ac Martem collocantes, cùm atrociſsimis Eccleſiæ hoſtibus feliciſsimè decertaſſent, vnaq; cum alijs qui tuis auſpicijs bellum gerebant, fœdam crudelitatem à corporibus Catholicorum non modo auertiſſent, verùm etiam confertiſsimas copias contriuiſſent, vniuerſamq; Bohemiam & reliquas Prouincias ſceleris ſocias, ad ſanitatem reduxiſſent, de Religione, de dignitate tua, de nomine Auſtriaco, recta ſentire aſueſeciſſent, miſſoſq; ſub iugum citius, imperata facere coegiſſent, omnemq; de cetero illis iniuriæ licentiam eripuiſſent.

Quid quæſo Ferdinande Auguſte, ſi quæ commemoro oculis ipſe tuis aſpexiſſes, quid inquam de Meſſanenſibus dixiſſes? nonnè populum æquitatis, Religionis, fidelitatis in primis erga ſuos Principes amantiſſimum, tu præcipuè adamaſſes, plurimis deinde à felicitate, fortitudine, animiq; magnitudine, glorię nominibus in Cęlum elatos, collaudaſſes, vt tam inclyti populi laudes cumulatiùs explicarentur, Sacram horum temporum, rerumq; ab illis geſtarum memoriam, in faſtis atq; annalibus figendum decreuiſſes, ſanctionem Arcadij de dignitate ac honoribus Meſſanenſium, nouo diplomate exaggeraſſes, & quo nihil eſſe poteſt vel Maieſtate Romani Imperatoris

toris excellentius, vel gloria Meſſanenſium dignius, ipſis inuſitata quidem honoris inſignia, ſed debita meritorum pręmia, tuas Aquilas, vt olim aureã crucem Archadius libenter ac liberaliter condonaſſes. Sed enim licet corporibus & copijs, tantæ tuæ felicitati, ac victorijs intereſſe minimè potuerunt, adfuere tamen animis aderuntque ſemper in poſterum, à Deo immortali optantes, ac votis nuncupatis deprecantes, vt Ferdinandus Secundus, Romanorum Imperator, Germania pacata longè lateq; diffuſo Imperio, Turcis etiam frænum inijciat, & potentes Barbarorum Tyrannos ſua virtute fractos, ac profligatos conſternat, quemadmodum hoc tempore cum bellicoſiſſimis gentibus decertauit, & rebelles ab amentia reduxit ad ſanitatem. Viuat, viuat felix ille Hæreticorum victor, ac domitor rebellium, omnium ſeculorum, omnis memoriæ facile Princeps, cuius fortitudinis trophæis, ac monimentis pietatis, nulla vnquam finem allatura eſt ætas, nulla eius laudes vnquam obſcuratura eſt obliuio; quo ſuperſtite ac ſoſpite, Germania omnis, ac cetera regna in alta pace conquieſcent, eo vero inter Cælites relato, florebit eius meritis ſancta Religio, vigebit Reſpublica Chriſtianorum, Sacroſanctum Imperium auream illam, & priſcam ætatem deget pacatiſſimam, ac feliciſſimam.

Verùm vt ad Archadium reuertatur oratio. Eum in tanta calamitate conſtitutum, vt Baſilius, Imperatori à fide & fortitudine pretioſus, quoquo modo erigeret. Hactenus (inquit) Imperator Theſſalonicenſes fortunis ac capiti ſuo, ſicut tu ipſe vidiſti ac probaſti, nulla ex parte pepercerunt, parati etiam in poſterum nullo diſcrimine vitam eximere, ac planè pro dignitate tua pugnando mortem oppetere, ſi ſciant hac ratione ſalutem Imperio capitiq; tuo comparandam. Et iam vitam ſuam extrema per omnia ducunt, cariſsima pignora in complexu ſuo emori non amplius dolere norunt, ipſi etiam viribus fame conſumptis paulò poſt animas exhalaturi, niſi in coniuges ac natos conuertant dentes, quando illius etiam lautitij, quod ab eſu licet canum ac murium, per multos dies in delitijs habuerunt, copia tamen miſeros deſtituit. A Conſtantio nihil eſt quod ſperes amplius, qui dominandi libidine iam pridem arrepto imperio, hanc tibi Imperator pereundi callidè propinat occaſionem: aut igitur Vrbe concluſi, ope mutua deſperata, in mutuis aſpectibus vitam miſeri finiemus, aut egreſsi hoſtili gladio, nec inulti cademus, aut tu ipſe Imperator, non vt victor, ſed plane victus, noſq; tecum paciſcemur, fortunam quæ nunc abſq; tua culpa receſsit, ad alia tempora reuocaturi.

Aſſenſere Baſilio cum Imperatore, omnes haud contentis lacrymis, ſed quid aliud æquè ſanctè poterant, exhauſtis iam viribus, & copijs, ſpe omni penè ſublata, conclamata. Igitur Baſilio negotium omne, vnaq; Georgio Thebano Equiti committitur, vt quod è re foret, paribus votis cum hoſte decernerent. Vbi in caſtra ventum, poſt multa perorata etiam illud additum. Animaduerterent Duces rebellium, bella perſæpè ex iure, & arbitrio fortunæ geri, quæ cùm inſana ſit, cæca, ſaxoq; inſtet globoſo ac volubili, facilè vbi collibuerit in alteram partem vertitur, & nũc ſumma fundo voluit, infimaq; in altum tollit, ex victoribus ſeruos, ex his contra Dominos facit, ac pro libidine tandem omnia exæquat. Non negarent Imperatori menſtruas inducias, quò interim rationibus vtrinq; per otium agitatis, ſaltem ad tempus belli moleſtiæ dimouerentur, vndè etiam ſperari poſſet, emollitis ac tandem pacatis animis, diſsidium omne poſſe componi.

Ad hæc Gatillus vnius noctis ſpatium deliberando eximens, poſtridie retulit: Bulgaros & Arcades, non extra cauſam inuitos ſuſcepiſſe bellum, quod intra fines ſuos intolerandum in modum vexarentur: nunc confecto bello, partaq; ferme victoria, nolle eos quippiam paciſci, vnde vtilitatis parum, periculi autem plurimum rebus

ſuis

Digitized by Google

ſuis creaturi eſſent; proinde paratos ſe extrema omnia tentare, quò vel hoſtili nomine deleto, peroptatam ſibi poſteriſq; libertatem condant, vel ſi aliud fortuna decreuiſſet, honeſta morte ſeruitutem expiantes, ceteris exemplum, ſibi gloriam pariant immortalem. Quod ſi Imperator iam tot acciſus & attritus malis, quorum ipſe faber fuit, menſis vnius inducias dignè paciſci amet, eas ſe his conditionibus indulgere, ſi exacto mente, ſpe auxilij excluſus, quinq; arces Achaicas, quæ belli ſemina, reſtituat, ac duabus inſuper datis Vrbibus Philadelphia ac Theſſalonica, belli expenſas damnaq; reſarciat. Interim ſi ſuppetijs aliundè acceptis, Martis aleæ rem committere animus ſit, ex arbitrio Victoris ius faſq; deuicto ſtatuendum.

Legati eo reſponſo apud Archadiũ expoſito, cùm nihil ſperari melius ſalua Imperatoris dignitate poſſet, iterum ad caſtra remittuntur, non reuerſuri, niſi ijſdem pactis quadrimeſtres ab hoſte inducias mercarentur. Quibus tandem ægrè obtentis ac firmatis, nihil non facere Archadius, ne dignitate ſua proiecta, exiguo illo temporis ſpatio totius Imperij ſplendori offunderetur nox ſempiterna. Re per Prouincias invulgata, primi Cretenſes duas Naues, Bulgarorum incendio reliquas, inſtaurant, ac tres alias victualibus onuſtas Theſſalonicam mittunt: harum vnam Imperatori donant, ceteras accepto precio, non tam iuuandi, quàm lucrandi cupidi. Ex his Archadius vnam ad Conſtantium nepotem, ceteras ad Prouincias deſtinat, expeditis etiam literis ad ſingulas Vrbes Græciæ, quibus monerentur, ac pęnè rogarentur, quàm primùm parare claſſem, tempori ſuppetijs adeſſe, nihil non omittere quo Imperatori commodari poſſet. Interim colludentibus Catillo & Conſtantio, clam agitur de Imperatore negatis auxilijs ad interitum compellendo, de tollendis aut pellendis liberis, de Conſtantio ad Imperium euehendo, qui quidem datis ad Archadium literis doloſè perfidiam ſuam excuſare, vehementiam belli, temporumq; difficultatem prætendere, & nunc Brachorum in quibus præcipua ſpes erat ad Bulgarorum defectionem, nunc minus tutam Græciæ ſaltem maiori ex parte fidem, aliaq; id genus proditionis ſuæ inuolucra prætexere: ad hæc à vexandis Archadij amicis non deſiſtere, Arcium & Vrbium præfectos mutare, omnia præ libidine verſare, tanquam ipſe Imperator eſſet, non Imperatoris vice fungeretur, rerum dominari.

Quæ vbi tãtùm nõ ſerò perſenſit Archadius, ſimulq; Conſtantinopolim, totã Thraciam, ac Græciam colligatam, ac partibus Conſtantij implicitam aduertit; animum conuertit ad Italiam, è veſtigio mittit imploratum Tarentinos, Brunduſinos, reliquã Apuliam, nequicquam interea ſuſpenſus animo, ac planè formidans, quòd cùm vacuos induciarum dies hauriri cerneret, in tanta rerum, ſalutis, & temporis inopia, nullibi certa ſpes affulgeret. Id quanquam præcipuè tangeret, ac vehementer premeret Archadium, abſtinuit tamen à rogando fratre Honorio qui tunc Romæ imperabat, quòd vt nonnullis placet, Honorius affectati pro filio Imperij fraude laboraret; abſtinuit etiam à Siculis, quòd his domi ſuæ non parum negotij faceſſerent Agareni, nec ea cura poſſet excitare animos alioqui pro ſalute Imperatoris deuotos, ad rem extra Prouinciam fortiter, & cum laude profectuq; gerendam. Mouit tamen ea calamitas Cretenſes, deinde Vrbes Apuliæ, quæ cùm pro viribus ingentem adornant claſſem, tempori minimè ſeruiunt, moram fortaſſe ad votum Conſtantij trahentes. Tarentini ad Meſſanenſes remittunt, Rhegyni & ipſi ad ratem vnam conſtruendam, pecuniam Meſſanenſibus numerant.

Tùm enimuerò Meſſanenſes ad omnem laudem nati, quibus beneficio Virginis ea gloria ſeruati Imperij debebatur, indignitate rei permoti, cauſam Archadij contemptis Patriæ periculis admiranda animi magnitudine ſuſcipiunt, illud crebrò volutantes, Mamertinum eſſe, quod ceteri nequeunt, in ſummo diſcrimine præſtare, Reges, ac

Re-

Regna ſeruare, ius faſq; tueri, iniuriam, capitis dimicatione, vel non iuſſos ac rogatos propulſare, iuratam fidem ad extremum vſq; ſpiritum integram illibatamq; colere, ſibi ad omnia ſumma natis, tam tetra & triſtia, quibus Sol nihil vidit indignius, haud eſſe diſſimulanda; eundum, quicunq; ſequatur euentus; nunquam fore, vt Mamertinos pæniteat benefactorum, breue quidem eſſe temporis ab hoſte præſcripti curriculum, ſed immenſum in eo contineri gloriæ ſpatium, quod faciente Deipara Virgine ſolis Mamertinis relinquitur occupandum.

Itaq; Meſſanenſes ſocias Vrbes quoad fieri potuit, ad parandum pro re nata ſubſidium cohortati, quāta poſſunt celeritate claſſem ratium quatuordecim publicis priuatiſq; expenſis inſtruunt; ad quas acceſſere tres Syracuſanorum biremes, & Nauis vna Drepanitanorum frumento onuſta, nec non quinq; aliæ Meſſanenſium inter nauigandum poſtea obuiam factæ. Summa belli penes Metrodorum habita, tum temporis Vrbis Strategum, inuicti animi virum, qui è Portu ſoluens citius in conſpectum hoſtium ſe dedit, quàm vel parati cōfectiq; auxilij rumor ab Archadio, Ducibuſq; hoſtium audiretur. Qui nihil minus quàm Siculos adeſſe rati, quòd his cum Pœnis domi negotium belli eſſet, ſolos Cretenſes obſeruabant, victorijs Bulgarorum opportunos.

Verùm vbi Catillus Meſſanenſes proprius adeſſe conſpicatus, iamq; ſignis Imperatoris explicatis, animoſius in pugnæ ſpeciem comparatos ferri animaduertiſſet, ſuſpicari primùm ac non nihil timere, deinde maturato pro tempore conſilio, conſcenſa cum ſuis viginti ſeptem Nauium claſſe obuiam egredi. Tum Metrodorus paucis cohortatus ſuos, meminiſſent ſe Mamertinos eſſe, quorum animos ſola gloriæ cura excitare conſueuiſſet, maioreſq; ad rem gerendam facere; adeſſe optatum pugnæ diem, qua Imperatori ſalutem, patriæ libertatem, poſteris gloriam ſeù vincendo ſeù cadendo relicturi eſſent immortalem; ſe numero non eſſe inferiores, animo etiam ſuperiores, nunquam hoſtibus incruentam victoriam ſolitos relinquere, ac planè bello iuſto neſcios vinci, quos Regina Cæli auito conciliatu ſoſpitatrix, propenſa beneuolentiæ aura ſemper fuiſſet proſecuta, nec pluribus eſſe erigendos, quia prædicationem laudis in manibus ſuis, non in lingua Ducis haberent, plus ſoliti facere quàm audire. Itaq; congreſſis aduerſis claſſibus, atrox per horas nouem prælium committitur, cadentibus vtrinq; compluribus, vndiſq; præ cruore rubentibus; donec propitio Numine, Virgine puta procurante, quæ diu anceps ſtetit, ad Meſſanenſes tandem victoria inclinauit.

Cæſo cum ſuis Catillo, Meſſanenſes littori Theſſalonicenſi appellunt, legiones mira celeritate exponunt, maioriq; animo facta in Aſſarielem impreſſione, copias fugāt ac fundunt, patefacta etiam Theſſalonicenſibus ad virtutem via, qui vltrò Vrbe egreſſi, ac hoſtium tergo inſiſtentes, cædendo & capiendo reſiduam victoriæ partem impleuere. Geſta ſunt hæc penè in oculis Archadij, qui ob inſperatam victoriam, quam ne animo quidem cogitare poterat, tanta repente lætitia fertur fuiſſe perfuſus, vt omni ſenſu captus, ac penè deſtitutus, biduo vocis expers, vſitatiq; ſermonis immunis perſiſteret; Cum interea ipſa Vrbis mænia, nec non tecta ac Templa; ipſi deniq; agri Theſſalonicenſes, paulò ante ærumnoſi Imperatoris vices commiſerati, lætitia incredibili geſtire, & Meſſanenſibus pro Archadio gratias agere viderentur.

Tertia demum die Arcadius accitis Metrodoro ceteriſq; Meſſanenſibus, ac Theſſalonicenſibus, cùm fidem & conſtantiam, quam nuſquam gentium ſperare in ſummo diſcrimine potuiſſet, pluribus nominibus collaudaſſet; quòd neglectis fortunis ſuis, ſe ſe tanto periculo obieciſſent, quòd non rogati, ſed ſola fide & æquitate freti, rem adeò indignam minimè diſſimulandam duxiſſent, quòd amore Principis omnia ſua ſtudia, om-

omnem operam,induſtriam,cogitationem,omnem deniq; mentem quamuis difficili, & anguſto tempore,in Imperatore iuuando defixiſſent, quòd Imperatorem diffidentem rebus ſuis,confirmaſſent, afflictum erexiſſent, perditumq; recreaſſent, quòd demum felicitate ſua in extrema Martis alea vſi,Rempublicam,Imperium, Vrbes,Templa,fortunaſq; Orientis,dimicatione & periculo vitæ ſuæ conſeruaſſent, quæ beneficia cum Deus immortalis,& Mater Virgo rependenda meritò ſuſcipere debêt, quod ijs ipſe longè ſit impar, facturum ſe nihilominus adiecit, vbi Conſtantinopolim veniſſet,vt omnes intelligant,quàm excelſo & illuſtri loco Meſſanenſium laudes in toto Orbe ſitæ ſint, quorum merita Deus immortalis in Cælum collocaſſet.

Exinde conſcenſa Meſſanenſium rate, ijs ipſis Ducibus & comitibus Byzantium delatus eſt. Et iam Conſtantinopolitani, qui Conſtantio adhæſerant, temeritatis ſuæ pertæſi, conſilium mutarant, palamq; ſe Conſtantij fraude circumuentos conqueri, iterumq; in partes Archadij concedere. Quod vbi Conſtantius aduertit, ſcelere in conſcientiam vocato,metuere in primis; verùm ex natura ſua rem gerendam ratus, cũ complicibus in Magno Palatio [1] ſe ſe tutari aduerſus eos qui Archadio fauentes, totis viribus obſeſſum oppugnabant. Interim verò Archadius Vrbem ingreſſus,ſumma omnium lætitia ſuſcipitur, & factus de re tota certior, Metrodoro,& Meſſanenſibus Conſtantium expugnandum committit. Nec mora, expediuntur Machinæ,admouentur muris ſcalæ, pugnatur acriter, à milite gloriæ Martis aſueto quartoq; tandem inſultu eodem die facto, nequicquam Archadio & ſpectante, & admirante,capitur Palatium, omneſq; propugnatores cum Duce Conſtantio plectendi ſiſtuntur Imperatori.

[1] m. ſ. Megapalatiũ.

Rebus virtute Meſſanenſium pacatis, Archadius coram frequenti Senatu populoq; Vrbis,Meſſanenſes publicè laudare,& quidem cumulatius quàm antea feciſſet eorum laudibus explicatis,eos ſalutem,profugium gloriamq; ſuam appellare,tam ingens facinus quaſi in oculis totius Orbis oratione figere, quò Conſtantinopolitani ceterarumq; Vrbium proceres meritò erubeſcerent, Meſſanenſes verò ſoli id conſecuti eſſent, quo ſe cuncti nationibus præferendos, ſuamq; Ciuitatem vniuerſis Vrbibus anteponendam, Imperatoris vel omnium gentium ore loquentis ſententia meruiſſent. Hic verò iterum ſuam fortunam extenuare Archadius, quaſi tantus Imperator par non eſſet Meſſanenſium meritis ex æquo rependendis. Sed quid poterat maius qui omnium beneficiorum ſummam complexus, ita vnam Meſſanam exaggerauit, vt vix aliquid,nedum ſibi, verùm etiã poſteris Imperatoribus reliqui fecerit, quod ad commendandam Imperatoris dignitatem,nomenq; Vrbis honeſtandum in aliquam Ciuitatem conferri queat.

Parum nempè erat Ciues Meſſanenſes Militiæ poſthac niſi ſponte Sacramentum dicerent exemiſſe, quaſi nihil amplius bello tentandum ſupereſſet illis,qui in ſeruato Imperio cum Imperatore omnem gloriam militarem exceſſiſſent. Parum erat Meſſanam Vrbium totius Siciliæ,magnæq; Græciæ Principem nulli vectigali obnoxiam, Caput præterea vt portam Imperij feciſſe, niſi inſuper nuſquã ſanè audito exemplo, vexillum Imperatorijs Palæologorum inſignibus ornatum,Meſſanenſibus perpetuò geſtandum condonaſſet,vt Ciuitas quæ ſola ſeruaſſet Imperatorem,ſola Imperatoris ferret inſignia,& hoc ipſo ceteris Vrbibus antehabenda eſſet,quemadmodum Imperatorum ſigna,ceteris principium ac Vrbium ſignis anteirent.

Ex eo itaq; tempore Crux aurea in rubenti area Meſſanenſis Vrbis nota fuit, antiquatis ſcilicet vetuſtis inſignibus,quæ nigrum Caſtellum in Prato viridi exhibebant. Verùm hic non contentus Archadius Rhegyum præterea,& Himeram oppida, Meſſanenſibus quo belli expenſas abundè ſarcirent liberaliter contulit, tum prædia cenſus

ſuis, donaria ſingulis addidit; neminem vel infimæ ſortis nautam non donatum abire paſſus. Non potuit non ea gloria plurimum afficere Meſſanenſes, qui quamuis ſua laude & Imperatoris conſcientia contenti, ſibi ſatis eſſe tam illuſtris facti recordatione ſecum frui dictitarent, qui ſuo periculo de tanto Principe inſigniter meriti, nó magis commodo & famę ſuę, quàm honori & dignitati Imperatoris conſulendum duxiſſent; ne tamen donariorum contemptu, quàm liberalitate beneficentiſſimi Principis haberentur inſigniores, ea quæ par eſt deuoti animi ſignificatione, verborumq; temperantia moderati, vexillum ſuſcepere, ſuſceptumq; publico applauſu in laudes Imperatoris explicato Claſſi ſuæ intulere.

Sed verò non defuit inter Proceres Conſtantinopolitanos Perimander quidã, quē ea res plurimum tangeret, ac penè accenderet. Itaq; is Metrodorum abeuntem inſecutus liberius interpellat: non licere cuiquam Palæologorum ſtemmata gentilitia ſibi vendicare, nec iure ab Imperatore dari poſſe, quod cum Maieſtate nexu indiſſolubili coniunctum eſſet; proindè ſatius fore Meſſanenſibus, accepto pretio fortunas ſuas augere, inanis verò tituli ſpecimine honorem Imperatoris ferre, indecorum. Ad quæ Metrodorus contempta hominis impudentia, ſatis aiebat Cæſarea munificentia auri collati ſibi ſuiſq; eſſe, ſed honorem pluris ſe facere quàm opes, præterea nec Imperatorium eſſe, quaſi obæratam dignitatem precio redimere, nec Mamertinum, honoris mercaturã exercere, ſuamq; gloriam venalem habere, quam Imperatoris ſententia virtute ſua peperiſſent; ſatius eſſe ab ea repetitione abſtinere, quàm Imperatorio nomini leuitatis notam inurere, ſuæ verò arrogantiæ, & temeritati contumeliam vltro imponere. Senſit Perimander iſte cum Viro cordato rem ſibi eſſe, nec moram trahendam ratus è veſtigio ad Archadium querelas perquam anxias defert, vultu, verbis, operè ipſo maiora omnia fingens, modis omnibus pertentat, ſi quo modo excelſum Imperatoris animum deijciat; ſcilicet abiectus ad pedes Archadij, ſciſſaq; veſte prorſus effeminatè obſecrat, viderit Imperator quid agat, ſi id doni inconſultè Meſſanenſibus largiatur, vnde non modò gloria, quam poſteritas Palæologorum iure cõſequi deberet, alijs prærcerpenda venit, verùm etiam dedecus ſummum in hæredes, ac labes in imperij nitorem procul dubio promanatura eſt.

Sed enim ſimilis ſibi Archadius, importunam hominis audaciam, abrupta oratione aſperè obtriuit, ſibi (inquit) non Byzantij, ſed Theſſalonicę opus fuiſſe cõſilio & auxilio, ea vociferatione ac clamoribus iuſtum fuiſſe antea temulentis Conſtantij conatibus obuiam ire, ſceleſtam partium ſeceſſionem turbare, auxilia Imperatori parare; ſilere illi modo pro re ſua cautius eſſe, quàm verba intemperata proferre, qui quo tempore loqui poterat ac debebat, iniquè tacuiſſet: Meſſanenſibus non ſatis datum, etſi imperium pro præmio recepiſſent, iure imaginibus decorari Imperatorijs, qui Imperatori decus ſuum cum Imperij fortunis reſtituiſſent, ſine quibus muta inſignia iacuiſſent: an quibus Imperator vitam ſeruatam debet, his etiam maiora ſi licet non referat accepta? Hac Imperatoris graui ſententia confixus Perimander, laudatiq; iterum ac ſæpius Meſſanenſes, paucis poſt diebus tandem Byzantio profecti, nec non victoria, donis, fauore Archadij læti, ſed Deiparæ Virginis gratia præcipuè exaggerati, in Patriam atque adeo in Ciuitatem ſuam incolumes, & glorioſi ſunt recepti.

Diutius fortaſſe ac pluribus quàm receperam hunc locum vrgeo; ſed enim nihil adeo copioſè afferri poteſt, quod tanto Virginis beneficio commendando par eſſe queat: neque verò mihi eſt animus amplificare tantum ac oratione circumire, quod verbo dici poteſt, ſed cùm hæc ſedes ſit argumenti, quo vel ſolo ſi cetera deſint, Epiſtolæ Virginis ad Meſſanenſes datæ fides plurimum commen-

 detur,

Digitized by Google

detur, nemo non videt, quàm paucis & ſine ambitione hęc dicta ſint, quæ cuiuſuis nec mediocris oratoris eloquentiam, nec ieiuni Hiſtorici ſtylum abundè poſſunt exercere. Illud non diſſimulo, multa ex hactenus dictis, ſi ad temporum illorum quibus Orientem rexit Archadius, rerumq; tunc geſtarum rationes reuocentur, in diſceptationem verti poſſe, primaq; ſpecie Hiſtoricorum dictis haud conſentire, vel certè illa omnia permiſcere. Verùm ſi hic quoq; communis illa obuerſetur ratio, in luxatis temporum iuncturis, narrationes geſtorum manere indiſtrictas ſi cetera ſibi conſtẽt, nihil æquis rerum arbitris ſupereſt ambigendum. Id verò multis hoc loco decerni poſſet, ſi ad inſtitutum pertineret, nec abſq; operæ pretio, quando hoc vno argumẽto ritè explicato, multis quæ preſſa iacent ac obſcura, vel etiam falſa veri ſpeciem habent, nouo quodam aditu lux & aura recentior immitteretur, reducto velo veritas ſuo veſtita genuino colore noſceretur.

Eſt verò dignum hoc argumentum quod non Meſſanenſium modò, ſed etiam exterorum exerceat calamum ac ingenium, maioriq; otio, ſcribentem ceteris curis eximat, in vmbra contineat, idq; maximè ſi generoſos habent animos extimulet Meſſaſanenſes, vt dignum inueniant Scriptorem, qui explicatam ex hac inuolucri ſpecie gloriam, latiùs ad Orbis agnitionem proferat, idemq; ex hoc velut fonte lucis ſplendorem non vni ſacræ profanæq; apud alios hiſtoriæ propinet, maiorem etiam hoc nomine ad Meſſanenſium laudes acceſſionem facturus. Quod hoc loco nobis licet, verbo duntaxat monemus, ſi pleriq. rerum Archadij Scriptores, ac in primis [u] Baronius, adeò dignam obſeſſi & liberati Imperatoris hiſtoriam prætériuerũt, nihil inde redundare in fidem apud Meſſanenſes dicto ſcriptoq; antiquam: non modò quia vt inter alios rectè Salmeron [x] aduertit, ea lex apud Hiſtoriographos obſeruatur, vt altero affirmante, quod ſupprimit alter, affirmanti qui tacet, minimè deroget, verùm maximè quòd pleriq; ferè Latini, Græcos ſecuti Hiſtoricos, inuidiæ & pudoris argumentum ab iſtis induſtria preſſum, ad animum ſuum haud duxerunt, ſed niſi Meſſanẽſium rerum prudentes, neq; cogitare potuerunt. Quo factum vt Meſſanenſium ferè circumſcripta ea fama libris, apud alios ignota permaneret, quin etiam domi inter tot viciſſitudines rerum ac temporum, tantùm non in vno Codice Græco cõſeneſceret, quaſi dominantibus Meſſanæ Græcis ipſa charta inuidiam defugeret, ac ne obiectu ſui præiudicium fortaſſe deſidiæ Nationi ferens, ſibi ipſi interitum conſciſceret, deliteſcere maluit, quàm in exempla ſcribentium prorogari.

[u] Ad ann. 391. & deinde. tom. 5.

[x] Tom. 1. prolog. 6.

Et certè grauiter id honoris Meſſanenſibus datum tuliſſe Græcos, ex importuno Perimandri iurgio magis, quàm ex poſtulatione ſatis cõſtat, feciſſe verò poſteros, ne fama luculentam in hiſtorijs haberet explicationem, ad reſides Græcorum animos arguendos, ad Siculos verò extollendos facile adducar vt credam, quando communem eum eſſe morbum nationum nõ neſciam, obſcurè ſcilicet ferre in aliorum egregiè factis, quod ad ſuam laudem premendam haud parum facit. Et ſcio in Europa multas alioqui præclaras nationes, non minimo precio redemiſſe à temporum & rerum Scriptoribus, quo vel turpiter à ſe admiſſa præterirent, vel honeſto aliquo prætextu colorarent, vel ſi domeſtici Scriptores eſſent, penitus factum negarent, quod in oculis totius Orbis geſtum fuit, interdum verò ipſi ſcribendo falſum, ad ſuæ Patriæ fucum præuerterent, ne ſi ab exteris quædam narrarentur, non vna labe reſperſa exiſtimatio, apud Orbis nationes detrimentum acciperet. Nihil hic adſtruo de auctoribus ſchiſmaticis, qui ſtudia Principum ſecuti, Romani Põtificis partes extenuarunt, cauſam arte preſſerunt, eleuarunt. Nihil etiam de Hæreticis, quibus genuinum eſt, iactantia quadam ſparſis libellis præoccupare populorum animos, quò impreſſa ſemel cogitatio non facile cedat famæ, de Catholicorum bene geſtis, veræ nunciæ:

quod cum ferè ſemper, ſeculi tamen eūtrentis initio pleriſq; compertum, quando in Ratiſbonenſi illa Lutheranorum prædicantium Aegydii Hunnio capite cum Ieſuitis concertatione, inſtigante ad id Guglielmo Bauariæ Duce, penè operoſis codicibus acclamata victoria de Ieſuitis ferebatur, non tamen alijs quam lippis & tonſoribus, & quos affectus trahebat credita, fœminis præſertim probantibus, quibus apud Hæreticos perinde eſt verſare Sacram Scripturam, ac linum & lanam. Sed tandem exitus acta probauit, & inſignis Ducis Neoburgenſis ad fidem Orthodoxam conuerſio, tam enormem leuium hominum inconſiderantiam dicam an impudentiam, luculenter condemnauit.

Sed enim commune id eſt etiam ſanctioribus nationibus, eoq; tolerandum ſi mendacia deſint, quòd hac induſtria deiectos animos erigi plerumq; præclarum habeatur, valeatq; non minimum ars iſta, vel ad ignominiam ex parte abolendam, vel ad fortiora facta rurſus indipiſcenda, vel ſi hæc minimè ſuccedant, eatenus ſaltem ad inducendos ſiniſtræ famæ colores, vt in vultu non iam macula, ſed velut naeuus ad venuſtatem relictus gratiam concilier. Atq; hæc duntaxat dicta velim pro elidenda quorundam argutia, qui tam inſignis rei de Archadio narrationem, cùm à pleriſq; (ſi tamen ita eſt) prætermiſſam velint, inconſultè ſanè, à Meſſanenſibus excogitatam, ipſi cōminiſcuntur; melius facturi ſi ſuas aliunde laudes redimant, quàm infringendas à Meſſanenſium gloria penitus cogantur abijcere. Sed vt dicebam, hæc eſt inſignium factorum, & fortunæ ad virtutem plaudentis vel ſola calamitas, vt cùm æmulos premat, ad æmulationem tamen ſemper excitet, & ſi nil aliud, inuidioſa ſemper & ſuſpecta exiſtat, idq; tum maximè, cùm altera ab altera nationum ſi victa & humiliata ſortem deprecetur, indignè ferat aleam fortunæ ſibi exprobrari, & quod caſus tulit, in animorum vilitatem refundi; vt inde varia quæq; vel temerè confingat, quò infeſtam decori ignominiam, quo quo modo repellat, ac etiam factum neget, quò celſitatem ſuā illibatam probet, hoc tamen afflictior quòd rudibus ſpeciem obtendat, ſapientibus deridiculam ſe propinet. Atq; huiuſmodi ferè ſunt illa, quæ Maximiliano primo Imperante, magna virtute geſta præclariſſimarum alioqui nationum, ſic preſſere laudes vt negare mallent fortunam ſuam, quàm alienam mirari & probare felicitatem, ſcriptiſq; ſubigere priuatis ad lituram, quod Orbis tabulis inciſum erat. Sed hæc ad lineam ſatis.

Ceterum quod ad præſens inſtitutum refert, quia pars hiſtoriæ & argumenti eſt diploma Archadij, quo præmia & honores Meſſanenſibus decreti cenſentur, illud etiam hoc loco ex vetuſto manuſcripto, quod exemplar eſt archetypo in publicis Vrbis Tabularijs aſſeruato, vnde etiam Franciſcus Maurolycus alijq; deſcripſerunt, non ab re fuerit inſerere; præſertim quòd eximiè in Virginis Patronæ laudes cōueniat, adeò amplam inter mortales gloriam conſequi voluiſſe eos, quos ipſa apud ſe tam excelſo & illuſtri loco pridem poſuiſſet, vt quemadmodum verum eſt, qui filium contemnunt erunt ignobiles, ita liquidum euadat qui matrem honorant eſſe maximè illuſtres ac nobiles. Sic autem ſe habet.

ARCHADIVS SANCTAE BRACHIO TRINITATIS In Orbe Monarcha, Chriſtianorum baſis & protector, Romanorum ſemper Auguſtus Imp. Hanc notari iuſſimus Chryſobullam, per manus Arſenij Durachi ſcribæ noſtri, Ciuibus & Ciuitati Meſſanæ; vt propter honorem quem ex illa conſequentur, pateat omnibus auxilium, quod nobis & Imperio præſtiterunt. Eramus in Ciuitate Theſſalonicæ à Bulgaris noſtris hoſtibus, & Imperij rebellibus obſeſſi: qui adhæſerant Conſtantio proditori præuaricanti Conſtantinopolim ferè, totamq; Thraciam & alias Imperij Prouincias. Scripſimus multis gentibus pro ſuccurſu: Quæ nequeuntes defecerunt. Siculos non

teti-

tetigimus, quia moleſtabantur ab Agarenis. Sed prædicta Ciuitas Meſſanæ non requiſita, nec citata, claſſem animosè parauit, quæ ab inſperato ſuperuenit, Galeas quæ nos obſidebant, in Peſago vicit, ſubitoq; impetu proſtrauit hoſtes, quinos etiam terrà coërcebant: vt ſic errarent diſperſi, quòd fuga turpi ſine vexillo, & nobilitate fœdam haberent ſalutem. Quibus voluerunt ſeruitijs ſeruitia cumulare, & ad noſtri petitionem, noſtram perſonam, noſtros cum eorum Claſſe Conſtantinopolim honorificè detulerunt. Vbi Ciuitate nobis reducta, Conſtantius factionis caput, cum proditoribus in Megapalatio ſe tutati ſunt. Quod Meſſaneſes oppugnantes cæperunt. Inq; manibuſq; noſtris Conſtantium & ceteros proditores aſſignarunt. Propter quod iuſtum duximus Ciuitatem, & ipſos Ciues maximis præconijs decorare. Cùm maxima promerentur. Ideò fecimus ipſam Ciuitatem in tota Magna Græcia & Sicilia Prothometropolim. Dominium loco noſtri, & ſucceſſorum noſtrorum totius Siciliæ ſibi perpetuò dedimus. Exemptam & liberam fecimus, vt illam Romani fecerunt, ab omnibus angarijs, parangarijs, taxis, dohanis & contributionibus, vbicunq; fuerint. Stolum motu proprio fecit in noſtrum & Imperij ſuccurſum, proptereà nullus Meſſanenſis, cùm noluerit, ad armatam per mare, nec terra ire cogatur. Dignificamus etiam ipſam ſic, quòd æquetur Conſtantinopoli, nulla vnquam vexatione ſubſtantiali vel perſonali Ciues eius grauentur, ſed vbiq; præhonorentur. Nullus eis, vel eorum alicui contumeliam vel iniuriam, audeat inferre, conſcius illam Imperatori feciſſe, ſeq; in magno crimine incidiſſe, & habere ſceptrum Imperatorium pro vltore. Et ipſius Ciuitatis Strategotus, licet non fuerit miles, ad ipſius Ciuitatis honorem, dum in officio fuerit militum inſignia portet. Et cùm transfretare voluerit Imperator, Meſſanenſium Galeam aſcendat, cui ceteræ de Claſſe reuerentiam præſtabunt, ſibiq; cedāt, etiamſi perſona Imperatoris abfuerit, Rhegyum Ciuitatem & Hinieram, ipſi Ciuitati aſſignauimus peculium, & Imperatoriæ coronæ de membris nobilibus conſtituimus in æternum, à qua nullo euentu ſegregetur. Vtq; ſit notum omnibus, quantùm cupimus ipſam Ciuitatem eminere: ſibi noſtrum dedimus vexillum & arma, quæ geſtabit honore ſummo noſtris æquale: Ceterarum Ciuitatum armis, & vexillis ſubiacentibus excellere ipſam decreuimus, velut extulit ſemetipſam nobis & imperio ſuccurrendo. Præſentem Chryſobullam proprijs manibus Metrodoro, & ceteris Ciuibus Meſſanæ conſignauimus, Conſtantinopoli in campo Panherio, congregatis illic Patriarcha Reuerendo, Archiepiſcopo, Epiſcopis, Magnatibus & plebe, nobis ad honorem, & gloriam ipſius Ciuitatis, in throno Imperatorio cum inſignijs conſidentibus, poſt mundum creatum annis quinq; millibus ſexcentis & duobus: à Natiuitate verò Domini Noſtri IESV CHRISTI anno quadringenteſimo ſeptimo.

Erat autem huic Decreto, quod cum Maurolyco ceteri aduertunt aurea bulla ſericis aureiſq; chordulis alligata, ex vna parte Chriſti Saluatoris effigiem hoc ſymbolo circumſcriptò, DEVS vincit, DEVS regnat, DEVS Imperat: ex altera verò Crucem exprimens, litera B, in angulis, in ambitu verò hac inſcriptione exaratam; Archadius iuſſu Spiritus Sācti chriſtianorum baſis & protector, Romanorum Auguſtus. Sed vt initio dicebam multa hic in diſputationem venire poſſunt, quæ tamen in abditas rerum vaſtiſſimarum eruditiones, cùm aditum patefaciant inſignem, alij ſeruanda ſunt calamo, ne aliud quàm inſtitutum Epiſtolæ Virginis agere videamur. Quamquā & in hoc argumento, ſi Meſſanenſium honores à protectione Virginis in ea Epiſtolā repromiſſa, arceſſantur, latiſſimus hoc etiam loco aperiatur campus excurrēdi in laudes, ac dignitatem Meſſanenſium, neq; ſolùm ſi Rhetorum more dicam, ſed ſi forenſi diſceptatione agam, planè euincere debebo, niſi temperatiſſimus ſim ac modeſtiſſi-

mus,

mus, Meſſanam habere omnia, quæ aliquando decreta ſunt ab Imperatoribus ad omnem omnium Orbis ciuitatum dignitatem.

Verùm quia me tacente iura omnia clamant, facilè Meſſanenſes ab inuidia liberabo, ſi nec inſultando vehementius, neq; inſolentius quaſi oratione volitando, illud duntaxat attingam, quod nõ tam oſtentet peruagatum pridem, nobilitatumq; nomen Mamertinum, quam conciliatam Deiparæ Virginis gratiam prodat, ex qua dignitas omnis Meſſanenſium profecta eſt. Atq; vt nihil dicam de Vrbibus Aſiæ atq; Africæ, iam vetuſtate, ac felicitate collapſis, plurimæ ſanè ſunt Ciuitates in Europa nobiliſſima totius Orbis portione, quæ Imperatorum, ac Regum priuilegijs ornatiſſimæ hodieq; florent, ac hominum vbiq; ore, Scriptorumq; literis celebrantur, quæ tamen omnia ſi in medium conferantur, plura fortaſſe ſint, eaq; inſignia nunquam tamen vel omnia ſimul vni Ciuitati collata, tantum ornamenti alicui Vrbi ſunt allatura, quantum vnicum hoc priuilegium Archadij, Meſſanẽſibus contulit ſplendoris ac dignitatis, niſi par virtutis exercendæ occaſio, à non inferiori Ciuium valore, parem apud Imperatores benemerendi copiam inueniat.

Non me fugit ex illuſtri illa Ramiri victoria, quam auſpicijs Apoſtoli Iacobi de Sarracenis reportauit, crucem rubeam niueo vexillo tranſuerſim inſertam, Hiſpanis inſigne factum. Sed etiam [y] Alphonſum Portugalliæ Ducem primum, quòd Chriſto in ſomnis monente, ſignum quinis patientis vulneribus exaratum ſuſtuliſſet, commiſſoq; prælio quinq; Sarracenorum Reges, ingenti planè victoria fudiſſet, ex eo tempore Portugallenſibus Regibus inſigne quinq; plagarum reliquiſſe: non vulgari ſanè argumento Nationis in propugnanda Chriſti Religione eximiæ, quæ ſuperiori ſeculo ignotum Orbem terrarum, illato per Franciſcum Xauerium Indiarum Apoſtolum veri Dei cultu, Portugallenſis quoq; nominis profuſa latè gloria impleuit. Sed enim huiuſmodi vt ſic dicam portenta, admirationi ac voluptati cùm ſint, propenſam Numinis beneuolentiam ad erigendos piorum animos, paratamq; manum ad arcendum interitum, vbi præſertim de aſſe Religionis agitur oſtentant quidem; induſtriam tamen ac nauitatem, quibus maximè apud Duces merita, eademq; ſummis Imperatorum beneficijs maiora comparantur, haud declarant: circa eam præſertim fortunæ in humanis aleam, quæ etiam ſummos Duces à ſpe deijcere conſueuit, vbi conuulſo Imperio Principibuſq; Viris aut ſeductis, aut magnitudine periculi, multiplicique difficultate deterritis, in paucos recidit reſtituenda omnium ſalus, dignitas Imperij, honos Orbis: qui pauci ſanè ſi Meſſanenſes illo tempore non fuiſſent, nuſquam gentium alij pro re & tempore potuiſſent inueniri; quo fit, vt periculo Imperij, ac Imperatoris, Meſſanenſiumq; felicitate, ac virtute mutuò comparatis, nec maior eſſe queat per omnia præclarè geſta meritorum cumulus, nec eo nomine in collato ſtemmatis Imperatorij honore, munus omnium iudicio dignius, ac præſtantius.

[y] Thomas Bozius lib. 17. cap. 7. Petrus Mani in dial. Hiſt. Luſit. c. 4. Roderic. l. 7. c. 6. Hiſt.

De Gallorum inſignibus mira narrant Scriptores præſertim Gallici, ſed inter alios Petrus [z] Maſſonius, [a] Stephanus Forcatulus, Petrus [b] Gregorius, Carolus [c] Guaguinus; & plures fortaſſe inueniuntur qui velint, ante liliorum vſurpationem, tria Rubeta aurea, nigricantis in area Clypei Francorum fuiſſe inſignia, poſtea verò his antiquatis lilia ſucceſſiſſe, quæ conuerſo ad fidem Clodoueo, ſcuto innexa cæruleo, cælitus demiſſa ſunt ac ſuſcepta, non incerto apud Gallos Symbolo, Monarchiam vltimam in Regem Galliarum tandem deuoluendam, quòd tempeſtate etiam Numæ Pompilij, non vanum extiterit felicitatis augurium à ſcuto è Cælo delapſo, quando & immaniſſima peſtis è veſtigio deferbuit, & Aruſpices indubitato euentu protulerint, eo loco Sedem Imperij collocandam quo ſcutum illud incidiſſet. Eſt ſanè Gallorum virtus omnibus ſeculis magno theatro ſpectanda, quòd maximarum rerum glo-

[z] Lib. 5. Annal. in Philip. fol. 90.
[a] Lib. 6. de Imperio & Philoſophia Gallor.
[b] In præl. ud. op. ſ. iuris conſ. lib. 8. cap. 11. n. 2.
[c] Lib. 1. c. 8

quocunq; animum ingeniumq; intendunt, ibi ſummi fiant, & quadam pręſtantia excellentes, nec tantæ virtutis luci magnas offundit tenebras aliquiſpiam Iacobus [d] Maior, qui ad Romani Imperij apicem neminem vnquam Gallum, & ſi multi contenderint pertingere cęſuit potuiſſe, nec Carolum Magnum, eiuſq; progeniem Gallos fuiſſe ſed Germanos: vt enim mittam multorum opinione Gallos à Germanis origine deriuari, non ad præteritos ſucceſſus, ſed ad futura rerum reſpectant ea Gallorum vaticinia, quæ interim ab occultis pendent cauſis, ab humana præſenſione longius ſanè remotis, quam vt hoc loco dijudicari vel poſſint vel debeant.

Ceterùm quòd præſentis eſt inſtituti, ſi ex [e] Chaſſanæo quem pleriq; laudant, nobilitate ceteris prælucet is, cui præſtantiora ſunt inſignia, hæc autem eo ſint digniora quò à ſublimioribus conferuntur, eamq; ob cauſam conſecutione perquàm neceſſaria Galliæ Reges reliquis totius Orbis Regibus ſint præferendi, quod à ſummo Cæli Monarcha ſuſceptis liliorum imaginibus, initium memoriæ ac nobilitatis ducant; quis non videt quo loco habendi ſint Meſſanenſes, quibus Regina Cæli eam dignitatem præparauit, vt recepto ſtemmate Imperatorio, in æqualem nobilitatis ſortem aſcripti, Imperio etiam Orbis digni cenſerentur? Sed quo me abducit vel nolentem Chaſſanæi argumentum, vt quot Meſſanæ ſunt Viri Senatorij, in quibus præcipuè data ab Archadio dignitas reſidet, tot in vna Ciuitate Imperatores cogar adſtruere nedum Reges, maiori etiam ſplendore cenſendos, quàm qui cùm Senatum Romanum intuitus fuiſſet, in ampliſſimo numero tot Reges ſe vidiſſe teſtatus eſt.

Sed enim friuolæ ſunt huiuſmodi exaggerationes, & quemadmodum Chriſtianiſſimorum Regum illibata Maieſtas, ac in tota Europa florentiſſima dignitas, alio nititur fundamento, quàm inani ac languido Chaſſanæi argumento; ita Meſſanenſium temperantia ſuis ſe continet limitibus, nec pluſculum ſibi arrogat, quàm indulto Archadij iuxta legum normam ad ſe pertinere arbitratur, vt videlicet, quod ipſi dicunt, inter Siculos nemo cum eis in contentionem honoris venire auſit, Ciuitatemq; ſuam gratia Principis ac virtute Ciuium, tametſi natura loci nihil huc faceret, dignitate Capitis eminentem conſeruent, nec cùm ceteris vtriuſq; Siciliæ Vrbibus in ordinem cogi patiantur. Nam quod reliquum eſt tametſi plurimas omnium Regnorum Ciuitates anteire Meſſana poſſit, ea tamen modeſtia, facilitate, ac temperatione regi ſe libenter patitur, vt cum omnibus alijs quamuis infimis vltrò ſe non inuita exæquet, parq; eſſe velit. Quamquam de cetero cauſam ſuam in animis multorum, qui quæſtionem iuris Ciuilis ſapienter vertunt, vbiq; gentium in perpetuum teſtatam eſſe cupit atq; conſignatam, ne fortaſſe ex illa facilitate ob beneficium plectatur, & priſco iure cum virtute & fortuna exaucto priuetur, nihili ducēs interea diſputationibus iactari vanis dignitatem, quam ipſa velut in munitiſſima priuilegiorum arce recondidit, ſemperq; procurante Deipara Virgine, beneficio Principum ſuo loco perſtituram ſperat.

Verùm quia ſemel de nobilitate ſermo incidit, non abs re erit peruidere deinceps, quàm excelſo & illuſtri loco nobilitas Meſſanēſium ſita ſit, quando ex ea dignitate nihil non redundat ad laudes Patronæ Virginis, quæ quos ſemel aſciuit in clientelam honoris, non modò ad omnem claritudinis ſpeciem effinxit, verùm etiam maiorum titulos auguſtiori imagine reſtituit, & ſuper omnem generis & memoriæ præſtantis apicem repoſuit. Quo loco illud in primis ſtatuo, nobilitatem quæ humano theatro ſuis imaginibus ſpectatur, non inde ducendam eſſe, quod arcano Cæli conſilio, preter hominum inſtitutum nonnulli ad ſummum faſtigium extra omnem aleam emerſere, ſeù quod nulla nauitate, ac virtute inter homines præeunte, ſecretiore decreto diuinitus interdum illuxere, & exinde claritudinem non tàm peperere, quàm accepere,

nulla

[d] *In chronico Flandriæ.*

[e] *De Gloria mundi part. 1. cõſil 98.*

nulla illuſtrium factorum commendatione, ſed ſolius Dei Optimi Maximi rata voluntate apud omnes felices ac venerandi, alioqui nemo nobilior habendus ijs, qui ſanctitatibus mundo præluxere, religioniſq; ac miraculorum inſignibus clariſſimi extitere, nullaq; in luce verſabuntur Dracontei, Seleuci, ac Theſei, tametſi maternis ab vteris impreſſa ſuis corporibus gentilitia præferant inſignia, ſi cum Paulo, Franciſco, Catharina, alijſq; complurimis, quorum corporibus ſanctiora Chriſti ſtigmata penitus inſedere, conferantur. Cedent præterea lilia Gallorum coronæ Hungarorum, quam nonnulli Stephano Regi dormienti, cælitus tradunt impoſitam. Cedet hæc ipſa Corona Cruci Hiſpanorum pari miraculo Cælo demiſſæ, multoq; maximè quinis Luſitanorum ſcutulis, quæ in quinis Crucifixi apparentis vulneribus, quinq; Regum ſtragem, totidem plagarum notis, non modò explicauere, verum etiam victoriæ ſigna, gentiſq victricis inſignia ſtatuère. Ex quo etiam liquet, quàm nullius ſit firmamenti, ac roboris Chaſſanæi viri alioqui Doctiſſimi argumentum, eoq; ruente quàm multa eodem motu labefactata concidere ſit neceſſe.

Itaq; ea ſemper apud Sapientes nobilitas in precio fuit, quæ non tàm felicitate quàm virtute ac rectè factorum gloria parta, nunquam ignauiæ culpa iacuit, tametſi fortaſſe caſu & fortunæ ludibrijs interdum fuerit intermortua. Ad hæc ſi claritas naſcendi maiorumq; imagines affulgeant, aliquid ſanè ornamenti apud Principes Viros, non totam nobilitatem præſtant, quæ cùm nihil aliud ſit quàm excellens quædam, ac vt ita dicam cæleſte ſemen in humanis animis hoſpes, in quemcunq; ad virtutem benè à natura compoſitum cadere poteſt; ac proindè (vt ille aiebat) non facit nobilem, atrium plenum fumoſis imaginibus, ſed animus rectus ad omnia ſumma paratus, cui ex quacunq; conditione ſupra abiectam humilitatem licet aſſurgere. Si demum ad titulos auorum cum virtute tranſmiſſos, accedat etiam recens aliquod illuſtris facti rarumq; exemplum, quod per ſe ipſum non modò initium memoriæ facere, verùm etiam omnem, qui anteceſſit vel ſplendorem vel obſcuritatem haurire queat; tum verò qui huiuſmodi facinoris auctor ſit, non tantum ad Nobilitatis apicem, qui in ſummis Principibus eſt, perueniſſe, ſed exinde in Cælum ſublimitate gloriæ ſubſilire poſſe credendus eſt.

Iam verò ſi Meſſanenſium Nobilitas per omnes gradus huc vſq; inceſſit, quam excelſo loco ponenda ſit nemo videt, vt eam ob cauſam eximiæ prærogatiuæ honorem inter omnes appellatione Nobiliſſimæ, ipſa ſola Ciuitas vel tulerit, vel acceptum nuſquam deflectente gloriȩ tramite propagarit. Humilis fortaſſe Ciuitas aliquando fuit, ſi primos Vrbis lapides inſpicias, quando inter nudos colles vix exigua mœnia fundarentur, è veſtigio tamen ex paruis aſſurrexit, & ciues ad omnia ſumma procreati poſteris genus fecere, qui conſequentibus Siculis, tametſi longa varietas inter ſingulares plura miſceret, fortunaq; multorum Capita verſaret, nunquam tamen ſi vniuerſos ſpectes, auitas dedecore obruerunt imagines, ſemperq; cum ſorte naſcendi exaggeratiorem virtute Rempublicã feliciores inuaſere, quoad poſtremo penetratis etiam ob ſeruatũ Archadium nobilitatis Imperatoriæ clauſtris, eò virtuti Mamertinæ aditum ſoli patefecere, vnde neſcio an à quopiam mortalium in certamen honoris contentionemq; dignitatis queant prouocari.

Nolim hoc loco temporis cauſa me quiſpiam verba facere exiſtimet, quando hanc ipſam partem ſi ſapientes legum explicare velint, liberiori ſanè oratione cuncta verſabunt; ſi enim [f] nobilitatem definiunt qualitatem illam, per eum qui principatum tenet illatam, qua quiſpiam vltra honeſtos plebeios acceptus oſtenditur; eamq; ob cauſam qui ab Imperatoribus nobilitatis titulos recipiunt, ceteris præferendi ſunt, quantumuis ad Reges & Princeps extra quemcunq; ordinem conſtitutos, natalium

f Tiraq. De Nobil. cap. 6.

ſuorum

Digitized by Google

ſuorum reſtitutionem referant; quid de ijs ſtatuendum, quibus cum inſigni Imperatoris condonato, tametſi ſententia Imperatoris impar meritis præmium, par tamen Imperatorijs honoribus dignitas decernitur? ſi præterea nobiles lege cenſentur, ac planè tales efficiuntur, qui lateri Principis, eiuſdem permiſſu adhærent, multoq; magis qui contingere purpuram Imperatoriam non indigni reputantur; quid de ijs ſentiendum qui vt eandem purpuram induantur digniſſimi æſtimantur? neque enim in ſtemmate minus quàm in purpura dignitatis ineſſe vel ingenia prudentũ arbitrantur.

Conſtat porrò apud eruditos ſtemmata, quæ vulgo coronamenta dicuntur, ſtatuis ac imaginibus, quas ipſi ſchemata appellant ſucceſſiſſe, ius verò ſtatuarum atq; imaginum, non paſſim omnibus, ſed qui in Magiſtratu fuiſſent, maximis de cauſis competiuiſſe, nec cuipiam alterius imagines ſibi arrogare fas fuiſſe, ne eiuſdem honores & dignitatem cenſeretur vſurpare. Atqui ſi quemadmodum Archadius ſtemma ſuum, ita ſtatuam atq; imaginem Meſſanenſibus condonaſſet, nonnè etiam dignitatem eatenus conceſſiſſe putandus eſſet, vt ipſe quidem loco minimè cederet, Meſſanenſes tamen eodem Imperio dignos, maximè vellet ornare ac Principibus excellere? Id verò præſtitiſſe in ea ſtemmatis ſemel pro ſtatua atq; imagine repoſiti collatione, clariùs eſt quàm vt longiori explicetur oratione; præſertim ea tempeſtate, qua non ex electione & optimatum ſuffragijs, ſed à lateribus Imperatorum, pronum erat ac penè hæreditarium iter ad faſces, ac honores ſummi principatus, auditaq; latius nomina non ſubitis clarebant Cæſarum imaginibus.

Video quid hic obeiectent nonnulli, eam nempè Crucem auream, Meſſanenſibus ab Archadio collatam, non Imperatorium ſtemma, ſed gentilitium familiæ Palæologorum fuiſſe inſigne; quaſi verò id ſi ita ſit, aliquid ex gloria Meſſanenſium decerpat, & non hoc ipſo vel de ſe maximo, ad omnem nationum ac Principum laudem euehat. Sed enim iſti non intelligunt Crucem à debellatis Hiſpanis (quod non ſine gloria gentis dici poteſt) peruetuſta ſanè poſt imagines memoria, in inſignia conceſſiſſe Imperatorum. Nam cùm Romanis conſuetum eſſet, eorum hoſtium ſigna quos maiori cum labore & ſudore ſubegiſſent, velut in triumphum traducta, ſibi aſſumere, primus Cæſar Auguſtus Cantabros Hiſpaniæ populos, quorum Crux genuinum inſigne fuit, multo Romano ſanguine fuſo ſub iugum miſit, ablatiſq; Crucis ſignis, quæ à Cãtabris Cantabraria dicebantur, Labara verò ex eo quòd labore parta fuiſſent, ea deinceps clypeis ac vexillis impoſita, in exercitu deferri voluit, Romaniſq; Imperatoribus [g] exinde Crux inſigne fuit, quæ longo poſt temporis interuallo [h] à Iuliano Apoſtata detracta, iterum Valentiniano rerum potito priſtinæ dignitati reſtituta, ſtetit per multas ætates, quoad demum collabente Orientis Imperio, reciſaq; penè Palæologorum ſobole apud Meſſanenſes iure priſcæ donationis permanſit, tametſi poſt Hiſpaniam à Sarracenorũ iugo recreari inceptam, poſtliminio quoq; ad Hiſpanos reuerterit, præclaro ſanè Numinis conſilio, vt ornamentum quod ab Hiſpanis ad Romanos, hinc verò ad Orientis dominos defluxerat, apud Meſſanenſes tandem conſiſteret, vbi & Reipublicæ Romanæ ſpecimen quoddam ſeruandum erat, & Hiſpanorum Regum neruus nullo hoſtili gladio facilè incidendus.

g Tertull. in Apologet. cap. 6.
h Minutius Felix in Octau.

Quin etiam Aquilæ Romani Imperij ab Hiſpanis ad Romanos felicitate vincendi creduntur aduolaſſe; ab his verò Quintilio Varo cũ tribus legionibus deleto, ad Germanos demigraſſe. Nihil ea [i] cæde ferunt fuiſſe cruentius, qua tres legiones obtruncatæ, ſigna & Aquilæ duæ captæ, Germanis deindè inſignia fecere, quibus hodieq; gloriantur Imperatores: neq; enim biceps eſt Aquila vt imperitum vulgus opinatur, ſed duæ ſimul auerſis capitibus, ceterã ſimul adiunitæ, alteraq; alterã expanſis alis obtegente; quibus tertia quoq; eodem prælio acceſſiſſet, hodieq; Cæſarum inſignia am-

i Ioan. Becat ex ſuntenio.

Vu pliſi-

plificaret,niſi,ne in hoſtium manus veniret,tertiæ legionis ſignifer fuga retractã paludi immerſiſſet. Hoc ſupremũ victis fuit cõſiliũ,ne à pudore grauius cæderentur. Atq; hinc refellitur ſpecioſa quorundã coniectura, qui bicipitis Aquilę initiũ ex eo ducũt, quòd pacatis Occidentis finibus, & ſocietate inter Carolum Magnum & Nicephorum Græcum inita,huic Orientis;illi verò Occidentis Imperium bicipitis Aquilæ auſpicijs ceſſerit adminiſtrandum.

Sed enim vtrouis modo ſe res habeat, ſemper in faſcibus Imperatorum, velut ſingularis quædam gemma interlucet gloria Meſſanenſiũ:quin imò in diademate Orientis vel ipſa ſola ſplendeſcit,quãdo cum Imperio deuolutis ad Germanos Aquilis, denatiſq; Orientis Capitibus apud ipsã cum inſigni Crucis, Maieſtas quoq; diuiſa quodammodo conſedit,non impari ſanè laude cum Germanis,ſi virtutem,ſed maiore fortaſſe gloria ſi cauſam virtutis ſpectes, quod illi fuſis ſine Imperatore ſuo, prælio Romanis, inuitas ad ſe auerterunt Aquilas, Meſſanenſes verò deuictis Imperatoris victoribus,ſeruatoq; cum Imperatore Imperio, debitum virtuti ſuæ præmium, ſed honoribus ſuis digniſſimum munus Crucem illam auream ſuſceperunt.

Atq; hæc omnia luculenter oſtendunt, nihil in omni gradu nobilitatis poſitum eſſe,quòd virtutem ſuperet Meſſanenſium, quamuè digna præſtantiæ prærogatiua caput inter Vrbes efferat Meſſana, ſemperq; honorificentiſſima præfatione nomen Ciuitatis nobilis,iure ſuo ſibi vendicet ac præſcribat. Quæ omnia cùm ſicut æquum eſt,ad ſua principia pro inſtituto ſuo reuocat, Ciuium ſuorum felicitatem cum gratia, beneficijſq; Deiparæ Virginis conuinctam piè recordatur. Neq; enim ignorare poteſt tantæ Patronæ prouiſu factum, vt quæ protectionem Dei Matris,tam honorifica Legatione quæſiuiſſet,Chriſtumq; Crucifixum in Matre venerata agnouiſſet,Crucem ſibi fuiſſe debitam,quaſi deuotæ protectionis ſigillaritiam,atq; adeo ſicut Religionis teſſeram,ita contra hoſtiles machinationes ſignũ & arma potẽtiſſima,ſed Crucẽ dico aureã,quòd honoris eſſet pretiũ,meræ,nõ inanis fidei ſymbolũ,eandẽq; in area ſplendentẽ rubea,ſcilicet ardẽtis pietatis argumentũ,quò ſi opus ſit, vniuerſi Meſſanenſes Deiparæ Sacramentum,ſuo ſanguine tueantur,pro religione victima cadant.

OSTENDITVR REPROMISSA PER EPISTOLAM
protectio Virginis ex alijs euentibus.

CAPVT QVINQVAGESIMVM TERTIVM.

INTER cetera Virginalis tutelę argumenta non poſtremum locum meretur, funeſta illa Sarracenis ſed lęta Siculis, Mamucę immanis Pyratę in freto Meſſanenſi demerſio. Hic cùm iubente Abdala Africę Tyranno, ad vaſtitatem Chriſtianę Reipublicę inferendam centum nauigijs Ductor prępoſitus ex Africa ſoluiſſet, toto mari formidabilis, non ſolùm infeſtam finitimis Inſulis nauigationem ac parũ tutã,ſed etiã penitus clauſã reddiderat;ſed in primis Siciliã prędaturus,Meſſanę portui quo maxima pars Regni vitã ducit,claſsẽ appulit, legionũq; parte expoſita,vi atq;impreſſione facta,Clauſtrũ Diui Ioãnis Baptiſtę quod littori adiacet, nõnullorũ cęde temporis veſtigio diripuit; ſed verò præcipuè Placidũ generis ac Martirij ſanguine clarum, cum ſorore Flauia Virgine,ac fratribus Eutychio & Victorino, qui forte viſendi fratris gratia Roma aduenerant, nec non triginta alijs monachis

nachis quod eiurato CHRISTO in ſectam traduci noluiſſent, barbara crudelitate excruciatum necauit. Ea verò immmanitate ſaginatus aliquantulum, haud planè exaturatus barbari animus, patefactum crudelitati iter per reliquas Siciliæ oras proſequi imperat. Sed enim vix à loco patratæ cædis Sanctorum auulſam breui interuallo claſſem, tanta repente mutata cæli facie tempeſtas Maris ui ventorum impulſa obruit, vt non modò præciſa, verùm cælitus planè vetita ſpe euadendi, vniuerſæ Naues, ac octingentorum ſuper ſeptemdecim millia virorum Capita, medijs æſtuantis freti fluctibus haurirentur.

Acta ſunt hæc in proſpectu Meſſanæ atq; adeò in oculis Ciuium, quibus tam iucundus & illuſtris dies ille fuit, quàm certa ſalutis lætitia ex ſummo Virginis erga Ciues amore, quòd Ciuitatem ex flamma atq; ferro, ac penè ex faucibus fati ereptam conſeruaſſet, quòd propenſa Nati beneuolentia Placidum cùm ſocijs; ex hominibus in cælum euocatum inter Diuos repoſuiſſet, quò poſt Virginem præcipua Ciuium Religione cultus, pro ea qua apud Natum, ac Matrem gratia polleret deinceps ciuitatem ſedulò iuuaret ac ſoſpitaret, quòd demum oppreſſis in Mari Barbaris reliquæ Siciliæ ſubijciendos ignes reſtinxiſſet, gladioſq; infidelium in ſalutem ſociorum diſtrictos retudiſſet. At enim dignum fuit Romani Placidi ſanguine Meſſanenſem purpurari Ciuitatem, quò gentem Romanis olim Societate & ſuperſtitione confœderatam, ſed poſtea Religione Chriſti imbutis addictam, Romanus item ſanguis Meſſanenſi aura ſpirans, arctiori quodam Sacramento deuinciret, vt inde ſicut olim principibus ſuis fortunas omnes & vitam, penè ad aras & foros vltra gentium morem obſtricta habuit; ita deinceps ſanctiori ſanguinis & Religionis iure, Romanorum complexa Eccleſiam, rara ſemper pietate, caris omnibus rebus duxit cariorem.

Eam verò tàm ſancti fœderis immortalem gratiam, illa dubio procul conciliauit, quæ repromiſſam in Epiſtola protectionem, perituro tum folio concreditam, ſanguine quoq; Placidi in duratura tellure voluit eſſe conſignatam, quò non ſolum tranſcripti in pectora Ciuium apices, continuò fidem Virginis loquerentur, ſed non deeſſet vox ſanguinis de terra clamantis, quæ pro Sacramento interpellaret, vota ciuium nuntiaret, viciſſimq; ipſâ ſcriptam à Virgine pridem Epiſtolam, ſed rubeis diſtinctam notis Meſſanenſibus exhiberet, reſponſa Virginis placidiſſima ferret. Et profectò non ſine ſingulari Dei diſpoſitu factum quis rectè putet, illo penè ipſo [x] tempore, quo Meſſanenſium ab Epiſtola Virginis vulgata Religio, nonnullorum calumnijs exagitari cæpit, inuenta poſt multa ſecula Placidi & Sociorum corpora, quaſi deſtinatò apparuiſſe; quò non deeſſet, qui ſicut olim vel reciſa à Barbaro lingua clariſſimè laudes Dei eloquebatur, ita ſui ſanguinis argumento ſcriptam à Virgine Epiſtolam, ſuumq; Meſſanæ Martyrium, Sacramenti in ea Epiſtola contenti pignus & fructum eſſe, luculenter teſtaretur, vt qui id obſcurè audiat, linguam iterum Placido reſecare, ſed fruſtra contendat, quando & ſanguini ſua ſit lingua velox, & res ipſa pro ſe vocem mittat.

[x] Anno 1588.

Illa etiam felicitas Meſſanenſium domi ſuæ tot victorijs redundans, meritò Virgini aſcribitur, quæ cùm fortunam Clientum manu ſua verſaret, non ſolum propter virtutem, verùm etiam propter hanc ipſam fortunam Meſſanenſes reliquis Siculis ſuſpiciendos obiecit. Quo factum vt Vrbes ſociæ, temporibus Reipublicæ dubijs, Meſſanenſium præcipuè motus obſeruarent, ac rebus ſuis ex eorundem ratione ſapienter præſcriberent. Et quamuis interdum temperata Cæli fortuna fortes animos agitauit, triſtiaq; lætis admiſcuit, ita tamen indolem ſuam ad virtutem & conſtantiam, non temeritate, ſed ſanis conſilijs, non præſumptione, ſed ſpe ac Religione erga Deiparam Virginem traduxerũt, vt cùm nullum eſſet genus belli, in quo illos terra, mari,

non exercuiſſet Regni Siculi fortuna, Ciuile, Nortmannicum Neapolitanum, Africanum, Aragonienſe, Gallicum, Sueuicum, ſemper tamen hoſtes geſſiſſe tantum bella, Meſſanenſes verò ſi non viciſſe, confeciſſe certè viderentur.

Equidem ſi certè recolo Siculos annales à ſuſcepta Deiparæ tutela, bis terue cladem, nec ſatis iuſtam accepiſſe inuenio Meſſanenſes, ſemel nempè capta ab Anglis Vrbe, quos licentius agentes prius ipſi eiecerant portis obſeratis, ſed hic motus ſicut non omnium fuit, ita paucorum cæde placato Richardo Anglorum Rege ſedatus eſt; Iterum Iacobo Aragonio pro Carolo Andegauenſi, cui ademptam Siciliam reſtitutam volebat, aduerſus Fridericum Fratrem Germanum, quem Siculi ſibi Regem præfecerant, bello nauali congreſſo; quæ tametſi clades inſignis, communis cum ceteris fuit, & ab inuictis Meſſanenſium animis vel eo ſolo contempta, quòd Fridericum fortunæ ereptum, cum Claſſis reliquijs redeũtem, ſaluum & incolumem recepiſſent. Deniq; Carolo cum quinquaginta ac nouem Triremibus, aduerſus viginti ſeptem Siculorum Triremes ad Pontiam pugnante, victoria quidem ad Carolum deflexit, ſed hominis animum non magnopere inflammauit, quòd Gallicam potentiam cum magnis multorum Principum, ac nationum aduentitijs copijs, virtute paucorum Siculorum periclitatam cognouiſſet. His fortaſſe quiſpiam adnumeret incruentam illam deceſſionem, quando ſeptem Triremes Meſſanenſium, Piſanis cum quadraginta Triremibus pro Corradino rem gerentibus, permiſſæ ſunt potius illæſo milite, quàm deditæ. Sed enim id, ignauiæ Prouincialium, non culpæ Meſſanenſium adſcribendum, quod cùm illi viginti quatuor Triremibus tempeſtiua ad victoriam pugnam tranſigere potuiſſent, relictis ſub alea Meſſanenſibus, explicatiſq; ad Auſtrum velis diſcrimina Martis euitarunt.

Verùm hæc pauca vel ſi plura ſunt id genus detrimenta, ſi cum multis & inſolitis Meſſanenſium victorijs conferantur, arte quadam vt ſolet in velitari certamine, geſta videbuntur, quò fidentius ad hoſtẽ laceſſiti, ac demũ inflãmati animi maiorĩ cũ impetu ferrẽtur ad gloriam. Ac vt hoc loco mittam quãta Rogerius, virtute ac fide Meſſanenſium contra Sarracenos geſſerit; quaternis prælijs, vt minora taceam, Gallos ob Regnum Siciliæ ab Aragonienſibus fuſos accepimus, propè Melitę Inſulam Rogerio Loria duce, confiſo Gallorum ductore Guglielmo, decem Triremibus confractis, reliquis in fugam verſis. Iterum iuxta Neapolim eodem Loria quadraginta & vna Triremibus, aduerſus Caroli iunioris ſeptuaginta Triremes pugnante, capta cum Carolo Regia Triremi, ac quadraginta duabus alijs, quæ omnes Meſſanam ſub triumpho inuectæ ſunt. Prætereà ad Barcinonis oras capto Ioanne Vrceo Gallicæ claſſis Trierarcha. Ac demum haud longè à finibus Neapolis propter oppidum, quod vulgo Caſtellum ad Mare, vbi eodem Imperatore, ex hoſtilĩ octuaginta quatuor Nauium claſſe, quadraginta quatuor triremes cum quinq; captiuorum millibus in poteſtatem venere.

Atq; hæc omnia bella tam ardentia, tam latè diuiſa Siculorum auxilio geſta, ſed Meſſanenſium præcipuè virtute confecta ſunt, quòd hi maximè & Aragonienſi nomini ſplendorem, & hoſtium virtuti toties ante probatę labem vel ſoli inſperſiſſent, idq; præcipuè ſpectatum eſt vtroq; prælio Neapolitano, in altero quidem Meſſanenſes ſoli decem Triremibus in poteſtatem redactis, plurimas in fugam verſas portu ſe continere coegerint; in altero verò quod ferè ſine aduentitijs copijs Siculi duntaxat geſſerunt, Meſſanenſes præcipuè ceteris defeſſis reſtaurata pugna, conuerſæ quidem hoſtium claſſi calamitatem, ſed Gallis maximè Italiſq; intulere cladem, quam pridie multa Cælo, Terra, Mariq; prodigia non dubijs ſignis ad exitium vertentibus teſtata ſunt.

Verùm

Verùm hæc ferè ſuorum Regum auctoritate geſſere Meſſanenſes; ceterùm non minora ſuis ipſi auſpicijs perfecere, quibus virtutis ac felicitatis ſuæ famam, per omnium ora nationum explicarent. Teſtes ſunt agitatæ in bellis Sarracenorum phalanges, qui innumeris ex Africa copijs accitis, cùm vniuerſa Sicilia præter Meſſanam potiti eſſent, Meſſanæ poſtremò frænum iniecturi, Vrbem vel recipiendam, vel penitus diripiendam caſtris cinxere. Sed enim quarta poſt obſidionem luce erumpentes illi, Apollophorum copiarum ducem cum triginta millibus cæcidere, ceteris Panormum velut ad Aſylum profugientibus liquidò perhibentes, quàm Deipara iuuante neſcia manibus concludi Meſſanenſium virtus viam patefaciat ad gloriam, quibuſcunq; hoſtium cuneis circumſeptam. Teſtes Piſanæ Triremes, quarum aduentus in Siciliam ſemper caro illis ſtetit, & aliquando pari dimicatione, ſed diſpari Marte binæ cum binis Meſſanenſium congreſſæ, cum præfecto ſuo in mancipium horum venere; iterum verò maiori Claſſe, ſed virtute inferiori cum decem Meſſanenſium Triremibus & paucis nauigijs propè Syracuſas in certamen implicatæ, octo Triremium & quatuor carinarum amiſſione luère, nec multò poſt auro libertatem mercati captiui, Turri Piſanæ Panormi ex lytro conſtructæ, inglorium nomen dedere. Teſtis deniq; Ioannes Loria ductor Claſſis, qui cùm pro Iacobo Rege, Meſſanenſes Friderici tunc fortè partes ſecutos, viginti Nauibus laceſſiuiſſet, nihil cunctantes è veſtigio medio in freto, numero quamuis inferiores offendit, initoq; nauali prælio, non diu Meſſanenſes ſolita victoria morata eſt, paruo quippe ſuorum damno ſe ſe expedientes ſingulis Triremibus ſingulas hoſtium captas duxere, quatuor dũtaxat elapſis, biniſq; in diuerſum abreptis; quarum iacturam Ioannes Loria in prædam veniens abundè ſarciuit, nec modò victoriam, verùm etiam triumphum, & Friderici in portu ſpectantis, Ciuiumq; prouenentium auxit applauſum.

Non hic commemoro Megaram (hodie Auguſtam) à Iacobo Rege attritis Gallorum præſidijs, parua manu ſed virtute potiſſimùm Meſſanenſium receptam. Taceo è diuerſo Rhegyum aduerſus Caroli terreſtres quadraginta millium, & maritimas centum quadraginta Nauium copias, à trecentis duntaxat vix iuſto manipulo Meſſanenſibus, ſed antiquo Gedeonis brachio non modò fortiter propugnatam, verùm etiam Carolum multa ſuorum cæde, amiſſaq; Trireni Veneta ſoluta obſidione diſcedere coactum, & quidem ab ea Ciuitate, quæ nec muris firma, nec propugnaculis admodum munita, paucorum direptioni frequenter patere ſolita eſt; vt Meſſanenſium argumento liquidum euadat non mœnibus aut muris, ſed fortiſſimis animis ac valore Ciuium, oportere vallatam eſſe ciuitatem, quæ quorumuis potentium vires minimè pertimeſcat, imo retundat. Verùm id ita accipiendum, vt non à ſydere vel virtute naſcendi potius, quàm à ſingulari Deiparæ Virginis patrocinio, fortitudinem eam ac felicitatem inſitam habeant Meſſanenſes, eoq; diſpoſitus ſyderum (ſi quid iſta poſſunt in animos hominum corporibus coniunctos) ad votum ferri ſuum norint, quòd adoratam à ſyderibus Virginem propitiam ſibi non ignorent, eiuſdemq; nutu fortunam manibus teneant implicatam.

Ac vtinam plurima quæ ad hoc argumentum ſpectant, rerum Sicularum Scriptores, vel non prætermiſiſſent, vel partium ſtudio minimè deprauaſſent, nec ſubinde ad varias extra lineam interpretationes detorſiſſent, florentiſsimos hodie rariſsimis ad virtutem, ac Religionem exemplis haberemus Siculos annales, quibuſcum non dico Romanæ Conſulares, ſed vix fortaſſe omnium gentium hiſtoriæ in contentionem venire poſſent. Sed hoc ferè eſt fatum rerum præclarè geſtarum, ſi præſertim Scriptores nanciſcantur non tam ex Religione, quàm ex affectu ſingula pendentes, vel quibus ignauus & reſes animus, cum diligentia inueſtigandi res præteritas, felicitatem

quoq;

quoq; ademit inueniendi. Quo in genere laudandus iterum haud mediocriter Antoninus de Amico, Regis Catholici Hiſtoriographus, qui perſpicacem in retroacta ſecula mentem intendens, plurima ſanè inuenit, quibus recentiorum labores emendet, nec pauca ab illis ignorata an ſtudio prætérita, proferat in medium, propediem in lucem editurus inſigne manuſcriptum opus Bartholomæi de Neocaſtro Meſſanenſis, Iuris Ciuilis Profeſſoris ac Regni Siciliæ Fiſci Patroni, vnà cum alijs nouemdecim rerum Sicularum, eiuſdem æui, temporumq; conſequentium Scriptoribus, hactenus abditis & penè in ſilicernio, prælo ignorato latentibus. Niſi verò & hoc ad momentum accedat gloriæ Virginalis amplificandæ, Mamertinæq; Religionis ex priſca Epiſtolæ Traditione commendandæ, illis nempè temporibus huiuſmodi monumenta, ex antiquis ruderibus ſplendore nouo repurgata prodire, quibus exagitata quorundam artificioſo dicam, an indiſcreto zelo Meſſanenſium pietas, plures diuinitus ſortita eſt defenſores, qui cauſam pietatis multis rationibus etiam ex forenſi diſceptatione, profanaq; Hiſtoriarum atteſtatione fortius tutati ſunt, quàm vt loco poſſet dimoueri.

Ceterùm quia ex ſuis illuminatis laboribus Antoninus de Amico non pauca nobis amicè & humaniter, pro inſtituto communicauit, eadem libenter illi quoties Bartholomæi de Neocaſtro memoria inciderit in conſequentibus, accepta referimus, quo interim multorum deſideria vel hinc prælibent, quæ deinde ex illius lucubrationibus pleniori (quod aiunt) ore hauſturi ſunt. Sed iam illud agendum, vnde non quibuſuis aliò quoq; fors ſpectantibus indicijs, ſed præcipius ab inuſitata Virginis apparitione ſignis oſtenditur, quàm rata ſit, ac firma piæ Matris erga Meſſanenſes tutela, quàm ſemel in terris receptam, auguſtæq; manus charactere ſacratam, amplioris deinde gratiæ ſymbolo, cælitus ipſa ſui obiectu voluit eſſe conteſtatam; vt iam ſi ex eo Sacramento Virgini tribuitur, Sarracenos olim tota Sicilia potitos Meſſanam comprimere minimè potuiſſe, ſuperiori deinde ſeculo Turcarum claſſem validiſſimam, bis Melitam oppugnaſſe, Gaudiſium diripuiſſe, Leocatam ſemel deprædatam, Auguſtam bis populatam, ſenis vicibus Siculum fretum fuiſſe ingreſſam, Rhegyum incendio cum circumiacentibus Villis & agris conſumpſiſſe, iterum freto remenſo Lyparim exuſiſſe, inde per Tyrrhenum Pelagus in Italiam irrupiſſe, plurima oppida euertiſſe, multa vndiq; capita mancipio abduxiſſe, neq; tamen in tanta ac tam varia vaſtitate Meſſanam vlla calamitate fuiſſe tactam, multoq; minus afflictam; quid ab hac Virginis apparitione tam illuſtri, coniecturæ eſſe poſſit nemo non videt. Quo loco quia velut excelſa ſede præſens ſe ſe continet argumentum, quamquam hactenus etiam non infirmis ſeu coniecturis ſeu rationibus actum ſit, repetenda tamen altius eſt hiſtoria, quo plurium genijs conſulatur, & Virginis gloria ſplendeſcat magis.

OSTEN-

OSTENDITVR PROTECTIO DEIPARAE VIRGINIS *ex eiuſdem Apparitione.*

CAPVT QVINQVAGESIMVM QVARTVM.

ITAQVE poſt deuolutam à Carolo ſuorum culpa ad Aragonienſes Siciliam, Carolus vt infixam altius animo Regio iniuriam plexis Siculis euelleret, magno exercitu comparato, cum claſſe tercentum Nauium in Siciliam traiecit, Meſſanam primùm igni, ferro, manu, copijs oppugnaturus; quod vt ipſe acuto ſanè ſcômate dictitabat, Hydræ in primis capite contuſo, exuſto, nihil in reliquo corpore domando foret laboris. Tanta ſemper apud ſummos Reges Meſſanæ fuit exiſtimatio, vt cum ea ſola ceù Capite regni Siculi, ſociorum; ſalutem ſtare vel cadere cuncti opinarentur. Sed enim Meſſanenſes, quemadmodum antea clementia leniri poterant, ita pro re nata bello agendum rati, Alaimo Leõtino, Equiti, impoſita Vrbis Prouincia, ad tolerandam obſidionem, Galloſq; arcendos, ac ſemel pro aris & focis ſi ſors ferat ad moriendum ſe parare. Ardebat à Gallis auiditas belli, cum vindictæ cupiditate, Meſſanenſes virtutis cauſa, vel fortunæ arbitrio commiſſa acriter tutabatur. Et iam erecto ligneo propugnaculo ſecundùm Vrbis muros, Galli vires obſeſſorum pilis alijſq; machinis carpebant, ſed ea induſtria non multo ſtetit emolumento, quòd emiſſum tormento balearico ſaxum ingens, totam illam molem diſſoluta compage breui diſſipaſſet. Deindè verò meliori conſilio Carolus admotis machinis, Cænobium Saluatoris, tùm in ipſo Portus promontorio ſitum, omni conatu agreſſus validè oppugnat, & niſi obſtitiſſet inſignis fides, & memoranda virtus centum Meſſanenſium, actum fuiſſet de Vrbis, Regniq; Siculi ſalute.

Sed enim deiectis inſigni detrimento Gallis, & Ciuium creuere animi, & obſidentium ſpes inciſa non parum elanguit. Neq; tamen quippiam intermiſſum, quin reuocatis in pectora generoſis viribus, quauis occaſione periculum facerent obſeſſis, quos tamen Mamertini facinoris ex virtute Patronæ Virginis conſcios, pro re ſua fortiores, quàm vnquam pro Gallico nomine ſunt experti. Quin etiam fluxis alioqui feminarum mẽtibus, ea maſcula virtus inceſſit, quæ cum Martio virorum ardore certaret, & ſupra indolem Amazonum contemptis vulneribus, vltro ſe gladijs hoſtium fortiter pugnando implicaret. Duæ inter ſexcentas alias, illuſtres Matronæ, præclaris facinoribus edidere, quantum feminæ poſſent, ſi ſui ſexus oblitæ ſe à maritorum fide ac virtute degenerare non poſſe meminiſſent: harum altera Dina dum imminentes hoſtes prò viribus arcet, præcipiteſq; deturbat in foſſam, vno demum ſaxo impulſo non paucos animosè exanimat; altera verò re & nomine Clarentia, dum diſtentis alibi Viris, proruentes in deſtinatum locum periculo Ciuitatis obnoxium, hoſtes aduertiſſet, arrepto repente Caſtrenſi ære (quàm prouidum in ſubitis caſibus ingenium) & vehemẽtius pulſato, tamdiu ſuſpenſos metu Gallos ab inſigni conatu deterruit, quoad accurrente cum multis Alaimo, præcipites agerentur, ac penè ad vnum occidione occiderentur. Ita illa die ſalus Vrbis ex vna femina ſtetit, præclaro ſanè præludio ad eam, quæ paulo poſt conſecutura erat Virginis ſuos Meſſanenſes eminus protegentis apparitionem.

At enim Galli probro ſuffuſi, animis ad meliora tentanda recaleſcentibus, iterum atq;

atq; iterum diuerſis in locis machinas applicant, muriſq; inſultant, ſed toties repulſi multa ſuorum ſtrage, conatu cadunt, iterumq; repetita nauali pugna, validam in primis nauim vehementi Borea flante, in obſeptum cathenis portum immittunt; verùm hæc in ligneam impulſa molem, quam Meſſanenſes ad tutandum portum in ipſis faucibus erexerant, tamdiù ſuis propugnatorumq; viribus exercitata eſt, quoad ſedato Aquilone, coortoq; repente ſęuientis Auſtri turbine, in aduerſum repulſa côcederet. Dixiſſes non modò Charybdim & Scyllam, verùm etiam Aeolum cum vẽtis ac tempeſtatibus, fortunæ Meſſanenſium obſecundaſſe, niſi cæleſti imperio factum innotuiſſet, quando poſt irritum mari conatum, recrudeſcente iterum pugna terreſtri, iamq; partibus extrema in omnia ruentibus, in ipſo conflictus ardore, ſubito fulgore Maieſtas Deiparæ Virginis, ſupra muros Vrbis affulgens, candido ſpectabilis amictu, ſed ſpecie atq; aſpectu ſupra humanam longè auguſtiore, pro Meſſanenſibus prælium pugnatura conſtitit.

[1] Sozim Lib. 5.

Terruit id portenti primùm Sarracenos Carolo militantes, magis quàm vt fabulæ ferunt, [1] trux Mineruæ aſpectus Gothos Atticæ ipſiſq; Athenis infeſtos; ſed Gallis vel non aduigilantibus, vel certè in non ſiniſtrum omen trahentibus, tùm demum funeſtum fuiſſe res ipſa probauit, quando pluribus cæſis, ac in primis tenſa ex muro côtra Carolum ingenti baliſta, duos Principes Vitas obiectu corporis ſui Regem tutantes, excuſſa lethalis ſagitta repentino hauſit traiectu. Tùm enimuerò Carolus perterritus, prę́ſentiſſimo periculo ſe ſurripere, Galliq; bello fracti in fugam verti potius, quam ſponte in caſtra ſe ſe recipere, Meſſanenſibus interea nihil ab inſtituto victoriæ curſu remittentibus, donec eruptione facta, ſpolijſq; Gallorum detractis, diem illum ſua virtute, reliquorumq; Ciuium, ſed præſertim Alaimi præfecti gratulatione reddidiſſent inſigniorem.

Ita Carolus multis malis atq; incommodis conflictatus, ſoluta obſidione deceſſit, Meſſanenſes verò beneficio Virginis pauco ſuorum damno, tot præclaris defuncti facinoribus tandem recreati ſunt. Sed deindè vacatione belli ad Religionem traducta, non modò multorum dierum ſupplicationem decernunt, verùm etiam quò tanta victoria, patronæ Virginis inſignita trophæis, poſteris teſtatior foret, in eodem colle vbi conſpecta fuit, ædem Virgini parenti ac liberatrici Patriæ cum cœnobio Virginum Benedictini Ordinis (vt Maurolyco placet) dicant, geminaſq; Turres, quæ hodièq; ab eo prælio Victoriæ nomen ſeruant, memoriæ ſacrant, annuam ad Diuæ Ceciliæ Templum extra muros vbi Carolus conſederat, ob id recordationis extructæ ſupplicationem inſtituunt; quòd ſcilicet illo die Diuæ Sacro ſoluta obſidio curam de cetero Ciuibus exemit, diuturno bello ſi feſſos liberauit, glorioſos tamen recreauit. Id verò libenter hic notarim, quoties in difficultatibus rerum ac temporum, periculum Meſſanenſibus eſſet, ferè diebus Deiparæ ab Eccleſia Sacris, vel certè citimis, illos ſingularia quæq; eiuſdem ſenſiſſe beneficia, quaſi deuotam olim protectionem, publica quoq; ſolemnitate ad gloriam populi ſui vellet eſſe Sanctiorem, quando & iſti Virginis obſequijs auctorati, illis ipſis diebus vt credere par eſt, ad effundendos animos, religioſam magis haberent pietatem.

Ac in primis hæc ipſa tam diuturna Vrbis perpetuoq; pugnans obſidio, poſtridie Feſti Præſentationis, Caſtris ceſſit; nec dubium quin ipſa quoq; ſolemnitas Religioſa Ciuibus fuit, quam Patrona Virgo, nouo ſignatam Myſterio, memoriæ quoq; beneficij reddidit eò ſanctiorem, quòd quæ aliquando pro ſalute generis humani, Deo Patri in Templo manſueta ſe præſentaſſet, eadem pro defenſione clientis populi ſui, Meſſanæ ſeriò pugnatura præſentaret. Digna ſanè res conſideratione, Chriſtianiſſimos alioqui Gallos, Virginiſq; Religione non piè minus, quàm ſtrenuè feruentes, nec adeò temera-

Digitized by Google

merariam belli cauſam præferentes, nihilominus ab eadem Virgine ſeuerè coercitos, ac planè cum ſtrage depulſos, vt indè certiſſimum ſtipulatricis Epiſtolæ conficias argumentum, quaſi Sacramento quodam peculiari obſtricta, plus debuiſſet ipſa Meſſanenſibus quàm Gallis, tametſi & iſtos pietas Matris minimè præterijſſet, Regeq; inprimis datis in necem ſtipatoribus, occidioni exemiſſet.

Iterùm verò durante ab initio Vrbis oppugnatione, ſed præſertim die decimo quinto menſis Auguſti, gliſcente magis bellica impreſſione, Patrona Virgo religioſum Meſſanenſibus ſuis volens eſſe quietumq; ſuæ in Cælum Aſſumptionis diem, ipſa prouinciam militarem obiuit, ſtationem ſeruauit, impugnantes potenter expugnauit. Meminit eius rei ceteris prætcritæ [m] Bartholomæus de Neocaſtro, his verbis. *Quintodecimo die autem Auguſti hoſtes à Caperrina, Pharus* (ita vocat à freto quod Pharus eſt, Meſſanenſes) *impugnant, ſed iuuante dextera Domini deuicti & repulſi ſunt hoſtes, relinquentes in campis plura corpora mortuorum, quos potentia Sacræ Virginis Matris Chriſti, [n] cuius glorioſam Aſſumptionem die illa reuerenter Pharij celebrabant, mirabiliter expugnauit.* Hæc ille. Ex quo liquet in primis Gallos deſtinatam aucupatos occaſionem, quò die illo religioni Virginis impenſius quàm defenſioni ſuæ deditos obruerent Meſſanenſes, luiſſe magis; deindè verò iſtos ex repromiſſione, fidei, præſidijq; ſoliti ſecuros, potiorem duxiſſe ob cultum Virginis vacationem, quàm eo neglecto caſſam armorum tractationem.

Sed neque dubium eſſe poteſt, ipſum quoque Natalem Virginis diem, præclaro aliquo facinore inſignem Meſſanenſibus illuxiſſe; ſi ad animum vertamus poſterioribus etiam ſeculis fugientem potius, quàm ſponte à vaſtitate deſiſtentem Cicala ductore Turcarum claſſem, illo ipſo die, freto Mamertino exceſſiſſe, & ne Mamucæ aleam temeraria ſubiret, iam iam Deiparæ iuſſu paratis ad mergendum vndis, vix euaſiſſe; Meſſanenſes Religione incinctos, ad celebrandum liberatricis ſuæ Natalem lætiores reliquiſſe! Sed verò præſentiſſimum vbique Meſſanenſibus tota illa Gallica obſidione fuiſſe Virginis præſidium vel ex vnica [o] Neocaſtri narratione quam recentiores non videntur aduertiſſe, ſatis liquet, vbi de generali illa Gallorum impreſſione, octauo die Auguſti facta, quia præcipuè feminarum virtus in reſtaurandis murorum hiatibus, ne hoſtes irrumperent enituit, verba faciens: *Audi* (inquit) *fili, quod in tota obſidione ipſa, vix mortui fuerunt homines decem, de hominibus populi Meſſanenſibus: etiam quod mirabilius eſt, nulla de mulieribus Pharia miniſtrantibus neceſſaria bellatoribus tempore præliorum, cum percuſſæ fuiſſent ſagittis baliſtarum hoſtium, ex ipſis percuſſionibus mortua fuit, licet fuiſſent ſuſpicioſè confixæ.*

Ceterùm iubet hanc ipſam apparitionis Hiſtoriam ex eodem [p] Neocaſtro deſcribere, non quidem phalerato dicendi genere, ſed quæ ex ſimplicitate veritati atteſtatur, reique ſeriem totam quemadmodum ad Deiparæ honorem piè; ſic ad vberiorem cognitionem minutatim conſectatur, miſſaque à recentioribus, vel ignorata geſtorum prodit argumenta. Sic autem habet: ATTENDE ſummæ fidei noſtræ miraculum, & à ſucceſſorum noſtrorum memoria non delendum. Quidam ex hoſtibus etiam & Sarraceni Nuceriæ, (alij legunt Luceriç ſed rectius fortaſſe Nuceriç, quç Ciuitas propè Neapolim ſita Nuceria Paganorum dicta eſt; Nam Luceria Ciuitas eſt in Apulia) qui cum Ciuibus eorum ferè ſex millia in obſidionem ipſam venerunt, licet inuiti, petendi gratiam loquëdi nobis ad muros, aſſecurati per Alaymum,

[m] Cap. 41. Hiſt.

[n] Anno 1282.

[o] Cap. 55.

[p] Cap. 40.

mum, locuti ſunt dicentes: Viri Pharij per Deum verum, & viuum, quem vniuerſæ creaturæ recolunt & adorant, dicite nobis, quale continuè prodigium videmus, & apparet nobis apertè; quòd quædam mulier albis amicta, aſtans ſupra muros veſtros hinc indè diſcurrit, tenens in manibus velamina, ex quibus tempore præliorum cooperit muros veſtros; quam cùm videmus, omnes dirigemus, & ſpiritus pugnandi à nobis eripitur, nec ſtare poſſumus facie ad faciem contra Vrbem; & ſagittæ arcuum veloces tanquam è Cælo deſcendentes, in exercitum noſtrum immiſſæ, lethabiliter corpora mortuorum transfixerunt, adeò, quòd quæſitis turbis exercitus, inuenitur incxcogitabilis numerus mortuorum: & iam peſtis mortifera tranſit in reliquos, ita quod niſi caſtra ſeceſſerint, vix ager ſufficiet ſepulturis. Hæc dixerunt; ſed cùm clamaretur ad arma, receſſerunt. Scito fili, quod mulier illa quam dicunt, Glorioſa Virgo Sancta Dei genitrix eſt, quæ populum Pharium ſibi deuotum ſemper pietatis, & potentiæ ſuæ pallio protegit & gubernat: & illæ ſagittæ cùm nos à Deo ſimus, quem ſequimur, à pharetra Diuini iudicij contra hoſtes noſtros immiſſæ fuerunt. Non enim niſi Chriſti potentia pro nobis fuiſſet, & pietas de multitudine gentium, Pharius populus inopinatam victoriam habuiſſet.

Hæc Neocaſtro. Ex quibus non vno malo conflictatos accipimus Vrbis obſeſſorem, antiquã prætereà Ciuium & planè eximiam pietatem, dubio procul ex religioſo Virginis cultu profectam, quæ tàm illuſtrem è Cælo victoriam aduocauit, Meſſanenſes raro exemplo ſupra mortales repoſuit; deniqúe Virginem protectricem, non aſſiduam duntaxat in ea defenſione fuiſſe, verùm etiam ſæpius apparuiſſe, nec magis Ciuibus quàm quibus formidabilis eſſet, hoſtibus, viſendam ſe obieciſſe. Ferunt nonnullos ex primo Virginis minitantis aſpectu, baliſtis in aduerſum nixos inſolenter fremuiſſe, verùm retortis atrocius iaculis, temeritatis pœnas dediſſe, plures ſplendore nimio perſtrictos, eliſa oculorum acie repente cæcutiuiſſe, nec paucos ignoto lethi genere conſtratos iacuiſſe, quod fortaſſe ſignificauit Neocaſtro, cùm dixit peſtem mortiferam in reliquos tranſiuiſſe, quæ niſi ſublatis cum Milite Caſtris, inducias malorum habitura non eſſet, neminem letho eximium relinqueret. Nec dubitandum videtur in repetita in dies apparitione, Virginem ſubinde aliam atq; aliam intuentibus ſui ſpeciem edidiſſe, vt eam ob cauſam in varias hiſtorias diuerſæ immitterentur narrationes, alijs candida amictam palla, & quò propugnantes obtegeret velamine manus occupatam referentibus, alijs ſuccincto limbo velut pugnæ ſatagentem, tela manu vibrantem, deniqúe alijs ſiniſtra vexillum Cruce inſigne ferentem, dextera ſagittas retorquentem perhibentibus. Atque hoc poſtremum, atteſtationem habet ab ea, quæ in æde Virginis Alticollis, illi memoriæ tum extructa, pugnam & obſidionem exhibens, ſatis antiqua viſitur tabula, paſſimque hoc exemplo, in ceteris imaginibus religionem, in ore vulgi famam obtinuit. Præclaro ſanè argumento, Virgine olim patrocinante, Archadianum illud Imperiale ſtemma, in Meſſanenſium conceſſiſſe honores, quaſi ea ſpecie monitos Virgo voluerit ſuos Meſſanenſes, ad animum reuocarent, cuius olim ope fortiter pugnando Bulgaros repreſſiſſent, ab Archadio meritorum ac honoris illud inſigne ſuſcepiſſent, eiuſdem præſidio contra Gallorum potentiam, memorabili ſeculis gloria ſe ſe defenſuros, victoriam reuecturos.

Ceterùm non vna vice vel illis etiam, qui bella aduerſus Meſſanenſes mouiſſent, conteſtatam fuiſſe Virginis protegentis opem, ex illis etiam paratæ victoriæ ſignis, quæ Comitem Atrebatenſem nocturno viſu terruerunt, luculenter

apparet, multoq; magis ex conſecuta deindè ad eam præſagitionem inſigni reipſa victoria, quam Rogerius de Lauria de valida non minus quàm numeroſa Caroli claſſe, pro Iacobo Aragonio ſigna ferens, ad littora Surrentina reportauit. Narrat ea præſagia [q] Neocaſtro, totumq; ex ordine belli & pugnæ ſucceſſum, ſed ad noſtrum inſtitutum, primum illud maximè facit, reliqua, vbi Antoninus de Amico in lucem miſerit cum voluptate leges. Sic ergo ille. Audite verbum mirabile quod nocte illa (*quæ ſcilicet pugnam præceſſit*) cùm foret mare tranquillum, clamor à pelago veniebat cum ſtrepitu, nec intelligi poterat ſonus eius, licet teneret cum æquore terra pacem, nec ab aëre ventus irrueret, vaſa hominum (*id eſt naues*) periclitari videbantur, ſtridor rudentium, & arborum, aures percutiens ſingulorum audiri de longè poterat, minæ maris tanquam vlulatus dolentium mirabiliter ſunt auditi. Et cùm cæli foret tranquillitas, igneæ lampades volitabant ab aëre velut trabes ardentes. Tunc canes quaſi gementes, amaros vlulatus, & horribiles præſtiterunt, & tempeſtiui galli triſtia populis cecinerunt. Nocte illa Comes Atrebatenſis ſomno ſepultus, voce magna exclamans dixit, Rex Carole accipe vaſa & gentem tuam: quia plus ea ſuſtinere non poſſum, priuſquam rurſus perdantur à Siculis: video Aquilas vorantes gentem tuam, & alij captiui ducuntur à FEMINA GRAVIS ASPECTVS. Pharij quoq; per eos bello diſpoſito cùm pocula & gaudia ſumerent, cum ponto & ſuperis pacem tenent. Hæc ille. Femina porrò grauis aſpectus non alia eſt, quàm Deipara Virgo Meſſanenſium ex Sacramento tutelaris, ea grauitatis imagine, ſeriam pro illis curam præ ſe ferens, quaſi cùm res aliorùm clientum, ſuauitate quadam gerat, ſi de Meſſanẽſibus agatur, ardorem pectore conceptum vultu quoq; grauiori exhibeat, eoq; magis quòd ductis in mancipium aduerſis bellatoribus, liquidò ſatis oſtẽdit, ſe protegente ſemper Meſſanenſes bellorum aleis futuros eximios, fortunam aliorum captiuam, corpora ſub iugum abducenda. Ceterùm qui nocturno viſo grauis duntaxat aſpectus fuit, diurno portento deindè ſpecies extitit formidabilis, quòd nempè ſic oportuit minas admonentis in argumentum tranſire affligentis, & in vtroq; Sacramentum aſſerere Patronæ protegentis.

Legimus in bellis perſæpè publicas Diuorum apparitiones; ac vt vetuſtiora repetamus, Senacherib Aſſyriorum [r] Rege, Hieroſolymam obſidione premente, Angelus Cæli nocte vna, vnaq; ſtrage, centum octuaginta quinq; millia bellatorum corpora trucidauit. Conſtantino deindè aduerſus Maxentium pugnante, aliquo ſanè [ſ] Diuorum obtendente, Crux in aëre conſpecta cæleſtiſq; inſcripta ſententia, victoriam quæ poſtea conſecuta eſt decreuit omnibus ſeculis memorandam. Theodoſio [t] rurſum cum Eugenio ad Aquileiam decertante, Ioannes & Philippus Apoſtoli anteſignani, retortis aduerſo flamine telis hoſtium, inſignem ab eorum ſtrage gloriam pepere. Roilæ quoq; Scytharum Ducis, Conſtantinopolim aduerſus Theodoſium iuniorem qui Archadio ſucceſſit, pergentis, immiſſa Cœlo fulmina ac faces, vniuerſas exercitus maximi copias diſſiparunt. Ardabario eiuſdem Theodoſij [u] auſpicijs cõtra Perſas militem ducente, Angeli auxiliares affuere, commiſſoq; prælio centum millia Sarracenorum quibus, Perſæ fidebant, præcipiti fuga fluctibus Euphratis immerſere. Idem Ardabarius Angeli ductu pro Theodoſio, repentino aduentu Rauennam expugnauit, Ioannemq; Hæreticorum fautorem, ab arrogato Occidentis Imperio deiectum in vincula compegit. Imperante Iuſtiniano cùm vacuam defenſoribus Sergiopolim, Sapores Perſarum Rex ſubigere tentaret, explicatum per mœnia exercitum, egregiè incinctum repẽte conſpicatus abſtinuit, idq; cum Sergij Martyris ope factum reſciſſet, ex eo tempore magna ſe religione Diuo obſtrinxit. Pelagius aduerſus Miramolinum, reliquoſq; Sarracenorum Duces, exigua manu conferens, vt immiſſa

[q] *Hiſ. cap. 100. & 101.*

[r] *4. Reg. 9.*

[ſ] *Sozom. l. 6.*

[t] *Theod. l. 5. c. 4.*

[u] *Niceph. l. 14.*

in Chriſtianos tela Angelorum prouiſu in Sarracenos retorta vidit, è latebris emergens, ingenti reſiduos ſtrage fudit, ſeq; cum ſuis nõ modò à calamitate, verùm etiam à calamitatis formidine in poſterum liberauit. Ramirus Iacobi Apoſtoli facinore ſeptuaginta circiter millia Sarracenorum profligauit. Eoſdem Ioannis Decimi Pontificis exercitus, Petri & Pauli Apoſtolorum ductu in Apulia maxima clade fugauit ac fudit. Vuenceslaus Bohemiæ Dux, vitæ ſanctitate Illuſtris, cùm Duci Curinenſi maximis copijs fines Bohemiæ infeſtanti, occurrens, quò multorum cædibus ſuo periculo parceretur, ſingulare certamen obtuliſſet, Angeli apparuere, dimicantiq; arma miniſtrauere, quo viſu territus Curinenſis, ex equo ſe ad pedes Vuenceslai abiecit, obtentaq; venia deinceps ab iniqua inuaſione diligenter cauit. In expeditione Sacra Antiochena, cùm Chriſtianos propè fame tabidos & enectos, ingens præterea Sarracenorum, Perſarum ac Turcarum exercitus ad interitum compelleret, illi S. Andreæ hortatu, defoſſam humi in Eccleſia Principis Apoſtolorum lãceam, quæ CHRISTI latus confixit, eruderãt, eaq; prælatã vniuerſos propè ſignis, ſpolijs & vita exuũt. Rurſum Chriſtianis cum Corbona Perſarum Duce ſigna conſerentibus, innumera albatorum equitum agmina, per aëris ſudum labentia, non modò aciem inclinantem firmauerunt, verùm etiam hoſtibus in fugam verſis, centum equitum millia peditibus numerari neſcijs, cædenda præbuere. Attila Rex Hunnorum, cùm poſt direptam & incenſam Aquileiam, in interiorem Italiam, maximèq; Vrbem Romam inflammato ſtudio reperetur, non tam Leonis primi Papæ occurrentis eloquentia perſuaſus eſt, vt pedem Italia efferret, quàm Diui cuiuſdam ſtricto gladio perniciem minitantis, niſi Leoni obtemperaret. Agnellus Abbas ſumma apud Neapolitanos Religione ſacer ac celebris, eam Vrbem toties innumeris malis atq; incommodis obſidionum conflictatam, viſus eſt ſæpè Crucis elato vexillo defendere. Sed etiam ſuperiore ſeculo Rege Canore Luſitanam arcem obſidente, ſæpè à paucis Luſitanis maximæ hoſtium copiæ ſunt profligatæ, vnius videlicet hominis ignoti facinore, quem cùm omnes propè deſtinatis ictibus peterent, nullis obnoxium vulneribus cadentes extimuerunt. Rex Manincongi Alphonſus, à quo tempore CHRISTO nomen dedit, pauca manu cum maximis auerſi à fide fratris copijs, nunquam ſine victoria conſeruit, quòd hoſtibus fatentibus milites cruce ſignati pro Alphonſo toties prælium depugnaſſent acerrimum. Deniq; vt miſſa faciam innumera paſſim nota: cùm Solymannus Turcarum Princeps ab obſidione Viennæ, Caroli Quinti aduentantis metu copias retraxiſſet, & obuia quæq; loca bidui itinere ſpontè ſe ſe dedentia ſubegiſſet, vnum duntaxat oppidum Gunzium non tam muris ac Viris, quàm Nicolai Iuriſicæ Præſidis virtute ſeptum, potentiſſimi Tyranni iuſſa contempſit, iamq; triginta propemodum diebus oppugnatum, ac tandem ſuprema impreſſione maioribus quàm antea viribus tantum non expugnatum, Diuus Martinus cuius tutelæ, ob vicinam Sabariam Martini Patriam à Ciuibus antiquo voto commendatum erat, hoſtes non modò à conatu repreſſit, verùm etiam pluribus cæſis, ac ſignis ablatis, quæ hodieque in templo Oppidi memoriæ cauſa viſuntur, inſignem pietati Nicolai victoriam cõdonauit. Ferunt nihil vnquam ægrius tuliſſe Tyrannum, quàm potentiam ſuam toti Orbi formidabilem, ab exiguo obſcuroq; loco ludificatam, eamq; ob cauſam cupidum videndi Nicolai, ſi quo modo ad ſuas partes virum tam eximium promiſſis allicere poſſet, data fide hominem acceſſiuiſſe; cumq; in exili corpore ingentem animum cum Purpuratis ſuſpexiſſet, cui facilius eſſet vitam quàm fidem Deo, ac Carolo obſtrictam extorquere, inſigni munere affectum ad ſuos remiſiſſe; quem deindè Carolus coram Principibus collaudatum, eiuſdem oppidi priuilegijs ampliſſimis ornati, ac totius territorij iure hæreditario donauit, ac non multò poſt abſq; hærede vita functo, Regio

planè

Digitized by Google

planè Mauſoleo parentauit, ingenſq; Viri deſiderium ad poſteros tranſmiſit.

Sed enim Virginem Dei Matrem aliquando palam appáruiſſe, viceſq; bellatricis pro genere mortalium egiſſe, ſi interdum, rarius tamen accepimus. Petrus Maffeius [x] de profligatis ad Arcem Dienſem à Ioane Maſcarenia, & Ioanne Caſtrio Indiæ Prætore poſtquàm diù potenter obſediſſent, infidelibus; Celebritatem (inquit) huius victoriæ auxere diuina miracula, quod hoſtes ipſimet affirmarent, cóſerta iam pugna maiores aliquot baliſtas, quater ignem Cælo minimè pluuio reſpuiſſe; & ſuper ædiculam arcis apparuiſſe MVLIEREM Cæleſti lumine radiantem, cuius fulgor ita aſpicientium oculos menteſq; perſtringeret, vt cæci propemodum neq; in ordine ire, neq; in vnum conglobare ſe poſſent, ac tanto Superiores numero, tamen immutata repente rerum omnium ſpecie, vt in denos Luſitanos pugnaturi ſinguli viderentur, inde conſternationem & fugam ortam. Sed etiam illa Angolæ de Barbaris auxilio Deiparæ parta victoria planè ſtupenda fuit. Narrat Franciſcus [y] Bencius, à ducentis circiter Luſitanis, decem millia confæderatorum Aethiopum ſub ſignis, habentibus, tantula manu tota ſexcenta barbarorum millia fuſa fugataq;, & quod alioqui incredibile videatur, incruenta prorſus victoria, cuius quidem auctor nō immeritò creditur Virgo ſanctiſſima, quam præcipua quadam Chriſtiani Aethiopes obſeruantia venerantur: Et paulò poſt. Certè poſt nobilem illam atq; haud ſcio in omnibus ſeculis vnquam auditam victoriam, quam noſtri de Angolanis reportarũt, cùm duodecies centena millia profligauerunt exiguo numero, cùm fortè quidam Luſitanus ad Regis Vrbem delatus quæſiuiſſet de eius ductore exercituum, quid cauſæ fuiſſet cur illa multitudine propè innumerabili tam paruis copiolis ceſſiſſet. Haud quaquam, (inquit ille) Luſitanorum arma metuebamus, quos vel vno ſpiritu diſſlare potuiſſemus; Sed Femina admirabili ſpecie clariſſima effulgens in luce, ſeniorq; eius comes flammeum vibrans gladium, qui conſpiciebatur ante ſigna ſuſpenſis medio aëre veſtigijs, magnum incutientes ſpectantibus formidinem, alienatos terrore animos in fugam dederunt. Hæc Bencius.

[x] Lib. 6. Hiſt. Indic.

[y] In lit. Annuis An. 1587.

Sed etiam Siclenſes (oppidum Siciliæ eſt ad Pachynum ſitum) pia traditione recolunt, quo tempore Sarraceni Siculis vbiq; bello graues imminerent, proruẽtibus forte pro re nata ad defenſionem Oppidanis, Feminam humana ſpecie auguſtiorem, candido inſidentem equo, generosè adpugnaſſe, barbaros perterritos acie verſa fudiſſe, cæcidiſſe. Eam verò Deiparam Virginem fuiſſe, cuius tutelæ Siclenſes fortunas ſuas enixè commendarant, nemo hactenus dubitauit. Et extat illi memoriæ dicatum ibidem Oratorium, Eremicolarum hodie cultu ſacrum, populorumq; aduentantium concurſu percelebre, quod ex eo facto Diuæ Mariæ Militanti, ſeù Militiarum, vel ad Milites nomen ſortitum eſt.

At non mirum Eccleſiæ Catholicæ Patronam, fidei ac religionis propugnatrícem, Chriſtianorum cauſa, cum infidelibus certa ipſorum pernicie decreuiſſe; rarius tamẽ, niſi etiam nũquam apud quos eruditus ſum, auditum, pro Chriſtianis aduerſus Chriſtianos aperto Marte, nec ſemel, varioq; ritu depugnaſſe; quo proindè ſi tam ingentis ac ferè citra exemplum, vnicæ priuilegium gratiæ Virgo Meſſanenſibus irrogauit, id ex ſingulari illo Sacramento, quo ſe pridem Clientibus ſuis aſtrictam eſſe voluit, manaſſe credendum ſit; vt quamquam pietas Matris omnium, ex officio redundet in omnes, peculiari tamen fauoris prærogatiua, gratiarum oculi in Meſſanenſes inflectantur, eamq; ob cauſam quod de Agathæ Patria Catana dictum percrebruit. Noli offendere Patriam Agathæ, vltrix enim iniuriarum eſt, præſtantioris cuiuſdam dignitatis titulo in Meſſanam conueniat: Noli offendere Ciuitatem Virginis, propulſatrix enim iniuriarum, ac malorum eſt.

Quæ

Quæ dum dico, ſocias in Regno Vrbes ab honore & beneficio minimè eximo: quin Deiparam Virginem Meſſanæ velut in Regia conſidentem, vniuerſis gratiam imperare, ac per Diuas cuiuſq; tutelares, velut in præſidia diſtributas, (Virgines quippè adducuntur poſt eam) ſingulis opportuna beneficia diſpertire, certum puto. Itaq; habet Catana ſuam Agatham, Syracuſę Luciam, Lilybæum Veneram, Moenç Agrippinam, vt de ceteris taceam, feliciſſima Panormus Chriſtinam admirabilem, quæ omnes ad nutum Virginis, quaſi vbiq; per illas ipſa ſit præſens, rerum ſatagunt, Clientum ſuorum vota promouent, neceſſitatibus prouident, nouis etiam, ſi opus eſt, modis, pericula fugant, ſalutem creant. Itaq; nuper laborante graui peſtilentia Panormo, vt primùm Meſſanæ Deiparæ Virginis abdita per ſecula imago, fortuitò ex dirutis in æde Diui Leonardi muris, repentè quaſi Regni periculis obuiatura comparuit, continuò velut cæleſti monitu Diua quoq; Roſalia (quam Bibonenſes ſuam Ciuem eſſe contendunt) multis ætatibus ignota, Panormi in lucem venit, & roſea ſuauiſſimi odoris aura, tetram contagionem fugauit, Ciues Virgini caros fœda mortalitate liberauit, penè elāgueſcentem Vrbis felicitatem, ad meliorem priſtina velut floris dignitatem reuocauit. Nec ceteræ Vrbes ſuis carent, vbi res & tempora poſcunt præſidijs, & ſatis vulgata eſt apud Meſſanenſes traditio, ſacrum Agrippinæ depoſitum, quod modò latet, aliquādo luci & ſaluti Ciuium opportunè reddendum, vbi fors graue periculum Vrbi inceſſerit, nec rem communem in diſcrimen extremum, ipſa auertente abituram. Quòd cùm acciderit, in hanc quoq; Deiparæ Virginis Ciuitatem redundare pium obſequium, par erit, atq; adeò gratiarum vectigal ad Reginæ arbitrium dependere, quemadmodum & nuper Roſalia, non paſſa ſe concludi in hortis Panormitanis, longè quidem odorem morbis ſalutiferum per exteras etiā Prouincias ſpirauit, ſed hic primùm in Reginæ Vrbe, factis eximijs gratiarum periculis, obſequentem iuſſis ſanctitatem, & fecundantem ſanctitati virtutem probauit, ac obtenta velut honora licentia, cumulatiſq; prærogatiuis religionem latius in Orbem exportauit, felicitatem Panormitanam propagauit.

OSTENDITVR PROTECTIO VIRGINIS ex liberata à Peſte Meſſana.

CAPVT QVINQVAGESIMVM QVINTVM.

HACTENVS de tempeſtiuo Virginis inter bella, bellorumq; metus beneficio per ſumma quędam capita diximus, pluribus ſanè prætermiſſis, in quibus non modò noſtrum argumentum, ſed eximia cuiuſuis narratoris dicendi copia verſari potuiſſet, cuiuſmodi plerique inter alia volunt fuiſſe, cùm ſuperiori ſeculo tempeſtates illę potentiſſimę claſſis Turcarū, & ſi bis Melitam oppugnarint, Gaudiſium diripuerint, locatā deprędatę ſemel, Auguſtam bis populatæ fuerint, ſenis demum vicibus Siculum fretum ingreſſæ, Rhegyum incendio ter conſumpſerint, direptis Villis vaſtatiſq; agris penè exciderint, neq; tamen Meſſanā agroſq; Meſſanenſes attingerent; neq; ſolum, ſed cum immanis ille Barbarus neſcio quo malo auctoratus, traiecto freto Lyparim exuſiſſet, indè per Tyrrhenum pelagus in Italiam irrupiſſet, oppida euertiſſet, Matresfamilias, Virgines, pueros ingenuos raptaſſet, vix reſiſtentibus municipijs & colonijs, quod ſubitus & improuiſus hoſtis aduentus, nedū Italorum Ciuitates con-

conſpirare, coniunctiſq; viribus exercitum conflare, cùm longè ab Italia abeſſet Imperator, permiſiſſet; ſed neq; priuatim cuiq; pro ſe copiam reſiſtendi reliquiſſet, quo tempore quidem tantam Deus immortalis fortunarum calamitatem, tantam ditionis Italicæ ac Hiſpanicæ vaſtitatem fuiſſe multi ſcribunt, quantam Italiæ regna multo tempore Germanicis ac Gallicis bellis exercita, Hiſpania verò Sarracenorum armis implicita non viderat: & tamen beneficio Patronæ Virginis, Meſſanam ea ſtrages minimè inuoluit, tametſi oberrante hoſtium claſſe in ipſo freto Siculo, atque adeò in oculis Meſſanæ crudelitas verſaretur, Vrbemq; ceteris Hiſpaniæ atq; Italiæ Ciuitatibus hoſtili nomini plus infenſam haud ſemel deſignaſſet. Extimuit ſcilicet Barbarus, quòd ſicut olim Sarraceni, Patronam & ipſe (quod alibi diximus) Virginem formidabili ſpecie ad propugnandum incinctam eminus aſpexit, niſi etiam tacita quadam præſenſione aduertit, religionem habendam eſſe illi Vrbi, quam Mater Dei defendēdam recepiſſet, & ad quam non multos poſt annos, vniuerſa claſſis Otthomannica, propter Echinadas profligata, mancipio vētura, & Reginę Cæli Meſſanenſium tutelari, cuius illa victoria ſtetit auſpicijs & auxilijs, ceruicem inclinatura eſſet. Neque enim dubium ſoluentem ex portu Meſſanenſi Chriſtianorum claſſem ad conferendum ituram, hic ſupremis à Deipara votis victoriam fuiſſe obteſtatam, dataq; olim Meſſanenſibus benedictione impertitam, bonis auibus abiuiſſe, viciſſe, rediјſſe, meritòq; detracta hoſtium ſpolia, gloria ſanè à ſeculis inuiſa, huc primum aduexiſſe, ad pedes Virginis Fortunatricis depoſuiſſe, ex hoc velut gloriæ theatro felicitatem toti Orbi Chriſtiano partam oſtentaſſe.

Nam etſi pio Pij V. Pontificis inſtituto per vniuerſum Orbem Chriſtianum, in ea victoriæ vota publicis vbiq; ſupplicationibus Deipara vocaretur, quòd non ſolùm ex communi fidelium ſenſu, nec vnquam ſpe fallaci conſtaret, ipſam præ Cęlitibus apud Natum efficaciſſimè pro Eccleſia interpellare; verùm etiam diuinitus iniecta mente Sanctiſſimo Pontifici ratum eſſet, eius auxilio gloriam illam nomini Chriſtiano cunctis ſeculis memorabilem conſtituram, religionemq; Crucis recreandam, vt ob id, quo die precibus impensè vacans [a] cælitus accepiſſet, viciſſe Chriſtianos, eodem, ſeptimo ſcilicet Octobris, commemorationem [a] S. MARIAE de Victoria quotannis faciendam inſtitueret: Etſi (inquam) vbiq; gentium Virginis opem Chriſtiana fides, ac præſertim Roſarij deuotio imploraret: hic Meſſanæ tamen ad ædem Patronæ Virginis Cathedralem, ad ipſam Virginis aram, adeoq; ad ipſum religioſiſſimæ Epiſtolæ Sacrarium, Virginiſq; ab ea nuncupatæ venerandam Imaginem, totius Eccleſiæ preces ſigillatæ, Victoria ſpe omnium concepta, in Cælis à diuino Senatu Virgine ſatagente decreta eſt. Hic, è diſpenſatis ſi vnquam antea pleniſſimis Eccleſiæ theſauris, præparati ad pugnam militum animi, & expiatis noxis pane Cæleſti fortes ad vicendum & moriendum effecti. Hic, Sacris concionibus explicata belli æquitate, laudata Religionis ac Diuinæ gloriæ cauſa, incenſæ Ducum voluntates, firmatæ votorum Sanctitates. Hic, à certiſſima Deiparæ protectione, tot pridem argumentis conteſtata, traductum ad animos omen, pugnandi cupiditatem indidit, victoriæ ſpem armauit, roborauit. Hic, Ioannes Auſtriacus benedictione Pontificia, ſed Patronæ Meſſanenſium auſpicijs Sacratum Crucis vexillum ſuſcepit, ac renouata Conſtantini teſſera, IN HOC SIGNO VINCE, ad Epiſtolæ Virginalis aram, vbi Religionem habuit, decretam Cælo victoriam, ac velut tabellam manu Virginis conſignatam tulit, MARIA VIRGO, Ancilla Dei humillima, CHRISTI IESV Crucifixi Mater, Meſſanenſiū protectrix: Tibi, pugnaturiſq; omnibus ſalutem, Dei Patris Omnipotentis benedictionem, noſtram protectionem, certiſſimam de hoſte fidei victoriam, & ex ea Reipublicæ Chriſtianæ felicitatem: Perge, vince, ſoſpes, triumphaturus huc reuertere.

[a] Surius in tom. Hiſt. ad an. 1571. a Ioã. Ant. Gabutius in vita Pij V. lib. 3. cap. 6.

Digitized by Google

tere. Hic demum, vbi iſte fiducia plenus, eoq; inceſſu ad pugnandum arduus Claſſem conſcendit, veliſq; ac ſignis in ſpem explicatis, ſecundo flamine ſoluit, Sacerdotum omniumq; ordinum Sanctitates, nec non populi vniuerſi pietas ac deuotio, ſuſcepta velut in ſe totius Orbis Chriſtiani Religione, commiſſaq; ſibi totius Eccleſiæ cauſa, coram Deo ac Deipara vota fundere, lacrymis ſe ſe mactare, precibus imis emereri, continuatis pietatis operibus deſideria ſancta promouere, gratiam victoriæ tametſi ratam, nundinari non deſtitit.

Ac vt primum Ioannes, ad ſinus Corinthiaci fauces, in conſpectum hoſtis venit, ingenti nauium longarum multitudine penè Mare obtegentis, reuocata recens in militum animos deſtinatæ ſpe victoriæ, Virginem protectricem ſub ipſo exordio conflictus, ſigno per Claſſem dato ſolemniter adſalutauit. *Cum iam* (inquit [b] Surius) *manus cum Turcis conſerendæ eſſent, tympanis, tubis, fiſtulis, aliijſq; muſicis inſtrumentis accenſi militum Chriſtianorum animi, alta voce Deus omnipotens Trinus & Vnus inuocatus, ipſa quoq; Sanctiſſima Chriſti Mater, vt quæ plurimum poſſit apud Filium reuerenter ſalutata eſt.* Prorſus ad vota Chriſtianorum aleam belli Virgo pientiſſima rexit, & aduerſum initio pugnæ ventum, reflexis habenis in hoſtium ſigna conuertit, fumum & flammam retorſit, tela quoq; non repreſſit modò, verùm etiam emendato motu candentia magis, in ipſa vibrantium ora palam retro egit: vt certò ſcias eandem in eo prælio depugnaſſe Virginem Bellonam, quæ olim pro mœnibus Meſſanenſium, aſuetis iam ad retorquenda iacula, mortaleſq; ictus lacertis non ſemel decertauit, ac tum ea Nauali pugna paucis horis durata, ſtetit illa MARIAE Virginis ſoſpitatu Victoria, quā fortaſſe maiorem ab Octauij Auguſti ſeculo, Mare Mediterraneum non conſpexit.

b In com. Hiſt. ad an. 1571.

Ea verò confecta, huc, quemadmodum dicebam, glorioſa Claſſis reuecta, potentiā barbaricam, humiliatis antennis depreſſiſq; lunis raptauit, & ingenti Regni totius Siculi applauſu, ſed Meſſanæ feſto præterea bellicorum tormētorum, Martiumq; ſignorum ſtrepitu, theatro ac portu recepta eſt; vt vnde victoriam auſpicata fuit, ibi felicitatem ſuam vectigalem Virgini præſentaret, captiuam Otthomannicam ſuperbiam religaret. Id propter dilucefcente poſtero die Ioannes Auſtriacus, ex ipſa prætoriæ puppi, ductis vniuerſæ victoriæ coronatis ordinibus, ſolemniq; totius Religionis inſtituta ſupplicatione, ad Aedem Virginis Cathedralem inuiſit, & perſoluto ſacrum ac lætum plaudentibus Organis, hymno laudum votiuo, TE DEVM laudamus, ad aram Virginis ſupplicisſimus ipſe adorauit, gratiam acceptam tulit, ſpolia reportata numerauit.

Verùm non hac ſola victoria peropportunum fuit Reipublicæ Chriſtianæ, Meſſanenſium Patronæ præſidium. Enimuerò accenſis ingenti ſucceſſu Principum animis, vbi Pio Quinto ſequens annus diem Cælo ſignaſſet, Gregorius Decimus tertius ſanctitatis potitus, iterum in arma contra fidei hoſtes eundum inceſſit; iterum Meſſana Victoriarum ſedes, vnde felicitatis teſſera capeſſeretur delecta eſt. Itaq; Ioanni Auſtriaco Claſſis Imperatori, rurſum adfuere Duces ac Milites vincere aſueti. Adfuit & Paulus Odeſcalcus, Pennæ Antiſtes, Apoſtolicus nuntius, qui Pontificijs indultis ritè ad pugnandum Milites incingeret, Sacramentis viam in Cælum muniret, morituris pro Crucifixi gloria, vitam æternam repromitteret. Eo ſupplicationem generalem, ad conſuetam Virginis Aedem indicēte, Ioannes in primis cum vniuerſis Ducibus ac belli proceribus, nec vllo Milite excepto, Sacram per Vrbem inambulationem, præeunte Religione ac Clero cum Apoſtolico nuntio deuotus adornat; ipſo Pontifice ritu in Eccleſia fungente, continuus aſſiſtit, Sacra Synaxi cum Ducibus reficitur; iterumq; vexillo Crucis ſublato, ad pientiſſimæ Virginis aram, vt nuper, deuotè paciſcitur.

Viſa

Viſa tùm alacritas militum eò geſtire magis, quòd ſecuram ſalutis cenſeret mortem, quam pietas quoq; Catholica Ducum, quemadmodum antea fecerat, ſtatutis ferijs parentalibus, ad omnes aras Sacrificijs comitandam decreuiſſet; Sanctam [c] videlicet, ac ſalubrem ducẽs cogitationem pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur. Itaq; Ioannes educta quàm primum Claſſe hoſtem inſecutus, qui tametſi impotenti ſuperbia, quo diſpẽdium attriti ſemel roboris ſupercilio barbarico diſſimularet, ingẽtem iterum Claſſem inſtruxiſſet, metum tamen efferato quantumuis pudore animo, celare non valuit, eoq; ſubire aleam veritus, pugnam haud vna vice oblatam detrectauit, aſtutè euitauit. Id quoq; Chriſtianæ Claſſi dubio procul incruentæ Victoriæ loco fuit; quando non minor eſt virtus quàm quærere, cum gloria parta tueri, perdendi occaſionem propulſare. Vt iam inſueta ratis auſpicijs Reipublicæ Chriſtianæ vota, nihil non à Virgine Meſſanenſium protectrice ſperare audeant, eoq; omnes ſemper animorum alimenta ex ea Religione ſumant, vnde Chriſtianæ felicitatis magnitudo augeatur: nec immeritò nuper Sanctiſſimus Vrbanus Octauus, dum gratulanti Pontificatus Dignitatem Senatui ſcripto reſpondet, inter alia ſic aiat. *Ceterùm priuatis publicíſq; ſupplicationibus orari iſthic cupimus dominantium Dominum, vt ad quam Nos gloriam deſiderandam aſcitum nuper Vrbani cognomentum incitabit, ad eam conſequendam Ciuitas veſtra iuuet, vltrices Chriſtianorum Principum Claſſes, ex opportuna illa Statione ad Orientalis impietatis excidium emittens, quod vobis decus & Orbi ſolatium exoptantes, Apoſtolicam benedictionem Senatui Populoq; Meſſanenſium impertimur, & Pontificiam beneuolentiam pollicemur.*

[c] 2. Machab. 12.

Quæ omnia quamuis clariſſima ſint ſingularis tutelæ Virginis, indicia, à nobis hoc loco prætereuntur, quòd belli & victoriæ partes concernunt, de quibus pauca pro re hactenus dixiſſe ſatis erit. Iam verò in pace qualem fuiſſe credemus tantæ Matris, ac Patronæ pietatem, niſi vnicum ac certiſsimum Ciuibus præſidium, vexata atque afflicta peſtilentia Ciuitate. Sæpè quidem hac tabe, DEI Optimi Maximi in peccata hominum ira atq; vindicta, conflictata eſt tota Sicilia, ſed nunquam magis deformata, quàm cùm aliquoties, præcipuè tamen tempeſtate Friderici Aragonij, Caput ipſum Regni, Meſſanam inuaſiſſet, ſerpente hinc in cetera membra contagione, quæ Vrbibus exhauſtis Inſulam ad vaſtam quandam ſolitudinem redegiſſet, niſi ſpectata toties tantæ Matris pietas, in præſentiſſimis periculis obſtitiſſet. Lugebant non modò templa & fora & viæ publicæ, ſed etiam agri & vici, omniumq; in animis inſederat facies Vrbium affectarum, nihil infrequentius, nihil deſertius magiſq; ſolitarium apparebat, vt Sicilia ipſius ſolitudinis ac vaſtitatis domus quodammodo videretur. In ipſa Meſſana ſemicluſæ tabernæ ferè omnes viſebantur, vacuæ apothecæ, frigentia Mercatorum, publicanorumq; tabernacula, ſqualentia omnia.

Fama eſt eo tempore à porta quàm vocant Regalem, ad portam vſque Imperialem, longo plateæ tractu euntibus, vix quatuor aut quinque ad ſummum obuios conſpici ſolitos, & illos quidem ſqualidos, ipſo vt ſic dicam mortis habitu ſordidatos, & in ſumma calamitate tabeſcentes. Optarem hoc loco eam mihi in dicendo vim, eam copiam ac facultatem, qua pro Virginis Soſpitatricis gloria, quæ tùm Meſſanenſibus opitulata eſt, hæc omnia pro atrocitate rei poſſem deſcribere. Profectò enim ſi nobis ante oculos ponamus, miſeram illam ex omnibus municipijs vt fertur Ciuium fugam, in ſyluarum abditis, cliuoſiſq; montium receſſibus ſalubrioris aëris temperiem venantium, tametſi omnia calamitatis exempla animis complexi fuerimus, neſcio an aliquid dignum ea miſeria cogitare poterimus; alios domi ſuæ ſæuiſſima peſtis enecabat, alios prodeuntes ante ipſos lares exanimabat, alios excluſos, carorumq; latebras per ſolitudinem inueſtigantes, laſſitudo, morbuſque

opprimebat, deprehendebantur paſſim in vijs demortui, nec niſi ob inopiam veſpillonum tardius humati, & hoc ipſo ſeminaria contagionis exiſtimati, nec pauci ſpeluncis cauerniſque prout ſors ferebat, iniecti potius quàm illati, quòd ſpirantia luem cadauera, nemo ſine horrore inſpicere, nunquam verò ſine certo periculo poſſet attrectare. Nullum tam immani contagioni erat in carpendo diſcrimen, nulla conditionis, quòd mortem pediſſequam haberet, nulla ſexus ratio habebatur, non ætate confectis, ac iam ſpontaneo naturæ debito in mortem concedentibus, non mulieribus, non infantibus parcebatur; Templa vndique ac veſtibula Templorum, quin imò extra Vrbem, noua paſſim cæmiteria, foſſæque obuiæ ſepulcra ſufficiebant, ac tabe confectorum cadauera, quæ Magiſtratus conuulſi induſtria inueniri poterant, ſuperiniecta tantum modica humo, hauriebantur, quaſi & tellus ſuper lue nauſearet nec amplius tabida corpora ferre poſſet; vbique formido, vbique luctus, vbique ſupremi gemitus morientium audiebantur, cadentibus è complexu parentum paruulis, ac paulò poſt ipſis parentibus in funera ſociatis, quos penè raptatos ceteri foſſis inferebant, ipſi quoque ſemianimes, iniuria illuuieque conſumpti, mortem ſæuam licet, malis tamen ſuis optatiſſimam haud fallaci mora opperientes.

Hæc porrò fuit illa peſtilentia non Meſſanæ duntaxat aut toti Siciliæ, ſed vniuerſo propemodum Orbi communis, de qua pleriq̃ue mira & varia narrant Scriptores; inter quos Iacobus [d] Bergomenſis. Ingens (inquit) vapor magnitudine horribili, Boreali mouens regione; magno aſpicientium terrore per Cælum hoc anno viſus & delapſus eſt. Et ſunt qui ſcribant hoc eodem anno, quaſdam beſtiolas multiplicato numero in Oriente è Cælo cecidiſſe, quarum corruptione & fœtore execrabilis peſtilentia ſubſecuta eſt. Subdit verò idem Bergomenſis. Peſtis lugubris & miſeranda [e] hoc anno incæpit (*alij volunt capiſſe anno ſuperiori*) & per tres annos penè per totum mundum debacchata eſt. (*Trithemius tamen biennio duraſſe putat*) Quæ primo in Aſiam apud Indos, ob eaſdem beſtiolas, incipiens, paſſim per Prouincias irrepens, vſque in Britannos, & omnes gentes adeò deſæuit, vt vix decimus quiſque ex milleſimo homine ſuperſtes manſerit, & pleraque loca prorſus derelicta ſint, Iudæi verò omnes qui in Germania erant his temporibus exuſti ſunt, eo quod omnes regionis puteos (*alijs etiam aërem*) veneno inficere ſint annixi, quemadmodum multi eorum confeſſi ſunt. Hæc Bergomenſis. Nec deſunt recentiores qui eam hominum ſtragem, ad hæc vſque tempora minimè putent reſarcitam. Trithemius [f] de eadem peſte loquens, Vix (inquit) mediam hominum partem in humanis agere permiſit, Iudæos tamen non omnes exuſtos ſcribit, ſed aliquos ſuffocatos, alios præcipitatos, alios ſubmerſos, multos Capitibus truncatos, non paucos combuſtos, alios gladijs & lanceis confoſſos, denique alios alijs tormentorum generibus interemptos. Sed quod miſerabilius eſt; nonnulli (ſubdit) eorum, cernentes in malo ſe poſitos, necatis primo liberis & vxoribus, ne in manus crudeliter ſæuientium Chriſtianorum traderentur cruciandi, ſe cum domibus ſuis igne ſuppoſito incendentes voluntariè peremerunt. Hæc ille.

At quamuis communis illa fuerit calamitas, dubio procul à Deo immiſſa, nequicquam fortaſſe conata ad id mortalium malitia; quibuſdam nihilominus in locis deſæuijt atrocius, diuina manu pænam altius figente, quo vel commiſſa emendaret, vel in poſterũ forte perpetranda longè dimoueret, haud vulgari etiã dũ affligit dilectionis argumẽto, quòd clemẽtiſſimus pater quos diligit filios caſtigat, nec tã criminis vindictã, quàm ſalutẽ filiorum carã habet. Hũc enim reuocarim pleraq; mala ex ijs quæ Petrus [g] Bleſenſis in Epiſtola ad Richardũ Syracuſarum Antiſtitem, exulcerato vt paret animo in vniuerſos Siculos ingerit; quos dum Inſularium populorum, quamquam

omnes

[d] *Ad anni 1547.*

[e] *Ad ann. 1548.*

[f] *In Chr. Hirſau. ſub Abbat. Vuigardo. An. 1349.*

[g] *Epiſt. 46*

Digitized by Google

omnes iſtos generaliter vocet infideles,voluit eſſe perditiſſimos, ignorauit qualem ſua Inſula contempta fide Orthodoxa ſtatum habitura eſſet, eoq; miſeriorem quòd miſeriam ſuam luce caſſa fortaſſe nunquam,vel ſerò foret agnitura.

Verùm quod in præſenti inſtituto communem ſpectat Orbis calamitatem, ex dicta cauſa, Meſſanæ, prodigijs quoq; diuina patuit emendantis poteſtas, arreptaq; ciues religione,& ex Deipara certam ſperare ſalutem, & per ipſam Cæleſte Numen offenſum placare perdocuit. Narrat rem ſcitu dignam & hactenus à recentioribus prætermiſſam,qui floruit Anno Salutis milleſimo treceenteſimo,quinquageſimo [h] F.Michael de Placẽ a Diui Franciſci Ordinis minorum, quam etiam ex Manuſcripto Antonini Amici, paulo poſt cùm alijs in lucem mittendò accepimus,his verbis. Apparebant in prædicta Ciuitate Dæmones in figura Canis transformati, multa damna Meſſanenſium corporibus inferentes:qui ſtupefacti, nemo auſus eſt domo egredi: tamen de communi aſſenſu omnium,de voluntate Meſſanenſis Archiepiſcopi, Ciuitatem cum Litanijs deuotè circuire ſtatuerunt. Et dum ingrederetur vniuerſa plebs in Eccleſiam,niger canis in manu enſem extractum deferens,apparuit inter eos,& fremens irruit in eoſdem, & omnia vaſa argentea, lampadas & candelabra in Altaribus exiſtẽtia fregit,& diuerſimodè conquaſſauit, In cuius viſione omnes ſemimortui in faciem ſe vnanimiter proſterneruñt: ſed dum poſt moram vires reſumentes ſurgunt, dictum canem de Eccleſia egredientem intuiti ſunt, quem nemo fuit auſus inſequi vel illi appropinquare. Hæc ille.

[h] Hiſt pri ma part. c. 29.

Non abſimilem fuiſſe ferè ſuperiori ſeculo per multas Germaniæ Vrbes Dæmonis infeſtationem accepimus, ſed qui ferocem hominis aſpectum mentitus, non paucos medijs in plateis, clara die iugulabat, quæſituſq; quis eſſet, ſe Dæmonem confeſſus Magni Dei iuſſu, ſingularia quædam auaritiæ ac ſuperbiæ delicta veniſſe vltum obtendit, quin prædicatores ea diſsimulantes collo effracto ex ſuggeſtu deiecit, ipſe vmbonem conſcendit,& ſceleri ſeueriores pœnas Imperio Cæleſti minatus, peiorum ſupplicio, meliorum periculis cauit. Hæc quidem palam acta plures norunt; interdum verò vel ob arcana quædam ac Deo ſoli cognita, non vno in loco Spiritus malignos forma viſibili immiſſos, tum alibi tum hic in Sicilia fere oculis aſpeximus, eoq; ſpectaculum fuit formidabilius, quòd occulto Dei iudicio deſæuirent in illos,quorum vita hominum oculis probatiſsima cenſebatur. Sed neq; ignotum eſt,vt ſæpe ab antiquo,non minus in omni hominum memoria Siciliam atq; adeo Meſſanam obnoxiam fuiſſe Spiritibus illis,quos familiares vocant,& domeſticis obſequijs ſponte mancipatos tolerabant,pluraq; ex illis curioſitate quadam noxia, reſponſa ferebant, vt iam Druidas hic hoſpitatos,domicilia, vetuſtiſsimos illos Scandianorum Magiſtros,Cathedram fixiſſe,credi potuerit. In quo tamen genere, quamquam multa afferri poſſent, ad coercendos etiam recentiores Pythonicos non antiqua exempla, niſi in tanta latitudine argumenti, ſepta quæreremus, vix tamen vllum comparandum illi,quod Trithemius [i] de Saxonico quodam Spiritu refert,appoſitum ſanè ad compeſcendam nonnullorum incautam dixerim ſimplicitatem, an imprudentem credulitatem,qui his etiam temporibus ad obſidentes hominum corpora Dæmones, rebus ſuis conſulturi recurrunt, & ex fraudulentis quibuſdam obſequijs, vbi interdum dicta factis reſpondent, caritatem(vt ipſi dicunt) & officium morigeri Demonis erga homines laudant, ceteriſq; commendant; non intelligentes occultam eſſe fraudem,qua paulatim allecti in non neceſſarijs conſilijs,non rectis veritatis ſemitis incedentes, à veri Numinis cultu deuoluantur. Atq; de huiuſmodi ſpiritibus, libenter & ego pronunciarim,quod apud [k] Hieronymum Tertullianus aduerſus Apellem Hæreticum,&-comitem doctrinarum Virginem Philumenam, quam Angelus quidam

[i] In Chr. Hirſ. Ad an. 1132.

[k] Sup. 1. Cap. ad Gal.

Diabolici Spiritus & peruerſus impleuerat, eum ſcilicet in illa eſſe Angelum, cui multò antequam Apelles naſceretur Spiritus Sancti vaticinio ſit anathema per Apoſtolum prophetatum. Verum iſta hactenus.

Quod huc vlterius ſpectat, inanis eſt illa cum Bleſenſe quorundam cogitatio, quaſi ex eo quod Aethna frequenter ignes ſuos euomat, quod fętorem ſulphureum euaporet, flammeo ſubinde torrente circumquaq; diffluat, & ſubiectorum obſtacula corporum immani ſtrage perrumpat; quòd tota Inſula pluribus extra naturam portentis ſua quodammodo viſcera corrodat, ſuos incolas omni tempore metu ſuſpenſos habeat ac terreat, quòd deniq; non rarò Cæleſtis iræ exempla ſingularibus illata criminibus, ipſi Siculi ferant; ex hoc (inquam) inane eſt & Siculis gentis vanius, continuò gentem ſuperis inuiſam arguere, mortalibus odioſam, Inſulanarum peſſimã, & apud quã ius faſq; nihil poſſit, quæ perinde diuina omnia ac humana ſuſq, deq; habeat, quæ deniq; mortalium omnium abiectiſſima, naturæ ipſi rerum ſit grauis, ac penè celeſtiũ voto infra ſortem omnium damnata, inferni ac Dęmonum accola, & vt ſemel dicam, (quod dici ſolet) in reprobum ſenſum data. Enimuerò qui ſic cogitant, rerum nec humanarum nec diuinarum experientiam præ ſe ferunt, multoq; minorem hiſtoriarum cognitionem habent: quaſi verò vnus ſit ſub Sole telluris ignem eructantis hiatus, nec ſimilem aliæ gentes interdum paſſæ calamitatem; quaſi nõ paſſim vel exiguæ ſcrobes ſulphuream egerant eluuiem, nec fluuij ſilicatos habentes alueos, latices interdum propinent ſulphureos, nec pluribus aliæ regiones redundent naturæ miraculis.

l Lib. 5. c. 6. Equidem ſi quippiam in his calamo ludere licet, dicam potius cum [l] Oroſio, miſeram fuiſſe Siciliam, quia Inſula iſta, nunquam erga ſtatum ſuum iuris idonei fuit, nunc tyrannis ſubiecta, nunc ſeruis, vel illis dominatu improbo exigentibus ſeruitutem, vel iſtis præſumptione peruerſa commutantibus libertatem, quia clauſo vndiq; mari egerere foras non facile poteſt inteſtinum malum. Viperinam quippe conceptionem perditionis ſuæ aluit, ſua libidine auctam, ſua morte victuram. At hoc quidem fortaſſe fuit vel ante receptum Euangelium, vel poſt turbatam ab inhiãtibus Tyrannis Siculam felicitatem, vbi tamen adulta cum virtute fortuna, Sanctiorum Principum accepit inſtitutum ac moderationem, continuò velut Aethna ſuos ignes patefacto recenti lateris hiatu, ſic Inſula tota malum inteſtinum foras egeſſit, erumpentiſq; ex vtero viperæ caput, ipſa primum Auſtriaco enſe præcidit, vitamq; propriam eiecto enectoq; partu conſeruauit.

Ceterùm habent Strungillæ ſuos ignitos cliuos, habet Liparis vicinam ardentis Vulcani ollam, in qua Rex Theodoricus inter Ioannem Papam & Symmachum Patritium, iactatus, Calogero tum Liparis incolæ, viſus fuit; Habuit, vt Indiarum miracula recentius cognita prætercam, ſuum Neapolis Veſuuium, Aethna fortaſſe non minus incenſum. Ex quibus tamen, nemini vnquam ſapienti venit in mentem, vt accolarum iudicatam apud Superos in deterius cauſam pronuntiaret. Quin, vt erumpentes è Veſuuio monte flammarum globos, nec vicinis modò, ſed longinquis etiam regionibus maiorem quàm Aethna territorio Catanenſi, vaſtitatis metum afferentes Diuus Ianuarius extinxit; ita exæſtuantis Aethnæ ignea flumina Catanenſis Agathæ velum obtentum, vel Paganis admirantibus & implorantibus haud ſemel coercuit.

m In Chr. Hirſ. Narrat [m] Trithemius, Anno Salutis milleſimo cẽteſimo trigeſimo ſexto, V. Kal. Nouemb. ingentibus ventorum coortis procellis in Flandria, multas vbiq; turres & ædificia ſolo æquata, Mare quoq; terminos ſuos egreſſum, magnam Flandriæ partem cum habitatoribus ſuis ſubitò & inopinatè ſubmerſiſſe, & tamẽ ſi omnes fortaſſe diuinę in hominum peccata vindictæ, eam ſtragem acceptam retulerunt, nemo vnus mortalium fuit, qui eius Prouinciæ nationes, Deo Diuiſq; probroſas haberet. Ac vt recentiora memoremus, imò quę propemodum heſterna ſunt: Anno [n] ſuperiori à die

n 1625. trige-

Digitized by Google

trigeſima Iulij, tam horribilis terræmotus totam vbiq; conquaſſauit Apuliam, vt ad ducenta plus minus milliaria protenſa calamitate, viginti ſeptem partim Vrbes ac Oppida, partim pagos concuſſerit, ſeptemdecim millia mortalium exanimarit, multaq; alia non minus deploranda vbiq; detrimenta, quàm admiranda in nonnullis euētibus, quæ dignam Scriptoribus præbitura ſunt materiem, argumenta ediderit; nemo tamen circa diuinam in humanis diſpoſitionem ſecus opinatus eſt, quàm in timida ſuſpicione quid cuiq; cum animo ſuo, nullius apud Deum nationis inuidioſæ & exoſę crimine in noxam vocato, tranſigendum eſſet.

Quod itaq; Bleſenſis in argumentum vertit illatam aliquando à ſimili terræmotu Siciliæ calamitatem, nimis remotam habet occaſionem, & cōiecturam in plures alias differt cogitationes, quàm vt in Gentis Cælo caſſæ omen ferri poſſit. Narrat eam procellam Thomas [o] Fazellus, eoq; ſuſpicionem minus cōſultam dicto eximit, quòd commune Calabriç cum Sicilia, tametſi maiore alterius malo velit fuiſſe diſcrimen. *o Hiſt. Sic. Dec. 2. lib. 7 cap. 1.* Circa id ferè tempus (inquit) quarto [p] Februarij die, ad eius diei horam primam vehemens terræmotus totam Siciliam & Calabriam concuſſit, quo Catana Vrbs vſq; adeò ſubuerſa eſt, vt non ædificia modò omnia, ſed viros etiam ac mulieres circiter quindecim millia cū Epiſcopo, maximaq; Monachorum parte ruina oppreſſerit. Plura præterea in Catanenſium, & Syracuſanorum finibus oppida corruere, fontes paſſim noui apparuere, & veteres delituere, Montis Aethnæi vertex, qua Taurominum reſpicit factus eſt demiſſior. Arethuſa fons ſalſuginem adauxit. In Taui Monte fons per duas horas abſtruſus, magno tandem impetu erumpens, ſanguineum laticem toto horæ ſpatio effudit, Meſſanæ deniq; mare pauliſper, primùm à littore cedens, ac mox cum furore recurrens, metas tranſgreſſum portis etiam Ciuitatis ſe ſe infudit. Hæc Fazellus. *p An. 1169*

Quin verò ſi vera ſunt quæ Bleſenſis ipſe ſcribit his verbis, In omnem terram & in fines Orbis terræ exijt plaga illa, qua nuper in Sicilia percuſſi ſunt Catanenſes in vigilia B. Agathes, cum Epiſcopus ille damnatiſſimus, frater Matthæi Notarij, qui ſicut ſcitis ſibi ſumpſit honorem non vocatus à Domino tanquam Aaron, & qui ad ſedem illam non electione Canonica, ſed Giezelitica venalitate intrauit, cùm inquam abominationis offerret incēſum, intonuit de Cælo Dominus, & ecce terræmotus magnus factus eſt, Angelus enim Domini percutiens Epiſcopum in furore Domini, cum populo & vniuerſa Ciuitate ſubuertit. Patet itaq; quia Beatiſſimæ Agathes offenſam ſuis exigentibus meritis incurrerant. Si hæc inquam vera ſunt, quibus etiam per ora populi vox traducta, ceteriq; Scriptores penè conſentiunt; egregium dilectæ Deo nationis præbent argumentum, quam ſublato è medio ſcelere, ſumptoq; de ſceleſtis ſupplicio, quamquam non pauca immerentium capita pernicies inuoluerit, hoc ipſo ſanctiorem eſſe voluit, in tractandis diuinis ad aliorum quoq; exempla maximè Religioſam.

Sed etiam illa rerum naturæ mirabilium feracitas, quæ Siciliç famam in Orbe fecit, ſingularem Numinis teſtatur prouidentiam, qua in eo Cæli tractu eximio præditos ingenio decreuit eſſe incolas, qui diſquiſitis ea miracula ſtadijs perueſtigarent, viuacitatis ſuæ exempla ad ceteros mortales tranſmitterent. Tantum igitur abeſt, naturam in procreandis Siculis deerraſſe, vt ab ipſis pulchritudinem ipſa non paruam acceperit, non ſecus ac maculoſæ pantheræ, partu ſuo redduntur formoſiores. Quin etiam maximus ille terræmotus, qui auulſæ aliquando à reliqua Italia Mare interfudit, miraculo quodam naturam videtur emendaſſe, quo nationem ſuapte indole ceteris eximiam, habitatione quoq; ſecerneret, ab eoq; dehiſcendi argumento, formata in Trigonum Inſula, ſymbolum eſſet ingeniorum, inter cęleſtes imagines efferendum.

Neq;

Digitized by Google

q *In Hiſt.* Neq; tamen dubium, in ea rerum excellentia, qua [q] Diodorus Siciliam omnium Inſularum optimam,& antiquitate rerum ceteras antecellere ſcribit,quemadmodum ingenio valuit,ita ſuperſtitione falſorumq; Numinum Religione primas tuliſſe,vt non iam vni Deo velut Creta Ioui,Cyprus Veneri,alijs alia,nec ipſa Iunoni ſolùm, verùm omnibus Dijs domicilium Sacrum eſſet,omnium aras ac cærimonias ſuſciperet.Hinc factum vt eo Dæmonum propemodum omnium exercita cultu, poſt illatum etiam Euangelij Regnum,grauem ac diram haberet infeſtationem,quòd animarum illa Tyrannis,totius Inferni vallata poteſtate, nimis ægrè ſe Regno tot ſeculis vſurpato pateretur deturbari. Et fama eſt,eam fortaſſe ob cauſam dæmonas Siciliam velut Aſylum habuiſſe, & pulſos vndiq; ex obſeſſorum corporibus, ferè huc commigrare ſolitos,ſed etiam ferociſſimos quoſq; tortores,& potentium Tyrannorum aliorumq;ſceleſtiſſimorum hominum inſeſſores,iſtis demortuis, huc tandem velut ad commune receptaculum reuerti conſueuiſſe. Quod mihi non videtur incredibile attenta Mæ-
r *Luc. 8.* nenſium traditione,Legionem illam,quæ permittente [r] Domino, porcos Geraſenorum inuaſit,& in ſtagnum præcipitauit,illis ſuffocatis Mænenſium Ciuitatem inſediſſe, Ciues non pauco tempore vexaſſe, afflixiſſe. Nec vana traditio, deprecantibus quippe dæmonibus,ne ex poſſeſſo miſeri hominis corpore,pulſi in abyſſum mitterentur, ſed in gregem porcorum qui fortè aderat ingredi concederetur, non improbabile eſt porcis ſubmerſis, ad conſuetum illos & antiquum habitaculum reuertiſſe. Sed
ſ *Gloſ. Or. in 6. Tob.* etiam tentatorem illum, quem aliqui Luciferum fuiſſe volunt, qui ad Dominum [ſ] in deſerto ieiunantem acceſſit, multiſq; nequicquam impetiuit, poſt actos in nouiſſimam culpam de occidendo Saluatore Principes & Populos Iudæorum, quos veterator iſte ſæpe antea per retroacta ſecula ſeduxerat, poſt inductum ad reſtim infami cogitatu proditorem,poſt circumuentum in Cruce blaſphemum Latronem,poſt tenta-
t *lib. Hiſt. 12. cap 5. Gloſ. ordin. in cap. 6. Tob.* tum iteratò Saluatorem cui demorienti (ſi viſioni apud [t] Cæſarium credimus) ſuper brachium Crucis fruſtra aſſedit, deniq; poſt peractum ſpontanea filij Dei morte Crucis Myſterium; quamquam in Apocryphis legam huc acceſſiſſe primùm, deinde Romam ad Orbis Tyrannos penetraſſe,quia rationibus ad momenta ductis probabile exiſtimem,haud moror.

Enimuerò peruerſus ille ſalutis hominum generis hoſtis, vbi irritis ſuis conatibus, à perempto Saluatore,ſaluandorum cætum diffuſa vbiq; virtute ſanguinis in Cruce fuſi,maximis acceſſibus augeri congnouiſſet; continuò iuxta Domini dictum, aſſumptis alijs (ex Sicilia puta) ſpiritibus nequioribus,ad Vrbem ſuperſtitionis & Imperij caput aduolauit,omnemq; verſutiam adhibuit,quò flexis ad diriſſima decreta Principum mentibus,ſectatores CHRISTI crudeliſſimis cruciatibus è medio tolleret, quaſi virtutem ſãguinis CHRISTI in Martyribus operantem, fuſo Martyrum cruore eneruaturus;pœnitendo certè ſuæ nequitiæ ſcelere,quod ignoraret ex ſanguine Martyrũ,
u *Bern. ſer. 1. de aduent.* ſemina exiſtere Chriſtianorum; ſic olim ob actum in [u] noxam primum parentem, quò Dei filium à maculatæ carnis aſſumptione quaſi nauſeantem auerteret, fabam in caput ſuum recudit, ignorans ex occaſione præuiſæ labis, Dei Verbum ad repurgandam naturam,in carne humana venturum. Hinc itaq; poſt ſuperatam illam in Iudæa, perſecutionem,quam Saulus quoq; ſpirans minarum ac cædis flammabat,Chriſtianis fortioribus effectis, vbi Iudaica ſæuitia nihil profecit, Nero à Dæmone illo concitatus,tempeſtatem eam mouit,quæ ſtantes iam in culmine propediem protuberantes Chriſtianæ Religionis ariſtas,calamitate ſanè maxima afflixit,neq; tamen altius radicatas planè proſtrauit. Hinc Simon ille Magus vel Dæmonem indutus, quo Chriſtum excinderet acerrimè ſategit. Hinc conſecuti fere Neronem Principes,ſed Diocletianus præſertim ac Maximianus,efferatis iam longiori periculo nullaq; de fide

victo-

Digitized by Google

victoria, penè omnibus incincti Dæmonibus,ceteros omnes immanitate ſuperarent.

At enim ſicut eiectus ex Patria nefarij dux cętus Dæmon ille,nec duntaxat in Cruce morientis Dei virtute,mulctatus,paſſim fortitudinem militum Chriſti formidare cæpit;ita paulatim vel in imbelli ſexu virtutem perſentiſcens, certamen declinauit, incertiſq;ſedibus vbiq; deerrans,non niſi iuſſu vel permiſſu Dei quippiam attentauit, vel perfecit. Itaq; ſi Sicilia Dæmones olim venerata vel paſſa eſt, hodie tot præſidijs fulta ſanctitatum,ludificat,premit, aſpernatur. Ergo Mœnenſibus Agrippinam y Ad 23. Iunij. Deus miſit tutelarem ad cuius aduentum, Legio illa malignæ phalangis,ceteraque Inferni cohors ibidem caſtrametata, in exterminium acta,deindè extra Siciliam in deſertis oberrauit.

Habet verò illuſtris hæc Virago præclaras in Menologio * Græcorum Martyrij laudes,& inter alia, Eius(inquit) corpus Baſſa, Paula & Agathonices clam ſuſceptum (*addunt alij, Angelico ductu*) ex Vrbe Roma in Siciliam transferentes, repoſuerunt. Cùm primùm verò Sicilia illud accepit,tenebricoſis Dæmonum erroribus liberata eſt. Cumq; Agareni auſi fuiſſent Caſtrum diripere, in quo Beatæ Martyris corpus ſeruabatur, repentino interitu perierunt. Ex eo tempore ad hanc vſque diem, leproſi cum fide illuc accedentes purgantur,& reliqui morbi Sanctæ Agrippinæ interceſſione abiguntur. Hæc in dicto Menologio. Ceterùm Frater Thomas de Monacho, officium Sanctæ Agrippinæ quod circumfertur,ex vetuſtiſsimo exemplari(quod ſtylus ipſe ſapit)exſcriptum, ſuperiore ſeculo contulit,& ſine vitio deprehendit,non iniucunda ſanè hiſtoria,quæ ſuum opinor iam nacta eſt Scriptorem. Illud ſingulare ſanctitatis argumentum:ex ſacro eius depoſito, in Siciliam delato fragrantiam odorum ad ſtadia quinq; diffuſam, omnes beatitatis cuiuſdam ſenſu perfudiſſe; ac etiam hodie prorſus ignoto ceteroqui ſitu,qui in area Templi ſepulcrum Diuæ contineat,ex mira ſubinde odoris ſuauitate, pleroſq; locum deſignare, nequicquam interim effoſſa humo tentatum,quoad diuino diſpoſitu, Ciuium aliquãdo neceſsitati quàm curioſæ Inquiſitioni opportunior ipſa obuiam fiat. Cluit nihilominus,vel occulta, manifeſtis in vota mortalium ſignis, ac præcipuè poteſtatem in malignos ſpiritus eam exercet, vt in corporibus obſeſsis conſiſtere minimè ſinat, ac velut arctè coercitos imbecilles reddat, potentia caſſos. Hinc illa Virginis emunito vallo inſiſtentis,dextera Crucem,læua catenam mancipati Dæmonis collo insertam tenentis imago,ſpectabile Ciuitati Mænarum inſigne fecit.

Dedit & alijs Inſulæ locis Philippum Argyrienſem, cuius vel nomen,vt olim Magni Antonij per Aegyptum,Dæmonibus per Siciliam formidoloſum, longè lateque fugat hoſtes imbecilles,latiuſq; extra Inſulam protenſa ſanctitatis fama, memoriam habet ex inuocata gratia religioſam. Dedit præterea Saccitanis Calogerum Eremitam,miraculis non minus quàm virtutibus efflorentem,ſed diuina planè experientia,quæ felicitas Inſulæ,rerumq; mirabilium feracitas eſſet, edocentem,vnde & morbos inſanabiles curaret,& balnæorum virtutes,& ſedium montis atq; aquarum commonſtraret, Dæmonum æſtu agitatos liberaret, quinimò in dæmonijs maximè effugandis potens eſſet.

Dedit Siclenſibus Heroicum illum Guglielmum, qui cùm Fridericum ſecundum fortè inter venandum immanis apri dentibus implicitum, ipſe offenſi periculo pedis exemiſſet;indè pugnam ſpiritualem auſpicatus, feris inferorum terribilis extitit, vitamq; conſtantiſsima CHRISTI militia tranſactam, formidando Dæmonibus exitu, campanis omnibus ſpontaneo impulſu velut claſsicum inſonantibus, cumulauit. Dedit Taurominitanis Pancratium, vel ipſa nominis teſſera diabolicæ Tyrannidi formidabilem, nequicquam armatis in ſuppetias Idolorum cultoribus, quando iſtis non ante

Digitized by Google

ante cruore Martyris, quàm Euangelij virtute ſaginatis, ſimulacra conterrita; cùm fugere non poſſent, diſſilirent, ſpiritus incolæ fædiſſimè diffugerent.

Dedit deniq; ne per ſingula penè loca volitem, Syracuſanis Luciam Virgineæ caſtitatis decus, eoq; Martyrij cuiuſdam rarioris ſplendidiſſimum exemplar, ſed adhuc celſioris in Eccleſiaſtica Hierarchia ordinis candidatam, quòd ipſa, ſuo victima caſu, ſuiq; vt ſic dicam, ſanguinis Haruſpica, pacem ac tranquillitatem Eccleſię Diocletiano & Maximiano morte ſublatis futuram renuntiaret, quaſi Dæmonibus illis quibus ante Sicilia mancipium erat, tùm verò Tyrannis Eccleſiæ ſæuiſſimis, aurigæ & inſeſſores fuiſſent, his denaſcentibus, ipſa quoq; crudelitas pulſis immanitatis ſpiritibus moritura eſſet, eaq; morte, fatigata Eccleſia reſpiraret. Nec ſanè caſſa diuinatio Luciæ fuit, quando Diocletianum Maximiano non tàm Imperij collega, quàm ſocio crudelitatis in Chriſtianos aſcito, tantum abeſt aliquid profeciſſe, vt cùm vterq; tametſi paribus ſcelerum ingenijs, ac viribus annixi præualere non poſſent, Imperium deponere cogerentur, *tradentes illud* (vt inquit [a] Bellarminus,) *Conſtantio & Galerio, Galerius Maximinum & Linum imperatores fecit, & Romæ Maxentius, Maximiani filius Imperium aſſumpſit: ſed breui omnibus extinctis ſolus Conſtantinus feliciter totum Orbem Romanum diu tenuit.* Hæc ille. Ac tùm crudelitatis leges reſciſſæ, Religio Templis & Aris propagata, Crucis patibulum in honore habitum, etiam in diadematis fulgere cæpit; & quod mirabilius, ſæuiſſimorum Dæmonum potentia vel ab imbecillitate humana ludificata, vt qui primùm CHRISTO in Cruce demorienti, ipſo tolerante & virtutem vincendi nobis præparante, aſſidere eſt auſus, relicto [a] in Cruce aculeo, poſtea minimis CHRISTI ſeruis & inter alios Giuardo Ciſtercienſi, probro & contemptui ſit habitus, ac velut ex ignauia deridiculus.

[a] *In Chr.*

[a] *Cæſar. l. 12. cap. 5.*

Atque ex his omnibus illud tandem elicimus, diuina argumenta non tàm ad probrum nationum, quàm laudem eſſe vertenda, rerumq; portenta quæ vel Cælum vel natura edit, altiores habere cauſas, quàm vt affectis mortalium ingenijs veſtigari queant, ac deniq; ex ea morum imagine, quam Euangelio caſſa ferebant ſecula, non rectè iudicari de excultis ſanctiori inſtituto, niſi rurſum degenerent, animis; ne alioqui plures vna qui eatenus philoſophetur, minimè cohærentes abeat in conſecutiones. Sed iam excurrentem fortaſſe longius, etſi non ab re calamum, ad præceptam lineam reuocemus.

Illa igitur peſtilentia toti hominum generi ſæuiſſimè infenſa, etſi Meſſanæ quoq; mortalitate grauis fuit, ipſa tamen Dei percutientis virga, Deiparæ conciliatu Meſſanenſibus mitior fuit: nam cùm plerię; mortales triplici plaga, peſte videlicet, profluuio ſanguinis, & igne ſacro plecterentur, Meſſanenſes cum peſte duntaxat conflictati ſunt. De his verò plagis hæc habet [b] Trithemius. Tribus hoc tempore plagis humanum genus in Germania (idem alij de pluribus alijs locis ferunt) maximè affligebatur, peſtilentia videlicet, quæ infinita hominum millia in toto penè Orbe proſtrauit, miſeranda calamitas mox enim vt aliquis infectus hac peſte eſt, ſuo tantùm halitu etiam alios inficiebat. Et paulo poſt. Secunda plaga fuit, ſanguinis profluuius, qui etiam hominum ingentem multitudinem inaudito genere cruciatus abſumpſit. Tertia fuit Sacri ignis (ſic enim vulgò is moribus appellari conſueuit) aduſtio, quæ tanta immanitate ſæuiebat, vt quemcunque inuaſiſſet, mox carnem vſq; ad oſſa penitus conſumeret, nec viuis tantum infeſſa, ſed etiam mortuorum inuadens cadauera inſepulta, carnes antequam ſepeliri potuiſſent inuaderet. Erant hæc tempora calamitatibus plena, tantiſq; periculis exundantia, vt præter generale diluuium peiora ſcripſerit nemo. Sic Trithemius.

[b] *In Chr. Hirſ. ad an. 1349.*

Sed enim vel in illa minori ceteris calamitate, ſicut obnoxia fuit pœnæ, niſi etiam

exerci-

exercitationi virtutis dilecta Virgini Ciuitas, ita eiuſdem conciliatu peropportuna gratiæ, quando ad hanc vnam ceu Sacram anchoram ciuibus confugere ſolitis, illa cælitus iniecta mens eſt, vt decreta publica ſupplicatione, auguſtaq; Deiparæ Imagine circumlata Ciuitas luſtraretur, Clero ac populo à tabe reſiduis in vota effuſis, ac propemodum Vrbis tectis, ab implorata Matris ac Patronæ appellatione recreari geſtientibus. Quo autem modo id peractum fuerit, quæuè prodigia Sacram Imaginem ad muros Ciuitatis accedentem, (extra Vrbē quippè altero propè milliari certa æde colebatur) ſint comitata, quæ offenſum mortalibus Numen haud vanè proderent, ex Michaele [c] Placea, quem ſupra laudauimus, ſic accipe.

Meſſanenſes verò (inquit) huiuſmodi mira viſione canis ſcilicet nigri gladio ſtricto ſæuientis) territi, miro modo ſunt vniuerſaliter effecti timidi. Quapropter ad B. MARIAM Virginem de Scalis, per milliaria duo à Ciuitate Meſſana diſtantem, diſcalciatis pedibus, cum Proceſſione Sacerdotali communiter ambulare ſtatuerunt. Ad quā appropinquantes, Virgines omnes vnanimiter in terris fixerunt deuotiſſimè genua, cum lacrymis, Dei, & Beatæ Virginis clamantes ſubſidium: & ingredientes in Eccleſiam ſupradictam, deuotis Orationibus, & Sacerdotali cantilena diuina clamantes: Miſerere noſtri Deus; Imaginem Matris Dei ſculptam, ibidem antiquitus cōſtitutam, proprijs manibus apprehendunt, quàm in Ciuitatem Meſſanæ elegerunt ingredi facere, propter eius viſionem & ingreſſionem putantes dæmonia è Ciuitate eijcere, & a tali mortalitate penitus liberari. Propter quod elegerunt quendam Sacerdotem idoneum, dictam Imaginem ſuper Equo in brachijs ſuis honorificè apportare. Et reuertentes ad Ciuitatem, cum Imagine dicta, Sacra Dei Mater, dum vidit & appropinquauit, adeò ſibi exoſam reputauit, & totaliter peccatis ſanguinolentam, quod poſt tergum reuerſa non tantùm intrare noluit, ſed ipſam abhorruit oculis intueri. Propter quod tellus aperta extitit in profundum, & Equus ſuper quo dicta Dei Matris ferebatur Imago, fixus & immobilis extitit, ſicut petra, & præcedere vel retrocedere non valebat. Populus Meſſanenſium talia miracula intuentes, vlulando cum mæſtis ſuſpirijs, & crebris lachrymis Beatam Virginem deprecati ſunt, vt de commiſſis eorum peccatis recentem non ſumeret vltionem. Ad quorum preces Virgo Chriſti Sacra Sponſa, humilibus eorum precibus ſacras Domino porrexit petitiones; quapropter ſuper tellurem clauſam, quæ primum aperta extiterat, equus incedit. Et cùm perueniſſet ad portam Ciuitatis Sacra Dei Mater, omnino recuſabat ingredi. Sed tandem pijs orationibus ſibi porrectis, ad Eccleſiam maiorem Ciuitatis Meſſanæ, videlicet ad Beatam MARIAM la Noua, ingreſſa extitit, quam Imaginem mulieres Meſſanenſes pannis ſericis, & iocalibus precioſis obruunt.

[c] Cap. 80.

Hæc ille ſine fuco & verborum phaleris, ſed quæ clarè oſtendant, quam immunem ſcelerum, ſuam Virgo velit eſſe Ciuitatem, à qua cùm præter peſtilentiam, reliqua mala dimouerit, tot nihilominus terrentibus indicijs, offenſam, quæ quæ eſſet, haud diſſimulauit, ſed tandem ſuæ cum lacrymis Clientum interuentu miſericordiæ, ſedatam Numinis indignationem, receptæque olim protectionis Sacramentum luculenter teſtata eſt. Itaq; peractis primùm in Aede maiori Cærimonijs, ſublata Sacerdotum humeris Sacra effigies præeunte Religione & Clero, comitantibus ceteris ad luſtrandam Vrbem efferri cæpit, nec mora, continuò quacunque inceſſit diſpulſa caligine, deterſaque lue Ciuitas omnis, lucem ac Sanitatem aſpicere, noxia temperies in ſalutiferam momento conuerti auram, dieſque deinceps diluceſcere meliores. Neque ſolùm, ſed non multò inde damnata ſolitudine, reſtituta celebritas & frequentia, ædificia quoque Vrbis repoſita, mercatus priſca inſtitutione in ſtatos dies reuerſi, breuique tùm arua vbique cultiſſima ſpectari cæpta, tùm

Digitized by Google

colonorum numero, nexu finitimarum Ciuitatum, atque etiam Italiæ reliquorumque regnorum commercijs, in priſtinum ſtatum res, fortunaque Meſſanenſium fauente Virgine reuocata eſt. Eius rei gratam recordationem, hodie Ciues recolunt, & inſtitutis ad Aedem maiorem die Sebaſtiano Martyri Sacro puluinaribus, Magiſtratus interuentu, ac totius Cleri ſupplicatione, religionem ſolemnem habent.

Accepimus memoria Patrum ſimili Deiparæ veneratione difficillimis Reipublicæ temporibus beneficia mortalibus cælo collata, atque in primis Byzantium graui Sarracenorum bello preſſum, circumlata per Vrbem hebdomadatim Virginis Imagine, quæ propè ædem Sophiæ Sacrã, opere & artificio Diui Lucæ percelebris ſeruabatur; nõ modò tùm reſpirauit, verùm etiam deletis hoſtibus pacem regno diuturnam obtinuit. Iterum [d] Gregorio Magno Pontifice, dum præter grauem peſtilentiam, irrogata cælitus in ipſa ſternutatione atque oſcitatione, moriẽdi pœna, funeribus aſſiduis Vrbem exhauriret: tùm enimuerò elata Ciuium Religione Virginis imago, graphicum eiuſdem Lucæ opus, quacunque ferebatur fugata contagione, cæli ſalubritatem populiq; ſanitatem inducebat, eodemq; die, Dominica reſurrectione ſolemni, audita vox Angeli Virginem adſalutantis, REGINA Cæli lætare Alleluia, expiatam maternarum precum victimis, populi noxam, Natiq; ſedatam iram, indicauit; ſed paulò poſt in ipſo molis Hadriani faſtigio, diſtrictum mucronem vagina recondere conſpectus Angelus, conciliatę etiam gratię præbuit argumentum. Ex quo facto, moles Hadriani, appellationem Caſtri S. Angeli ſemel obtentam, per conſequentia ſecula conſeruauit.

[d] Sigonius lib. 1. de Reg. Ital.

Haud aliter Meſſanæ factum, ex hactenus dictis, ſatis apparet, ratumq; ex hoc beneficio Sacramentum Epiſtolæ, maiorem etiam deinceps religionem obtinuit, ac quantum cõſtantia rerum ac temporum permiſit, cultum etiam publicum ſemper ſolemniorẽ inſtaurauit. Eſt verò ſicut antea fuit, ita continua ab illo tempore apud Meſſanenſes Virginis tutela, nouis non minus quàm inuſitatis patens argumentis, nihil vt dubitari queat eiuſmodi bonorum copiam, adeo ſingularibus Numinis gratijs refertam, non niſi eius quam defendimus, locuples teſtimonium eſſe veritatis. Nam etſi communem toti Orbi, imò interdum Siculo tantum Regno illatam, Meſſana quoq; ſit paſſa calamitatem, non ſemel tamen vel ſi de peſtilentia ſermo ſit, ne plurimas aliarum Vrbium ſtrages afferam, ipſa non tàm auræ beneficio ſeruata, quàm Deiparę Virginis ope exempta fuit, vndè pleriq; ſanctiores Viri iudicarunt, huiuſmodi argumentis, receptam Meſſanenſium in Epiſtola data protectionem, ſemper à Dei Matre fuiſſe comprobatam.

Timidè quidem hac de re loquar ſi debeam, quòd ſciam quiduis cuiuis florentiſſimæ Ciuitati facile poſſe contingere mortalium culpa, ſi tantum de præteritis glorietur, futura minus ſollicitè apud ſuperos emereatur. Ea tamen vtar moderatione, vt quamuis non exiſtimẽ inſitam erga Virginẽ pietatẽ ac deuotionẽ, à Meſſanẽſium animis, eoq; Virginis protectionẽ ab hac Vrbe aliquando receſſuram, vnius duntaxat numer exẽpli præteriti meminerim, ex quo plura futura & maiora ſperare, ſi boni ſint, Meſſanẽſes poſſint. Itaq; cũ nuper dira peſtilẽtia Panormitanæ Vrbis felicitas periclitata fuiſſet, & iã Ciuitates circũ vicinas, paulatimq; magna vbiq; ſtrage viſcera regni, lues inuaſiſſet, Meſſanã certè ita non attigit, vt Meſſanenſes quoq; qui negotiorũ cauſa Panormi alibiq; eſſẽt, & in media tabe verſarẽtur, vel pauciſſimos infecerit; ſed etiã haud vni Panormitano Ciui, qui occulta quadã religione Virginalis Epiſtolę exẽplar penes ſe haberet, alijs in eadẽ domo extinctis pepercerit. Quin verò nõ pauci, deſerta panormo, quò luẽ euaderẽt, occultè falſis cuſtodijs Meſſanã irrepẽtes, tãtũ abeſt cõtagione ceteros afflarint, vt lurida ac tabida corpora quãtocyus recreatint, ad ſanitatẽ reuo-

Digitized by Google

reuocarint, Tenuit porrò Panormum ea calamitas eò diutius, quòd Ciues hominis idiotæ ſed verſuti Græculi fide nixi, curam illi ſanitatis demandaſſent. Hic enim ſeruato luis fomite, ſparſiſq; inde virulentis quibuſdam odoramentis, plures fortaſſe necauit, quàm prius qua qua tandem experientia liberarat. Tandem detecta manticulatio, merentiſſimum mortalium, exemplo obiecit nouiſſimo; neq; tamen exitio modus poſitus, quoad altiori diſpoſitu, quemadmodum alibi meminimus, inuentum opportunè votis Diuæ Roſaliæ corpus, diuina virtute Cælum affectum ſerenauit, luem omnem propulſauit. Sic demum, hauſtis licet, multis capitum millibus, quæ inter Philibertus quoq; Sabaudus Siciliæ Prorex, bonis omnibus intempeſtiuè luit, malum regno exemptum eſt. Interim verò dum Panormus laboraret, Meſſana ſuam communemq; cauſam, pijs apud Virginem obſequijs conteſtata, id religione ex Epiſtolæ Sacramento accerſita creditur effeciſſe, vt malum à ſe auerteret, ceteris mitigaret.

Verùm qui paulò ante Imaginis Deiparæ Meſſanenſium liberatricis meminimus, non erit extra precium & inſtitutum, hiſtoriam altius repetere, quò tot ſignis accumulata Virginis protectio, in eius etiam Imaginis donario collato, ceù ſempiterno, & amoris exemplo, & contra pericula præſidio clarius eluceſcat.

OSTENDITVR VIRGINIS PROTECTIO ex aduecta eiuſdem Imagine.

CAPVT QVINQVAGESIMVM SEXTVM.

SCRIPTAM aliquando ab Abagaro Principe Edeſſæ Epiſtolam Saluatori propitio, qui in confinijs Hieruſalem in carne apparuerat, iam aliàs ex probatis auctoribus perſcripſimus, viciſsimq; ſalutatum literis à Chriſto Abagarum, & ingenti ſpe mittendi aliquando diſcipuli, qui rebus afflictis opem ferret, impletum ac planè recreatum, pari fide meliorum oſtendimus: neq; ſolùm, ſed propenſiorem in beneficia Chriſtum, quò votis Abagari tam ardentibus faceret ſatis, deſiderium ſui abſentis, miſſo viuifici vultus effigie in linteum impreſſa mitigaſſe, tanquam certum apud omnes retulimus. Haud abſimilem Virgo Mater imitatrix Nati, videtur erga Meſſanenſes geſsiſſe vicem, quæ, cùm miſſa pridem Epiſtola fidelem conteſtata fuiſſet tutelam, tùm deindè multa poſt ſecula, conſilio ac fortuna dubio procul Cælo deſtinatis, effigiem ſuam aſabrè depictam, apud eos extare voluit, in quorum pectora dudum Religionem viuidis amoris coloribus impreſsiſſet, planè ſeipſam condidiſſet. Vt nimirum eſſet in ea Vrbe, non modò velut in Virginis Sacrario, anathema ſanctitatis & religionis, ſed velut in arce præſidium belli & pacis, ac deniquè velut in aperto diſcriminum campo ſignum confugij, in quod lumina conuerſi Ciues, Reipublicæ malis præſens remedium implorarent. Et non temerè credas, deſiderata iam pridem iniuria temporum Virginali Epiſtola, hoc velut alterum pignus veniſſe, quo nunquam ſeneſcentis promiſsi recens ad aras figeretur memoria, extaretq; non perituris priſca fides teſtata monimentis.

Ergo regnante in Sicilia Friderico [e] Secũdo Imperatore Sueuo, (Fridericũ putat Bonfilius, ſed alijs alius videtur Friderico antiquior) dum is Meſſanæ moraretur, fortè Nauis appulit caris onuſta mercibus, ſed Deiparæ Virginis Imagine, cui depictæ ad

[e] Bõfil. lib. 4. Meſſana ex Praeo-

 latus

latus ſcalæ ſymbolum poſtea nomen dedit, prædiues. Hanc vectores Ciuitate quadam Syriæ furto ſublatam hucuſque detulerant. Exonerata mox nauis, rurſumq; nouo ſtipendio pactis ad nauigandum aliò nautis, tolluntur anchorę, veliſq; vento ſecundo datis, toto ſtudio incumbitur ad moliendum. Sed enim hęrente illa ſine motu velut in cautes defixa, verſiſq; in ſtuporem cunctis, qui vel turmatim ad littus proruerant, maioribus agi cæptum conatibus; ac primùm ſcaphis, deindè triremibus ad remulcandum adhibitis, nequicquam laboratur. Re in argumentum prodigij tracta, perculſi nautæ, pium furtum in conſcientiam vocant, & mox Imperatori & Archiepiſcopo detegunt. Nec mora, ſupplicantium ordinibus inſtitutis pergitur ad littus maris, ſtratoq; ad Nauim ponte ſublicio, elata perquàm honorificè Sacra Virginis Imago in littore locatur, eodemq; momento liberata Nauis, ipſa quidem itinere deſtinato ferri cæpta; ſed imago nouo fixa pondere immobilis perſiſtere. Ergo miraculis auctis iterum itum in conſilia, viſumq; ſapientioribus vetuſtæ ſortitioni rem permittere, vt quòd olim in deferenda teſtamenti arca religione quadam placuit, ita iunctis plauſtro bobus, impoſitoq; ſacro pondere, quò inſtinctus vehentes ageret, ſiſteret, ibidem cæleſti deſignatione cultus religioq; Sacro pignori decerneretur.

Ac quod olim Bizantij contigiſſe narrat Nicetas [f] Choniates, Emmanuele Comneno de Pannonijs triumphante, Deiparæ Virginis & inuictæ adiutricis Imaginem, quadrigis argenteis per Vrbem inuectam, proceribus omnibus ponè ſequentibus, triumphum reddidiſſe præſignem: id etiam ex parte experta fuit Meſſana, quando effuſis velut in publicam lætitiam omnibus, Virginis effigies auſpicatò vecta propter limites Vrbis ductaretur. Nec quippiam ſtridulum ſonabant axes, quippè non æris, fictitia Dea Minerua curru ferebatur, ſed veræ Virginis Chriſtiq; manſuetæ parentis effigies, pacem Meſſanæ latura, tempeſtiuam augebat Ciuium voluptatem, ſacrumq; ciebat ſpectaculum. Sed nec longum errare permiſſæ quadrigæ; quippè quæ ſicut nullis laceſſitæ ſtimulis, ſpontè ſine ductore gradiebantur inoffenſæ; ſic vbi ad radicem collis Ricciani, ſat longo tractu per ſicci torrentis arenas ventum eſſet, nulla præeunte voce humana, occultiore duntaxat vi quadam retentæ gradum ſiſtunt. Ac tùm plauſu omnium ſors in euẽtum tracta, eam quæ iuxtim erat Monialium Ordinis Benedicti ædem, tàm ſacro dono legit Sacrarium, Antiſtite cum Clero ſolẽnes ritus peragente. Exindè locus antea S. Mariæ de Valle dictus, à Scalis nomen accepit, populiq; frequentia, nec non Imperatoris, Regumq; ac Principum religione & munificentia ſacratior haberi cæpit. Sed verò tùm maximè votis omnium neceſſaria creuit Religio, quando vexata, quod iam narrauimus, contagione Meſſana, inducta per Vrbem effigies, ſalutari velut afflatu reſtrictis funeribus, ſalutem Ciuibus peperit, ac viuendi libertatem. Id cauſæ fuit cur in poſterum magis ſolliciti Ciues, ne de cetero ſuo Aſylo extra muros conſtituto, Ciuitas malis indefenſa relinqueretur, eam Virginis imaginem in ipſa Vrbe Templo magnificè ſtructo repoſitam vellent, factumq; deinceps conſecutione temporum, vt extremis conflictari periculis, toties præſentiſſimum ab ea religione remedium perſentirent.

Atq; hæc eſt illa Imago quæ non modò Principum Chriſtianorum, verùm etiam à fide alienorum culta donarijs, iſtis quoq; profuit interdum, ſed ſi vnquam Orbi Siculo ſpes ſuas demandauit, Meſſanenſium præcipuè velut addicta gratia votis creberrimis reſpondit. Narrat nonnulla Ioſephus Bonfilius priuatis clara beneficijs, ſed nos quæ communem vtilitatem ſpectant illuſtri loco cenſemus. Atque huiuſmodi ſunt illa, cùm crebrò Ciuitas vniuerſa Terræmotibus quateretur inſolitis, iamq; nutantium ædium fundamenta, ad haurlendam funeribus Vrbem, vaſtis hiarent voraginibus, toties circumlata populi anxiè ſupplicantis religione, Sacræ Imagine, formidinem

[f] Lib. 5. Annal.

dinem omnem abactam; ciueſq; à calamitate fuiſſe recreatos. Præterea cùm furore Ariadeni Barbaroſſæ, de quo alias diximus, certiſſima vaſtitas Meſſanæ, necdū muris, vlliſq; pręſidijs munitæ immineret, eandem Imaginem luſtrandæ Ciuitati circumductam, luctibus florentiſſimæ Ciuitatis funeribuſq; ſubueniſſe, eamq; à barbarica immanitate velut compreſſa potentia, ipſo barbaro cæleſti viſu perterritó liberaſſe.

Antiquiora ſunt & à recentioribus ignorata, vel incuria prætermiſſa, ſed ad commendandum Virginalis protectionis ex Epiſtola Sacramentum, & Meſſanēſiumq; ex ea religione ſpes certiſſimas oſtendendas appoſita, quæ Bartholomæus Neocaſtro, tradit, ex inuocatione Diuæ Mariæ de Scalis illa videlicet Imagine Sacræ, beneficia in Meſſanenſes veniſſe, gentiſq; gloriam inſolitis auctam victorijs in Orbe explicaſſe. Semel quidem [g] Rogerius de Lauria, concluſas in portu Melitenſi quò tempeſtas adegerat Caroli Regis viginti roſtratas, inuocato (vt ipſe inquit) nomine Glorioſæ Virginis MARIAE de Scalis, VIII. Iunij. XII. Indictione, in ipſis faucibus adortus, deuicit, & cæſo Guglielmo Cornuto Claſſis Præfecto, decem triremes, reliquis fuga elapſis, ſed penè laceris & exinanitis, in poteſtatem redegit, Meſſanam triumpho duxit. Quò etiam ſpectare poteſt, quod idem narrat, ante hunc conflictum, prouidentia Chriſti, qui mentes & iniuſta propoſita hominum rota volubili variat, inexcogitabilem ventum ab ortu excitatum, & maris tranquillitate murata, procellas inſurrexiſſe rapidas, & ponti varias tempeſtates, ob quas hoſti neceſſariò in portum Melitenſem declinandum erat.

[g] Cap. 76. Hist.

Rurſum cùm ob dictam victoriam, Carolus irritatus quadraginta triremium claſſem quàm primùm paraſſet, vt in ipſa victoria velut temulentos adhuc Meſſanenſes opprimeret, Rogerius de Lauria maiori celeritate vſus, viginti octo triremibus propè Neapolim, [h] decimo octauo Iunij, die Lunæ, hoſti occurrit, ac ſimulata primùm fuga, vbi Carolum in altum mare fidentiùs inſequentem prolicuiſſet, conuerſa repentè claſſe, paucis de æquitate belli Pharios ſuos cohortatus, magnis militum animis & vocibus, inuocato nomine Glorioſę Virginis MARIAE de Scalis, nec non Diui Ioannis Baptiſtæ, cuius peruigilium agebatur, inaudita à ſeculis felicitate conflixit, hoſtium claſſem partim fudit, partim fugauit, ac inter decem triremes Prætoriam cum Rege Regiiſq; Gallorum, ac Neapolitanorum Proceribus capit, Meſſanam totius hoſtilis Regni robur captiuum duxit.

[h] Indict. XII.

Præterea cùm Carolus ex ducentis Nauibus quinquaginta quinq;, reparatis Militum viribus legiſſet triremes, & quadraginta ex ipſis, reliquis penes ſe detentis, ad obſidendam expugnandamq; Barchinonam duce Ioanne [i] Orco miſiſſet, Rogerius Lauria eductis celeriter ex portu Tarentino triginta ſex triremibus, hoſtium claſſem præuertit; adiunctiſq; duodecim alijs, quæ Cathaloniæ ſub cura Raimundi Marquetti Protrierarchæ, iuſſa opperiebantur, poſt triduum, vniuerſo Milite nomen Virginis MARIAE de Scalis plaudente, magno animorum ſenſu, ſoluit in occurſum hoſti, qui iam ad promontorium Sancti Philippi ſub ſolis occaſum aduenerat, nec quippiam de Siculis ſuſpicatus, obuerſis litori proris quieſcebat. Inopinatè verò illis ingruētibus, iterumq; nomen B. Virginis de Scalis ingeminantibus, ſomno metuq; exangues cadunt aduerſarij, penè inulti & inglorij, & victoriam Meſſanenſibus concedunt, propemodum incruentam; deniq; inter plures in mancipium venit Ioannes de Orco, virtutem Siculorum infortunio ſuo an ignauia conteſtatus. Sed non morati victorię curſum iſti, Roſam vbi reliquæ triremes quindecim hærebant, adoriuntur, quatuor ex illis exurunt, cęteras capiunt, Roſam expugnant; deniq; aduentantem Ducis Brabantiæ onerariam, duodecim Galeis comitatam, quæ inter alia, ſtipendia quoq; Militum & annonam vehebat, in poteſtatem recipiunt.

[i] Alij legūt Vrco.

Mitto

Mitto admirabilem illam, de qua alibi diximus ad littora Surrenti victoriam, quæ cùm nocturno primùm viſu deſignata fuiſſet, tùm indubitato ſucceſſu reipſa parta eſt, ingeſta continuò pugnæ ſacri nominis appellatione, vt dubitari nequeat Meſſanenſes vnquam alia viciſſe teſſera, quàm quæ à conteſtatione fidelis Epiſtolæ, in nuncupationem Diuæ MARIAE de Scalis, cuius Imago veteris Sacramenti pignus eſſet, redundaret. Hæc pauca exempli duntaxat gratia narrata, propediem exituris in lumen Siculis Hiſtorijs, animos parant & noſtro inſtituto pro argumento ſufficiunt, quo parem in bello & pace domi foriſq; felicitatem, & in quouis diſcrimine certum præſidium, in Virginis ope ad hoc velut aſylum flagitanda imò requirenda, ſemper Meſſanenſes repoſſuiſſe teſtatum ſit. Enimuerò quòd in Vrbe Romana Deiparæ illa filium in vlnis fouentis Imago, manibus vt creditur Angelorum efformata, & ab ijſdem in domum S. Gallæ patriciæ delata, continuò rebus afflictis præſtat, eamque ob cauſam tot Pontificum Romanorum religione, & publica ſupplicatione Vrbiſq; frequenti luſtratione, ſiuè belli, ſiuè peſtilentiæ metu ſemper ſacra fuit; ita Meſſanenſibus cælo deſtinata Virgo de Scalis, ijſdem alijſq; de cauſis, pari cultu ſemper religioſa fuit, ac totius Chriſtianæ Reipublicæ bono ſemper ſalutaris.

Ceterùm qui antiquiorem Friderici tempeſtate putant huius Imaginis ad Meſſanenſes appulſum, inde non vanam accerſunt conjecturam, quòd Guglielmo malo Rege, multis antequam bonus eſſe deſijſſet, bellis & victorijs claro, non ſemel ſecundis planè auſpicijs, à religioſa Diuæ de Scalis acclamatione rem omnem confeciſſent. Id equidem ita acceperim, vt ſtante ſub Friderico miraculoſa illa aduectione, ſanctitudo tamen Diuæ, rerum admirabilium fama, commercijſq; Orientalium, apud Siculos pridem, religionem, & cultum habuerit præcipuum, quem deindè rato ſuperum diſpoſitu, illa quoq; felicitas acceptæ Imaginis reddidit ſanctiorem. Nec dubium, ſi non primus omnium pingendæ huius Iconis fuit vſus, inter antiquiſſimos certè fuiſſe non poſtremum: neq; ſolùm id à cognito ſecundum Euangelium Deiparæ Myſterio; ſed anticipatis pridem ante ſignis, quæ figurarum vmbras aliquando in rerum veritates inuerterent.

k Epiphan. in vita Hierem.

Nam vt traditione [k] conſtet apud Aegyptios, Hieremiam Prophetam Domini, dum in captiuitate moraretur, Sacerdotibus Gentis prædixiſſe, ruitura Idolorum ſimulacra, cùm Virgo in præſepi filium collocaſſet, multoſq; ex eo tempore dicto credentes, Virginem Matrem Infantemq; in Præſepio cubantem, in Imagine veneratos fuiſſe, poſteroſq; religionem docuiſſe. Vt etiam probabile ſit, à condito Argonautarum Templo, Virginis gremio geſtantis, vel etiam poſtea ſignificatu Sibyllarum Infantem lactantis imaginem, à nonnullis ſolitam exhiberi; quamquam ego id crediderim cæpiſſe, quo primùm tempore Octauius Auguſtus pariendum à Virgine Deum Sibyllanis inſuetus oraculis didicit, factoq; nomen Domini ſibi ingeſtum repudians, inuulgauit: Hæc inquam etſi ita ſe habere nihilum officiat inſtituto, ac potius apprimè cultum promoueat ac ritum, quin tamen vetuſtiorem habeat Imago Diuæ de Scalis à ſymbolo religionem, an aliquis inficias iturus ſit, vbi mentem aduerterit, dubitauero.

Certè Scala illa è ſuperficie terræ in conuexum vſq; Cæli protenſa, cui Deum imminentem, Angeloſq; per eam deſcendentes & aſcendentes Iacob aſpexerat, inter alia Deiparæ Virginis, vnicæ apud Deum conciliatricis peccatorum typus fuit, per quam ſcilicet nemini aſcenſus ad vitam non pateret, eiuſdemq; ope cæleſtis gratia velut Angelorum miniſterio deportata, mortalibus adueniret. Itaq; conſequentibus temporibus ſatis argumenti fuit Religioni Chriſtianæ, quò latius ingreſſo in Orbem nomine Mariæ, meritiſq; apud Deum cognitis, ſacræ eius effigiei inter fideles vbiq;

inuul-

Digitized by Google

inuulgatæ, ſcalam appingerent, vt id quidem apud intelligentes veritas eſſet antiquæ ſignificationis, apud ſimpliciores verò, velut character vncialis, vnde præcipua Virginis merita in ſuam ſalutem deriuanda continuò legerent, agnoſcerent. Sed non ſolùm Chriſtianis, verùm etiam Gentilibus, opportunum fuit eiuſcemodi argumentum, vndè, ex hieroglyphico velut apice myſterium altius venarentur, ſenſumq; veritatis & velut animum rei, non in cortice, ſed in nucleo propius inſpicerent.

Quod itaq; narrat [l] Aelianus, à Pittaco Philoſopho, Mitylene Templis Scalam inductam, ad nullum alium vſum, quàm vt eſſet dedicatum donum, adumbrans fortunæ repentinos aſcenſus atq; deſcenſus, vt ex eo ſymbolum Deæ Fortunæ in picturis eſſet, non ſolùm ſaxo volubili inſiſtẽtis, verùm etiam ſcalam in manu vel iuxtim habentis: huic ſanè occultè inſeruiuit Myſterio, quo Deiparam Virginem, Scalam eſſe ad ſalutem, reſidibus verò & contemnentibus ad interitum, adumbraret. Hæc quippè eſt, non illa commentitia falſæ diuinitatis, ſed veriſſima prorſuſq; vnica mortalium Diua Fortuna, quam qui honorant non erunt ignobiles, qui contemnunt, in miſeriis non ſubſiſtent, quæ ad ſe confugientes extollit in altum, negligentes relinquit in imo. Deniq; cui fecit magna qui potens eſt, vt eius meritis deponeret potentes de ſede, humiles exaltaret. Et profectò, ſi quod in nobilitate mundana fieri conſueuit, vt ſingularibus quibuſdam coronamentis ac ſtemmatibus, familiarum dignitates, & vota factaq; maiorum illuſtria, velut ſymbolis exſignentur; id ad ſacratiores quoq; rerum ordines transferamus, & excelſas Deiparæ Virginis prærogatiuas quo quo modo conemur adumbrare; nihil inter omnes Veteris etiam inſtrumenti figuras, adeò præſtanti ad dignitatem Matris, ceteraſq; excellentias ſignificatione alludit, quàm quæ ex ſymbolo ſcalæ, diuinæ planè mentis explicatio prolicitur: *Facta quippè eſt* (inquit [m] Auguſtinus) *Maria ſcala cæleſtis, quia per ipſam Deus deſcendit ad terras, vt per ipſam homines aſcendere mereantur ad cælos. Ipſis enim licebit aſcendere illuc, qui Deum crediderint ad terras per Mariam Virginem deſcendiſſe.* Hæc Auguſtinus.

[l] *Lib. 2. de varia Hiſt. r.*

[m] *Serm. 15. de Temp.*

Quod encomium ſicut inter alias Virginis laudes eximium eſt, ac Myſticis diuinarum diſpoſitionum prægnans Sacramentis, ita mortalium ab illa Deiparæ de Scalis Icone religio, præcipua cenſeri debet, illiq; ſingulari prorſus apud Virginem habendi loco, quibus non humano prouiſu, qua qua tandem occaſione cæleſte illud donum collatum eſt. Vt hoc ſolùm, ſi alia non eſſent, quæ tamen plurima ſunt, à Virginis gratia Meſſanenſes præcipuè commendare queat, ipſiq; Meſſanenſes hæc velut inſignia protectionis, ſuper auream Archadij Crucem meritò collocare debeant, quando ex his non minus ſingulare, quàm certum oboritur Epiſtolæ quondam miſſæ argumẽtum; certè enim quod in Epiſtola characteres, in Imagine vultus oſtendit, quod in illa verba promittebant, in Imagine virtutes præſtant, nec illæ qualeſcunque, ſed quæ ex ratis euentibus indubitatam Epiſtolæ exaratæ fidem, fideliſq; promiſſi in præſenti pignore Sacramentum atteſtentur.

Nam quod ad celſas adeò dignitates, honorumq; culmina Meſſanenſes apud ſuos Principes aſcenderint, quod inter tot bellorum diſcrimina, rerum ac temporum difficultates, & ſexcenta malorum pericula, ſuperiores euaſerint, quod inter decumanos Regni Siculi fluctus, ipſi ſuper omnem fortunæ aleam extiterint, quod deniq; religionem ſemel arreptam, vel in dominatu ſuperſtitionis, continuò maioribus incrementis extulerint, Scala oſtendit, vt non immeritò ſcriptæ quondam Epiſtolæ, ſigillum recentius impreſſum dici queat Imago Diuæ de Scalis, & Scala Virginis inſigne, Meſſanenſium augurale Sacramentum. Atq; hinc factum opinor, cur Meſſanenſes ante acceptam Deiparæ Imaginem, non ſemel ad pugnam capitali bello cum hoſtibus incincti, Diuam duntaxat de Scalis, non verò de Epiſtola vocitatam, inuocarent; quod videli-

videlicet traductam ex Oriente Diuæ religionem, in Epiſtola quoq; dudum ante recepta ſpirare ſentiſcerent, & ignari ſenſus occulti, rem ſignatam à ſigno, arcano quodam inſtinctu denotarent, quamquam fruſtra luculento ſuſceptæ Imaginis argumento, vetuſtam Epiſtolæ religionem, ex gratia recens impertita recolerent, periadè habentes ex eius doni religione, in difficillimis Reipublicę temporibus auxilium Numinis emereri, ac certiſſimam Epiſtolæ datæ, protectioniſq; in ea repromiſſæ fidem conteſtari.

Sed etiam illud hoc loco non ab re venit conſiderandum, quo ferè tempore miraculoſus ille Sacræ Imaginis contigit appulſus, vni ex Socijs [n] Diui Franciſci, (F. Leonem vocabant) huiuſmodi viſum fuiſſe obiectum, Angelicis videlicet tubis excitos mortales, ſpatioſo in Prato ad Tribunal iudicantis adſtitiſſe; eodemq; loco geminas à terra in Cęlum protenſas extitiſſe ſcalas, quarum alteri, quę rubẽs erat, Chriſtus Iudex indignabundus, alteri candido diſtinctæ, Virgo Deipara, vterq; eminus in vertice aſſidebant. Aderat & Franciſcus, qui ſuos vt fidenter ad Chriſtum aſcenderent, contenta voce impellebat, ſed inter conandum, alium è tertio, alium è quarto, è decimo gradu, è media ſcala, deniq; de ſummo præcipitaſſe, mæſto animo tulit. Itaq; illo pro ſuis interpellante, Chriſtum manus ac latus, recenti vulnere ab illis cruentata prætendiſſe. Tùm Franciſcum ruina ſuorum commotum, eos ad ſcalam albam cui Deipara præſidebat, euocaſſe; nec mora, benignè acceptos, citra difficultatem in Regnum euaſiſſe. Hæc ex Chronicis Franciſcanis: non vana vtiq; ſignificatione propius ad Occidentis oras acceſſiſſe, atq; adeò Meſſanæ conſediſſe, confugium illud, quo præcipuè res Orientis florebant, neq; enim diù poſtea ſteterunt, ſed paulatim felicitate Chriſtianorum peccatis exigentibus afflicta, ſublataq; indè Virginis æde Nazarethana deciderunt, vt diuina quadam præſenſione, candida hæc ſcala, quæ miſericordiam notat, relicta ibi rubea, quę iraſcentis iuſtitię Dei rigorem pręfert, deſerta in ruinis Orientali ſede, Meſſanam altiori conſilio commigraret, non vtiq; diurnum hoſpitium ignotamq; gentem, ſed Ciuitatem ex antiquo religionis fędere lectam, populoſq; ſuę protectioni vectigales expertura. Vbi tandem quę priſco iure Patrona fuit, noua Ciuibus impertita gratia, Ciuitatem quoq; cùm accepiſſet, quibus Reipublicę commodis profuit, ac continuò prodeſt, hactenus ſi non ſatis diximus, ętas poſtera teſtabitur.

[n] In Chr. Minor p. 1 lib. 2. cap. 35.

Iam quod ad archetypum huius Imaginis ſpectat, in ipſa Euangelij luce ſi non antiquiſſimum, certè inter antiquiſſimos non poſtremum eſſe, quę hactenus adduximus ſatis oſtendunt [o] Metaphraſtes primum omnium, qui Chriſti figuram cera & lineamentis expreſſerit, Lucam fuiſſe recenſet, [p] Nicodemum in ligno eandem effigiaſſe ante omnes, alij commemorant. Verùm ab eodem Luca Deiparæ quoq; imaginem ad viuum exhibitam [q] Theodorus Lector exponit, quam cùm ipſa Virgo intuita fuiſſet, gratiam formæ ſuæ quemadmodum [r] Nicephorus Calliſtus ait, immiſit. Hanc poſtmodum Eudocia Hieroſolymis ad Pulcheriam Auguſtam deferri mandauit, eandemq; Antiochia delatam, Pulcheria magnifico in Vrbe Conſtantinopolitana Templo eiuſdem honori extructo repoſuit, multiſq; celebrem miraculis, non Conſtantinopolis modò, ſed exindè tota Græcia, poſt verò vniuerſus Orbis Chriſtianus, in exemplaribus propagatam venerata eſt, quæ inter quod Venetijs habetur ad archetypum gemella prorſus ſimilitudine ſic alludit, vt notas omnes ac lineamenta, quæ [ſ] Nicephorus ex Epiphanij ſenſu de Virginis forma prodit, ad viuum cenſeatur exhibere.

[o] In vita S. Lucæ.
[p] Ex Euang. Nicod.
[q] In Collectan. lib. 1.
[r] Lib. 11. c. 14 & li. 14. c. 2.
[ſ] Lib. 2. cap. 23.

Ceterùm an hæc prima Dei Genitricis Imago, à Chriſtianis facta cẽſeri queat, non immeritò dubitari poteſt: nec vanam habet coniecturam, à Magis primis Chriſti & Vir-

Digitized by Google

Virginis ex Gentilitate adoratoribus, exceptum vtriuſque vultum, ac formam in Arabiam deportatam, quò religioni propagandæ commodarent; nec imperitos pingendi illos ipſos Magos aliquis putauerit, quòd ſapientia Chaldæorum, & Aegyptiorum, non modò cæleſtes Imagines ad humana lineamenta reuocare, verùm etiam hieroglyphicos vultus perquam ſcitè exhibere docuiſſet, vt iam in deſideratis à ſeculo pulchritudinibus, hoc libentius manum & pennicillum periclitari vellent, quo nihil vnquam pulchrius formare didiciſſent, aut vidiſſent. Ab his opinor defluxiſſe ad Indos illam, [t] quæ Virginis humiliter ſedentis gremioq; puerum fouentis, oſtentat ſpeciem, genti ad Idololatriam deuolutæ non magis antiquitate, quàm vano ritu religioſam, ignara penitus ſuperſtitione quid coleret: vt hic quoq; locum habuerit illud Pauli ad Athenienſes. Quod ignorantes colitis hoc vobis annuntio. Niſi etiam Thomæ inter Apoſtolos fidei exercitæ, referatur id acceptum, quando ſicut commune fuit omnibus Apoſtolis, cum nomine Chriſti Mariæ quoque vocabulum Orbi infundere, ita non minus conſuetum, paſſim ad committendam præſertim cum Idolis religionem, noua hæc, vt ita dicam, Euangelij ſimulacra ſecum deferre. Vt hanc inter alias ob cauſam Petrus quoq; plurimas Antiochiæ, ſiuè à Luca ſiuè ab alijs factas myſteriorum imagines procurarit, ad gentes ſecum exportarit.

[t] *Indici Annales.*

Vtrum verò Lucas Imagines ſuas aliquo charactere ſolitus ſit inſignire, non ita certò affirmari poteſt, ſi præſertim ad primas cogitatio vertatur, quando in illis formato duntaxat auguſto Virginis vultu & corpore, ſatis erat deſideria multorum explere, qui cùm longè diſſiti multiſq; impedimentis diſſipati admirandam illam Angelis faciem, coram intueri ac venerari non poſſent, ex miſſis hinc inde exemplaribus, ſanctum ardorem quoquo modo mitigarent. *Cum enim* (inquit [u] Caniſius) *multorum incenſus eſſet animus, vt Domini ac Dei ſui in cælo regnantis matrem coram viderent, & videntes iure ſuſpicerent atq; reuererentur, nec omnes tamen vndiq; ad eam proficiſci, ſuoq; deſiderio ſatisfacere poſſent, prudens ac pium conſilium inuentum eſt, vt MARIAE vultum ſaltem in tabella depictam exciperent, hocq; perenne monumentum, tum præſentes, tum abſentes ad ſuum ſolatium retinerent, alijq; alijs inuicem communicarent.* Hæc ille.

[u] *Lib. 5. de Deip. c. 2.*

Poſtea tamen manante latius ex aſpectu Deiparæ cum pietatis ſenſu religione, cùm iam non amplius ex vultu noſcenda, ſed ex myſterio dignitas matris perdiſcenda eſſet, tùm adhiberi characteres figurarum cæpti, ſiuè id primum à Luca factum (neq; enim vno ſemper habitu Virginem pinxit) ſiuè à quopiam alio, penes eam memoriam, magno in pietate ingenio exhibitum. Antiquiſſimum quippe vſum vel hæc Imago Meſſanenſis, penè ad incerniculum detrita ſatis oſtendit, vt non temerè cogitari queat, primam hanc fuiſſe omnium, quæ Myſterioſum inſigne Scalarum vel manu Lucæ impreſſum poſtea ſuſceperit. Hoc enimuerò non inane habet argumentum ex ipſo aduehendi modo, quo non niſi ob maximam religionem, è ſanctitate ſcilicet miraculorum per Orientis oras celeberrimam, occultè quidem (quod ſæpè in ſacris etiam corporibus auertendis eueniſſe legimus) ſed pio furto ſublata conceſſerit, quòd dubio procul obnoxia alioqui crimini cogitatio non attentaſſet, niſi pietate quadam obtecta, & fortaſſe etiam ad neceſſitatem verſa, conſilium pro re nata proficuum ſuſcepiſſet. Ceterùm vnde Vrbis hæc Sacra imago ſit auulſa, Scriptores non narrant, Syriam duntaxat Prouinciam nominantes. Non longè aberrauerit, qui Antiochiam in animum induxerit, vbi Sacrarum vſus imaginum Petro Apoſtolo in primis adnitente maximè religioſus eſſe cæpit, egregia ſanè rerum viciſſitudine, vt vbi primùm à ſignis Imperatorum Iudæis exoſis, in cædem & ſanguinem ſuperſtitio debacchata eſt, ibi ſanctiorum cultus imaginum pulſa impietate, ad religionem proficeret.

Digitized by Google

ceret. Id porrò tùm ea occaſione contigiſſe credendum, qua cadentibus in Oriente rebus Chriſtianorum, paulatimq; iſtis ſolum vertentibus, quid quiſq; pretioſum exiſtimaſſet in ſarcinas colligeret, vt hoc pacto religione tectum facinus, tanquam ſi pro aris & foris actum fuiſſet, laudem potius mereatur, quàm ſceleris notam.

Atq; in hunc modum commutata ſede religio Meſſanæ quoq; ſumpſit incrementũ, vt cùm in difficillimis rebus ſuparãdis, periculiſq; propulſandis, eximiã opportunè virtutem ſanctitudo illa ſpiraret, facile omnium animis eam ingereret opinionem, qua non vetuſtate ſolùm venerabilis, ſed Myſterio quoq; ſacra, conciliatu verò Numinis & gratiarum religioſiſſima cenſentur: planè, vt credi poſſit in hanc quoq; tabulam ſicut in illam, quæ ad Pulcheriam Auguſtam peruenit, Deiparam Virginem viuentem, aſpectu ſalutari, formæ ſuæ gratiam immiſiſſe, vel certè ex illa deriuatam, dum fortaſſe huius exemplum eſſet, cum ipſis lineamentis ductis inſediſſe. Exiſtimo enim, Meſſanenſem hanc Imaginem ex illo archetypo deſumptam, magnam deinde ex miraculis habuiſſe religionem, vt non ſine cauſa, qui, vndequaq; tandem quauè occaſione auertiſſent, ea rerum ac virtutum ſanctitate, regiones Occidentis carere nollent. Certè Scalarum inſigne, ſi hæc prima tulit, ex illa arrogaſſe videri poteſt, Myſterio ſcilicet ex quadam æquiuocatione in rei naturam verſo, ſiuè illam Hodegetriam dixerit [x] Nicephorus Gregoras à Templo Pulcheriæ pietate dicato, ſiuè potius Templum idem τῶν ὁδηγῶν hoc eſt Viæ ducum vt alter [y] Nicephorus tradit, ab ipſa Virginis Imagine clariſſimum nomen adſciuerit; quando Deipara Virgo, viarum omnium, quæ poſt Deum duces ſunt ad ſalutem, via princeps ac Regia meritò dici poteſt, eiuſdemque vocis accommoda ſignificatione Scala illa Cæleſtis, in quam omnes viæ deſinere debent, & à qua noſtra hæc Imago Meſſanenſis Diuæ Mariæ de Scalis nomen habet.

[x] Lib. 9. Hiſt.
[y] Niceph. Calliſt. Lib. 14 c. 2 Lib. 15 cap.

Nec alio crediderim, quàm Myſterioſo vocabuli ſortitu, Sacellum in Aede maiori Epiſtolæ ſactum, in varias vulgo deſciuiſſe dialectos, vel habita ratione cauſæ varias accepiſſe appellationes, quæ tamen ad originem reuocatæ, eiuſdem rei velut myſticæ, communem habent interpretationem. Re ſiquidem vera, literam, vt ita loquar, à Deipara miſſam denominat, lyterij tamen vocabulum, quod Græci Meſſanenſes indiderunt, religionem Ciuium erga eam Epiſtolam, quaſi ad Virginis aram noxas expiare, votaque ex fiducia concepta redimere ſolitiſſint, luculenter oſtendit: niſi etiam contractis vocabulis ex eo, quod vulgo [z] literio ſonat precium redemptionis, malorumq; omnium amuletum, appoſita prorſus ad Virginem ſignificatione, ab ipſa rei natura lubeat interpretari. Quo demum loco præclarè incidit etiam illud, quod aliquando coniectura dedit, hæſiſſe videlicet Epiſtolam Virginis apud Pulcheriam, quatenus in hac Imagine, cuius archetypum ipſa coluit, arcana quadam Numinis compenſatione, ipſa Epiſtola reuerteret, religionemq; Pulcheriæ Meſſanenſium pietati coniungeret, vt quæ illi Via ducum, Andronico [a] Seniori vitam eiuſdem Hodegetriæ complexu emerenti ſalus fuit, Meſſanenſibus in reſtaurato protectionis Sacramento, Scala ad totius felicitatis culmen eſſet.

[z] Lytrum. litrum.
[a] Niceph. Greg. lib. 9

OSTEN-

OSTENDITVR PROTECTIO DEIPARAE VIRGINIS EX *liberata a fame Meſſana, & ex ſedato periculoſo tumultu.*

CAPVT QVINQVAGESIMVM OCTAVVM.

IN hoc etiam beneficio perſæpè verſata eſt Patronæ Virginis prote-ctio, certauitq; fides Meſſanenſium cum explorata benignitate non ſemel, vt vbiq; Virginem eniti putes, ne tàm calamitas à calamitate, quàm gratia à gratia ſuperetur. Etſi enim credam Deo Opt. Max. cuius eſt humanarum rerum procuratio, reſpiciente ad propenſam Ciuium in Deiparam Virginem religionem, omnia ferè ſemper proſperè procedere, ſecundaq; euenire; vt proindè Ciuitatis proſpera ſemper & quaſi æquabilis, perpetuaq; fortuna per tot ſecula perdurarit: Interdum tamen eadem fortuna paulo variante, in duriora tempora Ciues ita incidiſſe conſtat, vt non niſi iuuante Virgine, & menti ciuium lumen præferente, rurſum Ciuitas emerſerit, & ad priſtinum ſtatum fortunamq; ſit reuerſa. Quod etiam cauſæ fuit, vt Ciuitati alioqui, commoditate maris, & portus, fortunæ muneribus, ab ipſa origine ampliſſimæ, omnibuſq; rebus auctæ atq; ornatæ, interdum opum ac copiarum amplitudo repentina eſſe videretur, & tunc primùm Cæli fauore eſſe conflata, quando compreſſa calamitate, fauentiſſimæ Virginis ope, rurſum inceepit ſplendeſcere.

Narrabo rem annalium memoria dignam, quam tamen Meſſanenſium Scriptorum negligentia (pace eorum dixerim) non ex publicis tabulis, ſed ex domeſticis [b] quorundam fide digniſſimorum quibus id notare cordi fuit, aduerſarijs excepi, tametſi abſque vlla temporis nota inſcriptam, quòd non niſi priuatæ in Virginem pietati eiuſmodi ſcriptione conſultum vellent, nec de cetero illis in mentem venire potuiſſet, neminem ex tanto literatorum & exceptorum numero fore, qui rem in cælum efferendam, vel publicis monumentis Senatus decreto non ſignatam præteriret: niſi ego fallor, & hiſtoria toties in tabulario, vetuſtiſq; Manuſcriptis quæſita, manus oculoſq; effugerit, vel adhuc eius animi ſim, vt in re tam præſigni, quæ omnium operam concernere poterat, altero alterius diligentiam ſpectante, omnes demum (vt aſſolet) negligentiæ crimen implicaret, quo vno plura ſanè alia crimina redemeris eorum, qui in ſeculis retroactis, multa in omni genere ad Reipublicæ Meſſanenſis gloriam pertinentia minimè perſcripſerunt. Et fortaſſe fama potius quàm ſcriptis, rem eiuſcemodi peruulgandam putauerunt, quod quemadmodum pietati multum, ita hiſtoriæ in temporum confuſione parum patrocinari poteſt, luſiſſetq; operam noſtram in præſenti negotio, niſi verſatam in ore omnium famam, quanquam ea per ſe ad fidem faciendam ſufficiat, piorum quoq; lucubrationes confirmaſſent.

[b] D. Aſinij Pania. b. m.

Ergo Meſſana, quæ alias opibus copijſq; florens, ad ſplendidam ſaturitatem affluere ſolita eſt, aliquando Cælo irato flagellata annona, ad eam rei frumentariæ deuenit anguſtiam, vt pro tenui victu quid amplius in diem ſuppeteret, haud ſupereſſet. Auxerat inopiam tunc fortè ex diuerſis municipijs confluentium pars maxima, quæ ſicut ſtatos mercatus maiorum opum ſpecie complere ſolita erat, ita in ea caritate mediocritatem ad paucos dies ſufficientem, planè extenuauerat. Cautum à Magiſtratu diligenter, ne quis frumentum ceteraſq; fruges compreſſas teneret, ſed quod quiſque haberet venale exponeret; propoſito etiam Mercatoribus præmio, quanta-

cunq; impenſa atque induſtria aliundè frumentum procurarent. Verùm qui aliàs in caritate annonæ, comportatione maxima, vilitatem rei frumentariæ ſoliti erant inducere, tùm duriore facta temporum conditione, ſuæ quoq; fortunæ deſperare; & iam pleriq; egentes, qui alioqui publico inſtituto, velut centuriati ditioribus distribuebantur alendi, ægra macie corpora trahere, miſerandumq; ſpectaculum obuijs exhibere, opulentioribus ipſis incommodè grauateq; ſuam familiam alentibus, vt in ea miſeria nulla priſtini cenſus fortunæq; ratio appareret.

Quid verò rebus adeò afflictis ſupereſſe poterat, niſi ad vſitatas priſtinę ſpei recurrere diuitias, vitamq; cum fortunis apud exploratum Numen demereri, quod precibus Virginis nunquam non propitium pro re nata experiri didicerant: Inſtituta tum ſacrificia tàm priuata quàm publica, exercitæ religiones & ſanctitates, omnium ſpes vna in Virginem intenta. Nec irrita ceſſit hoc etiam tempore, priſtino Epiſtolæ Sacramento rata fiducia, ſed quæ ope oſtenſa ſpem proritatam ludere primum viſa eſt, euidenti demum argumento, beneuolentiam ex promiſſo fecit teſtatiorem. Enimuerò conſpecta longè ingens frumentaria nauis, vt primùm ſe faucibus freti paſſis velis immiſit, ſpem Meſſanenſibus fecit ſubleuandæ difficultatis; verùm ſecundiori pulſa vento, Meſſana poſt tergum relicta, oculis omnium fretoq; exceſſit; tum verò erepta ſpe præſentiſſima calamitas auctior, ad luctus miſeriarum appendices animos omnium conuertit. Et fuere qui in ægris corporibus reſiduum ſpiritus ad aras libarent, quò ſic conſumendis Numina ſaltem pacatiora intenderent.

Hos inter, duo ſeniculi, dum ſe ad ædem Virginis à Scalis, atque adeò ante ipſam Diuæ effigiem, votis lacrymiſque ſupremis mactant, forte è clathris parieti infixis vnde Moniales proloqui ſolitæ, vox reddita gemitus interrupit, Ecquæ (inquit) cauſa malorum complorantes & afflictos huc adegit? cui iſti, Monialis interrogationem rati; quin & tu nobis ſi vices noſcas illacrymeris: plangimus vitam ſat diu frugaliter honeſteque actam, non expectata mortis neceſſitate miſerè finiendam: En fame perimus, qui nullius fortunæ inuidebamus: ſpes erat tolerandi ad tempus mali, ni nauis onuſta, commodùm in cumbente vento, portum noſtrum feſelliſſet: Cælum ipſum Vrbis excidium diſſimulare dixiſſes: hinc noſtræ lacrymæ, hinc malorum Ilium. Quibus illa; æquo animo eſtote (inquit) nihil de Virginis ope diffiſi; quin voti compotes gauiſuri, priuſquàm hodierni Solis voluantur horæ: ante ſecundam ſupra vigeſimam, nauis illa quam auectam quærimini in hoc portu ſiſtet. Sed qui id fieri queat, replicant iſti, cùm iam præteruecta fretum, haud parum æquoris fauentiſſimo flamine ſit emenſa: vt ſi ſponte velit reditum moliri, non poſſit. Nec plura, ſolutis deinde præcibus conceptis, templo ſe efferunt, aliquantum lætiores, animis ad omnem ſpem fortunamq; arrectis.

Et ecce quæ primùm aurigante Auſtro vehementi, diffiſis ferebatur vndis impulſa nauis; oborto ex aduerſum Circio, validiore quaſſari impetu repente cæpit, veliſque implicatis & verſa antenna, niſi curſum flectat, merſione periclitari: nec ignari Nautæ, potius eſſe compendium Maris quàm ſalutis agere, Nauim retorquent; & iam freto rurſum illati, tentatas antea remetiuntur vias, nihil magis quàm Portum Meſſanæ declinantes, velis remis omni conatu auerſantes, Rhegyum quoque prætereunt. Sed fruſtra; quippè velut ruptis inducijs inualeſcens Auſter, nec quippiam interea remittente Circio, duobus aduerſum pugnantibus ventis fortiſſimè acti, deliberant, iactis ſi fieri poſſit anchoris, medio ſalo hærere; miſſaque Scapha periclitantur experientes, nùm alicubi circa crepidinem Rhegynam tutò id facere queant. Sed non aliam exploratores teſſeram ferunt, quàm Nauis rerumq; cum ſalute certiſſimum breui interitum, ni quàm primùm portui Meſſanenſi, quod vnicum eſſet refugiũ, ſe concredant. Id

con-

Digitized by Google

conſilij ſalutem illis, ſed Meſſanenſibus prætereà fortunas attulit, calamitatem exe-mit, reſponditq; dictis in æde Virginis, euentus, Nauim eam, ante vigeſimam ſecun-dam diei horam in Portu conſtituram.

Tùm verò Ciuitas vniuerſa recreata, cunctis præſentiſſimam Patronę Virginis opē cum religione interpretantibus, nec paucis, quos narratores ſeniculi, vel etiam cultus Diuæ permouerat ad Templum Scalarum, cunctatum affluentibus: rei ſucceſſu ex or-dine prolato inquiſitum, quæ nam fuiſſet ex Monialibus tanti Vates euentus, quæ to-tius Vrbis calamitatem, ope Virginis adeò proximè vertendam enuntiaſſet. Mirata primùm Antiſtita loci vehementer, vix tàm alienam ex tempore cum voluptate felicitatem capiens, ſorores deindè congregari iubet, ſinguliſq; recenſitis & veſtiga-tis, cùm nullam ex omnibus dicti factiq; conſciam, ſed ſtupentes vniuerſas, ipſa quoq; ſtupuiſſet; eloquens ſilentium indubio probauit argumento, illa etiam vice, pium Deiparæ Clientibus ſuis profuiſſe patrocinium, eiuſdemque fuiſſe auguſtum illud ge-mitibus pauperum interpellantibus redditum oraculum, vt quę olim Scripto benedi-xiſſet, nunc interpres ſcripti, voce & facto ſuos ſolaretur. Niſi iam pios manes iubē-te Deo excitos, aut miſſum ex agmine Spirituum ſupernorum nuntium, eo gaudio Meſſanenſes cumulaſſe volueris, quod profectò, ſicut in religionem, ac vtilitatem Ci-uium multis modis, ita non vno titulo in Virginis protegentis redundat dignitatem.

Plura ſi afferantur huius generis exempla, non puto aliquem fore, qui non varijs cæli iniurijs, & rationum vexationibus magis, quàm ignauiæ Ciuium adſcribat, vt cùm iſti ſua induſtria, ac nauitate famem propulſare, ſuoq; labore procul arcere non valeant, ſæpius ad inopiam, reiq; frumentariæ anguſtias redacti, cæleſtem miſericor-diam fortuitoſq; euentus & miracula cogantur expectare. Enimuerò id genus crimen longè abeſt à Ciuitate eius Regni capite, quod antiqui Imperatores ita ſemper anno-næ perfugium ac cellam penariam habuere, vt indè frumento ſuppeditato, aliorum etiam regnorum inopiam famemq; ſubleuarint; in quam prætereà Ciuitatem, ex vicinis Terra Mariq; oppidis, vicis quoq; ac pagis in territorio diſpoſitis, velut ad ſta-tum mercatum, eiuſmodi vndiq; fiunt alimentorum effuſiones, vt cùm in cetera Sici-lia tenues interdum, & attritæ ſint victus fortunæ, hic omnium rerum vbertate vilitas reputetur. Sed enim qui apud Cælites eſt rerum diſpoſitus, cauſas in humanis non habet, trahendaq; potius iniuria temporum, in proficuum mortalibus argumentum, quàm noxijs ſugillanda fortuna dicterijs, aut etiam ad deſtinatam Dei immortalis re-uocanda viciſsitudo ſententiam, quæ ſicut interdum ex calamitate hominum glo-riæ ſuæ materiem, ita hominibus benefaciendi ſufficit occaſionem.

Quanquam fortaſſe non deſint alij, qui hanc meam in excuſanda Meſſanenſium extemporanea calamitate moderationem, parum æquo animo ſint laturi, quòd cùm id mali manifeſtas interdum intra Regni Siculi ſepta, Rectorum culpa cauſas habeat, ad arcanas æterni conſilij decretiones ſimplici planè ingenio referatur. Certè L. Portius Calbetus (ſiuè is alius ſit) in illa ſua pro S.P.Q.M. expoſtulatione, totam eius rei noxam in Senatum Regium vertit, quòd cùm eiuſdem edicto frequentiſsimè om-nia Siciliæ frumentaria emporia obſtruantur, & extractionibus ſeuerè caueatur, ma-gno indè Meſſanam incommodo laborare ſic neceſſe. Verùm non eſt inſtituti noſtri cauſas fortunæ veſtigare, ſed diuino permiſſu malis incidentibus, deſperata rebus af-flictis ope humana, ſi fors diuina prouidentia præter expectationem inuſitatis modis occurrat, non ſolum in admirationem trahere ac laudare, verùm etiam & inde magis Deiparæ Virginis erga ſuos Clientes protectionem commendare, quòd eiuſcemodi exercitationibus edoctis, illis velit plus eſſe reponendum in repromiſſa à ſe prote-ctione, quàm in fortunæ humanæq; induſtriæ contentione, quò his velut ſtimulis, qui

à pro-

Digitized by Google

à proſperitate facile deprimuntur, erecti cum oculis animi, indè ſemper incrementa capiant amoris ac religionis, vndè argumenta arceſſant temporariæ felicitatis & æternæ ſalutis.

c An. 1612

d Lib. 1. c. 23.

e De Immunit. Mamert.

Iam quod ad alteram partem de tumultu in Vrbe ſedato ſpectat: recens [c] eſt eiuſce rei memoria, quam Franciſcus Faſanus alibi à nobis citatus Meſſanæ tùm agens, in ſuo de [d] inſtituendo Chriſtiano opere ſic narrat, vt Virginalis Epiſtolæ ad Meſſanenſes datæ certiſſimum velit eſſe argumentum. Fortè cùm Dux Oſſunæ Siciliæ Prætor Meſſanæ tunc vicem verteret, grauiter quidem apud Senatum, ſed omninò ſeuerè apud plebem audiuit. Cuius rei cauſam fusè prodit L. Portius [e] Calbetus, quòd cùm imperatum contra iura vectigal Mamertini pendere detrectaſſent; iamq; Prætor euocatos Vrbis Magiſtratus, circum omnia Prouinciæ loca raptaturũ, ſingillatim vnicuiq; calamitati fore ſe, vniuerſamq; funditus Ciuitatem euerſurum comminaretur. Plura circa hæc, ſingulaq; vt acciderunt proſequitur idem Calbetus. Tùm enimuerò laxatis in arma furoribus, ſine ordine pleriq; atrocius proruere, ceteros etiam qui nondum proiecti mente, furentes coërcerent laceſſere, & quaſi perditam libertatem, proditamq; Patriam vellent, inceſſere: vt nemo eſſet qui, vel præcipites continere poſſet, vel arſuræ iam iam pœnitendis ſeceſſionibus Ciuitati ſana conſuleret. Quin erumpente in vniuerſam Vrbem repente ſeditionis flamma, ita omnium animos vndiq; proruentium incendit, vt penè momento clauſis tabernis, officinis, ac domibus, ipſaque Ciuitate in ſolitudinem deformata, cuncti in paranda arma ſe ſe conuerterent, dubio procul aperto quàm primùm Marte ac campo rem geſturi, ni deſtinatum Cælo conſilium, Patronæ Virginis ope, furenti populo frænum inieciſſet.

Et certè liquido planè miraculo id periculi tranſactum, non Faſanus modò, ſed omnes qui interfuerunt, hodieq; Meſſanæ viuunt, prudentiſſimi rerum teſtantur quàm ſanctiſſimè. Nam cùm inter tumultuantes non deeſſent, qui concito curſu ad turrim Campanariam aduolarẽt, ſignum edituri ſuburbanis, numeroſiſſimæ Ciuium parti, ad arma conciendis; aperta de more porta, & quæ reducto duntaxat abſq; claui peſſulo patere ſolita eſt, aduerſus adruentium conatus, vndecunq; tandem id factum, nemine certè mortalium intus agente, ita obfirmata eſt, vt nulla quantumuis fortiſſima impellentium vi patefieri potuerit; neq; ſolùm, ſed crebro impulſu in obuerſum acta, ſeriſq; intus ac vectibus ſponte cum ſuis anſis innexis, omnem penitus poteſtatem recludendi ſic ademit, vt viribus cum furore caſſis, non ſerò, ſtupentium mentes ad ſaniora conſilia reuocaret. Simile quippiam accidiſſe Neapoli paulò antequam ſuum opus edidiſſet, narrat idem Faſanus, reiecto à Campanaria D. Laurentij, ſeditionis anctore, qui ſi data ſemel teſſera ciues ad arma conciuiſſet, cruentis dubio procul factionibus Ciuitatem impleuiſſet. Id beneficij Neapolitani Ianuario Martyri Vrbis tutelari adſcribunt, quem Pontificio amictum habitu, dum ſeditioſum illum hominem à conatu repelleret, plures conſpexere: vt dubium minimè ſit ſuam quoq; Protectricem illi rerum diſcrimini Meſſanę moderatam, quæ ſæpius extremis iactatam periculis, obiecta non ſemel auguſta ſui ſpecie in ſecuritatem pacis aſſeruit.

OSTEN-

Digitized by Google

OSTENDITVR PROTECTIO DEIPARAE VIRGINIS *à fidei defenſione, & conſtantia Meſſanenſium.*

CAPVT QVINQVAGESIMVM NONVM.

NON dubito quę hactenus dicta ſunt, plurimum fidei facere argumento, ſi tamen cum ijs conferantur, quæ de fide atq; conſtantia Meſſanenſium dicturi ſumus, vel in his maximè neruus religionis, & protectionis ſpecimen conſiſtere videbitur, idq; non apud credulos & leues, ſed apud religioſos & ſapientes rerum arbitros, quorum prudētia in ijs ēnelucet, quę cōiecturę aut cogitationi tradi cōſueuere.

Hanc equidem conſtantiam non ex eo duntaxat pendo, quòd ſemper inuiolatam Regibus fidem Meſſanenſes ſeruauerint, nutantes ſociorum animos perſæpè firmauerint, partium ſeceſſiones minimè fouerint, fluxæ fidei transfugas perſecuti fuerint, proditionis aut perfidiæ inſimulatos ſupplicijs affecerint, ipſi verò fidem ad perniciem vſq; coluerint, nec vnquam Principibus in diuerſa ſtudia diſcerptis, ſpecie affectatæ libertatis adhæſerint, niſi fortè ambigentes, vtra pars iuſtiorem cauſam haberet, illam ſecuti ſint maximè, quam ſemper tempore pacis probarunt, antequam vlla diſceſſionis eſſet ſuſpicio, idq; opinione officij magis quàm amore diſſidij, præſertim quòd viſum eſſet potius multorum ſapientum certiorem ſequi auctoritatem, quàm paucorum dubiæ parere voluntati.

Verùm vt dicebam alio loco ponenda eſt fides atque Conſtantia Mamertina, quæ peculiari Virginis beneficio mereatur inſigniri. Quòd nimirum ſtatim atq; primùm Chriſto nomen dedere, ſuſceptam ſemel fidei cauſam, non modò non deſeruere, verùm etiam in medio ſuperſtitionum foro, atq; adeò inter ipſa impietatis ſubſellia, validis ſemper pietatis argumentis Patrona Deipara firmauere. Et quamquam initio Religionem ſuam, templis & monumentis minimè publicè notarint, quòd Societate ac poteſtate Romana tenerētur; vbi tamen Roma è latebris ſuperſtitionis emergens, ipſa quoq; in Euangelij luce verſari cœpit, Meſſanenſis etiam Reſpublica ſibi ſtare viſa, templis atq; aris fidei ſigna intulit, ſuæq; ad Chriſtum acceſſionis exordia, celebri memoria à Pauli Apoſtoli prædicatione conſecrauit.

Atq; hæc quidem initio fieri cæpta. Verùm voluentibus annis, cùm inter tot rerum viciſſitudines, Sarracenorum præcipuè bellis Sicilia verſata, ac penè verſa fuiſſet, Meſſana diuturna obſidione conflictata, quò ſaluti Sociarum Vrbium conſuleret, non alio pacto deditionem fecit, quàm ſi Chriſtianorum ſigna ſuis defixa locis, ſarta tectaq; ſeruarentur, iura ſalua, fortunæq; Ciuium ſtabiles permanerent. Hac Meſſanenſium virtute ac religione perfectum eſt, vt Chriſtiani per reliquas Regni Vrbes honeſtè, ac citra iniuriam haberentur, & Meſſanæ bina vexilla continenter explicata viſerentur, Sarracenorum alterum nigro in area virenti Caſtello inſigne, alterum Chriſtianorum quod in purpureo ſcuto Crucis aureæ ſigno rutilaret. Eximia ſanè Meſſanenſium laude apud omnes nationes, ſed ingenti planè gloria Crucis, quam noua vincendi arte, & cum deuictis regnantem, & de victoribus triumphantem ipſi perſecutores Crucis vererentur.

Sed enim ſeruitus iſta, quanquam de cetero ſpecioſa, diù ſtare non potuit, Meſſanenſibus religione Crucis, & patrocinio Virginis in ſumma rerum enitentibus. Itaq;

Nori-

Nortmannorum copijs admiſſis Sarracenos pellunt, eaq; occaſione Ciuium fide parata, paulò poſt Syracuſæ quò Sarraceni confugerant deduntur: poſt Syracuſas, quinquaginta millibus cæſis, tredecim Vrbes à Chriſtianis capiuntur, iterumq; reparati prælio hoſtes totidem capitibus luunt, donec tandem auxilijs ex Africa traductis, vniuerſæ Siciliæ frænum inijciunt, ſola Meſſana indomita, quæ Chriſti habenis aſueta barbaro iugo ceruicem inflectere non ferebat, tametſi demum maioribus oppreſſa copijs, & vi capta, ſuorum ſanguine redundarit, non vtiq; ſine cæleſti conſilio, quòd Martius ille piuſq; cruor irrigata velut Vrbe, Seminarium faceret poſterorum, libertatis & fidei quàm vitæ amantiorum, vel recenti adhuc calore ad maiora paulo poſt audenda præſentium pectora inflammaret.

Enimuerò non committam, vt trium fortiſſimorum Meſſanenſium fides & virtus poſt tot ſecula ſileatur, fraudeturq; laude recens eorum meritum, quod tanti fuit precij, vt nemo niſi iniurius non fateatur, eorum facinore tunc ſtetiſſe Regni Siculi ſalutem ac dignitatem. Hi Mamertinam planè mentem ſuſcipientes de barbaris regno pellendis, clam ipſis ad Rogerium Mileti tunc forte Calabrorum agentem profecti, explicato Crucis vexillo: Hoc (inquiunt) Principum inuictiſſime & Chriſti amantiſsime, de barbarorum ſeruitute tibi vendicandum afferimus, Meſſanenſes ſumus, & Mamertino ingenio, ſed magis è religione Chriſti, barbarorum inſolentes, te Duce libertatem conſecuturi, pro hoc ſigno mortem oppetere parati ſumus: Macte animi, indolem cælo datam virtute & factis illuſtrioribus exauge, Cruciſq; triumphum nouis gloriæ trophæis accumula. Aderit pio conatui vocatus Chriſtus, & Virgo Patrona Chriſti Crucifixi Mater, fortuna religioni obtemperabit, nos cum noſtris rebus Chriſto, te Duce militabimus......

Subijt è veſtigio pius calor generoſum Principis animum, ac paulo poſt voto ſuo, cogitationi Summi Pontificis tradito, ad bellum Siculum penitus inflammauit, eo Sacri Senatus conſulto, vt Regno potitus, partem vnam Deo bonorum omnium datori concederet, altera belli ſocijs impertita, tertiam ſibi præmij loco præſeruaret. Re hunc in modum confecta, Meſſanenſes tanti incæpti auctores, Rogerio Crucis vexillum conſignant, animiq; pleni, vt primùm ad ſuos reuertuntur, captatis fidiſſimorum conſilijs, vniuerſos in vota ſua ſpe lætiſſimi ſucceſſus accendunt, dataq; Nortmannis teſſera, Chriſtianorum domos, diſpoſitis per fores & feneſtras Crucis characteribus ſignant. Non multò poſt Rogerius fauſta Romani Pontificis apprecatione, viginti ſex nauium Claſſe, paulò amplius vndecim militum centurijs, aſſumpto Crucis vexillo Meſſanam paulò ante ſolis ortum appellit; hic dum portum prouidè luſtrat, fortè in extrema brachij littoralis ora, duodecim Chriſtianorum cadauera crudelitate barbarorum patibulo ſuffixa conſpicatus; animo primùm vehementer accenditur, tum verò triumphata ſors Meſſana, ad genium loci, maneſq; enectorum religione Ciuium placandos (quod etiam poſtea præſtitit) Templum Chriſto ſeruatori ſe dicaturum vouet.

Nec mora, duplici bello terra mariq; vrgeri Meſſana, iamq; propemodum ſedibus ſuis conuulſa, quò Chriſtianos amplectatur obuijs vlnis ſe ſe parat, reuelluntur ex templo repagula, ceduntq; ferratæ Vrbis portæ, fortiori Ciuium fidei, patentibuſq; vijs ardenter itur in necem barbarorum. Tanta repente fit ſtrages cadentium, mucronibus vltro ſanguinem impium haurientibus, nec niſi Ducis miſerentis iuſſu temperatũ, quò plurimis Chriſtũ flagitãtibus, cruor obnoxius, puriore latice piaretur. Ita demũ remittente cęde Rogerius Victor, publica ciuitatis adorea deducitur ad Regiã, vocatiſq; tribus illis Mamertinis, quorũ fide tãta Siculi Regni felicitas ſtetit, acceptũ Crucis vexillũ reſtituit, loco quo par eſſet memoriæ Crucis triũphãtis defigendum.

Atq;

Digitized by Google

Atq; hoc pacto, vnus idemq; dies Siculis libertatem, pluribus Sarracenorum ſalutem, Meſſanenſibus laudem, Reipublicæ Chriſtianæ felicitatem, Rogerio gloriam peperit immortalem, viamq; patefecit ad Regnum tot victorijs obtinendum, quas inter, illa geſtis mortalium maior, quæuè triumphis Imperatorum celebrari queat, exigua ſcilicet manu, vix vt credi, vel citra ruborem dici queat, triginta barbarorum millia ſtrage vna fuſa iacuiſſe. Dignum ſanè prælium quod Georgius ille inter mortales Draconis occidione clarus, equo & armis coruſcus, (niſi Diua Virgo, Siclenſibus quoq; eodem habitu aliquando conſpecta) prælato Crucis vexillo, pro Siculis & Nortmannis palam pugnare crederetur, liquido etiam argumento probari apud Superos Mamertini conſilij, quo Rogerium in præclaram incomparabilis felicitatis ſortem, ac victoriam Cælo deſtinatam aduocarent.

Quæ omnia ideo à me dicuntur, vt tanta Meſſanenſium fides atq; conſtantia, non niſi in Deiparæ Virginis redundet gratiam, quæ à ſuſcepta tutela Patrona communis cauſæ ſuo voto effecta, non modò periclitari aliquando religionem Meſſanenſium paſſa non eſt, verùm etiam ſingulari fortitudine pectoribus indita, maiores ſemper fecit animos ad rem pro fide gerendam, eorumq; virtute ac labore Romanæ etiam Eccleſiæ felicitatem, non minima ex parte voluit conſiſtere. Nam vt Meſſanenſes Martia ſemper indolè multa præclarè ab incunabulis Vrbis ſuæ geſſerint, vbi tamen ſuſcepto Euangelio, Matriſq; Virginis impetrato, vt ſic dicam, regno, ad religionis cauſam animum traduxerũt, inde quaſi initio memoriç ſumpto, factis longè illuſtrioribus apud omnes inclaruere: Et niſi gratioſi apud Reginam Virginem extitiſſent, priſcæ tantum laudis recordatione contenti, ad maiora certè & ſanctiora mentem haud vnquam comparaſſent. Poterant enimuerò cum barbaris Reipublicæ cauſa fædus colere, preſſaq; reliqua Sicilia ſocietatis quodam iure cum illis eminere, poterant citra ſingularem principatum communi voto, rebus ipſi florere ſuis, proprijſq; viuere inſtitutis, poterant deniq; commercijs per omnem Aſiam, Africam, atq; Europam, niſi etiam per inuentum nouum Orbem explicatis, fortunas ſuas exaggerare, Regumq; ac Principum Societate, domi foriſq; bello ac pace, Reipublicæ perpetuum firmamentum ſufficerç.

Sed enim neſcio quis à religione honeſti, ac decori ſtimulus inceſſit animis, vt ſemper turpe ducerent priuatis Ciuitatis ſuæ copijs, vel etiam Regni Siculi fortunis, totius Eccleſiæ, Religioniſq; commoda poſtponere, mallentq; ſemper religioſiores eſſe, quàm potentiores videri, & vni legitimo Principi honeſtè parere, quàm multorum obſequijs indecoræ libertatis quæſtum facere, & occaſione data manifeſto Marte cum gloria belligerare, quàm prætextu iuſti, cum fraude & dolo, bellum (vt inquit ille) cauponari; deniq; neceſſitudine religionis, Regnis ac nationibus alijs aſtringi, quàm impia Societate fæderibuſq; inimicorum Crucis implicari. Atq; hinc ego factum reor, amore Chriſti, odioq; nominis barbarici Meſſanenſium animis altius infixo, pleroſq; ita inſtitutos fuiſſe ſemper, vt poſteritati & gloriæ non aliter ſtuduerint, niſi cauſa cum religione coniuncta, perfidiam ſemper fuiſſent inſectati; id ſcilicet animo gerentes, ex rebus à ſe præclarè geſtis, fructum in Eccleſiam eſſe deriuandum, faciendamq; ſemper acceſſionem ad ſalutem Cruce comparatam, ac potius atrociſſimo quouis genere lethi paciſcendum, quàm offenſa fide & conſtantia crimen in religionem eſſe admittendum. Id verò interdum ea fortitudine præſtiterunt, quam iure Chriſtiani omnes mirentur, Sacri Eccleſiæ faſti laudare queant.

Nec enim hoc loco præteribo virum illum, cuius ſingulare facinus nulla vnquam ſine iniuria conticeſcet ætas, Antonium Durum intelligo, eumq; Mamertinum,

non tàm fortaſſe accepto quam fuſo certè ſanguine clariſſimum, ſed tamen inter ſuos ciues honeſtum, Ciuitate apud exteros etiam notabilem. Hic cùm plures annos egiſſet apud Turcas, communicato cum Nauarcho Venetæ Claſſis conſilio(erat tunc Venetis cum Turcis bellum)acceptiſq; ab eodem fidis rei gerendæ ſocijs, Turcorum Naualibus noctu flammas iniecit, datiſq; incendio ſenis armamentarijs, ac tribus roſtratis, conſcenſa propere phaſelo fugam arripuit. Verùm intereà fumo crepituq; flammarum excitati hoſtes, è veſtigio tanti facinoris auctorem,maria per omnia diſquiſitum comprehendunt, peremptiſq; ſocijs ipſum duntaxat Imperatori ſiſtunt. Ab hoc interrogatus tanti mali cauſam,intrepido planè ac forti animo reſpondit, incendij ſe extitiſſe auctorem, idq; amore Chriſtianorum Turciciq; nominis odio feciſſe, facturumq; fuiſſe in poſterum ſi res & fortuna diſtuliſſet, nec modo ſe dolere de morte cruciatibus oppetenda,tametſi nomini Mamertino, munerîq; Chriſtiano minimè ſatisfeciſſet; hoc ſolo multum angi, & minus alacri animo demigrare, quòd non maiora Turcis pro vindicanda Chriſti iniuria damna intuliſſet,quò tandem gratior Deo victima caderet, maneſq; meritis cumulatiores cælo immitteret.

Hæſit ad verba tàm fortia ſtupore defixus Tyrannus, laudataq; ſecum Viri conſtantia, modis exquiſitis, promiſſiſq; ingentibus conatus eſt, ſi qua ratione, remiſſo Chriſti nomini nuntio, ſcelerata defectione ad partes Mahometi traduceret; vel ſi religione inuictum gereret animum, ſaltem ad inferendum Venetorum Claſſi par detrimentum induceret. Sed enim re & nomine ad perfidiam Durus, nihil à ſtatu naturæ diſcedens, damnata fortiter impietate, iactatiſq; in Mahometum ac ſequaces opprobrijs,quò crudeliores efficeret ad perniciem conſciſcendam, peracerbo tandem ſupplicij genere, ſcilicet auulſis ſingillatim ferro dentibus, raptato deinde caudis equorum humi corpore, ac demum quatuor in partes diſcerptus, CHRISTVM ac Deiparam Virginem incorrupta fide atq; conſtantia teſtatus eſt. Eam tanti viri fortitudinem etiam atq; etiam demirata Reſpublica Veneta, produxit ad Senatum, datiſq; ad Meſſanenſes literis, exquiſitis illuſtrium verborum ornamentis, non ſolùm Antonium collaudauit, verùm etiam deducto in hæredes & conſanguineos tantæ virtutis merito, publicè ſingulos præmijs perquàm dignis exornauit.

Quæ omnia faſtis certè ac theatris ſeculorum æqualia, cùm à ſingulari Virginis tutela quæ ſuos Clientes morte reddit clariores, profecta,nemo iure queat ambigere, facile etiam partem alteram concedet, quæ ſiuè tàm ingentia ſupra vires hominum facinora, ſiuè tàm caſtum & integrum in non violanda religione animum, ſacræ illius Epiſtolæ merito conſequi debuiſſe contendit & agnoſcit.

OSTEN-

Digitized by Google

OSTENDITVR PROTECTIO VIRGINIS EX DELECTO *Meſſanæ Templo, & nonnullis ex religione Epiſtolæ ſcriptæ miraculis.*

CAPVT SEXAGESIMVM, ET VLTIMVM.

POSSET hoc loco non modicè nec tamen extra ſepta exultare oratio, ſi circumlectis Orbis terrarum ſpatijs, quæ Templa, quouis Gentium ac Vrbium, Deiparæ Virgini ceteriſq; Diuis religione mortalium, vel cæleſti iuſſu condita ſunt, in argumentum accerſeremus, ac meditata comparatione cum hoc Meſſanenſi Templo committeremus. Verùm, ne incertum veſtigij, in immenſa quæq; feratur argumentum, eo duntaxat tramite dirigendum eſt, quo in illuſtre teſtimonium hactenus propugnatæ veritatis, ac planè eius à Virgine ſpectatæ protectionis, quæ fidem Epiſtolæ ſcriptæ præ ſe ferre videatur, poſſit deſinere.

Itaq; ſicut Templi (vt innumera mittam) Cæſarauguſtani monumenta, Diuæ Virginis in columna conſpectæ ſacris ſignata plantis, antiquam eruditis de Iacobo Apoſtolo in Hiſpanijs viſo faciunt fidem, ſi à beneficijs Genti præſtitis petenda ſint famæ firmamenta; prorſus etiam auguſta Virginis eiuſdem in delecta ſibi Ciuitate domicilium deſignantis apparitio, non abs re perſuadeat in tanto beneficiorum cumulo, ſcriptam ſua manu Epiſtolam in capite collocandam. Et fuit ſanè dignum tanta protectrice facinus, vt quam illa ſemel Vrbem ſibi Sacramento Epiſtolæ addixiſſet, & in quam non humano diſpoſitu, ſuam inferri Imaginem voluiſſet, in ea multis iam pridem ornamentis exaucta, Templum quoq; lecto ſibi loco dicari vellet, in quo velut ex deſignato adyto, vota Clientum nouis quibuſdam gratiarum ſuffragijs exceptura eſſet, vel etiam è ſpecula in alto ſita, in defenſionem, communemq; omnium vtilitatem proſpectura.

Narrat inter alios Hiſtoriam [f] Ioſephus Bonfilius ex tabulis templi eiuſdem exſcriptam, in hunc ferè à nobis reſtrictum ſenſum. Fuiſſe videlicet priſcis temporibus in monte Caperrinæ Sacellum, Angelo Virginis paranympho ſacrum, duobus pauperioris vitæ Monachis habitatum. Horum alteri (Nicolaus dicebatur) viſam noctu Deiparam mandata ad Senatum dediſſe, quibus eum locum ſibi ad habitandum delectum deſacratum vellet. Verùm illo quòd ſomnium putaret, negligente, ac nocte inſequente vel minaciter parere iuſſo, ne quid cauſaretur, data à Virgine teſſera, qua fidem dictis adſtrueret: Columbæ ſcilicet candidiſſimæ, quæ die ſummo, lapſura de cælis, aream templi ædificandi, volatu deſcripſiſſet. Nec mora, primo mane Senatui ac Vrbis Stratego, qui tum Nicolaus Palicius erat, audita probantibus; vbi ad horam, multis videntibus, id ſpectaculi patuit, recepta in ſublimi columba, fundamẽta confeſtim effoſſa humo locari cœpta, ipſa Regina Conſtantia primùm lapides ſuperiaciente, eiuſq; exemplo ceteris omnibus, nullo eximio ſexu certatim adnitentibus, vt breui in culmen educta ſubſtructio, Monialibus ſub regula Ciſtercienſi viuentibus, inſigne Cœnobium eſſet.

[f] *Lib. 4 Meſſan.*

Addit Matthæus Rubinus Vrbis Notarius, qui primus rem à ſpectatoribus acceptam literis conſignauit, etiam alterum miraculum, quo fortaſſe Regina Conſtantia permota, animum in exemplum ſua pietate dignum intendit; fuiſſe ſcilicet inter Regias puellas, quæ iactati in Nicolaum Monachum ioco an ſeriò dicterij, pœnam ex-

templo dederit, quòd cùm iſte eadem quę apud Senatum coram Regina quoq; expli-
caret, vix illa temerè protulit non eſſe fidem habendam pannoſo Monacho, qui eo commento ſuæ mendicitati ſtipem eblandiri vellet, ac confeſtim arefactis brachijs, doloris immenſi teſtes, cum ſtupore omnium ingentes edidit eiulatus: verùm commonita à Nicolao, ſtatim ac primùm ſcelere in conſcientiam vocato, data dictis fide reſipuit, priſtinæ quoq; ſanitati reſtituta fuit.

Hunc porrò fuiſſe locum, in quo ſupra muros conſpecta Deipara, quemadmodum alibi vidimus, explicato Meſſanenſium inſignibus decoro vexillo, circunſidentes & adpugnantes hoſtes longè ab Vrbe propulſauit, narrat idem Matthæus Rubinus, ex quo eadem deſumpſit Bonfilius, ſed quòd Cænobium Benedictini Ordinis ibidem extitiſſe poſtmodum, ſcripſerit Franciſcus Maurolycus, niſi latior acceptio vocis excuſet, error opinor calami fuit.

At enim hoc loco non abſonus cuipiam inceſſerit cogitatus, hanc eandem fuiſſe columbam, de qua Ioannes aliquando dixit. [g] *Vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo & manſit ſuper eum*: vt qui Spiritus in eo ſemper manens, ſed foris in columbæ ſpecie filium Dei in carne commonſtrauit; idem, manentis velut ædem gratiæ, perpetuumq; genitrici domicilium Meſſanæ deſignaret; ſcilicet excelſus ille Spiritus & Virtus altiſſimi, quæ in Nazarethana Ciuitate Virgini obumbrauit, & in vtero Virginali Templum æterno Deo fecit, idem quoq; Meſſanæ, Sacram Virgini Matri Sedem legit, & ductis velut ad normam lineis, columbino volatu adumbrauit. Egregia ſanè Ciuitatis vtriuſq; ſi vim vocum ſpectes alluſione, quòd altera reddat florem, altera donum rubi, donum ſcuti, inimicitiarum ſuarum. Nempè ex vna rubus extitit ille incombuſtus, è cuius medio flos florum filius Dei in carne pullulauit; in altera verò lectus ager, in quo traductum eiuſce floris ſeminariũ Virgo, Mater, Meſſanenſibus ſuis ad vota germinauit. Rectè verò donum rubi Meſſana, ſed cui Virgo promiſſione ſua ſeipſam condonauit, tabellam ſua manu ſubſignauit; Rectè donum ſcuti Meſſana, ſed cui Virgo perpetuam protectionem repromiſit, Epiſtolæ ſuæ Sacramento confirmauit; Rectè deniq; Meſſana donum inimicitiarum, ſed cui Virgo vel noxarum à nato condonationem ferat, vel glorioſam de aduerſarijs victoriam condonet, cuius deniq; hoſtes, ſuos ducat inimicos, vt iam tot argumenta in vno ſignata vocabuli Myſterio, fidem Epiſtolæ ſemel datæ minimè fallant, eamq; non vna temporum iniuria deperditam; hiſce duraturis ad ſecula monumentis exſcriptam oſtendant, quaſi non iam occiduis è caduco folio apicibus, ſed ex conſtantibus ſignis mentem Virginis interpretari debeant mortales, eamq; dicentem audiant: *Epiſtola [h] noſtra vos eſtis ô Meſſanenſes, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus; manifeſtati* tot argumentis, in peſte, fame, & bello, maximis quibuſuè opportuni beneficijs, & ecce Templum elegi nomini meo in medio Ciuitatis veſtræ, & vobiſcum ſum in ſeculi conſummationem.

Sed etiam illud iucundam haud minus, quàm neceſſariam habet in ſe noſtra conſiderationem, Templum hoc Meſſanenſe, miraculo ſacratum, circa illa ferè tempora incidiſſe, quibus Nazarethana Virginis domus, iam pridem & ipſa, inauguratione Apoſtolica Sacra, nauantibus Angelis è Paleſtina in Dalmatiam, indè verò tertio poſt anno [i] in Italiam depoſita eſt; niſi fortè cùm paucis ante annis [k] viuente Regina Conſtantia, Petri coniuge, Meſſanenſe locari cœptum ſit, indè quædam prærogatiua accedat, quaſi natiuam Virgo domum non prius voluerit è ſede eſſe motam, quàm Meſſanæ votiuam ex auctoramento protectionis ædem deſignaſſet. Ac vt illa monti Palæſtino inſidere aſſueta, Italiæ quoq; colles adamauit, prorſus ſtricta, gratioſa quadam æmulatione an exemplo, editum Meſſanæ proſpectum Sacris delitijs adoptauit,

[g] Ioan. 1.

[h] 2. Ad Cor. 3.

[i] 1294.

[k] 1286. vel circa.

prauit, hoc fortaſſe ſingularem, quòd non ſicut ædes Nazarethana, religioſum filij trãſfiguratione montem, paulò remotius habuit obiectum; verùm eo ipſo colle quem non ita pridem, auguſto propugnantis habitu noua Virginis ſpecies nobilitarat, ſua poſuit fundamenta, tandemq; eductam ad faſtigia molem, Reginæ ſedem Vrbi eminentem exhibuit.

IAM quod ad alteram huius capitis partem ſpectat, etſi quæ hactenus dicta ſunt, non minoris firmamenti eſſe queant apud ſapientes rerum arbitros, quàm ſi eiuſdem Epiſtolæ fide aut contactu miracula patrata, ſuſpenſis votiuis tabellis explicentur; quia tamen vulgi demirantis reſtricta ratio, ſenſilibus maximè ducitur argumentis; proferam & in hoc genere pauca quædam, ne in ſyluam aliorum, proprio diues arbuſto, manum mittam, quando nec cauſam, cum generatione quæ ſigna quærit, ſuſceptam eſſe velim, gloriæ duntaxat Deiparæ Virginis & Meſſanenſium religioni, ceterorumq; pietati commodaturus.

Itaq; inſigne in primis eſt miraculum quod refert Ioſephus [l] Bonfilius de energumeno per impoſitionem ſacræ huius Epiſtolæ, continuò liberato, nec minus literis Ioannis Scopazij, Doctoris ac Ciuis Plocienſis, de cuius familia Dæmoniacus ille erat, quàm multorum teſtimonijs rem probatam narrat. Atqui vnicum ex omni numero illi ſatis fuit exemplum, ſiuè quia nondum in controuerſiam acta religio, tutò gradiebatur, ſiuè quia cumulus ille gratiarum à tot ſeculis aggeſtus, ſatis miraculi habuit apud Orbem, qui non vnius Scriptoris calamo, ſed omnium linguis, ingentia non minus quàm inſolentia facta loqueretur. Id etiam rei fuit, cur non tabellis ad marmora ſuſpenſis, ne omnia templa fatiſcerent, verùm in continua Ciuium admiratione perpetua miracula verſarentur, & erectis in ſublime oculis animiſq; velut cælo inſcripta legerentur. Et alioqui ſi libris illata, vel compendio digerantur, huc reuocandum erit, quicquid vſpiam ex religione Diuæ de Scalis acceſſit, quicquid vndiq; pace & bello, domi foriſq;, ſiuè ad honorem ſiuè ad vtilitatem, & vno verbo ad ſalutem Reipublicæ Meſſanenſis, ratum venit.

Ac quod olim [m] Auguſtinus, Interrogemus (inquit) ipſa miracula, quid nobis loquantur de Christo; habent enim ſi intelligantur linguam ſuam: libenter ad præſens inſtitutum verterim vt dicam. Interrogemus illuſtria Meſſanenſium facta, rerumq; ſucceſſus in illis animaduerſos, quid nobis loquantur de Maria, habent enim ſi intelligantur linguam ſuam, & clariſſima voce proloquentur, quicquid vnquam Meſſanenſibus, ab indepta pridem Virginis tutela boni obuenit, ex repromiſſa per Epiſtolam protectione obueniſſe. Nam quia ipſa Virgo auctrix Epiſtolæ ſua manu eſt; etiam facta ex religione Epiſtolæ, Meſſanenſibus à manu Virginis facta eſſe, dubitari ægrè poteſt. Et hæc quidem maiora ſunt, quàm vel energumenos liberare, vel morbos abigere, vel priuatorum pericula propulſare, quia tamen aſſiduitate viluerunt; eſſe ſit apud Deum prouida Virgo, vt quædam fierent opportunò tempore, præter viſitatum curſum ordinemq; naturæ, quæ veritatem Epiſtolæ confirmarent, religionem ex ea ſuſceptam promouerent, vt non maiora quidem ſed inſolita videndo pleriq; ſtuperent, nec tam illi quibus quotidiana viluerunt, erigerentur, quàm qui hanc religionem, ceu vanam, obſcuris ferebant animis, lucem aſpicerent, ſaniora cogitarent.

Quod igitur huc ſpectat. Retulit mihi quædam non ſemel eademq; ſcriptis tradidit, tabellis etiam publicis ſubſignaturus, ſi quæſiuiſſem. R. P. Frater Vincentius Meſſanenſis, Ordinis Minimorum Diui Franciſci Paulenſis, vir grauis & prudens, ob eaſq; dotes ſingularibus in Ordine Correctoris, ac Definitoris muneribus, haud ſemel cum laude perfunctus. Is verò cum forte Roma perículoſo nauigandi Cælo reditum in Prouinciam moliretur, vt primùm ad Tiberinas fauces appulit, tanto repēte Maris

cum

l Lib. 2. Meſſan.

m Tract. 24. in Ioã.

cum flumine cõgredientis furore ac impetu proceiloſo iactari nauis cæpit,vt ſpe omni euadendi conclamata, ſuprema omnia, quà mens potis erat ſocij cogitarent, eoq; certior erat interitus, quòd ceteris, qui vnà veniebant, myoparonibus in aduerſum flumen vel reiectis,vel indubitata præſenſione ſubductis, ſolus iſte medios inter fluctus,in vortices implicitus iam iam mergeretur. Tum enimuerò (vt in extremis rerum,præſentiſſima ſolet eſſe pietas) arreptum è collo,quod religioſè geſtare conſueuit,Epiſtolæ ſacræ inuolucrum,ſtatim ac primùm furentibus iniecit vndis, ita procella tumorq; omnis deſedit, vt pacatiſſimum nauigantibus attonitis ſterneret æquor. Omnium vna vox fuit,ac præſertim Naucleri conſtans aſſertio, ſalutem eam miraculo ſtetiſſe, nec alius ſenſus reliquorum, qui certiſſimum rati diſcrimen, nauigatione ſuperſederant.

Eadem fide ac conſtantia teſtatur idem Reuerendus Pater,diuerſis in locis, non vni grauiſſimæ infirmitati, remedium humano maius ex ea Epiſtola extitiſſe, nequicquam ludificatis mortalium præſenſionibus, qui id genus malorum,ope caſſum, deſtinatæ mortis vehiculum autumarēt. Itaq; Calataieronæ in primis Catharina Acozzeria religioſa femina,cùm maligna febre ſæuiſſimè conflictata, iam extremam periodum opperiretur,vt primùm exemplat Epiſtolę Virginalis,collo appenſum habuit,remiſſa vi mali melius ſentire cæpit,ac tandem exacto non plenè viginti quatuor horarum ſpatio,priſtinæ ſanitati reſtituta eſt. Deindè verò Tauromenij Victorinus de Meſſina, virulentia febris in phrenetidem actus, & à Medicis letho deſtinatus, eò miſerior fuit quòd accerſito Sacerdote,eodem videlicet Patre,qui confitentis noxas Sacramento eximeret, non modò lucida mentis interualla morbus non admiſit, verùmenim furore percitum hominem hinc inde eliſit, inconditis agitatum iactationibus penè exanimauit. Adfuere qui motus efferos tantiſper compeſcerent, & inter alios vxor Catharina Quatrocchia, pro viribus annixa quoad prædictus Pater expeditam è ſinu Virginalem Epiſtolam, Victorini collo applicaret. Nec mora, confeſtim hauſta virtute, non modò furor omnis & inſana deferbuit agitatio, quaſi nunquam inceſſiſſet, verùm etiam cunctis ad inſolens miraculum penè mente euaneſcentibus, antequam dies cum nocte verteretur, infirmitas omnis abſceſſit, nouo ſanitatem flore, virtus recens ex tempore cumulauit. Acta ſunt hæc Taurominij, anno [a] ſuperiori, die Martij ſeptimo, domi D. Pauli Rao Micciche Baronis Foreſtæ, luculento magis apud pleroſq; teſtimonio, quàm vt forùm & ſubſellia vereatur.

a 1614.

Mitto quàm plurima,quæ eiuſdem Patris aſſertione,pleriſq; ſancta videri poſſunt, exploratam videlicet in parturientium periculis ſalutem, opportunum malis omnibus amuletum, nuſquam fallacem vel ipſo experiente Sacræ huius Epiſtolæ religionem,vt etiam mittam in Panormitana Peſte;plures nuper, eodem velut antidoto,cõtagioni illuſiſſe, pluraq; alia in quibus omnibus exundare poſſet Hiſtoria,niſi alienæ lucubrationi concedendum eſſet, quod noſtris meridiationibus ſupereſſe debet, ad vitandam inſtituti prolixitatem. Id etiam cauſæ fuit ex parte, cur narrata nobis à viris alioqui exceptione dignis, maiora vulgi opinione miracula, extra lineam poneremus, ne exquiſitis ſtudijs in hoc ſolùm verſari voluiſſe videremur, vt miracula congereremus; & non potius quæ ex occaſione, ſcribenti inciderunt, elabi calamo pateremur. Cuiuſmodi inter alia eſt, militem in conflictu pyratico,plumbea glande ſat magna,ſecundum pectus ictum, hãc impegiſſe duntaxat in membranam Diuæ Virginis Epiſtola,quam iſte geſtare ſolitus fuiſſet,exaratam,cetera innocuã, pectus inter nudum & ſubuculam,nulla corporis læſione decidiſſe,plures verò ex adpugnantibus, vel minori ſcloporum vi fuiſſe exanimatos. Ac ne miraculum incertas haberet interpretationes, militem dictum non lorica vlla,nec quauis alia tectum armatura, geſ-

ſiſſe

ſiſſe rem ceteris validius, penes ipſum ferè ſolum victoriam conſtitiſſe; ſed etiam vbi poſtmodum ſe exuit, veſtes quidem cum interula glande illa perforatas, at membranam, exilis velut ſcintillæ veſtigio, ſignatam à tergo potius, quàm læſam, vt miraculi argumentum extaret, cunctis ſpectantibus patuiſſe.

Atq; hæc & id genus alia non eiuſmodi ſunt, quæ prudentiam in credendo remorentur, ſed quia nobis duntaxat ex aliorum dictis, non à viſi hominis fide habentur explorata, nequaquam iccircò inter probatiſſima ſunt reponenda. Quanquam de cetero qui operatur omnia in omnibus, ex huius quoq; Epiſtolæ religione, poſſit admiranda quæq; ſupra mortalium vſum inducere, pietatemq; ſua natura conſtantem, quibuſcunq; tandem miraculis reddere ſanctiorem, neq; enim ſi indita à diuinitate Nati, Mariæ Matris nomen imploratum omnia poteſt, minus poterit in tabellis exſcriptum, minus in Epiſtolari tam auguſtæ fidelitatis Sacramento conſignatum, vt hinc quoq; Sanctiſſima quadam gloriatione dicere queat: Fecit mihi magna qui potens eſt, & Sanctum nomen eius. Atq; vtinam conculcatam quorundam leuitatem, an ſuperſtitionem, Virginalis huius elidat Epiſtolæ religio, vt non iam [o] Baſilidianorum nugaces apud Serinum [p] Sammoniacum characteres de collo ſuſpendantur, nec apud [q] Paracelſum monſtroſæ Dæmonum Imagines, & incantata ſigilla partibus affectis ſalutaria, tutamq; in armis aleam habere cenſeantur; nec deniq; ſanctitatem mentitæ illæ Epiſtolæ, quarum alteram plerіq; nundinatores vanitatum, à Leone Pontifice ad Carolum Magnum miſſam, alteram a S. Cypriano diris & hoſtibus arcendis, euertendis, in myſtica quædam verba ratoſq; apices formatam venditant, adeò probatam apud nonnullos ſeruent religionem, vt fortaſſe flammari malint ipſi, quàm fatales vanitatum chartas exurere.

o Martin. Delrio lib. 6. Mag. Inq cap. 2. ſect. 1. q. 1.
p Baron. tom. 11. in Appendice.
q De Medic. c. 88. lib. de occulta Philoſ.

Sunt verò iſta ſi non hæreſum genuina ſemina, palmares certè propagines, ac corruptelæ totius fomenta; quibus temeratæ peruerſa libertate conſcientiæ, damnatos accerſunt mores, proſcriptaq; religionis & legum diſciplina, ritus nefandi, quibus paulatim ad Dæmonum cultum deſciſcitur, inducuntur. Eſt hæc ferè ſingularis nota quæ Chriſtianos ab Apellis, Hæreticos ſecernit à Catholicis, vt nemo iam bonus ſit Catholicus qui huiuſmodi vanitatibus Deo peroſis implicitum gerit animum, peruerſus verò Hęreticus, & qui nomen Chriſtianum fictè ferat, ceterà cum recutitis aut etiam Idololatris mentem habens ac ſortem, qui perindè ac probum & Sanctum inſtitutum, religione quadam exerceri poſſe contendat. Sed hæc quoq; conuenit in Hæreticos pæna, vt qui Sacrarum cultum Imaginum odio pluſquam humano inſectantur, ipſi demum cum Dæmonibus depacti, ſigilla ignotis exarata characteribus, figuras monſtroſas, vno verbo notas Dæmonum venerentur Imagines, eò miſeriores, quòd magicis ad tempus ludificati præſtigijs, in medio ſcelerum ludibrio corporum ſimul & animorum iacturam ferant.

Sic enimuerò cùm nuper [r] (quod ex relatione rerum in Germania geſtarum, Auguſtæ Vindelicorum per Andream Apergerum impreſſa didicimus) factione Diabolica, rebelles in Cæſarem Ferdinandum Hæretici furorem & arma ſtrinxiſſent, & iam in regione ſupra Onaſum, temulentia ſine religione baccharetur, inuenta ſunt in exercitu nefario, peculiaribus dubio procul Inferorum auſpicijs auctorata, quindecim millia ſceleſtorum capita, quæ non humano auſu, pectoribus armiſq; veneficio delibutis, ita in mediam Catholicorum, & ſi fortiſſimam aciem penetrabant, vt quini vel octoni iuſtos manipulos, vel contemptim & ſine labore nedum periculo diſſiparent, nec ſemel in fugam auerterent. Scilicet igneæ glandes, quibus crebrò vel aperto pectore petebantur, nuces puerorum, & mucrones quantumuis validis intorti lacertis, calami videbantur. Et fuit ex Ducibus in quem deſtinato emiſſus ex tor-

r Anno 1620. menſe Octob & Nouemb.

mento murali globus ingens id duntaxat effecit, vt pectore tenus ictum, retro leui caſu ageret, ſed ne tenui quidem corporis damno affligeret, ac potius vt ferocior in pugnam aſſurgeret, proritaret. Quin & equum cui inſidebat, niſi Dæmon fuit, ab omni telorum vi, ac ſenſu habebat immunem.

Quid tandem? Portæ inferorum non præualuerunt aduerſus Eccleſiam. Itaq; obarmati fide Catholici, remq; cum poteſtatibus tenebrarum eſſe rati, data, nominis IESV ac MARIAE teſſera, fortiter adeò non modò ſuſtinuerunt inferorum impetum, verùm etiam conuerſis ſignis, & prælio reſtaurato conflixerunt eatenus, vt cæſo facillimè qui primò vel ludibundus globum ingentem ſuſtinuiſſet, ex ictu ſclopeti præſtigiarum Duce, reliqui omnes protererentur, pars maxima ferè, Catholici acie gladij haurirentur. Sic planè ſacra Dæmonibus capita dignè luerunt, ſic ludibria Dæmonum euanuerunt.

Sed enim alijs vallata præſidijs huius Epiſtolæ religio, quod in ſanandis potuit infirmitatibus, quod deuotè geſtata contra ſæuientem eualuit peſtilentiam, quin eiuſdem virtute Numinis, contra formidoloſos rerum incurſus, contra intentatos armorum ictus, ac deniq; aduerſus diras ac veneficiorum alligationes, idem poſſit ac euincere queat, nemo cui pectus ſapit, inficias iturus eſt; vana tamen ea eſt religio, ne dicam prorſus hæretica ſuperſtitio, ſi neglecto animi cultu, cùm plenam ſceleris aduerſus Deum ferat conſcientiam, hoc duntaxat ſanctum ſe putet, & à quibuſuis periculis tutum, ſi duntaxat ſuſpenſam è collo, vel inſutam veſtibus gerat Virginis Epiſtolam, ceterà proiectus in omnem temeritatem, eoq; ſolum fretus quod nomen & protectionem Virginis inſcriptam vtcunq; ferat, quaſi non iam religioſi Sacramenti, ſed ſacrilegæ ſponſionis tabella ſit, quæ Virginem Deiparam velut incantationibus adiuratam, in vota nefaria cogat. Exterminandum ſcelus.

Ceterùm quemadmodum ſyncera pietas cum candida religione coniuncta, nunquam non ratam habuit in hac Epiſtola votorum fiduciam, neq; ſolum id Meſſanenſes ſint experti, ſed in quoſcunq; gratia Virginis ex piè geſtatis tabellis, aut etiam religionem Epiſtolæ concipientibus, redundauit: ita contempta eius fides & ex quadam animi leuitate quorundam ſcommatibus laceſſita pietas; cuius aliquando mali cauſa fuerit, ac in priuatis diuinæ vindictæ argumentum, norunt opinor haud pauci. Et hoc quoq; ſi miracula quærimus, inter ea cenſeri poteſt, vt hic etiam locum in parte habeat, quod Franciſcus [f] Piſanus, ex docti cuiuſdam Viri Manuſcripto narrat, nemini vni ex ijs, qui Templi Cæſarauguſtani miraculoſam ab apparitione Virginis fundationem, inter figmenta cenſuiſſent, optabilem è viuis exitum contigiſſe.

[f] *De Fund. dat. Tēpli Cæſaraug. cap. 4.*

EPI-

EPILOGVS.

QVO EX HACTENVS DICTIS, EPISTOLAE data fides ſummatim adſtruitur.

SI quantum apud Sapientes interdum coniecturæ poſſunt, tantum ſemper apud rudiores optimæ rationes valerent, paucis hæc de Virginis Epiſtola tractatio concludi potuiſſet, idq; inſigni illo Cyrilli dicto, quod hic iterum placet intexere. Traditio eſt nihil quæras amplius: tamen quia multorum genijs ſatisfaciendum fuit, abundare oportuit & rationibus & coniecturis, propter ſummam & argumenti vbertatem & hiſtoriæ, quarum altera verborum copiam requirebat, altera rationum, vtraq; conſtantium opinionum; quæ ſi non ſeorſim ſingulæ, certè complexim vniuerſæ fidem faciunt ac firmamentum. Id enimuerò ſeruare per omnia conati ſumus, vt alia ex alijs deducentes, pares eſſemus deſiderijs multorum, & nexum quendam veritatis firmum apud omnes efficeremus, quam quidem ad rem, magnum attulere adiumentum, ſæpius de rebus præclarè geſtis inſertæ narrationes, vt non modò rudes Hiſtoriarum Sicularum, ſed etiam ipſi Meſſanenſes pernoſſent, vnde tantam adepti eſſent felicitatem.

Quamobrem diſcent qui hactenus dicta legerint, fidem huius Epiſtolæ à Traditione velut è principe cauſa petendam, quam dubio procul admittere volent, qui latè patentem Deiparæ Virginis gratiam non ignorant, ceteri verò velle debebunt, niſi miſcere quàm plura malint, quibus etiam ſuam religionem inuoluant. Secundùm Traditionem auctoritates Sapientum in pretio ſunt habendæ, quæ ſi deſint, veritati licet vſquequaq; non officiant, cùm tamen adhiberi poſſunt, ipſam Traditionem interdum pleniorem efficiunt. Accommodanda deindè mens eſt, non ad ea ſolùm quæ clariſſima ſunt, ſenſuq; percipiuntur, (quod hebetis cuiuſdam, & interdum immoderati ingenij vitium eſt) verùm ad remotiora quædam principia & cauſas, quarum effectus admirabiles cùm videmus, haud ſemel fortuitò, vel humana induſtria euenire iudicamus, qui tamen longè alios progreſſus habent, quorum anteceſſiones ſi non ignorentur, multa per eas conſequentia diſcernuntur, eaq; inuicem connexa, longè aliam rationem veri patefaciunt quàm vulgò credebatur, & quamuis communia inter homines cenſeantur, ſingularibus tamen ac planè diuinis ſe ſe exæquant argumentis.

Atq; huius generis ſunt illa, quæ de Meſſanenſium virtute paſſim diximus, de victorijs, felicitate, nobilitate, fide, fortitudine, conſtantia & id genus alijs, quæ tametſi natura, arte, induſtria, occaſione, educatione, ſyderum etiam inclinatione comparari poſſe videantur; ſi tamen cum quibus connexa ſunt, quæuè circumſtant, exactè pendantur, ex omnibus vnam quandam rationem contrahunt, altiſſima quadam radice planè in Cælo defixam. Quamquam enim Deus ter Optimus Maximus humana omnia prouidè moderetur, ſuis quæq; nectens ordinibus, interdum tamen quorundam res mortalium, extra ordinem diſponit, ac ſupra caſum & omnem aleam locat, ſiuè id fiat ſecretiori gratiæ arridentis conſilio, ſiuè interdum meritis hominum poſcentibus, ſiuè demum conciliatu Diuorum, quos ipſi ſibi Patriæq; tutelares ac patronos adſciſcunt.

Quare quod Meſſanenſes rebus Siculis afflictis non rogati, bellum contra Bulgaros ſuſceperint, fuſiſq; illis Archadium imperio, imperium Archadio ſeruauerint, apud eundemq; merita Regio loco repoſita habuerint; quòd conſilium de barbaris regno pellendis ipſi primùm agitarint, eandem ob cauſam elato Crucis vexillo Rogerium acciuerint, Chriſtianos trucidatis Crucis inimicis admiſerint, plurimos ex ipſis morti ereptos, vitæ meliori conceſſerint, templis, aris, focis, ſociorum ſaluti, patriæ religioni, totius Eccleſiæ vtilitati ac ornamento proſpexerint; quòd inter tot Regum & Regni viciſſitudines, ipſi ſemper legitimo Principi fidem integram illibatamq; ſeruauerint, ſedatis motibus inteſtinis, exterorum quoq; conatus repreſſerint, potentiorum agitationes viam in Regnum affectantes retardauerint, inferiores officio continuerint: quòd ſuis Principumq; auſpicijs magnas hoſtium copias, multis prælijs ſæpè deleuerint, tot victorijs clari, portum triumphis ſæpius inſigniorem fecerint, quòd deniq; ſemper domi foriſq; bello ac pace, maiorum inſtituta cum religione priſcè coluerint, rebus, fortunis, priuilegijs, gratia Principum ſemper florentes: Hæc inquam omnia tametſi fortaſſe natiua indole aſſequi potuerint, ſi tamen iuſtitiæ cauſa, fidei ſanctioris ardore, ſacrorum obſeruatione, cæleſtium cultu, Patriæ, ſociorum, Chriſtianæ Reipublicæ, deniq; CHRISTI & Crucis, quæ caritates omnes complectitur, amore, animum ad ea gerenda inflammarunt; id enimuerò maius eſt quàm vt in humanis cauſam inueniat, ac proinde ſecundùm moderatoris rerum gratiam, præcipuæ cuidam religioni in aliquem Diuorum conuenire debet, nempè in magnam illam filij Dei, ſolo afflatu Diuino haud fabuloſè concepti parentem, quæ eadem Virgo & Mater, Cæli Regina, mundi vniuerſi domina, totius hominum generis ſua precatione, ſed ſingulari conciliatu Meſſanenſium eſt ſoſpitatrix, quam ſemper religione adorandæ illius Epiſtolæ ad ſe miſſæ, poſt Deum eſt ab initio venerata, veneraturq; quotidie Meſſana cultu præcipuo.

Hæc, in ſuis Meſſanenſibus Martiam ſeminis naturam, ad ardorem religionis traduxit, animos ad magna pro gloria Crucifixi gerenda, non ſolùm exuſcitauit, verùm etiam magis magiſq; in dies exacuit; hæc, honorantes ſe ad ſummum nobilitatis & honorum culmen, inclinatis quodammodo etiam Imperatorum faſcibus euexit: hæc tot tantiſq; victorijs bella Meſſanenſium adornauit, Ciuitatem gratia, felicitate, Ciuium animos fide atq; conſtantia cumulauit, Ciues interdum ad oppetendam pro religione mortem acerbiſſimam, contempta Tyrannorum immanitate inflammauit, magnumq; à fortitudine ac fidei conſtantia, Meſſanenſibus nomen conciliauit; hæc deniq; vt innumera mittam, ſemper eam Ciuibus mentem iniecit, vt in certa periculorum formidine, vel etiam ſummo rerum ac ſalutis diſcrimine, ſe Matrem ſemper ac ſuæ cauſæ Patronam implorarent, ratamq; cælitus ac opportunam, ſecuri fidei, ſpectarent opem; quòd ipſi opinor (vt timidi ſunt circa ſuperna hominum animi) nunquam tanta cum fiducia feciſſent, niſi obſtrictam quodammodo tantæ Matris gratiam, Epiſtolæ datæ fide tutò credidiſſent.

Id equidem ego neq; in meis aut prudentioris cuiuſuis coniecturis, neq; humanis rationibus & argumentis inducor vt mihi perſuadeam, ſed multis & non dubijs Cælo ſignificationibus, quibus nemo non ſapiens ſecurò in hanc ſententiam ingreditur. Quid enim aliud loquuntur bina illa Templa, quorum alterum edito Vrbis loco velut ſpeculam ſibi Virgo fieri, alterum in cliuo, vbi primùm, Sacrum illud ſimulacrum miraculo ſiſti voluit, pręſentibus Ciuium neceſſitatibus pręſto eſſe? quid aliud loquitur hæc ipſa

ipſa imago, quàm ſe inducta religioſo per Vrbem luſtro, peſtilentiam ſæpius extinctam, ſalubritatem Cælo redditam, hoſtes à mœnibus propulſatos? quid portus ipſe tot Nauibus auctus, quàm ſe, non vna vice Virginis ope onerarias recepiſſe, Vrbi extrema fame laboranti victum inferentes? quid deniq; Virgo ipſa Cælo ſublimior non iam in imagine picta, ſed vera ſui ſpecie palàm exhibita teſtabitur, quàm ſe Meſſanenſibus ſuis præliantem adfuiſſe, hoſtem clementer auertiſſe, auerſuramq; in poſterum Deo propitio ab ijs, quos tam inſigni pietatis & gratiæ, fœdere pridem in clientelam ſuſcepiſſet?

Iam verò ad hæc omnia ſi teſtes accedant non leues, aut ſupparaſitantes, ſed doctrina, grauitate, vitæq; ſanctitate præclari, quibus non perindè eſt verba & fucum facere, temporiſq; gratia ſcribere, cuiuſmodi ſunt Flauij, Mutij Canij, alijq; omni exceptione maiores, neſcio an quiſpiam dubitare queat, niſi ipſe fidem fallere ſolitus, eadem alea ſanctiones etiam inuoluat: deniq; ſi Traditio ſufficiat antiqua, conſtans, continua, religione ſtabilita, Ciuium pietate propagata, ac per integra ſedecim ſecula producta, nec prius, quàm hoc tempore calumnijs quorundam ſine neruo figi cæpta, non eſt quòd magis ſolida, magiſq; firma quærantur huius veritatis firmamenta.

PARAENESIS AD MESSANENSES.

AGITE verò Meſſanenſes, qui res veſtras in hoc opere lecturi eſtis, animos in Deiparam Virginem intendite, gloriationes veſtras ex eiuſdem gratia, non ex natiua duntaxat indole repoſcite. Illi labor noſter militauit, ſed argumentum veſtra fortuna parauit, ſi quid iccircò vobis debeo, vos omnia mecum illi, quæ poſt Deum ea vos meritorum copia beauit, vndè laudes in peregrinum quoq; calamum redundarent. Par eſt igitur & religionem veſtram illi militare, quæ pietatem veſtram ſcripto ſuo pridem auctorauit, viciſſimq; vobis gratioſæ fidelitatis Sacramentum erogauit. Itaq; ſi quid à nobis ſanctè dictum menti inſederit, eatenus penditote, qua intuitu veri, lapides quos potuimus, vel ex imis receſſibus emouimus; ſi non omnium faſtigia licuit emoliri, ſupra hominum aleam eſſe non errare, mementote. Quòd ſi interdum in laudibus veſtris exultauit potius quàm luxuriauit oratio, non exaggerationi, ſed abundantiæ rerum tribuite, quæ ſterilem alioqui calamum fæcundauit, (Interdum & indomitus ager lætiores egerit flores:) Affectus ſi fuit, non abſq; neruo, ſanè affectatio non interceſſit, fortia vos probate, phalerata contemnite, certi, me nec decere, nec amarè fœdam adulationem, qui gratiam ex altiori foro didici nundinari. Sed enim in dicendo ea moderatione ſum vſus, vt in ſericis laudibus, villos quoq; interdum detegerem; quamquam & Hugonis Falcandi leſſum præterirem, & quæ Andronicus apud Gregoram, idemq; Gregoras ſapienter præſcribunt, ante oculos haberem: quædam ſcilicet nec mentis conſideratione digna eſſe, nec linguæ explicatione, cùm nihil aliud ſint, niſi quidam naturæ morbi, & veluti ruptæ lyræ abſoni ſtrepitus. Ceterùm ſi rectè cogitatis, laudes iſtę, Virginalis Epiſtolæ ſunt plectra, nec vos eatenus decet eſſe (quod dicitur) atypos, vt decora veſtra ſolùm eloquamini, qui pietatem gratiæ Virginis habetis vectigalem. Omnis ex ea manat honos & decor Meſſanenſis, vt in eam lympido quoq; refluat alueo neceſſe eſt, ne minus poſſint reciprocæ mentes erga MARIAM, quàm refluentes vndæ Charybdis erga mare veſtrum. Ipſa ſanè Virgo, Dux laudum, beatitatem ſuam omnium generationum linguis emodulata, refudit in eum, qui potẽs magna ſibi fecit, & Sanctum nomen eius: par eſt exemplum ſuſcipere eloquentis, qui do-

doctrinam tenetis ſcribentis. Titulus ipſe Epiſtolæ, monimentum eſt moderationis: *MARIA Virgo*, & rurſum *Ancilla Dei humillima*. Titulum, ne corrumpas. Itaq; laudes humanæ, Virginali quadam erubeſcentia ſunt caſtigandæ, nec in animorum ſedes, humilitatis vnquam præiudicium inuehendum. Enimuerò Diualis iſta Virginis Epiſtola, non ſolùm condonatæ protectionis ſeruat Sacramentum, verùm etiam vitæ ex virtute traducendæ ſpecimen habet, ac exemplum, vt iccircò qui mediante Paulo ceù parario *viam veritatis agnouiſtis*, Patronæ Virginis ſemitas & inceſſum diligenter attendere debeatis. Hæc enim via ſecunda, quæ ducit ad principem Veritatem, ſcalamq; præbet ad ſiſtendum in Cælo gradum, ipſa nempè Scala Cæli, veſtris ſignata fortunis, ſed cuius baſes humilitate ſunt vallatæ, nec quiſpiam euadit ad faſtigium, niſi qui greſſum ab imo carpit. Ergò qui Paulo mediante, Viam hanc agnouiſtis, eundem ex animo Virginis ita loquentem auditote. *Imitatores mei eſtote* Meſſanenſes, *& obſeruate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram*: Epiſtolam ſcilicet ad vos miſſam, & Epiſtolæ pignus Imaginem noſtram. Sed etiam qui me orantem aliquando de optimo Reipublicæ ſtatu, Mamertiniq; ſapientiam Senatus, laudantem audiuiſtis, illud opinor identidem me dixiſſe recolitis, inane eſſe ſpectaculum, velut auitæ virtutis ſimulacra demirari in laudibus, nec animum præclaris ad exemplum exerere factis, ac interdum Rhetoricè pingi facinora, quæ præteritorum ſint imago, exemplar futurorum. Et proindè niſi maior in dies inceſſat cupiditas ad proferendum in animis regnum pietatis, niſi religio Virginis, intemerato veſtra in Vrbe pergat inceſſu, niſi debita Templis obſequia ſuas habeant ſanctitates, vana ſit in Virginem pietas, inanis ab Epiſtola religio, ſimulatum à cærimonijs obſequium. Sanè quòd in me fuit, omnibus inhæſi veſtigijs, quibus ad veritatem Epiſtolæ peruenirem, & non minus obſeptam calumnijs, quàm tenebris ſuis inuolutam fidem, religione duce liberarem, in media luce reponerem: ſed niſi in obnoxia diſceptatione, veſtra mihi exempla præcipuum ſufficiant argumentum, operam luſi, ſpartam abieci. Tales quippè vos eſſe addecet Meſſanenſes, de quibus fama non impeditè loquatur, aut idoneos fuiſſe quos Deipara Virgo dignaretur, aut dignos feciſſe, quos mortales ſuſpicerent, vt ex vultu ipſo religioſiſſimos Virginis Clientes agnoſcerent, mirarentur. Secus enimuerò, quod à Philone prolatum eſt: Donat Militi Rex aureum torquem, vt illo vel promeritus exornetur, vel inglorius ſtranguletur; non immeditatò quiſpiam ad hanc Epiſtolam vertat, vt ex qua ſignatæ non vna prærogatiua gratiæ formula ſtetit, ex eadem liquida Capitis ſententia decernatur. Ac vt olim inani gloriatione Templum Domini iactabāt illi, à quibus offenſus ipſe Templi Dominus meritò receſſerat: ita prorſus deridiculè Meſſana de Epiſtola Virginis ſe ſe efferat, ſi quod in ea legit, ad animum haud immittat, eoq; conteſtatam Cælo gratiam interuertat, religionem Virginis offenſæ longè ponat. Non hæc commemoro quaſi neſciam indiſtrictam eſſe pietatem Meſſanenſem, ſuo loco ſtare ſanctitatem, & excelſo planè theatro ſedere Deiparæ cultum ac honorem: Sed enim cum probè calleam quæ ſit humanarum inconſtantia rerum, meritò ſuſpenſum in omnia fero cogitatum, ignorans quid craſtina ſerum allatura ſit dies, & peregrini caſus formidinem, in felicitatis partem duco. Occurrit enim quæ arcano in ſupernis conſilio, rebus ſub Sole poſitis, ſublimis potentia moderatur. Nam etſi non rarò noxis hominum exigentibus, vt ex occaſione mali fiat acceſſio boni: interdum tamen vel nullo criminis ſenſu verſat mortalia, plenoq; mancipij iure cuncta diſponit, nulla cuiquam poteſtatis explicata ratione, ipſa ſui ratio facti, ſuæ præſcriptio voluntatis. Hinc florentiſſima quondam regna, Ciuitates ſanctitate præcipua venerabiles, hodie ſub profano iugo gemunt, & religione longiſſimè exacta, hoc ſolùm ſunt felices, quod non in ſolitudinem

nem

Digitized by Google

nem rerum deformatæ, beſtias an homines patiantur, ignorant. Quanquam non vna Ciuitas ſolo æquata, vix rudera pro ſigno habet; plures verò non planè dirutæ formam Vrbium obſcurè ſeruant, eoq; Regna, quæ Ciuitatibus conſtant, ſi non omninò deſerta, certè penitus demutata ſic oſtendunt, vt non iam Regna vel Ciuitates, ſed vetuſtates & ruinæ videantur, nec immeritò pro Templis & Sacrorum cultu, lapides ipſi vocem hanc mittant. Deus *Venerunt Gentes in hæreditatem tuam, polluerunt Templum Sanctum tuum, Altaria tua profanauerunt*. Vbi enimuerò nunc augusta illa florentis Aſiæ atq; Africæ Templa, quæ Imperatorum opes Deiparæ ſacras hauriebant, religionem ad omnem Sanctitatis ſpeciem exercitam ſeruabant, vt nihil eſſet in Orbe terrarum, vel ſtructura magnificentius, vel cærimonia religioſius, quàm quæ paſſim honori Virginis, ſuper Regum tecta baſilicæ exurgebant. Scilicet Magneſiæ Soſandra, Ioannis Ducæ; Conſtantinopoli Chalcopratcium, Hodegetria, Blachernarum, Pulcheriæ monimenta: In Blachernis item & ad Auream portam, Leonis opus: vt interea taceam quas vel Iuſtinus in eadem Vrbe, vel Helena Conſtantini mater, apud Bethlehem ac Hieroſolymis: Iuſtinianus præterea Antiochiæ, Carthagine, deniq; quicunq; fuerit auctor in Taro Inſula Maris Aegei; quarum ſanè ſplendorem ac magnificentiam, ſicut oratione explicari non poſſe nonnulli exiſtimarunt, ita nec cuiuſuis alterius Templi pulchritudine exæquari, vt in tanta ſubſtructionum præſtantia, non iam Maieſtas Imperatorum conata, ſed diuinæ magnitudo ſapientiæ fuiſſe architectata credi poſſet; quæ ſicut in figura Templum illud à Salomone conditum, re ipſa in Virginis vtero ſapientiſſimè perfecit, ita Virgini quoq; domicilium inter mortales non vnum, vbi adorata nihil non cælitus efficeret, exiſtere voluiſſet. Steterunt iſta quidem eximia monumenta ſatis diu, fuit & Virginis honos pretioſus, vndè in Ciuitates & Regna perpetui gratiarum fontes effluebant; hodie ſine honore manent inculta, pleraq; etiam proſtrata, ſuis duntaxat ruinis extant, memoriam animis, lachrymas oculis innouantes. Hæc ſi remota fortaſſe dolorum materies, plaga recentior adhuc hiat. Ecquæ natio ſub cælo tàm vnquam religioſè coluit MARIAM? quæ Mariæ tàm cara fuit, cæloq; fauorabilis quàm Hungarica, tot florentiſſima bonis, quot mortalibus in hac vita ſuper vota meritaq; concedi poſſunt. Hoc Regnum MARIAE dictum, quod Stephano Regi, feudali velut ritu ac iure, Deiparæ gratia conſignatum, iccircò Regio voto ac voluntate, perpetuum Virgini pendit vectigal, ne ſuum, vel cuiuſuis alterius Regis, ſed Reginæ Cæli Regnum diceretur, haberetur. Hinc Albæ, Regia Sede, Princeps MARIAE Templum Sacratum, opus admirabili ſuper Orbis miracula ſumptu, marmoreis incruſtationibus renitebat, pauimenta lapidibus teſſelata pretioſis, ſigninum artificium cum materia peræquabant, magnificæ columnæ, ipſaq; Altaria non ornata duntaxat, verùm ex auro argentoq; puro mero conflata, cum ſtupore mortalium viſebantur. Hic, nullo non tempore Clerus omnis, ac populus vota preceſq; fundebant. Hic, Reges ac Paſtores noctu diuq; pro ſalute populi ſupplicabant, confluentes vndiq; pauperes, erogandis opportuni ſubſidijs excubabant, ob id MARIAE dicti milites, quòd velut ad tutandam precibus Regni, Regiſq; ſalutem auctorati, ſtipendia Deiparæ iuſſu, ex opimis Regni prouentibus, hoc eſt eleemoſynas capiebant. Hic, ex inſtitutis ab Eccleſia Virgini feſtis honoribus, quinq; nuncupati per regnum maiores Epiſcopatus, ſed præterea bini ex pręcipuis Naſcentis, Aſſumptęq; nominibus Archiepiſcopatus, Sacro Templorum ac Sacerdotiorum luxu, profanas ſuper Principum diuitias ex MARIAE dote ſe ſe efferebant. Nulla hic cymelia feminis, nullum maribus ornamentum, quod effigiem Virginis haud referret, pro monilibus è collo coronę pendebant precarię, pro coronamentis ac ſtemmatibus Icones vbiq; MARIAE Matris ex paraſtratis

Procopius lib. 1.

Digitized by Google

ſtratis prominebant, illis omne ſplendebat aurum argentum, omnis numus, arma, omnia, veſteſq; omnes, ſtipulationes omnes, ac tabellarum pacta, quin etiam menſes & feriæ, MARIAE nomine ſubſiſtebant; deniq; ex hac religione velut traducta ad hęredes ſanctitate, regia soboles per multa ſecula Cœlo Diuos inſerebat. Quid hic commemorem ad dolorem animorum aſperandum, antiquam Germaniæ, dum priſca fides ſtaret, cum felicitate Sanctitatem, quæ non Templa duntaxat & aras, ſed Ciuitates Deiparæ Sacras fundabat, inſidentem in viſceribus pietatem, maxima qua potuit in Orbe celebritatis fama explicabat. Hinc vt plurimas Vrbes taceam, Parthenopolis illa, Virginis auguſta protectione, quæ vix aliquando niſi Virgini probatum, ac inter alios Nortbertum habuit Antiſtitem; vnus qui malus fuit Vdo, ſicut ab eadem cùm bonus eſſet euectus, ita deinde grauiſſimo iudicio deiectus, formidabili damnationis æternę ſententia, Michaele caput nefarium ante aram obtruncante percuſſus eſt. Lubet deniq; præterire, ne nondum obducta cicatrice recrudeſcens vulnus inſoleſcat, florentes nuper in Anglia Deiparę baſilicas, tam inopina mutatione, verſa in peius religione, cultu ſuperis inuiſo pallere deformatas, gentem Deo quondam caram, emortua ſanctitate, natiuæ quoq; indoli perniciem attuliſſe, cui nullæ vnquam hiſtoricorum lacrymæ ſatis parentabunt. Quorſum verò hæc tam altè repetita, niſi vt aliorum exemplo liquidum euadat, quàm cauta debeat eſſe in præſenti felicitatis curſu fidentia, nec ſi nunquam alea deerrauit, iccircò perpetua conſtanſq; cenſenda ſit fortuna, quando nec animorum ſtatus, quamdiù ſub ſole res inter caducas alligata verſatur, ſtabilis ſemper eſſe poteſt, niſi diuinitus iniecta conſtantia, qua ſupra viciſſitudinem fertur, raro inter mortales greſſu dirigatur.

Itaq; ſi Gentes aliquando religione florentiſſimas, Regnaq; & Vrbes ſanctitatibus exaggeratas, hodie calamitatibus afflictas, decidiſſe penitus miramur ac deploramus; ad animos ducere debemus, non eo loco res ſedere noſtras, vnde moueri non poſſint, ac in imum fortunæ quo quo tandem impulſu recidere. Nam quòd vbiq; religiones ac Sanctitates ex obrepentibus fatiſcere cœperunt hæreſibus, ac demum conciderunt, tametſi æternam promittere conſtantiam viderentur; eam quidem in promptu cauſam habet, qua nunquam luci cum tenebris conuenire poteſt: cur tamen hæreſes in medijs penè fidei complexibus interceſſerint, an id ex ſcelerum impunitate, qua libertas libertatem peperit, an aliunde progreſſum habet, apud album diuini iudicij tranſigendum erit. Profectò enim quod ex vanis Chaldæorum decretis, haud pauci nugarum fabri, ſicut Monarchiarum demutationes, Regnorum tranſlationes, ita religionis caſum ac ſectarum ingreſſus, ex ſyderum poſitu, varijſq; cæleſtium Orbium conuerſionibus hariolentur; æque ſanè mentiuntur ac dementiunt; ipſi nequitiarum diuinaculi, prorſus etiam hæreſum aurigæ ſunt. Non neſcimus interdum Deo faciente ſydereos paratus, rerum euenientium eſſe ſigna, quæ mortalium animos in terrore ſuſpenſos, ad frugem vertant, imminentia pericula vitæ ſanctitate moneant declinare: ſed enim cauſas eſſe malorum à libertate mentis pendentium, vt fortaſſe nonnihil momenti afferant ad propenſionem, ita ſi rectè philoſophamur erit pernegandum, vt non ſolùm à ſanctitate, verùm etiam à ſanitate mentis proſcriptus habeatur, qui tam dementer ac peruerſè putet opinandum. Tùm enimuerò tot admirabilium inter mortales euentuum patebunt cauſæ, cùm Deo ſceleris Orbem coarguente, liber ille ſcriptus intus & foris, reuulſis ſeptem ſigillis abſcondita rerum reſignabit, imperuias omnium origines, reducto velut diuinitatis ſipario pandet, ac in meditullio lucis conſtituet. Tùm ceſſabunt anxiæ quæſtiones, hominum ſopientur admirabilitates, cur affligitur iuſtus, proſperatur impius; deijcitur ſanctus, erigitur noxius; hic de ſummo cadit, ille ex imo ſurgit; hic condit, ille promit; nec tam

gaza

Digitized by Google

gaza in hæredes, quàm inanis fama tranſit ad afflictos nepotes, familia familiam trudit, & dignitates decerrant ad inopinos: cur eximia nonnunquam regna, ſceleſtos impetrant dominos, & inſontia membra noxij Capitis malum ferunt: cur lectiſſimæ Orbis Prouinciæ, mutata CHRISTI ſeruitute, cum hæreſi pepigerunt, & Eccleſiæ defenſores, in religionis hoſtes deſciuerunt, & florentiſſimi Deiparæ, ſanctorumq; cultu populi, in crudeliſſimos omnis pietatis perſecutores exceſſerunt, ac deniq; clariſſimæ religione, ſcientia, rerum poteſtate Nationes, proiecta ſanctitate, in Cimmerias ignorantiæ tenebras deciderunt, & habenis imperij manus exutæ, corpora tota Tyrannorum iugis, animos verò inexplicabilibus errorum & malorum vinculis innexuerunt. Itaq; hodie nec Aegyptus gloriari poteſt Macharijs, Antonijs, Pachomijs: nec Paleſtina Cyrillis, Iuuenalibus, Iſidoris: nec Africæ regna iactare ſequeunt, Valerijs, Auguſtinis, Fulgentijs: nec Græcia Baſilijs, Gregorijs, Chryſoſtomis; nec Hungaria Stephanis, Emericis, Ladiſlais: nec Anglia Thomis, Eduardis, Edmundis: nec Scotia Niuianis, Columbis, Vuironibus: nec Hibernia, Patricijs, Egbertis, Ethbinis: nec Dania Guglielmis, Canutis, Nicetis: nec deniq; Saxonia Northbertis, Bennonibus, Columbanis; neq; enim dolor recenſere ſinit, innumeras alias regiones, quibus aliquando lux Euangelij, per viros ſanctiſſimos Nationum dictos Apoſtolos, ingentibus illata ſplendoribus, non vno ſeculo fulſit ad ſalutem, ſed demum accidente corruptioris doctrinæ caligine, caſſiſq; virtute moribus, ne tenuis quidem ſerenæ lucis radius relictus eſt. Ac mirum planè eſt, vbi quondam æmulæ Cælo ſanctitates efflorucrant, ibi deinde vitiorum omnium ſemina, nec non efferatiores odio religionis animos germinaſſe. Et tolerari poſſet, ſi tantum cæci eſſent, niſi etiam abſq; luce feliciores videri mallent, quaſi collatis priſcis ætatibus, tunc ærumnoſi fuiſſent, à pulſa religione ſecundè haberent, vt iam deuocandi ſint manes Auguſtini, qui nouis de Ciuitate Dei procuſis operibus, cæcutientem prorſus exoculent impietatem. Sed enim inanis eſt iſta deploratio, ſi cogitemus, nihil illis terris in Orbe fuiſſe ſacratius, quæ CHRISTI prædicatione primas Euangelij gemmas protulerunt, ſudore maduerunt, ſanguine rubuerunt; & tamen illæ, impietatis calcatæ veſtigijs, nefandis temeratæ ſuperſtitionibus viluerunt: neq; ſolùm, ſed loca circumquaq; omnia, quæ à fuſi cruoris calore, ſpiritum vtcunq; conceperant, exortis infidelitatis pruinis refrixerunt. Vt inde nullius vnquam Gentis ſecura queat eſſe gloriatio, quaſi duraturam, ſuper humanorum aleam, felicitatem ex eo gerat, quòd vel Petri, vel Pauli, vel cuiuſuis alterius Apoſtoli prædicatione fidem ſuſceperit. Atqui Meſſanenſes, ſi rerum omnium ſub ſole talis eſt conditio, magnum vobis indubitatæ Deiparæ protectionis eſt argumentum, inconcuſſam per tot ſecula produxiſſe felicitatem, iactatam quidem illam inter ſcopulos viciſſitudinum, haud tamen eatenus alliſam vt colliderctur, & ſanè iactari interdùm vtilius ad cautelam, quàm in ſilenti ſecuritate, non præuiſam offendere fortunæ foueam, vt vno tandem nec opinato corruas caſu. Habet enimuerò mundana ſecuritas, eam cum febre neceſſitudinem, vt quemadmodum iſta paulatim humores ebibit, viciſſimq; hauritur ab illis; quoad ſenſim in partes vitæ attracta, penituſq; inſidens, æquata velut temperie dulciter afficit magis quàm affligit; ac tum æger rectè ſecum agi putat, cùm maximè virulentia vires ſumit, mortemq; propinat abſq; remedio certiſſimam: ita ſecuritas mundi raris agitata malis, quin multis exaucta bonis, reſides animos facit, ſenſimq; à virtute deflectit eatenus, vt cùm extremè vitioſi ſint in proſperis, neq; tamen exerciti aduerſis, feliciter ſecum agi cogitent, ignari dulces malorum inducias, ineuitabilis eſſe interitus (vt ita loquar) feciales. Itaq; Meſſanenſes non eò felices vos habuerim, nec certam Patronæ Virginis ex Epiſtola tutelam, ſi nullus vnquam turbo, rerum veſtrarum curſum

inuo-

inuoluit, ſed ſi medijs è fluctibus ſæpè diſcrimini exemptos, hæc certiſſima ſpei anchora, fidentibus animis apprehenſa tutata eſt. Ac vt aperiam vnde felicitatis veſtræ tenor, tutaq; eſſe conſtantia queat. Eximia ſanè religio veſtra eſt in Virginem, indigenis exteriſq; ſpectabilis, nec minus ad templa ſupplicationibus, quàm inducto per Vrbem ſimulacro, regioq; quotannis ſacrorum apparatu ſolemnis; ſed hoc tempore ſumptuoſo quoq; Sacello, quod ob Epiſtolæ memoriam, Magnæ eidem Matri Gorgoepecoo, (celeri ſcilicet auditrici ſimul ac adiutrici) conſtruitis auguſtior; iugi præterea per Sabbata laudum concentu, perpetuaq; ad eandem aram populi ſtatione Sancta, quam obfirmata non minus ipſa Traditio, quàm conſtans ab Epiſtola fiducia vallat, noſtraq; demum hæc opella velut è lampade currentis adiectum lumen vtcunq; illuſtrat. Quin rectè fiat, ſi Coronamentum Vrbis Archadianum, inſerta mediæ Cruci gemma, Virginali ſcilicet Epiſtola, ſplendores oſtentet inſcriptos, vt vnde duxit initium honos veſter, inde velut è proprio firmamento gloriæ ſidus ſcintillet ac dignitatis. Et niſi hæc eadem ſit, quæ Ordinis veſtri Equeſtris inſigne eſt ſtella, diradiantem ſcilicet ex ea Epiſtola gratiarum ſignans ſplendorem, vel quæ, ſicut in Oriente Magos, ita velut affulgentis aſtri ductu Meſſanenſes ad Virginem adijſſe, redijſſe notet; quo minus ad inſtitutum veniat committi non debet. Atq; hæc omnia, multaq; id genus alia, præclara quidem religionis veſtræ ſunt argumenta, quæ tamen non omni ex parte ſecuram habēt ſanctitatem, niſi hæc omnem lineam, qua viciſſitudo proludit humana, longè tranſiliat eatenus, vt nullas vnquam in conſcientia noxas admittat, quarum offenſa prouocatum Numen, felicem alioqui rerum curſum inconſtantiæ calamitatiq; ſubijciat. Neq; enim vobis timendum, ne recepta Deiparæ protectio, vota ratamq; fidem fallat, ſed ne in crimina vos acti, Sacramentum inane reddatis, adeoq; decretam ex promiſſione gratiam præcidatis. Tria ferè ſunt flagellorum genera, quibus in mortales, ſed clementer ſæuit ira cæleſtis, peſtilentia, fames, & bellum: cùm irritatur magis, Principes imponit vel ineptos vel peſſimos, nec ſemel regna demutat, gentili iugo premit, ſed interdum exigente morum peruerſitate, truces immittit Hæreſes, animorum prædatrices, ſcelerum duces ac ſocias, demum conſcientiarum carnifices: ac tùm vbi malitia conſcendit ad culmen, nouiſſimo formidabilis exemplo, Deiparæ Virginis auertit curam, vt non exiſtente Patrona, quæ poſt Principem mediatorem, peccatorum cauſas agat, ſpe propemodum ſalutis præciſa, gratiæ formula cadant, ſponteq; præcipitantes, æternæ mortis ſententia perſtringantur. At enim cum peſtilentia, fame, bellorumq; periculis, haud ſemel conflictati Meſſanenſes, Deiparæ ſoſpitatu ſuperiores euaſiſtis: Reges ſi iniquos, ſi barbarorum iugum diſſimulaſtis potius quàm fœdè toleraſtis, illis demum occidentibus, magna iſtos virtute deieciſtis: Hæreſes omnes eo ſemper odio proſcripſiſtis, vt à ſuſcepto Euangelio, veſtraq; in clientelam Virginis aſcita Ciuitate, mentem per omnia religioſam, & erga diuina ſemper incorruptam haberetis, religata non minus in freto fabuloſa cum Scylla Charybdi, quàm omni non dico monſtroſa opinione, ſed propulſata vel tenui ſuſpicione, quæ ab Eccleſiæ linea vel latum vnguem exerraret: vt ſi cetera deeſſent, hæc ſola inter tot rerum vices, nec æquabili ſemper inceſſu morum inuicta conſtantia, ſatis argumenti ſcriptæ ad vos Epiſtolæ ſufficeret, vndè domitricis Hæreſum Virginis, quæ in animis veſtris adeò ſancta protectione cauit, gratia ſingularis ex promiſſione dilucceret. Et certè par fuit, vt qui in defendendis Vrbis veſtræ iuribus ac priuilegijs, obfirmata ſemper virtute perſtitiſtis, pro religione vitam cum ſanguine decerneretis.

Digitized by Google

Idq; ſupremæ vobis in poſterum curæ fuerit ſi pectora ſalutis amor tangit, ſi tutela Virginis precium habet, ſi Numinis gratia dignitatem. Eſt verò ſicut libertas opinandi quæq; Mater Hæreſis, ita præſumptio faciendi cum inani perſuaſione, gemella proles; & hinc quidem peruerſitas morum, illinc pertinacia cum errore comes venit, hòc periculoſa magis, quòd ex profanis in Sacra rerum adrepit, & ex religione, fucatas ſcelerum cauſas ducit. Atq; huiuſmodi eſt illa ſubæratæ prudentiæ ſagacitas, quam è Macchiauelli patella ſaginati, rationem ſtatus vocant, & ex ea politicè arbitrantur, & ne quid vſpiam aduerſus exulceratam conſcientiam venire poſſit, ad Sanctiones Scripturarum eatenus examinant, vt Enthuſiaſtæ videri poſſint, & quæ hactenus Ecclesiam latuere, cælitus ipſi concepiſſe. Duces vtiq; cæcorum, ſed qui potentes illaqueatos ad poſtomidem regunt, vt iam è religione ſit, bella ex bellis ſerere, ius faſq; ex occaſione accerſire, ex fortunis conſcientiam vel apud hoſtes fidei æſtimare, lites ex ala muſcæ in perniciem agitare, leges pro libidine figere ac refigere, Sacramenta vetera frangere, noua cudere, deniq; pro ratione Status, decreta Sanctitatum inſuper habere, vel certè religionis cauſam præ damnoſa vtilitate, inter poſtrema reponere. Eſt verò huius ſectæ Dea quam ſupparaſitantes politici colunt, Erinnys, cui ſemper factitandi cauſa, nullam habere anſam niſi bonum odiſſe. Et hinc opinor tot in Orbe malorum fontes, regnorum & religionis euerſiones; variæ mortalium præcoceſq; caducitates, dum quæſitis in puncto ſpatijs, amplitudo Cæli temerè negligitur, contemnitur. Sed vobis Meſſanenſes, ſi Deipara Virgo tutelaris eſt, Erinnys iſta idolum non eſt, ſi religionem veſtram nulla vnquam ſectaria fædauit labes, hoc quoq; cæruſſatum probitate ſtudium, extra voluptatem habere par eſt, & inter laruas & vultus ſanctè ſagaciterq; diſcernere, niſi ius faſq; circumſcribi, niſi cultum Diuorum animis arceri, Deiparæ Virginis tutelam periclitari, conſcientias virtute, mentes veritate, pectora deniq; fide placeat exarmari. Plurima fortaſſe temporis cauſa gratiſq; à me dici quiſpiam putauerit, quaſi cùm in mores veſtros minimè iſta cadant, nec opportunè prolata, nec cum fructu accepta videri poſſint. At enim qui monet, ſpeculum intuentibus non ideò ſolùm obuertit, vt forte næuum ſi eſt, animaduertant, detergant; verùm vt vndequaq; ſi quid ad venuſtatem accedere queat, ementiantur, adijciant; nec ſanè ex ſeminibus, quod ſatiuum eſt, vniuerſim fruſtra cadit, nec bellaria magis interdum ad guſtum ac ſpeciem, quàm ad nutrimentum faciunt ac medicinam: ita nulla ſterilis ad mores oratio dirigitur, quin aliquid vtilis ac honeſti ſemper ad animos intromittat. Et aliquando (ſi quæ Poëtis ſapientia) contemplanti ſe forſitan ad Delij fontem Latonæ, voluptè fuit, ignoratam in fronte rugam aſpexiſſe, quę formoſum alioqui vultum ſpectantibus, ingratam præbebant admirationem. Quorſum verò iſta? Nemini non compertum Siciliam ſemper frumẽti, vini, olei, (cetera bona taceo) feraciſſimam, alijs quoq; circum regnis, omni tempore copiam ſuffeciſſe, vt iccircò Romani Orbis horreum & cella penaria, pleriſq; vocata, nec ab re ſemper credita ſit. Miramur tamen hodie, cauſamq; non vnam ſuſpicamur, cur crebrò fallentibus annis, etſi verſatiſſimi agri, nec inuido culti cælo, minus ad vbertatem eliciantur, ne dicam fructus ex ſemiſſe non reddunt ſuos. Itaq; ſicut timidæ ſunt mortalium cogitationes, aliqui verberatos à ſagis dicunt agros, alij mutatam ex variato ſyderum poſitu cęli lociq; temperiem, alij modum ſerendi & colendi non priſcum, & imperitiam rectorum calami-

tati

Digitized by Google

tati colonis eſſe, alij deniq; mille alia: qui tamen religioſè autumant, ex occulto ſors crimine tellurem diris aſtrictam, officium negare ſuum reformidant. Hanc ob cauſam, haud ſemel in publicas itum preces, ſupplicationes inſtitutæ, pietati vbiq; ſtudium impenſum, quò Numinis indignatione placata commune malum eliderętur. Et fuerunt iſta velut in morborum habitibus, poculenta quædam vim mali ad moras lenientia, non prorſus tollentia, vel vt arido cælo repentinus imber, cùm ſuperficiem irrorat, telluris ſcabiem vrticas elicit, viua ſemina plantarumq; radices haud afficit, & ſi humectat, non maritat, & inani duntaxat protuberatione quadam, quid poſſent agri, niſi occulta vi quadam gemmas frugum promittere vetarentur, palam facit. Hoc propter, in dicta per Vrbem nuperrimè bidui religione, ſolemnes quoq; cærimoniæ benedicendis agris peractæ, Cælum ad Orbis cardines deſecratum, quicquid dirarum vndequaq; latentibus ex cauſis ſubeſſet exauguratum, lætiores inde rurſum viſi arridere campi, ſerenitatem ſegetum an ſeruaturi, priſtinumq; germinãdo præſtituri ſint officium, res & tempus docebit. Rectè verò id facitis Meſſanenſes, vt Capiti medicinam quæratis, vnde reliquis membris optata ſanitas immittatur: ſed videte ne quemadmodum ad æneæ muſcæ ludum, obnuptis oculis ad remota manus extendatis, proxima non teneatis; Si religionem ſanctè obſeruatis, ſi iuſtitiam integrè colitis, ſi rerum vbertatem ad honeſtam frugem, annonæ abundantiam ad egenorum inopiam ſubleuandam, non ad damnatos effluere patimini quæſtus, ſi cetera omnia rectè, quemadmodum credo ſecundùm Deum agitatis: videte inquam, & voſmetipſos intra veſtras conſcientias reuocate, ne fortaſſe Deiparæ Virgini non vndequaq; placeatis, ne in priuatis neceſſitatibus ad minus fida patrocinia mentem deflectatis, vt in commune detrimentum redundante paucorum noxa, benedictione per Epiſtolam impertita, nequaquam ex voto perfruamini, interdum aduerſis cõflictemini; et fortaſſe Dionyſia veſtra, ne videant vanitatem Patronæ Virginis auertunt oculos, gratiarum obuelant radios. Chryſoſtomus olim, in foro S. Sophiæ ludos fieri prohibuit; quid honoris foro Virginis, quid in Ciuitate Virginis conueniat, penditote. Scio, non geminam hic eſſe monendi occaſionem; vt tamen locus iſte ſanctior, neceſſitudo vobis arctior, ita religio longè debet eſſe maior; hoc reuerentiæ Virginis concedite, profanas recreationes alio foro peragite. Verùm hæc per tranſennam. Cogitate de cetero cum animis veſtris amabo, quid Spiritus Dei ſeptem in Aſia perſcribi mandet Eccleſijs, vt inde reductis ad lineam, (ſi opus eſt) pietatis inſtitutis, & Deiparæ protectionem, nullo vnquam exemplo fallentẽ, aut in vota ſeram, (eſt enim Mater veſtra Gorgoepicoos) vt olim agnoſcatis, & rectè factorum laudem ad Coronam traducatis. At iſtæ quidem Aſiæ fuerunt Eccleſiæ, ſed etiam Africa ſeptenis inter alias inſigni Virginis religione florens Vrbibus, vbi tandem omnium candelabra loco mota ſunt, ipſa quoq; ſicut Aſia calamitatibus ſuis hæſit inuoluta, fortaſſe nunquam explicanda. Quid dicam Meſſanenſes? Sola per multa ſecula religionis vaſtitati ſuperſtes Europa, ſuperbiſſima quidem illa pars Orbis, ſeptem inter alia præcipuè Regnis, Deiparæ cultu reſplenduit eximiè: Sed non ita pridem Angliæ candelabrum ſuo verſum eſt impulſu, Pannoniæ longè ante moueri cœptum, debili ſatis baſi nixum, ni pietas Ferdinandi, quemadmodum Germaniæ, ſtatumen ſufficiat, ægrè manet. Ac vt Aſia & Africa deſtructis, Europa ſola penè religioni Deiparæ ſedem fecit, verendum ne Clientum culpa remotiores apud Orbis inuenti regiones, Sanctiora domicilia figat, auita deſerat. Sed enim ad vos etiam ò Meſſanenſes exiſtimo ſuam direxiſſe orationem, qui dixit. *Scient quia ego dilexi te, quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſeruabo te ab hora tentationis, quæ ventura eſt in Orbem vniuerſum, tentare habitantes in terra. Ecce venio citò, tene quod habes*, eximium videlicet

licet Dei Matris cultum, *vt nemo accipiat Coronam tuam* ne ſcilicet promiſſus tibi Viginis fauor vnquam à te deflectat, benedictionis interciſæ fructus cadat. Nam de cetero, quę te Meſſana poſt Deum *dedit in Ciuitatem munitã, & in murum æreum, vt bellantes aduerſum te non prævalerent, quia tecum fuit vt liberaret te*, illa etiam benedixit tibi, ne eſſes vllius opis egens; quin tuis ſaginati copijs, alij quoq; diteſcerent. Illius ſanè benedictio ſi ſuper Apoſtolicas adſalutationes exundat, Patriarchales quoq; longè relinquit apprecationes, habetq; in reſtricta per Epiſtolam oratione, explicatam rerum omnium annisu felicitatem, vt à qua olim dulcem illam excepiſti ſententiam. *Ob quod vos & ipſam Ciuitatem benedicimus*, eandem excellentiori quadam gratiarum fœcunditate, in hæc quoq; Patriarchalia verba, benedictionis ſuæ ſenſum audire queas eloquentem; Meſſana *primogenita mea*, quæ prima ex Oriente Legatos ad me direxiſti: *fortitudo mea*, quæ ſemper in periculis iuratam habens fiduciam eualuiſti, viciſti: *prior in donis*, gratiam Clientelæ prima ferens, multiſq; ob id exaucta prærogatiuis: *maior in imperio*, Regni Siculi Caput effecta, honoribus Imperatorijs exæquata: *Te laudabunt fratres tui*, non ſociæ duntaxat Vrbes, ſed peregrina pietas, fideiq; cognatio, tuam admirabitur cæloq; locabit religionem: *Manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum*, quia prælians præliaberis in victorijs, & onuſta prædis captiuorum triumphum ages: *Adorabunt te filij Patris tui*, non ſolum quia poſteritas omnis, cum honore traducet exempla maiorum tuorum, verùm etiam quia memoriam venerabitur eorum, qui primi tam exaggeratæ benedictionis copiam retulerũt: *In littore maris habitabis, & in ſtatione Nauium pertingens vſq; ad Sidonem*, hoc eſt ad omnis gloriæ naualis ex felicitate præliorum venationem. Atq; hæc de te Meſſana prædicari ſemper, ceteraq; Patriarchis impertita dona, Deipara Nauante tibi quoq; conceſſa credi poſſunt, *vt pinguis ſit panis tuus præbeaſq; delicias regibus, benedictioneſq;* Matris *conſortentur benedictionibus* Nati *eius, donec* appareat *deſiderium collium æternorum*. Sed vtinam Meſſanenſes, qui coram vobis olim primus de MARIAE virtutibus verba fecit, ille demum hoc loco auguſtiori quadam oratione vos compellet, & ad imitationem Virginis, ſine qua cultus omnis eidemq; nuncupata religio, friuola prorſus eſt & inanis, animos veſtros nulla vnquam cogitatione deuios inflectat; dubio procul huius operis noſtri non pænitendum fructum cęperimus. Et profectò ſi in omnibus ſemper admirabilis, ac maximè in prędicando viſus eſt Paulus veſter, adeò vt audientes pro re nata, vel tremeſcecerit vt Felicem ac Druſillam, vel attonitos reddiderit vt Feſtum, vel momento conuerterit vt Dionyſium, vel confuderit vt obſtinatos Iudæorum, vel deniq; eloquentiæ vi abripuerit vt Lyſtrenſes: quibus neruis, qua voce, qua contentione, quo pietatis affectu perorabundus efficeret in animis veſtris, ne vnquam religio continuata remitteret, verùm in dies ardentiori Virginis ſtudio flammantia pectora magis ac magis caleſcerent, Verùm illo rerum in Cælo ſatagẽte, votiſq; veſtris cum Virgine apud in Deum ſecundante, licebit mihi non iam quinq; verba, nec vt vos inſtruam, quod ipſe Paulus initio conuerſionis veſtræ vos allocutus, dubio procul fecit, ſed vnum duntaxat verbum vt commoneam, ſenſu meo loqui, quod eſt, *Imitamini MARIAM ò Meſſanenſes*, hæc enim Epiſtolæ datæ fides, hoc vnicum religionis veſtræ argumentum, vt quemadmodum Auguſtinus dicit *imitari non pigeat, quod celebrare delectat*, nam quod ipſe de Sanctis Martyribus, ego de Matre Virgine libenter vſurparim; *qui Deiparam Virginem, vel in quantum potuerit, noluerit imitari, ad eius beatitudinem* dicam ego benedictionem *non poterit peruenire*, addam etiam, nec illius protectione dignè frui, *quis eſt enim* (vt Chryſoſtomi in ſimili verbis vtar) *qui eius amet vel merito copulari, vel gratia diteſcere, niſi virtutes quoad fieri poteſt imitatus, paribus vitæ lineamentis aut inueſtigat aut exquirat?*

quirat? hæc benedictionis haud caſſæ probatiſſima teſſera, Clientelæ viciſſim ratæ minimè fallens auctoramentum. Sed enim reſtrictum hoc verbum quod eſt, Imitamini MARIAM, vtcunq; iuuerit euoluere, & inſignem Deiparæ virtutum formam, ſi non exactè depingere, lineis tamen ductis eatenus adumbrare, vt quid vobis admirãdum, quid imitandum ſit Meſſanenſes, facile pernoſcatis, eoq; gratior ad animos veſtros hæc virtutum effigies accidat, quod ex varia Pauli præclarè fluentis eloquentia, velut ex quibuſdam pigmentorum arculis, acceptos verborum & ſententiarum colores, non alios admittat fucos. Hoc verò primum, quod MARIA ſemper dignè ambulabat, Deo per omnia placens, in omni opere bono fructificans, & in medio generationis humanæ lucens, ſicut luminare in Mundo, prouidens bona non ſolùm coram Deo ſed etiam coram hominibus, ſemper conuerſationem in Cælis habens: quæcunq; vera, quæcunq; pudica, quæcunq; iuſta, quæcunq; bonæ famæ, ſi qua laus, ſi qua virtus diſciplinæ, hoc cogitabat, perfecta & plena in omni voluntate Dei, vitam habens verè abſconditam cum CHRISTO filio ſuo in Deo, vnde & ingemiſcebat in hoc tabernaculo, ſuperueſtiri cupiẽs vt abſorberetur quod mortale eſſet, à vita quam habebat in CHRISTO, & deſiderium habens diſſolui & eſſe cum eo multò magis, & melius: permanere autem in carne ad tempus neceſſarium fuit propter multos, & propter vos *ò Meſſanenſes* ad profectum veſtrum & gaudium fidei. Interim autem CHRISTVS habitabat per fidem in corde eius, in caritate radicatæ & fundatæ, conteſtante Deo ſignis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus Sancti diſtributionibus, ſecundùm ſuam voluntatem, ita vt nihil deeſſet illi in vlla gratia, expectanti reuelationem IESV CHRISTI filij ſui, qui & confirmauit eam vſq; ad finem vitæ ſine crimine, quòd non haberet neceſſitatem quotidie pro delictis ſuis orare, ſed pro populi, nullam habens conſcientiam peccati, ſed ſeruans mandatum ſine macula, quæ ſub lege peccati non fuit, primo miſericordiam conſecuta. Itaq; Spiritu Dei ſemper viuebat, ſpiritu ambulabat, in omni virtute confortata ſecundùm potentiam claritatis eius, ſemper gratias agens, in gratia quæ data fuit illi in CHRISTO IESV, nec ſolùm ſupplebat ea quæ deerant Sanctis, ſed etiam abundabat per multas gratiarum actiones in Domino, glorificans Deum propter eminentem gratiam in ſeipſa, & ſuper inennarabili dono eius, abundans in illo in gratiarum actione: *neq; ſolùm*, ſed per omnem orationem & obſecrationem orans omni tempore, ſine intermiſſione in ſpiritu, & in ipſo vigilans in omni inſtantia pro omnibus Sanctis: orabat autem ſpiritu, orabat & mente, orabat in omni loco leuans puras manus in conſcientia pura, ſine intermiſſione memoriam habens humani generis in orationibus ſuis nocte ac die, deſiderans ſaluari omnes, memor lacrymarum piarum, & petitiones eius innoteſcebant apud Deum, *ſicut & modo exauditur* pro reuerentia ſua. Iam verò fidem MARIAE quis enarrabit? eius communicatio euidens fit in agnitione omnis boni; ambulabat nimirum in CHRISTO radicata & ſuperædificata in illo ipſo, & confirmata fide ſicut didicit, abundans in illo ſuper omnes Patriarchas, & Prophetas, & Apoſtolos, & ſupercreſcens in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei viui. Fide MARIA ſuperauit Abel, plurimam hoſtiam cordis offerens Deo, per quam & teſtimonium conſecuta eſt eſſe beatã, teſtimonium perhibente ea quæ dixit, *Beata es quæ credidiſti, quia perficientur in te à Domino, quæ dicta ſunt ab Angelo* vnde & ipſa dixit. *Beatam me dicent omnes generationes*, nempè in manifeſtè magno Sacramento, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt in Gentibus, creditum eſt in Mundo. Fide Enoch tranſlatus eſt ne videret mortem, & non inueniebatur, quia tranſtulit illum Deus, ante tranſlationem enim teſtimonium habuit placuiſſe Deo: Sed MARIA ſuperauit Enoch &

teſti-

teſtimonium habuit ab initio & ante ſecula plus placuiſſe Deo, & deindè ſecundum præcedentes Pprophetias habens fidem & bonam conſcientiam, nunquam dubitauit; quam ſicut Deus tranſtulit ne videret mortem peccati, ita ante alios aſſumpſit in gloria corpore & anima, nec vnquam videbit corruptionem. Fide Noe reſponſo accepto de iјs, quæ adhuc non videbantur, metuens, aptauit arcam in ſalutem domus ſuæ, per quam damnauit mundum: Sed MARIA Maiori fide aptauit arcam vteri ſui Virginalis, in ſalutem totius mundi qui damnatus erat, in quam etiam introiuit IESVS Verbum Patris, vt carne aſſumpta, deindè ingreſſus in Cælum appareret vultui Dei pro nobis, qui non per ſanguinem hircorum & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem ex MARIA acceptum ſemel introiuit in ſancta æterna redemptione inuenta. Et quid adhuc dicam? deficiet enim me tempus narrantem de Abraham, Iſaac, Iacob, Sara ſterili, de Moyſe, de Gedeon, Barat, Sampſon, Iephte, Dauid, Samuel & Prophetis, qui per fidem deuicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris Noſtri IESV CHRISTI: Hos autem omnes, ſuperauit MARIA, per quam fides triumphans, & triumphatura eſt de vniuerſo mundo, & ſpes firma eſt pro Sanctis defuncti autem ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas aſpicientes & ſalutantes & confitentes, quia peregrini & hoſpites erant ſuper terram: MARIA autem propè aſpexit in remunerationem, & inuiſibilem tanquam videns ſuſtinuit, & nos per MARIAM adepti ſumus repromiſſiones, Deo pro nobis aliquid melius prouidente per illam. Quis autem nouit ſenſum MARIAE, & quam habebat ſcientiam ſecundùm fidem? Eam Pater Cæleſtis voluit eſſe Ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris ſunt, eruditionem inſipientium, Magiſtram infantium, habentem formam ſcientiæ, & veritatis in lege, & in omni ſcientia ſuper omnes Apoſtolos: quamuis enim alijs generationibus non ſit agnitum filijs hominum, ſicuti poſtea reuelatum eſt Sanctis Apoſtolis in Spiritu Myſterium CHRISTI: MARIAE tamen data eſt gratia hæc, ſcire inueſtigabiles diuitias CHRISTI, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſeculis in Deo, qui omnia creauit; ex cuius plenitudine ipſi acceperunt poſt aſſumptum in gloria CHRISTVM. Quin Paulus aliquando raptus in tertium Cælum audiuit arcana, quæ non licet homini loqui, *ſed plura ex MARIA didicit, quæ & illa quæ audiuit Paulus, perfectius nouit*, illi enim credita fuerunt eloquia Dei, & diues facta eſt in illo in omni ſcientia, ſenſum CHRISTI habens, diſpenſatrix Myſteriorum CHRISTI. Ipſa igitur Paulo contulit, cæteri qui videbantur eſſe aliquid, nihil illi contulerunt, ſed ipſa quæ nihil minus, *imò multò plus ſciuit* & fecit magnis Apoſtolis, *quibus etiam conſilio præluxit Hieroſolymis*, ſupplens ea quæ deerant illis, & abundans in ſimplicitate communicationis in illos, & in omnes, conſolans corda omnium, inſtructa in caritate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem Myſterij Dei, Patris IESV CHRISTI, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi; Deus enim Domini Noſtri IESV CHRISTI Pater gloriæ, dedit MARIAE Spiritum Sapientiæ & reuelationis in agnitionem eius, illuminans oculos cordis, vt ſciret quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis eius, in eos qui credunt, ſecundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus eſt in CHRISTO. Pſalmum itaq; habebat, doctrinam habebat, apocalypſim habebat, omnia ad ædificationem faciebat, impleta agnitione voluntatis Dei, in omni ſapientia, & intellectu Spirituali, in omni opere bono fructificans, & creſcens in ſcientia Dei, docens in fide & veritate, habens Myſterium fidei in conſcientia pura, enutrita verbis fidei, quam aſſecuta eſt attendens lectioni & orationi, permanens in eis quæ credita erant ei, ſciens à quo acceⁿ

cepit,

Digitized by Google

cepit, & *quod ex vtero Matris ratione vtens* & ab infantia Sacras literas nouerat, quæ ipſam poſſent inſtruere, & per ipſam alios ad ſalutem, per fidem quæ eſt in CHRISTO IESV. Sed iam qualis MARIAE loquela ſecundum fidem & ſcientiam! non erat in ſublimitate ſermonis, nec in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis; ſapientiam loquebatur inter perfectos, ſapientiam verò non huius ſeculi, neq; principum huius ſeculi, qui deſtruuntur, ſed in Myſterio; non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparans: loquebatur autem parcè, ſed qualia nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, nec vnquam ſic videtur locutus homo: Loquebatur parcè, ſciens non in ſermone eſſe Regnum Dei; ſed in virtute, nec quærendum erat experimentum an in ipſa loqueretur CHRISTVS, viuebat enim non iam ipſa, viuebat verò in ipſa Chriſtus, qui & loquebatur in illa, nec aliquid loquebatur eorum, quæ per ipſam non efficeret Chriſtus, verbo & facto in virtute Spiritus Sancti. Verbum Chriſti habitabat in illa abundanter in omni Sapientia, nec in ſermone tantùm *vt dixi* ſed in virtute & Spiritu Sancto & plenitudine multa; ita vt nunquam eſſet verboſa & curioſa, loquens quæ non oportet, nec intenderet fabulis, quæ ædificationem Dei non præſtant quæ eſt in fide, ſed in veritate formam habebat ſanorum verborum, quę à filio didicerat, nihil loquens in alteram partem inclinando, ſicut quę cogitabat, non ſecundùm carnem cogitabat, vt eſſet apud eam eſt & non; Dei enim filius IESVS CHRISTVS qui in ipſa loquebatur, non fuit in illo eſt & non, ſed eſt in illo fuit. Sic igitur MARIA in omnibus ſeipſam præbens exemplum fidelium in verbo, in grauitate verbum ſanum & irreprehenſibile proferebat ſemper, vt is qui ex aduerſo erat, vereretur nihil habens malum dicere de illa. Non ſolùm autem ſeipſam exemplum præbebat in verbo, ſed & in omni opere bono, in omnibus ſe exhibens ſicut Dei Matrem, in multa patientia, in tribulationibus, in caſtitate, & ſcientia, in longanimitate, in caritate non ficta, omnem oſtendens manſuetudinem ad omnes homines, cum omni humilitate & patientia, ſupportans omnes in caritate cum omni ſollicitudine, ſeruans vnitatem Spiritus in vinculo pacis, ſeipſam dans formam ad imitandum in omni virtute, vt ſectarentur iuſtitiam, fidem, caritatem, ſicut ipſa ſectabatur & æmulabatur ſpiritalia, magis vt humilis eſſet; nec quaſi in religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans, ſed manſueta erat ad omnes, & præoccupatos in delicto, ipſa quæ ſpiritualis erat, inſtruebat in Spiritu lenitatis, abundantiùs illos habens in caritate propter bonum illorum, & omnes in ſua viſcera ſuſcipiens, ita vt omnes gaudium magnum haberent & conſolationem in caritate eius, & viſcera Sāctorum requieſcerent per illam; ſi qua enim conſolatio in CHRISTO, ſi quod ſolatium caritatis, ſi qua ſocietas Spiritus, ſi qua viſcera miſerationis, in MARIA, quæ implet gaudium omnium, verè induta ſicut electa Dei Sancta & dilecta, viſcera Miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, conſolans puſillanimes, ſuſcipiens infirmos, patiens ad omnes, cognoſcens quæ circa miſeros peccatores, & conſolans corda eorum, facta ſicut paruula in medio afflictorum, tanquam ſi nutrix foueret filios ſuos, ita deſiderans omnes & cupidè volens tradere, non ſolùm auxilium & gratiam, ſed & animam ſuam, quoniam cariſſimi illi facti ſunt redempti in CHRISTO IESV: verè enim *erat & nunc* eſt Mater miſericordiarum, & Mater totius conſolationis, quæ conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, & eos qui in omni preſſura ſunt; & ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per MARIAM abundat conſolatio noſtra *ex CHRISTO*. Et cùm altiſſima eſſet paupertas eius, cui alioqui omnia ſubiecta eſſe debebant, præter eum qui ſubiecit ei omnia, in miſericordia tamen diues erat propter nimiam caritatem ſuam, qua diligebat nos, & oſtendebat

abun-

abundantes diuitias gratiæ, in bonitate ſuper nos in CHRISTO IESV, ita vt paupertas eius abundaret in diuitias ſpiritus, & abundantia eius *eſſet* noſtræ inopiæ ſupplementum. Verùm cùm in omni plenitudine ſuperabundaret MARIA, caritatem tamen in Deum ſuper omnia habebat, quam excellentiorem viam etiam alijs demonſtrabat, neq; enim linguis hominum & Angelorum ſolum loquebatur, neq; Myſteria omnia ſolùm noſcebat, aut habebat omnem ſcientiam & fidem, ita vt montes transferre poſſet, ſed æmulabatur chariſmata meliora, & ſuper omnia ſectabatur caritatem, in pace Dei quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiens cor ſuum & intelligentiam ſuam ſemper ambulans in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit eam, cui ipſa per omnia aſſimilata *erat*, non ſolum ſpiritu ac mente, ſed etiam corpore, Imago Dei viſibilis, ita vt vita IESV manifeſtaretur in corpore eius, in cuius vultu de die in diem renouabatur, ita vt corpus humilitatis ſuæ, quodammodo configuraretur corpori claritatis filij, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam, in menſuram vniuſcuiuſq; membri, argumentum faciebat corporis CHRISTI, cuius ſicut mortificationem, ita & gloriam circumferebat in corpore ſuo, *quam cum Dionyſius vidiſſet* non potuit intendere in faciem, ſed obtuſus eſt ſenſus eius propter gloriam vultus eius, *exiſtimans Deum eſſe niſi aliter doctus fuiſſet*. Multo autem magis ſimilis animo, ſecundum operationem, argumentum faciebat in ædificationem ſui, in caritate Dei & CHRISTI filij ſui, propter cuius opus vſq; ad *mortem* acceſſit, tradens animam ſuam, & vnigenitum ſuum pro peccatoribus offerés ad deſtructionem peccati, per hoſtiam ſuam *id eſt per filium ſuum* apparuit. Et quemadmodum Chriſtus debuit per omnia fratribus aſſimilari, vt miſeriores fieret, & fidelis Pôtifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi: ita ipſa nobis compaſſa eſt, & compatiebatur infirmitatibus noſtris per omnia, pro ſimilitudine abſq; peccato, & cùm eſſet Mater Chriſti, didicit ex ijs quæ filius paſſus eſt, & facta eſt omnibus ſibi optemperantibus *poſt filium* cauſſa ſalutis æternæ. Propter quod verè eſt Mater omnium, pro nobis vigilans *& orans etiam nunc* in omnibus laborans, vt nemo ſit tam ſincera affectione pro nobis ſollicita, verè opus faciens Matris, habens nos in corde & cupiens in viſceribus IESV CHRISTI, habens dilectionem in Sanctos omnes, & qui per ipſam erepti ſunt de poteſtate tenebrarum, & tranſlati in regnum filij dilectionis ſuæ, in quo habemus remiſſionem & redemptionem peccatorum, ipſa enim gratificat nos dilecto filio ſuo, in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, & remiſſionem peccatorum ſecundum diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in MARIA, & quam effudit in nos abundè per MARIAM, vt iuſtificati gratia ipſius hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ per MARIAM. En verò Meſſanenſes, habetis in tanta virtutum copia quid imitemini, plura dubio procul quæ admiremini, nec ſi nos aliquantum effluimus, omnia quæ de MARIA dici poſſent tenemus, ſolus ille nouit ad numeros, qui rerum omnium rationes in manibus ſuis deſcripſit, in vitæ libro conſignauit; quin potius ſi præpedito calamo reſtricti ſumus, maiora nihilominus, incitatis ad ſanctitatem animis ſpatia commonſtramus. Vnum duntaxat verbum, quod eſt IMITAMINI MARIAM, ſi pluribus verbis non toto nucleo curſim euoluimus; accipite quattuor alia, quibus idem ille cæleſtis Apelles, qui ex puriſſimis ſanguinibus in vtero MARIAE, filium Dei, rerumq; omnium ac humanæ ſalutis ingentia Sacramenta, exiguo ſanè ſpatio depinxit: ita Dei Matrem ipſam velut quatuor lineis æqualibus, in omnem Myſticæ Sanctitatis elegantiam, ad perfectiſſimum quadratum adumbrauit. Matrem ſcilicet eſſe *pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis & ſanctæ ſpei*. Atq; in his, omnium quæ hactenus diximus vberrima quædam explicatio, cogitatu potius quàm verbis ducenda eſt, eoq; tandem deſinendum

Digitized by Google

rendum quod ipſe dictorum fert animus, hoc eſt Imitamini MARIAM Matrem veſtram Meſſanenſes, generationibus eius adimplemini. Si Mater eſt pulchræ dilectionis, diligite cæleſtia, caduca deſpicite, ſempiterna cogitate, ſcientes quia benedictam habetis à Virgine Ciuitatem, ſed non permanentem, futuram inquirite. Si Mater eſt timoris, iuſtitiam colite, noxas repellite, ſecunda ſagaciter, aduerſa patienter accipite, præteritam gloriam ex incertis futurorum pendi tote, rerum euentus omni tempore ſuſpectos habentes, humilitate mentes vallate, defluentem ad inania libertatem animorum timore ſancto coercete. Si Mater eſt agnitionis, grati eſtote, beneficium protectionis, innumeris donis, honoribus ac prærogatiuis, victorijs ac triumphis, malorum omnium auerſione, deniq; rerum omnium ad vota fluentium felicitate cumulatum, gratiæ tantæ protectricis acceptum reponite, ſtudia quoq; vana, damnoſum otium, vtili ſalutarium cogitatione redimite, turpe ſemper exiſtimantes, qui viam veritatis Paulo quondam oſtendente agnouiſtis, ad inania mentes, meliorum ignoratione deflectere. Si deniq; Mater eſt ſanctæ ſpei, non temulenta quadam fiducia, quaſi ſatis ſit ex Epiſtola Virginem habere protectricem, eoq; audere omnia, vel temere præſumere, quæ alioqui apud ipſam in qua poſt Deum omnis ſpes vitæ & virtutis, ex virtute momentum habent; animati ſunt apices Epiſtolæ, protectionem promittunt, benedictionem loquuntur, ſed dignis Virginali gratia Clientibus, quorum pectora virtutum amor oppleuit, religio Deiparæ mentes ſaginauit: neq; enim incantata, ſed pijs inflexa votis (quod de Mineruа dictum) venit Virgo. Matrem ergo pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis & ſanctæ ſpei, hoc eſt quod iterum Verbo dixerim, MARIAM Imitamini Meſſanenſes. Quos ego demum peroraturus, lectis vt ante ex Apoſtolo veſtro ſententijs, vnaq; meipſum cohortabor. Si MARIAE data ſunt omnia à Deo, non ſecundùm menſuram, ſed ſecundum plenitudinem, habentes nos tantam impoſitam nubem teſtium virtutum, ac prærogatiuarum MARIAE: Si per MARIAM in hac vita *exemplo ſuo* reformamur in nouitate ſenſus, vt non conformemur huic ſeculo, ſed probemus quæ ſit voluntas Dei beneplacens & perfecta: Si per MARIAM ad agnitionem veritatis peruenimus, per quam & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus: Si per Mariam voluit nos CHRISTVS reconciliationem accipere, vt ſicut per vnam mulierem peccatum in hunc mundum introiuit, & per peccatum mors, & in omnes homines pertranſijt; ita per vnam veniret gratia, regnauit enim mors ab Eua vſq; ad MARIAM; Si MARIAM dedit CHRISTVS Matrem ſuper omnem Eccleſiam quæ eſt corpus eius, plenitudo eius: Si in MARIA abundantiùs volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus, immobilitatem conſilij ſui, interpoſuit iuſiurandum vt per duas res immobiles quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, per CHRISTVM *ſcilicet & MARIAM* fortiſſimum ſolatium habeamus, quam ſicut anchoram animæ habeamus tutam ac firmam: Si in nomine MARIAE omne genu flectitur Cæleſtium, terreſtrium & Infernorum, & omnis lingua confitetur, quia MARIA eſt in gloria Matris Dei, quam CHRISTVS conſtituet ad dexteram ſuam in Cæleſtibus, ſupra omnem principatum & poteſtatem, & virtutem & dominationem: Si poſtremùm MARIA amat nos, & omnes in ſua viſcera ſuſcipit, ita vt in eius corde ſcripti ſimus non attramento ſed Spiritu Dei, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus, cordis Virginis Matris! Adeamus cum fiducia ad hunc thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in tempo-

eſſetis illi in filios & filias. Inde vocarunt poſteri Ciuitatem veſtram Ciuitatem Virginis,& ſalutem muros veſtros,& portas veſtras laudem, quæ die ac nocte non ſunt clauſæ vt adducerent ad vos opes Gentium. Pro eo quod in Gentilitate fuit erroribus plena & exoſa, reddita eſt clara in perpetuum, & læta in omnem poſteritatem. Populus veſter, flos plantationum Virginis,opus manuum eius vt glorificetur, minimus erit in mille,& paruulus in gentem fortiſſimam. Quæ ſi nondum omnia vidiſtis Meſſanenſes, Dominus accelerabit tempore ſuo propter MARIAM. Ille enim rerum ac hominum ſator cuius nutu atq; imperio ſola terrarum firmantur poſitæq; ſunt Vrbes, atq; à principio inſtitutæ Ciuitates, ſeruabit ſpero Meſſanam incolumem atq, florentem,ad vtilitatem Chriſtianæ Reipublicæ, cui ſemper ipſa ab ebrenta Virginis protectione, fidem incorruptam præſtitit & inuiolatam. Aderit etiam votis ipſa Virgo ex fideli promiſſione Patrona,cui Ciuitas electa nunquam deſinet eſſe grata & gratioſa,Diuiq; omnes Cælites,ſed quos præſertim virtus,pietaſq; & merita præclara,Dei Maximi fauentis accedente beneuolentia,ac liberalitate,ex hac Ciuitate in Cælum euocarunt. Hi ſuo numine præſentes atq; auxilio ſuo templa Vrbis atq; tecta defendent, peſtilentiam, famem, egeſtatem, barbararum nationum vim bellaq; auertent, variaſq; cæli fortunæq; iniurias longè à Ciuibus prohibebunt. Hos Meſſanenſes Patria Religione venerari ac implorare nunquam deſiſtetis, quò Vrbem veſtram, quam Deus ac Deipara Virgo pulcherrimam & florentiſſimam eſſe voluerunt, ipſis deprecantibus ſaluam ſemper & incolumem, omnibuſq; propulſatis periculis videatis conſeruatam. Sed etiam Ignatius Patriarcha tot iam Vrbium tutelaris inter Diuos adoptatus, benignioribus in Meſſanam inflexis oculis, pro ſalute Reipublicæ veſtræ Cælo ſanctiſſimè nauabit; vt quam ille ſuæ pridem Religionis arcem eſſe deſignauit, mittendis ſcilicet ad Orientis oras ſuppetijs,quæ interclusam Euangelio viam aperirent opportunam,explicata Deiparæ latius benedictione, hac quoq; gloria florentem cernat Orbis, nec minori ex parte religionis domi cultæ,quàm ad Gentes exportatæ laudem Meſſana ferat, idq; imminente ferè gratiarum eſtate, qua maturæ iam apud Abyſſinos, operante Ignatio cum ſuis, Euangelij meſſe, reſtrictis ex hoc falcato portu viarum flexibus, idonei legendis falcarij ſegetibus, mitti opportunè queant ac Propheticum illud, Aethiopia præueniet, hoc eſt (vt Hieronymus legit) præmittet manus ſuas Deo, exporrecto ad opem Littorali Meſſanæ brachio, cæptum impleri, Catholica regna mirentur, Cælum ipſum gratuletur. Hoc ſanè decus ſi ceteris honorum prærogatiuis accedat, aureo titulorum annulo gemmam,ornatiſſimo Regni Capiti nouam addet Coronam, deniq; priſcis virtutum inſignibus, raram ſine precio religionis periſcelidem circumponet.

Digitized by Google

ATQVE hoc tandem loco laſſa manus currentem calamum ſiſtit; hic traducendus ad tabulam calamus punctum figit, tibiq; Virgo Sacratiſſima Scribentis animus pridem ſacer, votum pendit. Si reſpondi, tu ſuffeciſti, manuſq; rurſum vectigales obſtrinxiſti: ſi minus, defeciſſe non pudet, quis enim obſequijs par tuis? Mihi fauor eximius ex te eſt, voluiſſe tibi placere: feciſſe aliquid, ingens gratia; non potuiſſe omnia, laus ſumma. Quam ergo pingere nequiui, mirabor ex Epiſtola diuæ manus, vultus, animiq; imaginem, hoc venia dignus, quòd qui dignè te celebret, inter mortales vnus non eſt; neq; enim ex caducis formis quemadmodum Homericæ illius feminæ rea venuſtas, ſed ex archetypo diuinitatis pulchritudo tua Cælo mirabilis, eſt euoluenda. Ceteris vt placeam poſtrema cura; qui carpit, enitatur ipſe, nec ſerò Nemeſim linguæ feret, qui meliora affectat, meridiationes tempori aſtrictas, non lucubrationes ad Epicteti lucernam euigilatas, nec me accepiſſe, ſed alijs lampada primum tradere, noſſe debet: qui demum aliqua probat, nemo certè vniuerſa damnabit, tuæ Virgo Beatiſſima pietati ferat acceptum, mihiq; per te Matrem Miſericordiæ, gratiam apud Deum, qui laudibus tuis os peccatoris infrænauit, precibus ſuis opportunam paret.

Digitized by Google

TE MARIAM laudamus; te Dominam conſitemur.
Te æterni Dei Matrem; omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli: tibi Cæli & vniuerſæ Poteſtates.
Tibi Cherubim & Seraphim; inceſſabili voce proclamant.
Sancta, Venerabilis, Admirabilis, Mater Domini Dei Sabaoth.
Pleni ſunt Cæli & Terra, fæcunditatis Virginitatis tuæ.
Te glorioſus Apoſtolorum Chorus,
Te Prophetarum laudabilis numerus.
Te Martyrum candidatus honorat exercitus.
Te per Orbem terrarum Sancta confitetur Eccleſia.
MATREM immenſæ Maieſtatis.
Venerandum tuum verum, & vnicum Filium, ex Sancto conceptum paracleto Spiritu.
Tu Regina Gloriæ MARIA.
Tu Patris ſempiterni Filij, es vera genitrix; cui ad liberandum ſuſcepturo hominem, exhibuiſti Virgineum vterum.
Per ſemen tuum deuicto mortis aculeo, aperta ſunt credentibus Regna Cælorum.
Tu ad dexteram Filij ſedes, in gloria Matris, cum Filio Iudice crederis apparitura.
Te ergo quæſumus, tuis deuotis ſubueni, quos Filius tuus pretioſo Sanguine ex te ſuſcepto redemit.
Æterna fac cum Sanctis Dei gloria munerari.
Saluum fac populum tuum Domina, & benedic hæreditati Filij tui.
Et dirige eos & extolle eos vſq; in conſummationem ſeculi.
Per ſingulos dies benedicimus te.
Et veneramur nomen tuum in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.
Dignare Domina die iſto, ſine peccato nos cuſtodire.
Miſerere noſtri Domina, miſerere noſtri.
Fiat miſericordia tua Domina ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te.
In te MARIA poſt Deum ſperaui non confundar in æternum.

Digitized by Google

APPENDIX OPERIS

IN IPSA VIRGINIS EPISTOLA INITIO.

NE ipſum operis veſtibulum aliud oſtendere videatur, quàm penetralia rerum & argumentorum, Lector animaduertere debet, in titulo Virginalis Epiſtolæ, quod in pluribus exemplis habetur *Dei Humillima, IESV CHRISTI Crucifixi Mater*, in nonnullis ſat vetuſtis, explicatiore quadam oratione legi, *Humillima Dei Ancilla, CHRISTI IESV Crucifixi Mater*: Nos vulgatiorem in fronte, & in ipſo vt ſic dicam pectore, extare voluimus, vtramq; tamen lectionem in ipſo operis inceſſu ſubinde ad explicationem adhibuimus. Et quidem poſtremus hic ſenſus, magis videtur ad mores Virginis & vſitatum ab ipſa in Scriptura modum loquendi accommodatus: prior tamen & Myſticus eſt, & ſecundam implicita quadam ſignificatione continet.

Nam cùm futuri eſſent, qui MARIAM Matrem Dei negaturi erant, conueniens fuit, vt ipſa Magiſtra Eccleſiæ à filio relicta, recens conuerſos ad fidem Meſſanenſes, eam veritatem edoceret, quam poſt ſecula, ſub ipſa cùm Hæreſi pugna Eccleſia quoq; vniuerſalis decretura erat; quis ſcit an non occaſione, vel etiam argumento, ex hac ipſa Virginis Epiſtola, quemadmodum oſtendimus, ad inſtructionem introducto. Eam tamen in ea oratione Virgo ſeruauit moderationem, vt docere ſimul, & confiteri, non verò ſeipſam vana quadam iactantia videretur inuulgare; & ideò prorſus eximiæ præfatione modeſtiæ, Dei humillimam & IESV CHRISTI Crucifixi Matrem ſe appellat, vt & ipſa verè Mater Dei, & præterea Deus idem IESVS CHRISTVS Crucifixus, vnà Dei Virginiſq; filius, altiſſimo ſanè Myſterio crederetur.

Nec aliud Paulus docuiſſe putandus eſt, vt ad vnguem titulus Epiſtolæ cum reliquo corpore conueniat. Nam quod in Epiſtola dicitur. *Filium noſtrum Dei genitum, Deum & hominem fatemini*, hoc in titulo, verbis paulò aliter poſitis, ſenſu minimè verſo continetur, vt inſcriptio videri poſſit argumentum doctrinæ, & confeſſio Deiparæ, confirmatio prædicationis Apoſtolicæ.

In

In CAP. XLVII. pag. 285.

INter teſtes pro Epiſtola Virginis ab auctoritate laudatos,recenſeri debet,qui ſeriùs ad manus noſtras Antonini tandem Amici gratia venit, Thomas Tamaius de Vargas, eruditorum gradu, ſicut monumenta loquuntur non indignus. Hic,in opere Madriti nuper in lucem miſſo, cùm in primis pro Flauio Lucio Dextro depugnat acriter, ea ſcilicet occaſione quam ipſe pagina ſecunda narrat, arrepta diſceptatione, tum deinde pagina ſeptuageſima tertia, ſed præcipuè centeſima tertia,pro Epiſtola Virginali, ſingulari ex induſtria Marte decertat;vt hac ſemel aſſerta, putatam ab alijs nouitatem, antiquitate ſuæ religionis conueſtiat, maioremq; inde fidem Dextro ſufficiat.

Anno 1624 per Petrũ Tazum.

Ducit verò hic auctor inter alia militare argumentum, ab Epiſtolis Virginis ad alios ſcriptis, ab auctoritate Caniſij, deniq; à limatis ſapientum iudicio rationibus & coniecturis. In eo tamen ad partes non accedit, quòd Deiparam, octauo & quadrageſimo ſui Nati anno, Cælo receptam ex Euſebio velit, eoq; ſubſignatum in Epiſtola quadrageſimi ſecundi characterem,loco ſuo poſſe conſiſtere.

Ceterùm in Hiſpanijs haud parum momenti ad veritatem facere putat, exemplar illud Epiſtolæ, quod Marchio Villenæ, Siciliæ quondam Præſes in paucis eximius, ſingulari à ſe pietate ſeruatum, inde ſecum detulit, hodieq; natus eiuſdem, paternæ virtutis hæres, debito venerationis erga Deiparam obſequio, Sanctum habet, religioſè colit;vt hinc quoq; friuolæ quorundam Anonymorum eleuentur rationes, qui ex auctoritate Franciſci Caſtrij,Proregis item Siciliæ, neſcio quid ex tempore dicentis,ſuæ inanitati ſtatumina faciebant.

In CAP. XLVI. pag. 363.

DE Imagine Diuæ Virginis à Scala nuncupatæ,ita diſſeruimus, vt hanc putaremus Hodegetriam Pulcheriæ, ſaltem in exempla ſub initio propagatam, ac ſiuè ab ipſo Euangeliſta Luca, Notario ſimul ac pictore Deiparæ,ſiuè à quouis alio tempore citimo,diuerſiſq;ſubinde à Myſterio notis inſignitam: neq; id temere factum, rationes ad amuſſim rerum ductæ ſatis oſtendunt. Sed enim Meſſanenſium rerum experientibus ac curioſis,in mentem fortaſſe veniat oſcitanter à nobis omiſſam eius Imaginis memoriam, quæ in ipſo Sacello diuali Epiſtolæ ſacro,ſumma omnium religione ad aram proſtat, & hiſtoriæ partem iure petit, non tantum vno vel altero verbo mentionem interiectam. Is verò cogitet à Diua de Scala porrectum nobis argumentum,in huius quoq; explicatione,tametſi non explicatis verſatum fuiſſe nominibus: id ſi tum intento in alia calamo non obuenit, menti tamen ita inſedit, vt illuminatis à varia primùm lectione laboribus, huc tandem coniectum vellemus.

Ὁδηγήτρια.

Itaq; norit Diuam à Scala,non aliam eſſe quàm quæ Hodegetria Græcis, eademq; Gorgoepecoos dicta fuit, pluribuſq; alijs vocabulis à varijs rerum euentibus appellata: nec ſcitu facile,quæ vetuſtior eſſe queat appellatio,quando pro hominum genere ſatagente ſemper Deipara, nullum non inſigne nomen quouis tempore neceſſe venit. Nam quòd Hodegetria (vulgò Itria)quondam vocata fuit, non ex eò ſolùm, quòd quemadmodum narrat Vincentius Beluacenſis, duobus pia Mater apparens cæcis, eos ad ſuam Eccleſiam deduxerit ac luce donarit, ex quo factum,vt duo plerunq; ſeniculi, baiulantium inſtar, in vulgatis hinc inde viſantur picturis; quando

Lib. 25. Spec Hiſt. cap. 147.

longè

longè ante Pulcheria Baſilicam illi Virginis Imagini conſtituente, nomen illud tulit Hodegetriæ, ſiuè à Via Regiam appetentium, ſiuè quia Ciues ex eius religione, fortunam vt eſt in prouerbio, velut Cælo tenus ſcanſilem experti, iccircò etiam Scalam appingere ſoliti eſſent, ſiuè deniq; certiori veritatis ac religionis teſſera, quòd Virgo Sanctiſſima, quemadmodum diximus, vnica poſt Deum in patriā via deduceret, Cæliq; Scala eſſet, Myſteriosam hanc notam, vel a primis Eccleſiæ natæ faſcijs voto fidelium ſuſcepiſſet.

Nam quòd ex eo tempore maximè non vno loco Deiparæ Templa, Scala Cæli nuncupata, ſurrexerunt, quo S. Bernardus ad tres in Vrbe lacteos fontes Sacris pro Defunctis operatus, Scalam vidit animabus in Cælum deducendis exporrectam: non ideò putandum, ignotum ante in Iconibus Virginis Scalæ fuiſſe characterem, ſed Myſterium vbiq; terrarum in Oriente præſertim inuulgatum, illa quòq; ſignificatione diuinitus extitiſſe ſignatum; vt non vno titulo Deiparæ fauor mortalibus explicatus, illo maximè Symbolo quod à Virginis prærogatiuis palmarium erat, vniuerſæ ſumma gratiæ conſiſteret. Certè enim quæ Albæ, Regia Pannoniæ Ciuitate, ſumptuoſo propter Orbis miracula Templo, Deiparæ quondam Imago viſebatur, ſi Hodegetria fuit, Pannonijs tamen à Scala nomen ſuum multis ante ſeculis è Græco tulit: Climagdam eam vocitabant, vt auctor eſt Ioannes, ſiuè is ſit Georgius Bornemiſſa Strigonienſis, corrupta ſcilicet appellatione, quæ genuino vocis ſenſu Græcis Scalam edit; vt non inanis inde coniectura cuipiam inceſſat, inſignem illam apud Saxones Ciuitatem Virgini Sacram, quæ Latinis Græca formatione Parthenopolis dicta, deſciſcente in corruptam Scalæ Græcanica appellatione, Germanis Magdeburgum nominatam. *Onuphrius de ſeptem Eccleſ.* Κλίμαξ.

Ceterùm hanc eandem eſſe quæ Sacellum Meſſanenſe beat, etſi nullus character, res ipſa planè docet. Hodegetria quippe eſt, eademq; Lucæ manu creditur effecta, quod vt non aſſero mordicus, ita nec libenter inficior: Ille ſanè in genuinis ad Lucę penicillum lineamentis grauis aſpectus, & auguſta quędam Maieſtas vultus, neſcio quid Sacrum oſtentat, vt tanti viri opus haberi queat. Nec abnuo ſi dubites eandem proximè eſſe Hodegetriam, quę Pulcherię culta fuit, id enim ſentire ſuadet religioſa quędam vetuſtas carierum expers, & in vultum gratia, verenda quadam grauitate immiſſa, quę cum ęquè trahat ac verberet intuentes, renidet tamen in fauorem facilis, vt ſi formę argumentum res ipſa non eſſet, ex forma cognomentum Gorgoëpecoos aptè inſideret. Eſt enimuerò Virgo ſemper velox ad audiendum, celer ad iuuandum, formidabilis & acer ad defendendum. Id ſi vnquam, profectò quoties è re Meſſanenſium fuit: benignè initio Legatos accepit, confeſtim audiuit, celerrimè reſpondit, gratioſam ſe obtulit, nunquam recurrentes morata, ſemper opportunè iuuit, acerrimè contra hoſtes, formidandaq; ſpecie tutata eſt, vt huc referri poſſit illud Atrebatenſi Comiti nocturnè ingeſtum, quo *Femina grauis aſpectus* pro Meſſaneſibus rem gerens, bellat. res ſuos captiuos agere viſa fuit.

Ac quemadmodum Hodegetria Conſtantinopolim non vno diſcrimine exemit, Ciueſq; malo ac metu, manifeſtiſſimis ſignis liberauit: ita deinde fortunam omnem ad Meſſanenſes deuoluiſſe, pericula Meſſanenſium, itemq; ſeruata ſalus atteſtatur, vt non vana ſit coniectura, diſpoſitu Numinis, exceptum ab archetypo vultum, permutatione quadam, Pulcherię munere Meſſanam aduenisſe, nec minus in pignus & vicem Epiſtolę, quàm in Ciuitatem Archadiano decreto Conſtantinopoli exæquatam, atq; adeò Conſtantinopolim alteram conceſſiſſe. Certè ad id egregiè ſuadendum, non inane robur habet communis illa totius Europę religio, qua noſtra hæc Hodegetria, pleriſq; S. MARIA Conſtantinopolitana, eademq; Siculorum, dici

dici conſueuit, quod, vt innumeras Vrbes omittam, Romanum in primis inſigne ſuo Templo monumentum docet.

Atq; ex his omnibus liquidam habet illa quoq; cogitatio cauſam, cur Sacello Epiſtolæ dicato, Virginis iſta Imago vetuſta religione inſedit: cur Meſſanenſibus Diua de Scala ſemper in vota vocata, Gorgoepecoos aliquando vix audita? Quippe vna communis vtriuſq; religio, nec impar in vota ſubſidium, ſed illi inopinè aduectæ miraculum auxit opinionem, quam ab iſta nunquam tulit; nomen iſti ſi antiquum, non antiquè tamen appoſitum, vulgò Virginis ab Epiſtola datum cognomentum; aduecta hoſpes non tam fama & religione, quàm Ciuium oculis Imago, ſeruat impertitum honorem non fraudato alterius cultu; quin imò creſcente in dies vtriuſq; Sanctitate, par religio manet alteram ex altera glorioſam, eademq; in diſtinctis ob varios euentus & exemplis & characteribus Vrbium, ac nationum cultu ſemper Imago ſacra fuit.

Reſtat verò vt quemadmodum de aduecta Diuæ de Scalis Imagine, de Gorgoepecoo nonnihil in medium afferamus. Hic enimuerò cæca Scriptorum veſtigia, ſed quibus ne Tabularia quidem Vrbis lucem dedere, quod rerum viciſſitudo, religione tantum ſalua, memoriam primam funditus vertit. Vnus, quod ſciam, Bonfilius inuulgauit, opinione ferri, Lucam pinxiſſe; qua tamen occaſione Meſſanam acceſſerit, altè ſilet. Qui ab Hodegetria Pulcheriæ vetuſtiorem putet, crediderit opinor, Antiochia primùm miſſam, quo tempore Petro cum recenti Chriſtianitate nauante, quàm plurima in Orbem emiſſa Myſteriorum, picta, celataq; ſigna, inter ceteras Europæ Vrbes Meſſanam quoq; tam inſigni munere felicitarunt. Nec nemini extra gregarios inceſſit, Carthagine primùm huc allatam dono Sarracenorum, quibus ex pacto Meſſanæ mancipium ante datum, fuiſſe verò eam, quam Iuſtinianus in Carthaginenſi Templo Deiparæ à ſe dicato, ſumma cum religione condiderat, ſeruatamq; poſteritas non vno ſeculo ſanctè coluerat. Id verò, niſi certius aliquid appareret credibile videri poſſet, Vuandalis præſertim & Arianis vel antea pulſis à Iuſtiniano, vel ab eius exceſſu, non peiore mortalium genere Africæ Regno denaſcente.

Lib. 2. Meſſan.

Certè apud Sarracenos, quàm apud Hæreticos, religionem, Diuorum ſimulacris maiorem eſſe, nemo Catholicus ignorat, ſed & ipſi gloriantur, hac in parte ſibi cum Sarracenis, vt ad Iudæos accedant minimè conuenire; hoc fortaſſe Iudæis etiam peiores, quòd hominem vltra Barbaros exuti, non duntaxat in Imagines, ſed in Diuorum corpora, Sacraſq; exuuias, inhumana prorſus immanitate deſæuiant, Puritanos maximè loquor, Caluiniſtas, & eius farinæ perditos homunciones, quibus nihil vnquam in religione viſum eſt ſanctum, niſi quod vltra omnem barbariem ad feritatem belluinam accederet, imò & hanc ſuperaret. Ac vt vetuſta mittamus, ſatis vulgatum eſt inhumanum illud facinus, quod recepto à Turcis in Hungaria Strigonio, nonnulli in exercitu, mente & œſtro pluſquam diabolico perciti nebulones Hæretici, in Sacras Diuorum, ſed præcipuè Deiparæ Virginis effigiem ſceleſtiſſimè perpetrarunt, vt ea immanitate audita, perculſus in Vrbe Clemens Octauus, lacrymis ingenti dolore obortis, ac pectore zelo incandente, coram Legato primùm Cæſareo, deinde vniuerſo purpuratorum conſeſſu, nefarium ſcelus ardentiſſima oratione ſit deteſtatus: habitam videlicet à Turcis per annos quinquaginta duos, quibus illi Ciuitati imperaſſent, Sacris Imaginibus & libris in æde Cathedrali ſanctitatem & religionem, & fuiſſe inter eos, qui ſe Chriſtianos dicunt, aliquos, ea vel inferis execranda immanitate, qui contaminatis ſuper omnem impietatem manibus ac animis, adeò ſceleratè diuas illas Imagines infando penitiſſimè ludibrio deformaſſent, dehoneſtaſſent. Hic ſcilicet Hæreſum fructus: ex quo facile diſcas, quid facturi forent, nouarum iſti doctrinarum

Cæſar Campana Lib. 15. Hiſt. ad an. 1595.

Digitized by Google

ctrinarum barbari, ſi vel Crucem Sanctam, vt Choſroas, vel cętera Paſſionis Chriſti inſtrumenta, quæ Conſtantinus aliiq; Catholici Principes in honore habuerunt, hodieq; colunt, in nefariam poteſtatem aſſererent. Et qui exhumata Diuorum corpora, ſcelerate non minus, quàm ſtolidè lata ſententia flammis tradiderunt, an tantùm ſe demiſſuri ſint animis ab humanitate longè poſitis, vt Neroni duntaxat, Diocletiano, vel Iuliano ceteriſq; id genus velint exæquari, & non ſuperiores longè haberi, quippè qui Sanctis Imaginum, ac religionis ſignis exoſis & peroſis, characterem immanis illius beſtiæ ſub finem mundi rebus humanis inſeſſuræ, iam pridem in fronte gerant.

Verùm hæc incidenter, eò dicta ſint, quò probabilius putetur, à Sarracenis, quàm ab Hæreticis conſeruatam Diuæ Imaginem, ſi cetera minimè vetent, ad Meſſanenſes quoq; potuiſſe dono concedere. Sed enim & alia cogitantibus opportunè ſe ſe ingerit opinio, qua proximè colliment ad verum, ſi putent, Iuſtinianum, innumeris Deiparę Templis, Regia planè munificentia conſtructis inſignem, vbi hãc quoq; Meſſanenſem Aedem à fundamentis extuliſſet, ea Virginis Imagine, ad Epiſtolæ animum egregiè alludente locupletaſſe, ſuæq; religionis perpetuum voluiſſe conſtare monumentum. Aliis tamen & hæc alia non coactè ſedet cogitatio; Comitem Rogerium, Cælo, terraq; clarum, de religione Virginis, vt vix alium, eximiè meritum; in Siculos vniuerſos, præcipuè tamen in Meſſanenſes, quorum opera, coronam & Regnum acceperat, vbi rerum potitus, hanc ipſam Cathedralem ingentibus auxiſſet beneficiis, ac ornamentis, ea quoq; Imagine dudum Imperatoris Græci dono comparata, caram ſibi Vrbem ac Aedem nobilitaſſe, à pietate memoriam ſibi, ſed maiorem Meſſanenſibus religionem ſuffeciſſe.

Habet verò non parum hæc cogitatio roboris ex pietate Rogerii, quæ ſi vnquam alios principatus, Regnum profectò Siciliæ, ſuis vacuum à beneficiis eſſe non permiſit; ac quemadmodum magnificis vbiq; Templis exornauit, ita Templa quoq; omnia muneribus apprimè dignis, ſed non vnum, Deiparæ Virginis Imagine ſuper aurum ac gemmas pretioſa decorauit. Hæc inter ſanè cenſeri poteſt, inſignis illa Platienſis in meditullio penè Regni, opulentiſſimæ Ciuitatis Aedes, MARIAE dicata, quam poſt exactos Sarracenos, pacemq; in Regno firmatam, illa Virginis Imagine, quam in vexillo, Pontificia Nicolai Secundi benedictione ſacro, miſſum acceperat, velut omnibus ingentium victoriarum trophæis in vnum congeſtis, nobilitauit; vt inde certiſſima religio manarit ad Ciues, auguſtam Dei Matrem, cuius auſpiciis ea bella confecit Rogerius, ſuæ quoq; Ciuitati ſemper fore propitiam, nec duntaxat in bellicis pro religione factionibus, verùm etiam in priuatis Ciuium, publicæq; rei neceſſitatibus, nec ipſi vni Ciuitati, ſed ceteris quoq; longè propè locis ſalutarem. Quod cùm hactenus haud vno miraculo teſtatum pleriq; norunt, communem ferè ac ſemper ratam Ciuitatibus vicinis, Platiēſis Virgo fecit religionem; vt quemadmodū Hodegetria Conſtantinopolitana, ſuum ad Meſſanenſes detuliſſe cenſetur omen, ita ſuam Rogeriana Virgo fortunam, & auſpicium ad Platienſes, ſed maiorem etiam in pace, Vrbis & agrorum felicitatem.

Et verò credi poteſt id præſtitiſſe Rogerium, vt quemadmodum Meſſanenſibus, impulſu quorum, religioſum illud bellum ſuſcepit, reſtituto ſuo vexillo, Virginem quoq; Hodegetriam dono dedit; ita Platienſibus expeditione proſperè confecta, rebuſq; pacatis, alterum [illegible] vexillum, religione Deiparæ, vultuq; ſacro inſigne, ſuæ monumentum pietat[illegible]riarum teſſeram auſpicatò condonaret. Hic quippe ſicut dum bello Sarracenico nauaret operam, continuò peropportunam habuit ſtationem, caſtra luſtraq; militum egit Rogerius, vnde & nomen habere Ciuitatem, quaſi

ab ar-

ab armorum foro militumq́; conuentu, malunt Ciues religioſi, quam Plotiam à Plutone, falſo copiarum numine, dici: Sic prorſus exactis Sarracenis, eodem in loco, victor (cum Virgilio dicam) cæſtus artemq́; repoſuit, è tholo ſigna ſuſpendit, deterſiſq́; militum ſudoribus, religionis cogitationem maiorem ſuſcepit, commoda Regni pietate perpetua ſtabiliuit.

Quæ omnia ſic à me dicuntur, vt meliori coniecturæ de adepta Meſſanenſium Hodegetria, quam ab Epiſtola ſacramus & vocamus, ſemper locum relinquant, vt hoc quoq́; gloriæ Virginis, & religioni Meſſanenſium accedat, occaſionem neſciſſe originis, ſapientum eruditionem inueſtigando fatigari. Quæ tamen induſtria, cùm noſtram à longè habeat tenuitatem, illud hic duntaxat ad aliorum coniecturas addimus; haud vanè cogitari diciue, rebus Chriſtianorum in Oriente ad occaſum relabentibus, Chriſtianis reditu ad auitas ſedes inſtituto, quacunq́; tandem occaſione, veniſſe ſanctiſſimam hanc religione Gentium Hodegetriam, & Meſſanæ ſua Ciuitate, priſcæ Clientelæ iure conſediſſe. Quæ tamen opinio ſi cuipiam ſancta videatur, non iam illam Pulcheriæ, quæ Andronico Imperatori, longè poſt, aſylum fuit: ſed quamuis aliam, haud minus auguſto quodam oris habitu, quàm antiquitate veneranda præcipuam, vt proximè Lucæ opus dici queat, Hodegetriam eſſe cogitare debet.

FINIS.

BIBLIOTECA ... ROMA

Digitized by Google

INDEX RERVM NOTABILIVM.

A

Aronis fronti litera inſcripta quid cum Epiſtola B. Virginis. 306.
Abagarus Rex Edeſſæ Chriſto Epiſtolam mittit. 363.
Abdias Babylonicus commendatur, & defenditur. 7. 8.
Abram quando mutauit nomen in Abraham 66. Annos natus 75. egreditur ex Haran, quid hinc myſterij 55. 66.
Acta Adriani 42. Pauli & aliorum Apoſtolorum & martyrum, ibid. Eadem deprauata. 244. Ignatij 114. Pauli credita Lini, probantur. 38. 43. Acta Martyrum, ad annos conſulares, mendoſa. 239. Acta Pilati quæ proba, quæ apocrypha. 71.
Admonitio, ſpeculum oſtendens turpe & pulchrū. 394. Debet fieri pro auertendo malo, & faciendo bono. 394.
Adrianus Chriſtianorum perſecutor. 38.
Aedes Cæſaraugustana prima totius Orbis. 9.
Aegidius Camart, quis, & quid de hac Epiſtola. 154.
Aegyptij B. Virginem cum infante à Hieremia docti colere. 366.
Aethiopia præueniet manus eius Deo. 403.
Aethna ignea flumina ſtagnat velum S. Agathæ. 386.
Africa, quot Vrbes habuit B. V. cultu florentes. 398.
Agrippæ teſtificatio de Chriſtianis. 80.
Agrippina hiſtoria 16. Eiuſdem depoſitum Moenis loco ignoto 350. Pellit Dæmones Moenis. 359. Facta Moenenſium Patrona. 350.
Alaimus Leontinus curam ſuſcipit Vrbis Meſſanæ. 343.
Albertus Piccolus laudatur 199. Scripſit de primatu Meſſanenſis Eccleſiæ. 215.
Alexandrina Eccleſia dicta Auguſtalis ab Auguſto 217. Antiochenæ prælata, cur ibid.
Alphonſus Manincongi Rex Victorioſus. 274.
Alphonſus Paleotus de Chriſti effigie quid 104. Inuenit vetuſtum exemplar Epiſtolæ B. V. 274.
Andreas Apoſtolus prædicat Chriſtum cum Maria. 7.
Anglia olim florens cultu Deiparæ. 391.
Animalia quædam ſine coitu generant. 23
Anna Mater B. V. vnde ſumpſit originem. 156.
Anna Regina Hiſpan. deuotio erga Epiſtolam. 81. 194.
Anni à Gentibus numerati à Deorū Natalibus 168. A Chriſto quando numerari cæpti, 66. A quo reſtituta talis numeratio, 167. Adhuc incerta 117. Cur B. V. in Epiſtola numerauit, 165. 166. 167. A Magis in Oriente, a Meſſanenſibus in Occidente inuectam eam numerationem, non improbabile. 167. A Martyrum quoq; Natalibus numerati 166. Hebræi vnde numerabant 101. Vnde Græci ibid. Anno Chriſti 46 Romana Sedes ſtabilita

Digitized by Google

biſita quomodo. 49. Sexageſimus tertius climactericus. 58. Quinquageſimus ſextus iniquior 67. Dictus climactericus Heroicus quare? ibid. Quadrageſimus nonus, & 81. etiam infeſtus. ibid. Sexageſimus ſecundus, inſignis affectus Cometa, tranſitum B. V. ſignantis. 55.

Anonymi argumenta contra Epiſtolam ex varijs capitibus. 86. 88. Præcipua quæ 115. Eius in Chronologia error. 190.

Antiochia Mater Eleutherij Martyrio coronata 228. Longè ante Eleutherium paſſa, eadem die celebratur. ibid.

Antiochenæ Eccleſiæ initium. 37. Ciuitas ingenti terræmotu liberata, quomodo. 162

Antoninus Viperanus quid de hac Epiſtola. 297

Antoninus Amicus quis 199. Varia manuſcrip. in lucem editurus. 355.

Antonij Duri Meſſanenſis mors præclara. 378.

Apollinis reſponſum de V. conceptura Dei Verbum. 12. Eidem ab Argonautis templum Athenis ſacrum. ibid.

Apoſtoli prædicato Chriſto etiam Mariam prædicarunt. 7. De Maria ſæpius verba fecerunt 6. Illis neceſſaria & ardua prædicatio V. 16. Quando & vbi templa ipſi, vel per alios conſtruxerunt, 10. Demorienti Virgini adfuerunt tam viui, quàm mortui probabiliter 57. 64. Quo anno Prouincias ſortiti 220. 221. Quocunq; ituri erant nonnullos præmiſerunt. 5. In ſcribendo Chriſtum & Mariam ſecuti 203. Ex Virgine diſcere aſſueti 2. Ea dictante ſcripſerunt. 112.

Apocalypſis quo tempore à Ioanne ſcripta. 159.

Apocryphus libellus Melitoni adſcriptus. 242. 243.

Apparitiones variæ Diuorum pro ſuis pugnantium. 347.

Appendix Operis. 487.

Aquilarum inſignia ab Hiſpanis venerunt ad Romanos 337. Quomodo conceſſerunt ad Germanos, ibid. Inſignia Imperatorum aquilæ an duæ, an vna biceps. ibid.

Archadij cum Bulgaris acre** conflictus 223. Tarentinorum & Brunduſiorum auxilium implorat 307. Supplex à Bulgaris inducias petit 323. A Meſſaneſibus non rogatis accepit auxilia, ibid. Eius lætitia ob inſperatam victoriam quanta. 328. Meſſanenſium fidē, & Conſtantiam collaudat, ibid. Illis gratias agit. 329. Cum iiſdem Conſtantinopolim nauigat. ibid. eiſdem auream Crucem inſigne donat 326. Multis muneribus & priuilegijs eoſdem ornat 329. Chryſobullam quæ prærogatiuæ continentur, impertit. 332.

Argumentum Romæ quando ſignari cœptum. 322.

Argumenta pugnantia circa tempus conſcripti à Dextro Chronici diſſoluuntur. 279.

Arnoldus Carnotenſis quid de MARIAE humilitate. 308.

Ariadenus Barbaroſſa terretur à B. V. 351.

Athenienſes ex Platone didicerunt reſurrectionem mortuorum. 13.

Attalia, quæ, in Actibus Apoſt. 95.

Auctores loquentes de Epiſtola B. V. ad Meſſanenſes. 281.

Auctoris ſententia de eadem Epiſtola 293. Eiuſdem ſcopus in ſcribendo hoc opere. 153. Conuerſio ad Ferdinandum Cæſarem ex fortuna Archadij. 324. Eiuſdem deprecatio. 404.

Auctoritas populi maior quàm vnius Scriptoris. 248.

S. Auguſtinus rebus à Virgilio ſcriptis mouebatur 152. Eius ſcripta in Hipponenenſi incendio non læduntur. 144. Vocatus ad Concil. Epheſin. morte præuentus non adfuit, ibid. Beatam Virginem ſcalam appellat. 367.

Auguſtus filio Dei aram in Capitolio voluit eſſe ſacram, 168. Saluti publicæ pecuniam imprimit, ibid. Romanos Græco, Græcos Romano ſermone voluit vti, 209. Cantabros ſub iugum miſit, 337. Caium adoptat filium, 56. Eundem, latum natalis ſui diem voluit celebrari, cur. 67.

Auſtriaca domus vnde initium ſumat ambigitur. 117.

Digitized by Google

B

Bacchus ex Iouis crure natus. 23.
Bacchi ſoliti lydorum Reges. 229.
Bacchylius, ſiue Bacchyrius, aut Bacchylus Epiſcopus à Paulo Meſſanenſibus datus. 80. 224. Idem qui Eleutherius 224. Eius Mater, & præceptor quis 225. Bacchyrius quid ſignificet. 229.
Bacilo quid. 229.
Barachiæ filius dictus Zacharias, cur? ibid.
Bartholomæi Petracij concio. 300.
Bartholomæus Apoſtol. primam Virginitatis Sacerdotem vocat Mariam. 7.
S. Baſilij obſcura de B.V. ſententia explicatur. 15.
Beda, profundum maris, de quo Paulus, carcerem fuiſſe putat. 296. Paulum 20. Maij nondum Melita ſoluiſſe ſcribit. 232. Indictionum vocabulum ex indicta lege ſcribendi deriuat. 101.
Bella à Meſſanenſibus proprijs auſpicijs geſta, quæ? 341.
Benedictio per ſignum Crucis vnde ſumat originem. 160.
Benedictionis formula in Epiſtola V. non ex formulis Pontificiarum literarum deſumpta ſed potius contra 160. 188. Superat Patriarchales & Apoſtolicas benedictiones 396. Explicatur per Patriarchalem benedictionem. Ibid. Eius virtutes & effectus. 162.
Benedictio in literis Pontif. a quo primum adhibita. 163.
Benedicendi vſum Virgo & Apoſtoli a Chriſto acceperunt. 159.
Benedicere non tantum Sacerdotum, & Pontificum. 159. 161.
Biennium expletum, in Actis cap. 24. quomodo intelligendum. 33. Expletum Romæ à Paulo. 46.
Blaſius Proto Antiſtes Meſſanenſis, Sacello B. V. conſtruendo primum lapidem ſacrat. 77.
Bonati de Chriſto crucifigendo temeraria ſententia. 67.

C

CAI Imaginem Iudæi in Templo ponere coguntur. 283.
Caius Oppius Chriſti mortem, & de B.V. primus Hiſpanis narrat. 283.
Cæcilius quis ſit 158. Super S. Ioannis Prophetias librum confecit. Ibid. Vatis nomen promeritus. 159.
Cœnobium Saluatoris Meſſanenſe multis olim abundans libris. 142.
Cæſar Baronius Flauij Lucij Dextri Chronicon non vidit 91. Negauit aduentum Iacobi in Hiſp. quem alias conceſſerat. ibid. Epiſtolam à B.V. ad Meſſanenſes ſcriptam tacitè apocrypham cenſuit. 94. Falsò illi imputata ſententia, circa tranſitum B.V. 51. Eiuſdem vera de eadem re ſententia 52. Quid ſenſerit de exceſſu Magdalenæ è Iudæa. 20.
Caligula Deus dici voluit. 149.
Calculorum error facilis, nec in vno hæret primus. 97.
Calocerius Incola Liparis, vidit Theodoricum merſum in ignem Vulcani. 356.
Cantabri primi Crucem pro inſigni tulerunt. 337. Eorum ſigna Cantabraria dicta. ibid.
Carolus Andegauenſis Meſſanam oppugnat. 343.
Carolum Magnum Germanum fuiſſe qui ſentiunt. 331.
Caſtor & Pollux ex ouo. 23.
Catanenſium religio in colenda ſua Ciue, S. Agatha. 78.
Catholica ſententia procul, nihil probare niſi S. Scriptura expreſſe dicat. 203.
Cauſæ mirabilium euentuum patebunt extremo die. 391.
Chaldæorum decreta vana circa mutationem decretorum, religionum, ſectarum. 391.
Charan quid ſignificet. 55.
Characteres ſuperſtitioſi damnantur. 383.
Characterum ſimilitudo apud Hebræos. 98.
CHRISTVS B. Virginem, plus quam cæteros Sanctos & totam Eccleſiam dilexit 65. Natus anno B.V. decimo quinto. 54. 55. Eius generatio ex Patre Deo, & Virgine Matre

Digitized by Google

ta ducta ex characteribus Lunæ, feria, litera Dominicalis 185. Cuius menſis ea fuerit Luna non explicatur, quare 186. Nihil continet a modeſtia Virginis alienum 147. Nō eſt diſſimilis ceteris à B.V. exaratis 119. Eſt ſimilis Epiſtola IESV ad Abagarum 42. 106. Collatio vtriuſq; 106. Non euertit mores temporum 154. Accommodata ad mores aliorum. 155. Nihil habet contra humilitatem 109. Titulus conuenit cum reliqua Epiſtola. 407. Quo tempore credi poteſt amiſſa 145. Cum ruinis Meſſana perire potuit 240. 242. Aeuo aut igne conſumi potuit. 194. Forte latens ſuo tempore lucem videbit. 143. Verſionem Græcam furto ſublatam ſuſpicio eſt. 197. Conuerſa in Latinum à Laſcari, publicè conſeruatur 192. Multis petentibus exemplar fide publica conceſſum 194. Varia exemplaria quid denotent 116. Defertur ad Hiſpanos à Marchione Villena 408. Eius virtute miracula patrata 147. 382. Id præſtat Meſſana quod Epiſtola Chriſti Edeſſæ 105. Multos à peſte liberat 362. Neſtorianam hæreſim confutauit 144. Eius lectione pleriq; mouentur 153. Qui præcipue non mouentur ibid. Contemptores diuinitus puniti. 384.

Epiſtola B.V. ad Ignatium veritas probatur. 113. Eiuſdem exemplar 114. Item ad Florentinos 112. Quæ nondum impugnata. 113.

Epiſtola Pauli ad Hebræos diuerſo ſtylo exarata. 120. Iacobi Canonica 152. Ab Hæreticis reiecta, cur. 163.

Epiſtola S. Leonis Papæ ad Carolum Magnum commentitia. 383.

Epiſtolarum varius modus ab Apoſtolis vſurpatus. 200. Notæ loci ac temporum interdum initio, interdum in fine poni ſoliti ibid. Diuerſis diuerſum argumentum. 119.

Equus geſtans Imaginem B. V. nequit progredi. 361.

Eratoſthenes Geometra anno 81. defunctus. 67.

Euangelij meſſis matura in Aethiopia. 180.

Euodij opinio circa annos B. V. 34.

Europa ſeptem regnis floruit cultu Deiparæ. 391.

Eutropius Auracenſis Epiſcopus. 10.

Excentricitas Solis in angulo vel Cardine quid ſignificet. 21.

F

Factorum inſignium calumnia, quæ. 332.

Fauſtinus, & Iouita ſeris obiecti. 38.

Felix Aſtolphus quid de hac Epiſtola. 292.

Fera manſueta erga Theclam Martyrem. 41.

Ferdinandi Cæſaris pietas, fortitudo, conſtantia ceteræq; laudes 140. 324. Eiuſdem ſors cum Archadij fortuna ſimilis. 324.

Feria ſexta Martiana Italis Sacra, cur. 68.

Feria vnde dicta, earum origo & vſus 176. 177. 178.

Ferreolus Locrius quid de hac Epiſtola V. 292.

Feſti & religioſi dies, ad quid? 257.

Feſtum cultum in Myſterij veritate fundari oportet. 252.

Fides & Conſtantia Meſſanenſium. 375.

Flauij Lucij Dextri Chronicon inuentum 275. Legitimum eſſe quibus ſignis conſtat 276. In Bibliotheca Fuldenſi fuiſſe oſtenditur. 264. Cur & quomodo Vuormatiæ latuit 273. Quo tempore ſcripſit 278. Eius ſtylus gracilis, cur. 279. Eiuſdem auctoritas 280. Eius laudes & acta ibid. Ex illo potius corrigendi Hiſtorici quam contra 276. 277. Aſſeritur à S. Hieronymo 275. Ab eodem relatus in Catalogum ante inſpecta eius opera, cur. 260. Gothicè etiam ſcripſiſſe Flauium probabile. 262. Confirmat B. V. Epiſtolam ad Meſſanenſes. 258. 262.

Flauius Lucius Dexter & M. Maximus Enoch & Elia comparantur. 260.

S. Flauiæ Martyrium. 389.

Flagellis tribus flagellat Deus mortales, quibus. 393.

Flagellum Dei principes mali. 393. Item Hæreſum permiſſio ibid.

Franciſcus Maurolycus refert Chryſobullam Archadij, vnde? 232. 233. Hiſtoriam eiuſdem vnde deprompſit 198. Quid de hac Epiſtola. 294.

Franciſcus Faſanus vnde probet Epiſtolæ fidem. 291.

Franciſcus Arias vnde eandem commendet. 292.

Fran-

Digitized by Google

Franciſcus Biuarius, quid de hac Epiſtola. 184.185.
Franciſci Suarij rationes pro Traditione. 247.
Franciſcus Piſanus quid pro Traditione. 259.
Fratrum diſſimilitudo non arguit Patrum diuerſitatem. 119.
Fridericus II. in Sicilia regnat. 368.
Frumentum Meſſanenſibus B.V. ope aduectum. 322.
Fulmen ante Neronem cadens, quid. 56.

G

GAbriel Pennottus quid de Chronico Flauij Dextri. 363.
Galli oriundi vnde 117. Ex Germanis 334. Eorum laudes. ibid. Inſignia. 335. Vltimam Monarchiam in eos deuoluendam ſentiunt aliqui. ibid.
Gelaſij auctoritas ſaluatur 41. Conciliatur ſibi ipſi in quibuſdam 43. Libellum de tranſitu B. V. cenſet apocryphum 242. Quadam opera Martyrum dicit non legi in Eccleſia, cur. 43. Quos notat libros in Canone, non omnes proſcribit ab Eccleſia 104. Quam Theclæ Hiſtoriam improbat 40. Nihil de Actis Pilati cenſuit. 71. Quanti fecerit S. Hieronymum 40. Quid de profectu Pauli in Hiſpanias. 47. Eiuſdem auctoritati ſatisfit. ibid.
Georgij Martyris acta ab Hæreticis conſcripta. 49. Eiuſdem conflictus admirabilis. 240. Pugnat contra Sarracenos. 377.
Georgius Gualtherius quid de hac Epiſtola 293. Eiuſdem mors. 96.
Germanorum religio erga B. V. ante Hæreſim. 391.
Gloſſa dictum circa profectionem Pauli ad Hiſpan. 47.
Gnoſtici Hæretici multa commenti de ſtirpe B. Virginis. 242.
Gorgoepecoos, quid. 393.409.420.
Granatenſi Monaſterio inuenti libri de miraculis Chriſti & Mariæ. 243.
Græcorum opinio circa procreationem hominum. 23. Annos numerabant à ludo Herculeo 101.
Numerum Lunarum pro numero dierum ſumebant. 173.
Gregorius XIII. inſtaurat Naualle bellum. 352.
Gregorius de Valentia docuit Ingolſtadij. 275.
Guglielmus Sicilienſis Dæmonibus formidabilis. 359.
Gunzium oppidum defenſum à S. Martino. 348.

H

HAran egreditur Abraham 75. annos natus 55. Quid ſignificet. ibid.
Heluidij Hæretici impia de B. V. ſententia. 14.
Heracliti de Sibyllis ſententia. 22.
S. Ildephonſus reſtitit impio Heluidio. 14.
Hieronymus & Gelaſius conciliantur. 40. Illi quantum tribuat Gelaſius ibid. Soluitur eius argumentum circa omiſſa à Luca in Actis Apoſt. 39. Quam Theclæ Hiſtoriam improbat ibid. Non eſt auctor libelli de Aſſumptione B.V. 242. Flauij Dextri opera in Catalogum antequam videret retulit. 280.
Hieronymus Sauanarola, quis. 112.
Hieroſolymorum Eccleſia cur non Paleſtinæ Metropolis inſtituta? 217.
Hilduinus dicta Dionyſij de corpore B.V. quomodo intelligat 53. Improbatur. 72.73.
Hippolyti Thebani opinio circa annos B.V. 54.
Hiſpania à Paulo Apoſtolo expetita. 250.
Hiſpani generoſi Gothorum filij 180. Legatos ad Apoſtolos mittunt. 21. Peregrinationem ad B.V. inſtituunt. Eorum videndi IESV deſiderium 107. Hiſtoricorum penuria Iacobi geſta non habent. 140.
Hiſtoriæ ratio varia 116. Non omnia digna proſecutæ ſunt Hiſtoriæ. 139.
Hodegetria Imago quando Meſſanam venit. 412. Eadem quæ Gorgoepecoos. 409.
Homines ex lapidibus generatos fabuloſè putatum. 23.
Humana ſecuritas comparatur febri. 392.
Humanorum euentuum cauſa occulta. 389. 391.
Humanarum rerum inconſtantia. 369.

Hun-

Digitized by Google

Hungaria, Regnum B. Mariæ dictum. 390.
Eius religio ante Hæreſim. 391.

I

IAcobus, B.V. hortatu in Hiſpania laborat 50 Eiuſdem monitu excitat Aedem Cæſarauguſtanam 8. Suſcitat Petrum Bracarenſem 64. Quo anno occiditur ab Herode Ibid. Nō vna vice Epheſum reuiſit 9. Eius Liturgia agnita & probata 8. Comes B.V. Epheſum 9. Quo anno datus à Petro Hieroſolymorum Epiſcopus 69. Eius reliquiæ regnante Alphonſo Caſto quo indicio repertæ 532. Eius auxilio Ramirus de Sarracenis victor 213. Eius Epiſtola Canonica 152. Reiecta ab Hæreticis, cur? 163.
Iacobi Gordoni de origine Indictionum ſententia. 100.
S. Ianuarius liberat Neapolim à ſeditione.
Idiota, quid de nomine Mariæ. 307.
Idus à Luna deriuata. 174.
Ieiunium illud de quo Act. 27. variè acceptum. 31.
S. Ignatius ad quem B.V. ſcripſit, quis. 7. 113. Antiochenæ Eccleſiæ Paſtor 113. Quare Neophytus voluit dici. Ibid. Eius deſiderium videndi Mariam, Ibid. Eius Acta & Martyrium 114. Leonibus obiectus. Ibid.
Ignatius Patriarcha multarum Vrbium tutelaris. 403. Meſſana religionis arcem delegit, cur. ibid.
Imagine B.V. prælata, quàm Hæretici ludibrio affecerant, vincuntur exercitus Hæretici. 282.
Imagines ſacræ cur extant in Eccleſia 282. Ex pietatis vſu à Nicodemo ficta. 283.
Imago Chriſti Abagaro miſſa. 104. 363.
Imago B V. de Scala Naui è portu auehi nequit. 363. 364. In littore Meſſanenſi immobilis perſiſtit 363. Quadrigæ eam ferentes certo loco ſiſtunt. 364. Meſſanam ingredi renuit. 361. Per Vrbem circumlata à periculis liberat 362. 363. Item à peſte 367. Ex quo archetypo deſumpta. 370. Facile prima. 369.
Imago de Scala, Albæ Pannoniæ culta. 408. 409.
Imago Gorgoepecoos quæ in Sacello Litterij, vnde. 410.
Imperatoris nomen actis & tabellis præfigi voluit Iuſtinianus. 102.
Indictionum origo ex varijs ſentētijs. 169. Quo tempore cœperunt 100. A Conſtantino reſtituta, ibid. Vnde dicta. Ibid. Quam antiquus earum in notis vſus 98. Romani Indictionibus putabant annos ante Chriſtum 101 Quinquennales vnde factæ quindennales 102. Earum error ſcripto non infert vitium. Ibid. B V. cur illis vſa in ſcribendo 99. Indictio notata in Epiſtola quot rationibus dici poteſt ma 170. Pro prima probabiliter obrepſiſſe 15. oſtenditur multis exemplis. 170. 171.
Innocentius de Pauli in Hiſpanias profectione priuatam protulit ſententiam 47. Eius auctoritati reſpondetur. ibid.
Inſtrumenta ſupplicij Chriſti multa ſuperſunt: 194.
Inuentio Placidi & Sociorum. 143. 238.
Inuentionis S. Crucis ſolemnitas humana fide & opinione fundata. 258.
S. Ioannes Apoſtolus cur dictus ſenior 151. Inſipienter reprehenditur ab Hæreticis, quòd ſe dicat Chriſti dilectum 151. Abſtinuit à ſerui appellatione in Epiſtolis 158. Ignominiæ cauſa tonſus 93. Teſtimonium B.V. 8. Non ſemper ita manſit cum B.V. vt munus prædicationis deſereret 113. Comes Virginis vnde dicatur 133. Vnde creditus immortalis. 92.
S. Ioannes Baptiſta exultat in vtero ad ſalutationem Mariæ. 309. Rhodi & Melitæ viſus contra Turcas pugnare. 253.
Ioannis Roffenſis reſponſio contra Henricum Velenum. 88.
Ioannes Auſtriacus Meſſanæ ſe parat ad bellum. 351. Redux à Victoria Meſſanæ V. adorat. 352.
Ioannes Viguerius quid de hac Epiſtola 290. Quid Ioannes Maria Tarſia 289. Quid Ioannes Petrus Odeſcalcus 291. Quid Ioannes Baptiſta Laurus 292. Quid Ioannes Paulus Ferella ibid. Quid Ioannes Camerota 393. Quid pro eadem retulerit Ioannes Caprius. 315.
Ioannis Deckerij dictum circa Gaium ab Au-

RERVM:

Auguſto adoptatam. 56.

Ioannes Gelenus quid reſpondeat auctori circa Flauium Dextrum. 268.269.

S. Ioannes Damaſcenus quid de potentia B.V. 308.

Ioſeph Arimathæi Hiſtoria 71. Ad Britannos ſexageſimo tertio Chriſti anno miſſus, ibiq; vita functus. 70.

Ioſephus Bonfilius diſputationi de Epiſtola anſam dedit. 298.

Iouiniani error cõfutatur in Epiſtola B.V. 161. Deo Sacris Virginibus nuptias ſuaſit. 14. Docuit B. V. in partu Virginitatẽ amiſiſſe. ibid.

Iuda Machabæi fœdus cum Romanis. 301.

Iudæi veſtigijs Chriſti ſacra, hodie ſine religione. 392.

Iudæi, Caij effigiẽ in Tẽplo ponere coguntur. 283. Non ſuſcipiebant eos, qui multis linguis loquebantur 109. Peregrinas linguas cõtemnebant. 209. Qui ſapientes apud illos haberi. ibid. Interdum loquebãtur lingua peregrina, non tamen facile ſcribebant. Ibid. Hortabantur Gentiles vt Apoſtolos eorumq; diſcipulos vitarent. 234. Carpetani Hieroſolymitanos dehortantur a cæde Chriſti 137. Zamorenſes à Hieroſolymitanis reprehẽſi quod CHRISTI mortis non ſubſcripſerint. Ibidem. Dant facultatem Zamorenſibus interpretãdi Pentateuchi Ibid. Plectuntur vt auctores graſſantis per Orbem peſtilentiæ 354. Præueniunt mortem timore crudelitatis. ibid.

Iulianus Apoſtata Euangeliſtas ſtolidè arguit, cur? 116. Mariæ Virginitatem oppugnat 14. Euangelium nugas exiſtimat 152. Detrahit Crucem ab inſigni. 332.

Ius Statuarum & Imaginum quibus competebat. 337.

Iuſtinianus Carthagine Tẽplũ B.V. dicat. 410. Cathedralem Meſſanæ conſtruit. 411. In extruendis B.V. Templis inſignis. Ibid. Ab eo donatam Meſſanenſibus B. V. Imaginem opinio. Ibid.

L

LAbara eadem quæ Cantabraria. 332.

Lambertus Strauius quid reſpondeat auctori de Chronico Flauij Lucij Dextri. 268.

Laurentius Maſellus quid de Virginis Epiſtola. 292.

Legati Meſſanenſium ad B.V. 301. Ab eadem Epiſtolam recipiunt Ibid. Quando reuerſi in Patriam. 139. 143. Eius legationis quis auctor 41. Inſtituta poſtquam Lucas ſcribere deſijt 189. Cur non memoretur. 139.

Legatio Hiſpanica ad Apoſtolos, & Legatorum nomina. 6.143

Leo Papa quid de ſuſceptione infantis in baptiſmo. 48.

Leo ad Pauli pedes aduoluitur. 37.

Libertas opinandi Mater Hæreſis. 394.

Linguam ſuam etiam Barbari laudant. 210.

Litterij vocabulum, Sacello B.V. vnde. 370.

Liturgia Iacobi celebris, commemoratione B.V. 8.

S. Lucas multa prætermiſit quæ Paulus geſſit. 34 190. 296. Omiſit Pauli geſta Melitæ. 26. Itẽ Rhegij. 41. Item Meſſanæ. 88. Multa omiſit etiã quibus præſens fuit 36. Eius ratio in ſcribendo. 41. Omiſit etiam profectionẽ Petri Antiochiam & Romanam Sedem. 251. Eius ſilentiũ non obſtat Traditionibus. 36. Quæ ſcripſit Traditione accepit 112. Peculiari conſilio huius Epiſtolæ non meminit, 297. Multa ſpectãtia ad B.V. omiſit, cur? 112. Theclæ hiſtoriam miſit, qui conuerſionem Damaris poſuit cur? 41. Indiuiduus Pauli comes 25. Quo tẽpore & quo pacto 41. Chriſti Domini imaginẽ cera, & pictura primus dicitur expreſſiſſe. 368. Varijs characteribus inſigniuit B. V. Imagines 369. Imaginem Meſſanenſem ab ipſo pictam opinio. 410.

Lucia V. & M. Syracuſana, pacẽ Eccleſiæ prædicit. 360.

Ludouici Albericij apoſtrophe ad Ciuitatẽ Meſſan. & laudes B.V. 317.

Luna Hebræis dies numerabat. 171.172. Romanis, Menſis dies dirigebat, quomodo. 188. Ab ea, Calendæ, Idus, & Nonæ inductæ. 174. Eius acceptio pro die antiqua. 175. Eodem modo etiã à Latinis accepta 173. Imo & ab Hebræis. ibid. Eius Status in Eclipſi mortis Chriſti qualis. 183. Euiuſdem in Epiſtola nota-

Digitized by Google

mortis Chriſti qualis 183. Eiuſdẽ in Epiſtola notata calculatio. 183.184.
Lydorum Reges Bacchi dici ſoliti. 229.

M

Macchiaueli Politica comes Hæreſis. 393. Eius effectus mali. 394.
Magi Eccleſiæ progenitores. 21. B.V. effigiem ad Indos deferunt. 369.
Maiorum menſis quis. 132.
Mamuca Pyrata in freto Meſſanenſi demerſo. 138.
Manichæis Chriſtus Phantaſma. 10.
Manuſcripta plura de rebus Orientalibus diſperſa. 303.
Marchio Villena defert exemplar Epiſtolæ in Hiſpaniam. 408.
Marcus Euangeliſta Petro Templum Alexandriæ conſecrat. 19.
Maria V. nomen notum in Orbe 4. Cum Chriſti nomine ingreſſum in Eccleſiam 10. Vnde Meſſanenſibus notum. 4. Non per Paulum primò innotuit Meſſanenſibus. Dicta Cæleſte prodigium 1. Sacratiſſimum monſtrum. ibid. Trinitatis complementum. 111. Hortus concluſus. 111. Mulier fortis oppoſita Euæ. 11. Ab Auguſtino dicta ſcala 367. A Chriſto bis mulier dicta in Euãgelio 11. Quando mulier dicta. ibid. Cur mulier dicta. 10. Ab alijs octies Mater dicta 11. Non appellatur à Filio Matris nomine, cur? 157. Eius præcipua laus quòd à Filio Mulier appelletur. 11. Eius titulus quanta potentia. 308. Eius nomen apud Idiotam quale. 307. Non ſe nominauit à Viro, cur? 155. Matrem Dei ſe appellat, cur? 157. A nomine Filij Maria IESV appellata. 89. Eius nomen in Scriptura figuratũ, quomodo 6. Ab Eliſabeth benedicta inter mulieres appellata, cur. 157.
Mariæ dignitas. Vicem filij gerit in terra. 302. Patriarchis & Prophetis excellit. 6. Ob ſui dignitatem nominatur à Filio 154. Non nominatur in Euangelio niſi cum addito Maternæ dignitatis 156. Malũ punicum in medio tintinnabulorum. 111. Inter mulieres primatũ tenet, ſicut Chriſtus inter viros 11. In nomine eius omne genu flectitur. 401. Gratiæ & ſalutis Principiũ, quomodo 111. Fõs lucis 111. Præſeruata à culpa Originali, & omni alia. 13. Adhuc viuens Templis honoratur 9. Collegio præſides Apoſtolico 2. Primo concilio præſidet. 302. Domina rerũ effecta quomodo 66.
MARIAE ſanctitas & beatitudo. Maria quã ratione beatificãda 149. Quotidie fruebatur viſione beatifica. 302. Eſt in gloria Matris Dei. 401. Dignè ambulabat corã Deo 397. Originis labe fœdatam multi timent aſſerere. 152.
Mariæ Virginitas. Prima Virginitatem vouit, quibus verbis 7. Sacerdos Virginitatis prima: Salua Virginitate Chriſtum peperit 13. Aliarũ Matrum vſu, pariẽdo caruit. Ibid. Eius Virginitas nullo vſurpata exemplo 14. Eius prædicatio Apoſtolis ardua 16. De eius Virginitate poſt partum, quando captum diſputari 15. Eius Virginitati detrahens, detrahit honori Chriſti, Ibid. Dicere eã non perpetuò extitiſſe Virginẽ, an officiat myſterio conceptionis, & partus. ibid.
Mariæ laudes & prærogatiuæ. 405. Data eſt ei omnis plenitudo virtutum 11. Data ſunt omnia non ſecundùm menſuram 401. Exemplũ perfectionis. 399. Chriſto ſimillima in octo beatitudinibus 11. Copioſius recipit Spiritum Sanctum, quàm Apoſtoli 111. In omni Apoſtolica prædicatione ſpecimen. 9.
Mariæ Maieſtas & pulchritudo. Ex Chriſto nato ſplendet 18. Poſt partum ſpecioſior, quo modo ibid. Intuentes quomodo immutabat 17. Eius vultum qui vidit, non alium admiratus eſt 402. Eam deprecantur omnes. Ad eam viſendam multi vndiq; confluunt 6. Eius corpus temperatiſſimum 67. Imago Chriſti. 400.
Mariæ Humilitas & modeſtia. Abigailis ſubmiſſioni præſtat 307. Cum theſauro diuinitatis certat 308. Elucet in Matris appellatione 118.158. In illis verbis Pater tuus & ego 151 In ſcribẽdo patria lingua 109. Eius humilitati non derogatur ex eo quòd in Epiſtola ſua originis ſeriẽ præmiſerit 155. In ſuis titulis modeſtiſſima 89. Vltimo loco nominatur inter

per-

Digitized by Google

perſeuerantes in oratione 112. Meſſanenſibus exemplum humilitatis. 388.389.

Maria officia. Vicem filij gerit in terra illi Chriſtus in Cruce commendat vniuerſum genus humanum. 11. 302. Mater omnium his cõſtituta, 66. Genuit nos in Chriſto 402. Mater Eccleſiæ 401. Mater omnium 400. Via ſecunda 389. Inuentrix gratiæ 402. Anchora animæ 401. Per eam ad agnitionem veritatis peruenimus. 401. Per eam reconciliamur, Ibid. Per quos gradus deducit homines ad IESVM. 11. Ad eam cum fiducia recurrendum 401. Per eam habemus omnia 111. Inter ipſam & Spiritum Sanctum officia diuiſa Ibid. Poſt Chriſtum cauſa ſalutis æternæ 400. Per eam ſpes vitæ æternæ 400. Quid illi cum Chriſto commune in reparanda hominum ſalute 11. Mater pulchræ dilectionis & agnitionis, & timoris & ſanctæ ſpei 400. In Paulo hortatur Meſſanenſes. 389.

Maria Caritas in Deum & homines. Plus ceteris diligebat Deum 65. Amor erga homines 401. Ex caritate ſcripſit ad diuerſos 103. Caritas erga omnes. 400.

Maria fides ſuperat fidem Enoch & antiquorum. 397.398.400.

Maria Miſericordia. Maior in Cœlo quàm in terra. Mater Miſericordiæ 399. Compaſſio erga homines. 399.400.

Maria ſcientia. 398.400. Apoſtolorum Magiſtra 2. Copioſius recipit Spiritum S. quàm Apoſtoli 111. Per ipſam Spiritus S. docuit Apoſtolos Ibid. Diuinorum conſiliorum theſaurus 113. Poſt aſcenſionem filij Apoſtolos dirigebat. 110.

Maria dona. Loquela. 399. Dono linguarum prædita 90. 209. Suauitas in loquendo. 210. Chriſtus & Spiritus Sanctus regebant eius organa. 6.

Maria Scripta. Eius charitati conſentaneum fuit aliquas Epiſtolas ſcribere 103. Imò neceſſarium 100. Manibus Apoſtolorum ſcripſit, & manibus aliorum quotidie ſcribit. Ibid. Scripſit ad Ignatium 113. 137. Scripſit ad Florentinos 112. Scribere ad Meſſanenſes decens fuit 104. Hebraicè ſcripſit cur? 109. 209. Scribendo imitata eſt filium 103. Semper ob oculos habebat Filij ſententias. 98. Ad fidei confirmationem ſuas in Epiſtola commemorat dignitates 147. Cur ſe Scripſerit Ioachim filiam 148. Filium ſuum Deum & hominem ſcribit, cur? 149. Filium noſtrum dixit non meum, cur? 150. Ancillæ vocabulum cur non exprimitur in Epiſtola. 407. Cur adhibetur nota erronea 184. Meſſanenſibus benedicit in Epiſtola. ibid. Benedicendi vſum à Chriſto filio accepit 159. Quo geſtu benedixit. 160.

Maria peregrinatio. Iuit in Aegyptum 9. Quo hoſpitio vſa in Aegypto Ibid. Hieroſolymis diſceſſit inſtante perſecutione, quare 114. Profecta eſt Epheſum. 113.

Maria ætas, mors & Aſſumptio. Ex Iuda & Dauid lineâ paterna deſcendit, non materna 156. Quot annos nata peperit Deum 54. Aetas & aſſumptio myſticè ſignificata in Scriptura 55. Qui hac conijciunt in alium quam ſexageſimum ſecundum Chriſti annum, reuincuntur 52.53. 54.55.56. De eius varia ſententia 51.52.53. Quo anno aſſumpta. 51.76. Annum ſeptuageſimum quintum prætergreſſa 56. Cur ſextum non expleuit 55. Auctoris ſententia de hac re nõ ſingularis 54. Eius migratio multis ſignis & portentis, alijſq; coniunctis in talem annum ſignificata. 55.56. Eã mors reueretur 67. Non obijt anno Climacterico 66. Aſſumptio ſolùm traditione habetur 93. Secunda aſſumptio ab Eccleſia non recepta 52. Aſſumptionis religio ab Apoſtolis initium ſumpſit. 78. Id feſtum & Natiuitatis quàm antiquũ apud Meſſanenſes. 78. 79. Grana ferti precarij non ſignificant ætatem Virginis 68. Eius ferti vera Hiſtoria. ibid.

Maria apparitiones & auxilia in prælijs. Apparet Tereſiæ 309. Ea apparente pugna terreſtri Meſſanenſes victores 305. Ea deterrente hoſtes, nauali pugna vincunt Meſſanẽſes. Ibid. Inſignis apparitio ad defendendos Meſſanenſes 345. 346. In die Aſſumptionis ſuæ defendit Ciuitatem, cur? 345. Apparet cum vexillo Crucis, quo myſterio, 346. Sæpius apparet nec vno ſemper habitu. Ibid. Fœ-

mina grauis aſpectus viſa nocte 147. Cur ſic dicta 409. Obÿcitur nocte Comiti Atrebatēſi, qua ſpecie. 347. Equo inſidens pugnat pro Siculēſibus 349. Pro Luſitanis apud Angolā contra Barbaros, Ibid. Profligat infideles ad Arcem Dienſem in India, ibid. Maieſtas affulgentis ſupra muros Meſſanæ 344. Quo loco apparuit, Templum conſtruitur. 338. 380. Eam pugnantem apparuiſſe rarum. 349. Pro Chriſtianis contra Chriſtianos pugnaſſe rariſſimum. 349.

Maria beneficia erga Meſſanenſes. Confert victoriam naualem 352. Eius auſpicÿs decreta Meſſanæ Victoria naualis 351. Salutatur ante conflictum naualem. 352. Liberat Meſſanam ab obſidione 254. Succurrit fame laboranti 374. Liberat eam a periculoſo tumultu 374. A peſte, 301. 350. 351. 352. Reliqua Sicilia laborante, arcet peſtilentiam à Meſſanenſi diſtrictu 352. Meſſanenſes recipit in filios 402. Templum ſibi deligit Meſſanæ. 379.

Maria Imago. Eius effigiem inhonorantes diuinitus puniuntur 282. Imagine ludibrio affecta debellātur Hæretici, ibid. Ea Imago victrix Romam delata 282. Tempore peſtis inuenta Meſſanæ in Templo D. Leonardi 350. Ea inuenta peſtis Meſſanam non inuaſit. 143.

Maria Imago Conſtantinopolitana, Hodegetria dicta, cur? 408.

Mariæ trinam ſalutationem Hæretici calumniantur. 95.

Maria Caſſobolites ſalutatur à Paulo. ibid.

Maria Magdalena comes B. V. Epheſum 70. Quando Hieroſolymis diſceſſit. ibid. Vbi ante diſceſſum ex Iudæa errauit. 70.

Martha CHRISTO & Mariæ Templa dicat. 10.

Martianus in Siciliam Antiochia miſſus 217. Qua ratione Syracuſas appulit. ibid.

Martinus Ayala quid de Traditionibus. 259

Martinus Lutherus libros Machabæorum Apocryphos cenſet. 152. Iacobi Epiſtolam contempſit. ibid.

Martyres multi, ſenes obiuerunt. 228.

Maternus ad vitam reuocatus 9. B.V. & Petro Templa ædificat. ibid.

Matris titulus quanta dignitatis. 408.

Matrum propagines in Hiſtorÿs prætermiſſæ, cur? 156.

Matthæi locus Veſpere Sabbati quæ luceſcit illuſtratur. 27.

Matthæi Galeni ſententia circa dictum Dionyſÿ reprobatur. 72.

Matthæi Beroaldi de Melita Adriatica ſententia conuellitur 312. Eiuſdem error multis ob oculos ponitur. 312. 313. 314. 315.

Mauritÿ edictum circa feſtum Aſſumptionis B.V. 78.

Maximiliani primi laudes ſcriptis preſſæ. 332.

Maximiliani Bauari laudes. 325.

Maximus Epiſcopus Aquenſis, 10.

Megara Meſſanenſium virtute recepta. 340.

Melita in alto Mari, tuta receptioni, 4. A Paulo ibi geſta miracula 5. Dithalaſſus Melitæ quomodo a varÿs explicetur. ibid.

Menſes ſolares in myſticis directionibus quomodo accipiantur 66. Romani vnde obſeruabant. 180.

Meſſanæ laudes. 300. 319. Chriſtianæ Reipublicæ præſidium 352. Solo B. V. patrocinio ſatis tuta 290. Romanorum Prætorum ſedes 45. Flos Inſulæ Siciliæ ibid. Statio Claſſis Romanæ. 4. Deiparæ cultu inſignis, 2. Nobilitate & antiquitate præſtans 2. Ibid. Siciliæ Caput, vnde, 321. Immunis à vectigali. ibid. Sicilia nominata, 217. Diues Epiſtola B. V. 306. Monetur vt teneat coronam ſuam. 396. Habet fructum palmæ B.V. miſſæ 243. Multi in ea libri cremati 142. Eius in Hebræo myſterioſa ſignificatio 380. Superat priuilegia alÿs Vrbibus conceſſa 334. Habet omnia digna quæ Imperatores alÿs Vrbibus cõceſſerunt, ibid. Dicta Ciuitas Virginis 403. In ea Templum B.V. deligit tempore myſterioſo 217. Libera à vaſtitate Claſſis Turcicæ. 350. 351. In ea fiunt ſupplicationes pro Victoria Nauali 350. 351. Claſſem quam emiſerat recipit victorioſam 352. Qui eam tutelares poſt Mariam defendant. 403. Ei ſententia Iſaiæ applicata, ibid. Ex eius falcato portu falcarÿ emittendi qui, ibid. Interdum fame laborat, cur? 273. Bidui religio-

ligione impetrat agrorum fertilitatem 395. Eius calamitas tempore peſtis. 313. Varijs periculis liberata. 363.

Meſſanenſium erga Deiparam feruens religio 85. Multa de Chriſto & Maria ex Sibyllinis libris didicerunt 5. Ante Epiſtolam receptam B.V. adfuerunt 188. Hieroſolymis viſa, ſuis renarrant 5. Eorum conuerſio antiqua 216. Occidentalium primitiæ, quomodo 31. Illis mors Chriſti cognita ante aduentum Pauli 22. Paulum Rhegyo accerſunt 29. Verbis & ſententijs ex Paulo acceptis, inuitantur ad perfectam Deiparæ imitationem 396. vſq; ad 400. Geſtiunt audire Paulum de Chriſto & Maria dicentem 16. Duobus Pauli concionibus conuerſi ad fidem 139. Conuerſionis tempus quoſdam fugit. 96. Eloquentiam in ſuis concionatoribus curioſè affectant vnde? 5. Legationem ad V. inſtituunt, qualem, 202. Primi id in Occidente præſtant 1. Vnde moti ad Legationem decernendam 6. Virgini ſuam Ciuitatem commendant. 2. Religio in accepta Epiſtola veneratione. 246. Non dubij de fide Epiſtolæ 116. Illis B.V. ſingulari affectu opem affert 119. Cur illis Diua de Scala, non Gorgoepecoos aut Litterij in vota vocata 410. Miranda à B.V. beneficia accepta non ſcripſerunt 140. Quando extruxerunt aras 249. Antiſtites eorum Siciliæ Epiſcopi vocati 46. Meſſanenſes Romanis peculiariter obſtricti 10. De dignitate Capitis quomodo contendunt 117. Sunt diligentes priuilegiorum aſſeruatores 118. Quæ illis cum Peruſinis neceſſitudo 293. Inſigne eorum in littore Theſſalonicenſi facinus 228. Celeritas in fugandis Pœnis 321. Bella quæ geſſerunt. 341. Eorum Nobilitas quam ex celſo loco 335. 336. Fides & Conſtantia 375. Vide plura tit. Archadius & tit. Ioannes Auſtriacus.

Metrodorus, Strategus Meſſanenſium 330. Idem Dux in expeditione pro Archadio 328. Cum Catillo decertat & ſuperat. ibid.

Metrodorus Epicureus, quid de reſurrectione 20. Eius ſententia quomodo homo fiat Deus. ibid.

Michael Imperator Latinæ linguæ contemptor. 210.

F. Michael Placca ſcribit prodigia quædam, quæ Meſſanæ euenerunt. 355.

Miles plumbea glande ictus, Epiſtolam B.V. geſtans non læditur. 382. 383.

Miracula virtute & religione Epiſtolæ patrata. 381.

Miraculorum maximum ex Muliere. 11.

Mitylenæ Templis Scala inducta à Pittaco, quid. 367.

Modeſtia Chriſtiana multum valet in cauſa fidei. 81.

Monarchia vltima in Gallos deuoluenda quorundam ſententia. 335.

Mortalium omnium par conditio. 66.

Moyſes traditione Patrum accepit, quæ ſcripſit. 252.

Mulieris vocabulum B. Virgini probrò datum qui ſentiunt 10. In ſcriptura commune feminis omnibus, ibid. Præcipuum B.V. vocabulum. 11. Mulier fortis Maria V. 11. Ex muliere miraculorum maximum capit, & in ea conſummatum eſt. ibid.

Mulieres apud Hebræos extra Genealogiam 155. An denominabantur à parentibus, vel à viris. ibid. Quibus prohibet Paulus ne doceant 110. Quarundam Meſſanenſium virtus. 343.

Mundus tribus plagis afflictus. 369.

N.

Narrationis diuerſitas veritati non officit. 335.

Nationes B.V. olim deuotiſſimæ, hodie afflictæ. 390.

Natio nulla gloriari poteſt de ſuis Apoſtolis. 392.

Nationes olim religionis Catholicæ amantiſſimæ hodie in Catholicos crudeliſſimæ. 392.

Nationum quarundam induſtria in celandis defectibus. 332.

Natiuitatis B.V. celebritas quàm antiqua apud Meſſanenſes. 79.

Nauigatio ex Oriente in Occidentem frequens. 3.4.

Nauis frumentaria aduentum docet B.V. reddita voce ex Imagine. 372.

Nar-

Digitized by Google

Nauis frumentaria miraculoſè appellit Meſſanam. 371.372.373.
Nauis Imaginem Virginis vehens immobilis. 163.
Neapolis defenditur à S. Agnello Abbate. 348.
Neoburgenſis Ducis conuerſio. 332.
Nero, Claudio ſuccedit. 61. Initio in omnes beneficentiſſimus. Ibid. Vrbis incendium falsò in Chriſtianos vertit, 233. Chriſtianos cœpit perſequi quando, & quare 33. Eo furente religio Chriſtiana quo pacto ſe habuit 10. Eius immanitas in matrem. 56.
Neſtorius ex Epiſtola Virginis confutatus. 144.
Nicodemus primus Chriſtum Crucifixum effinxit 368. Ex pietate Imagines effingebat. 283.
Nicolai Iuriſica conſtantia. 348.
Nobiles etiam ad beſtias damnari ſoliti. 38.
Nobilitatis præſtantiam vnde arguunt quidam. 338.
Nobilitas ſecularis vnde ſpectanda. 335.336.
Nobilitatis definitio, quæ. 336.
Nobilitas Meſſanenſium quàm excelſo loco. 335.336.
Nonarum vſus quàm antiquus 98. Vnde dicta. 99. A Luna deriuatæ. 174.
Notariorum Eccleſiæ Romanæ acta erroris arguuntur, cur. 141.
Nouilunia menſium Maij & Iunij. Anno Chriſti quadrageſimo ſecundo. 187.
Numero multitudinis etiam Apoſtoli ſe nominant. 151.
Numerus finitus plerunq; in Sacris literis pro infinito. 66.

O

Occaſio legationis ad B.V. à Meſſanenſibus decreta. 2.3.
Occulta plura, quàm cognita circa B.V. 64.
Octauius Caetanus defenditur 198. Quid pro Epiſtola ſcripſerit. 311.
Oratio de B.Virginis Paulo familiaris. 40.
Origenes Celſum Epicureum conuincit. 21. Eius ſcripta quæ probentur Gelaſio. 40.
Origo Virginalis Epiſtolæ. 302.
Oroſius antiquus Scriptor Hiſpanus. 250.
Oſcitationis mortiferæ Antidotum. 162.

P

Pancratius Crucifixi effigiem pictam ferebat, cur. 282. Antiochia in Siciliam miſſus, 217. Tauromenium appulit, qua occaſione 217. Dæmonibus formidabilis. 359.
Pammenes certant de S.Hieronymo. 224.
Panormi plures geſtantes Epiſtolæ B.V. exemplar à peſte liberi. 282.
Parænesis ad Meſſanenſes. 388.
Parthenopolis Germaniæ vnde dicta. 409.
Pauli acta probantur. 38.49.
Paulus venit in Siciliam. 24.25. Quo anno 80. 96. 223. In Sicilia prædicauit. 24. 25. Fuit Syracuſis. 25.233. Syracuſis exſcendit. 26. Triduum egit Syracuſis, cur 125. In oram eis Pachynum deſcendit 30. In agrum Elorinum penetrauit, ibid. Item in agrum Salarinum. ibid.
Paulus poſt Concilium legale annis 14. Hieroſolymam conceſſit, 65. Abeſſe à Concilio non debuit, quare? 65. Reuelatione illa, de qua agit ad Galatas 2. non rectè dicitur cognouiſſe extremum diem B.V. 74.
Paulus Syracuſis Rhegyum venit 25.38.233. Rhegyi noctu prædicauit, vbi. 29.38. Rhegyi prædicanti columna lumen ſuffecit, 28. 139.
Paulus Meſſanam veniſſe oſtenditur 33. Rhegyo accitus Meſſanam 25. Meſſanæ bis ad minus fuit 44. Eius fama apud Meſſanenſes vnde 5.6. Quo anno Meſſanam venit 96. 98. Quo anno ibidem moratus eſt. 97. Nauigans Syracuſis & circumlegens prope pagum Italam creditur exſcendiſſe 29. Terreſtri itinere Meſſanam creditur acceſſiſſe 30. Rhegyo iterum Meſſanam venit 29. Qua porta eum accepit Meſſana 201. Sæpius Meſſanenſes inuiſit 31. Qua mente prædicauit Meſſanæ 31. Bacchylum paſtorem Meſſanæ reliquit 25.46.233. Poſt Romana vincula Meſſanam rediit 25.45.97. Poſt iter Hiſpanicum Meſſanam probabiliter rediit. 48. Bidui prædicatione Meſſanã cõuertit. 25.

Digitized by Google

Paulus Rhegyo quo die ſoluit 31. *Puteolos curſu intendit*. 25. *Vno die Puteolos venit, quomodo?* 28. *Quo die anno Romam venit* 31. 46. 51. *Eo tempore Petrum Romæ non offendit* 62. *Menſe Maio vel Iulio Romam venit* 75. 232. *Romæ biennium expleuit*. 46. *Per biennium Romæ quid?* 34.

Paulus poſt Romana vincula mutat conſilium eundi in Hiſpaniam, cur? 49. *Reuertitur in Orientem* 48. 49. 51. *Redijt Meſſanam*. 45. *Quo anno* 75. *Legatos Meſſanenſium ſecum ducit ad B.V.* 45. 46. 402. *Eius legationis Dux ipſe*. 46. 89. *Non neceſſario reuerſit Epheſum aut Miletum* 24. *Non fefellit Corinthios ſi promiſſo non reſpondit, cur*. 47. *Cur reuiſerit Orientem*. 50.

Paulus ex Oriente ſe contulit in Hiſpaniam 34. 50. 82. *Quo tempore*. 48. 49. 79. *Eius deſiderium proficiſcendi in Hiſpaniam* 48. *Quæ cauſæ retardarunt eam profectionem* 80. *An diu moratus in Hiſpania* 48. *Eius geſta in Hiſpan*. 49.

Pauli multa itinera & peregrinationes 34. 220. *Inſtar Solis Gallias & Hiſpanias luſtrat* 81. *Nauigans à recto itinere interdum deflectit*. 96. *Hyeme peruenit ad partes Cretæ* 32. *Melita quando ſoluit* 31. *Stridonem Hieronymi patriam inuiſit* 223. *Totum Orbem peragrauit*, 25. 50. *Anno Christi* 42. *pedem extra Aſiam non extulit*. 220.

Paulus plura geſſit quàm ſcripſit 35. *Chriſti meminit quadrigenties & amplius* 6. *Mariæ ſemel tantum meminit vocabulo Mulieris*. 7. *Quo tempore ſcripſit Epiſtolas*, ibid. *Eius manu conſcripta pauca extant* 24. *Epheſij & Iconij quid?* 34. *Quanta à Iudæis & Gentibus paſſus* 34. 35. *Eius vincula manifeſta in omni Prætorio* 62. *Damnatur ad beſtias* 37. *Pro Chriſto nullam vitat ignominiam*. ibid. *Eius geſta in Hiſpania* 49. *Eius geſta non omnia à Luca memorata* 139. *Cur non meminit Epiſtolæ Meſſanenſium* 297. *Melita multa, Syracuſis nihil præſtitiſſe narratur*. 44. *Miracula Melitæ, quæ*. 5.

Pauli ſtudium prædicandi 25. *In prædicando ſemper admirabilis*, 396. *De Virginitate illi ſermo familiaris*. 40. *non pauca dixit pro concione, quæ non ſunt ſcripta*. 35. *Duas conciones Meſſanæ habuit*. 16. *Iiſdem de Incarnatione Chriſti & Virginitate Mariæ predicat, cur?* 17. *Alloquitur Meſſanenſes vt olim Athenienſes* 5. *Non primus Meſſanenſibus prædicauit* Ibid. *Vnde laudare potuit Virginem* 6. *Prædicans crebrò Mariæ nomẽ vſurpat, quare*. 2. *Eius prædicationem Meſſanæ cur tacuit Lucas* 41. *Orator artificioſus*. 5. *Prædicat Chriſtum Antiochiæ Piſidiæ*. 17. *Ethnicos conuincit Ethnicorum teſtimonijs*. 19. *Eloquentiæ præſes dictus* 5.

Paulus Latinè gnarus 209. *Græcè peritus*. 210. *Hebraicè tantùm peritum, quo ſenſu dicat Chryſoſtomus*. Ibid. *Sermonis imperitiam quomodo ipſe ſibi imputat*. 210. 211. *Omnium gentium linguis loquitur*. 212. *Titum adhibet interpretem cur?* 211. 212. *Lenocinia ſermonis ſenior deſpexit cur*. 211. *Inornatè vertit Epiſtolam B. Virginis, cur?* 212. *Vnde conſtat ipſum Græcè conuertiſſe hanc Epiſtolam*. ibid.

Paulus à modeſtia venerabilis Xantippæ. 81. *Ab eadem titulo fronti diuinitus inſcripto agnoſcitur*. Ibid.

Paulo, Apoſtoli nomen peculiari modo conuenit. 157. *Propriam dignitatem honeſtè memorat*. Ibid.

Pauli vmbra & veſtium contactu mortui reſurgunt. 36. 92. *Eius ceruice lac manat*. 36. *Eius percuſſor ad fidem conuertitur*. ibid.

Paulus poſt Romana vincula quantum ſuperuixit. 33.

Paulo in agro Salarino in Sicilia Eccleſia dicata. 30. *Item in agro Elorino*. Ibid. *Item prope pagum Italam*. 29.

Paulus V. celebritatem annuam Epiſtolæ promouet. 319.

Paulus Oroſius antiquuus Scriptor Hiſpanus. 251. *Arguit Siciliam infelicitatis, cur?* 351.

Pelbartus, quid de ſerto precario. 68.

Pen-

Digitized by Google

INDEX

Pendula ſeù Pendila vbi Paulus pernoctauit. 334.
Perimãder ab Archadio reprehenſus, cur? 330.
Peſtilentia graſſata per totum Orbem. 354.
Meſſanæ mitior quam alibi. 360.
Romæ grauiſſima, eiuſq; remedium. 162.
Panormum inuaſit. 362.
Meſſanam B.V. faciente non attigit. Ibid.
Petrus Apoſtolorum Coripheus. 59.
Apoſtoli nomen peculiari ratione illi competit. 157.
Eius geſta plurima inopia Scriptorum incognita. 216.
Poſt acceptum Spiritum S. quàm primò concionem habuit. 16.
Antiochia multas pingi curat Imagines. 369
Alexandriæ Marcum inſtituit Epiſcopum. 61.
Quos miſerit in Siciliam. 216.
Maria viuenti Templum excitat. 9.
Carthaginenſem Eccleſiam erexit. 61.
Romæ fuit, quo anno primùm. 47.
Eius Antiochia profectio & Romæ poſita ſedes à Luca prætermiſſa. 34.251.
Negare eum Romæ ſediſſe temerarium. 61.
Romam adiens probabiliter Meſſanam diuertit. 23.219
Prius quàm Paulus Meſſanæ fuit. 213. 214.215.216.
Neapolim viſit. 215.
Piſas etiam & Liuarnum adijt. 216.
Speculam religionis Romæ conſtituit 63.
Romæ intrepidè prædicauit. 60.
Ibidem cum Simone Mago congreſſus. 34.
Quod primum oratorium in Italia excitauit. 9.
Octauo Claudij anno Romæ abfuit. 60.
Quo tempore Pontificatum Romæ geſſit, ter abfuit ab Vrbe. 60.
Britannos inuiſit. 57.
Anno 50. Hiſpanus datus. Ibid.
Occidentalium ſalutem procurat. 61.
Egreſſus Roma vltimo Chriſtum obuiam habet. 34.
Vnà cũ Dionyſio aliquãdo Virgini adfuit. 60.
Vnà etiam cum Paulo Roma abfuit ad honeſtandum B. Virginis funus. 64.
Per ſublime delatus Hieroſolymis adfuit. 63
Aliquando cum Paulo pro Apulis aduerſus Sarracenos rem gerere conſpectus. 253.
Petrus Bracarenſis quis? 64.
A mortuis reſuſcitatus. Ibid.
Petrus Bleſenſis quid de Siciliæ malis. 356.
Petrus Caniſius quid de Epiſtola B.V. 238.289.
Eius auctoritas & doctrina. 91.
Meſſanæ Rhetoricam docuit. 128.
Petrus Antonius Spinellus, quid de hac Epiſtola. 290.
Pharij dicti Meſſanenſes. 345.
Phœnices habitabant circa Siciliam. 4.
Philibertus Sabaudus Panormi peſte extinctus. 363.
Philippus Apoſtolus Gallis prædicauit. 71.
Philippus Argyrienſis Dæmonibus formidabilis. 359.
Philippus Catholicus Traditionem quanti fecit. 259.
Philoſophia conuincit IESVM ex V. naſci potuiſſe. 22.
Philoſophia quæ inſeruiuit hæreſibus. 205.
Quam damnat Paulus. 204.
Philoſophi & poëtæ multa ex Prophetis acceperunt. 19.
Pij V. inſtituto vbiq; ſupplicatum pro victoria nauali. 351.
Placidi & Sociorum inuentio Meſſanæ. 143.
Eius Martyrium. 339.
Vrbis Meſſanæ titularis. 339.
Quid illi cum Epiſtola Virginis. Ibid.
Platienſium religio erga B.V. 412.
Plato agnouit reſurrectionem mortuorum. 13.
Diſcipulos per Deum iurare voluit. Ibid.
Anno 81. obijt. 67.
Iniquum putauit nulla poſt mortem præmia manere. 20.
Platonici cuncta quæ pereunt poſt certum tempus reditura putabant. 19.
Pœna ſeditionis auctoribus lege ſancita. 38.
Pontifices Romani Martyrum geſta ſcribenda curarunt. 141.
Pontificum permiſſio tacita quaſdam definitio. 257.
Popilius Lenas quod diſputandi genus ſecutus. 120.

Por-

Portugallenſium laudes. 334.
Porcius Feſtus ſucceſſor Felicis. 32.
Prædicatio de B.V. in ipſis Eccleſiæ exordijs 9. *Apud Iudæos diuerſa* 17. *De Mariæ Virginitate difficilis.* 9.17.
Prædicationis Chriſti mortis apud Iudæos & Gentiles cauſa,quæ. 17.
Præſalutatio in literis Pōtificijs vnde orta, 162.
Præſalutatio in Epiſtola Virginis ad Meſſanenſes,vnde. 163.
Præſides Romani, quæ in Prouincijs contingebant Romam præſcribebant. 71.
Præſentationis B.V. cōmemoratio recepta. 246.
Præſtigijs non ſiunt vera miracula. 20.
Prima Chriſtianorum ætas à fictionibus aliena. 246.
Primatus Eccleſiaſticæ dignitatis in Sicilia, vnde. 313.
Principis auctoritas non præſentia facit ſedem digniorem. 219.
Principes rerum à ſe geſtarum Scriptores habeant. 140.
Principes cur numero multitudinis vtantur. 151.
Priuilegia Meſſanenſium quomodo ignem euaſerint. 142.
Probi & Xantippæ apud Arenates conuerſio. 81.
Procorus in multis mendax. 93.
Prodigia in Flandria à ventis & Mari. 356.
Prophetarum vaticinia de Chriſto Gentibus viſa fabula 19. *Ex illis veteres Philoſophi & Poëtæ multa acceperunt.* ibid.
Prouidentia diuina elucet, quando. 260.
Pſalmi quinquageſimi ſexti titulus. 307.
Publius Melitæ Princeps. 26. *Melitæ Epiſcopus. ibid. Athenienſium Eccleſiam regit.ibid. Athenas Martyrio illuſtrauit. Ibid. Feris obiectus eſt.* 38.
Puella irridenti,& incredula narratis de B.V. brachia areſiunt, iterumq; credenti ſanantur. 380.
Pulcheria Virgo Archadij filia 45. *annis ſapienter rexit Imperium.* 280.
Puteus ſalubris in Sicilia in agro Biliſcalis, Item in agro Salarino, vnde? 30.
Pythonici quales. 355.

Q

Quadratus Publij ſucceſſor. 26.
Quæſtiones anxiæ circa diuinam prouidentiam quando ceſſabunt. 391.
Quinq; plagæ Chriſti Portugallenſibus inſigne, vnde? 334.336.
Quintilius Varus cæditur à Germanis. 337.
Quintus Memmius,& Titus Manilius Legati Rom. ad Iudæos. 164.
Quirici & Iulitæ paſſiones ab Hæreticis ſcriptæ. 42.
Quirinus Conſul, quis. 225.

R

Ramirus D.Iacobi patrocinio de Sarracenis victor. 253.
Rationes Suarij pro Epiſtola fortiores. 248.
Rebellium bella arbitrio fortunæ gerantur. 325.
Regia Romuli quando concidit. 12.
Regna Sanctis floreniſſima hodie ſine religione. 392.
Regnorum multorum facilis conuerſio ad fidem. 139.
Regula eorum quæ non ſunt contra fidem & bonos mores. 259.
Regum & Proregum religio in Epiſtolam B.V. 145.
Res Chriſtiana periculis varua. 61.
Rhea Deorum Matri falſi honores habiti, cur? 12.
Rhegynorum conuerſio. 38.39.
Rhegyi Paulo concionante columna arſit. 139.
Rodericus Ximenius Toletan. rerum Hiſpanicarum Scriptor. 252. *Negat Iacobi aduentum in Hiſpanias.* 238.
Roberti Bellarmini ſententia de libello S. Thomæ de regimine Principum. 240
Rogerius quomodo venit Meſſanam & bello adortus eſt Sarracenos 376. *Virtute & fide Meſſanenſium multa bella conficit.* 340. *Reſtituit vexillum Meſſanenſibus.* 376. *Multos libros Meſſanæ conſeruauit.* 142. *Imaginem B.V. vexillo circumlatam Platia*

Digitized by Google

linquit. 141. Platia Stationem militum habet. 410. Exactis Sarracenis religionis ornandæ curam ſuſcipit 412. De religione B. V. bene meritus. 411.
Roma Vrbis laus. 300.
Romana Eccleſia caput & Mater Eccleſiarum. 218.
Romanis notis procliue eſt errare, cur? 47.
Romanus orbis quis. 50.
Romuli ſtatua quid de B. V. inſcriptum. 12. Ea ſtatua quando concidit. ibid. Eiuſdem Romuli domus quando corruit. ibid.
Roſalia inuenta Panormitanis peſte laborantibus opitulatur. 350. Panormum peſte liberat. 363. Eius religio etiam exteris proficua 350. Eam Bibonenſes ſuam dicunt. Ibid.
Roſarij religio victoriam naualem promouit. 351.
Ruffinus à Hieronymo notatus. 40.

S

SAbaria patria S. Martini. 348.
Sacellum Romæ ad tres fontes. B. V. ſecundum. 9.
Sacelli vulgo Litterij Meſſanæ recens ſtructura. 77.
Sacra Scriptura non ideo incerta quia diuerſimodè exponitur. 120. Diocletiani incendium euaſit quomodo. 142. Quid moris illi in temporibus nuncupandis. 66.
Sanctorum multi proprijs titulis ſe nominant. 149.
Sanguis Placidi vox de terra clamantis. 339.
Sapientiæ diuinæ ludus in Orbe. 56.
Sarraceni magis religioſi erga Diuorum Imagines quàm Hæretici. 410. Meſſanam intactã relinquunt. 342. Ex occiſione reſidui, Meſſanæ conuertuntur. 376. 377.
Sauinianus apud Gallos Petro Templum excitat. 9.
Scala à Iacob viſa Maria typus. 366.
Scala, Mytilenæ Templis inducta, cur? 367.
Scala, B. V. Maria. 367.
Scribendi ignari, interdum docti. 211.
Scriptores Patrij de hac Epiſtola. 294.
Scriptores partium ſtudia ſequentes plurima tacent. 341.
Scriptores Schiſmatici partium ſtudia ſecuti. 331.
Scriptores præuenti ne dedecora quorundam narrarent. 331.
Scriptorum penuria multa ſunt abolita. 348. Eorum inopia Iacobi in Hiſpania geſta latent. 140. Eorum variatio non tollit fidem Hiſtorijs. 316. Eorum monumenta vitiata ex integro negari non poſſunt. 202.
Secundianus Virgilianum carmen de B. V. explicat. 19.
Septem dormientes poſt multos annos inuenti. 341. Eorum Hiſtoria perplexa. 238. 258.
Sexageſimus tertius annus morti potius quàm B. V. climactericus. 67.
Serpens in deſerto exaltatus typus Chriſti. 66.
Serti precarij Hiſtoria. 68. A B. Virgine ſumpſit initium. ibid. Errant qui putant ſignare B. V. annos. ibid.
Sibyllæ multa de Chriſto & Maria ſcripſerunt. 4. Earum libris, Chriſtianis olim interdictum. 22. Libri Romæ diuinitus inuenti. 4. Ab illis multa Apollo Delphius. 19. Cumanæ ſepulchrum in Sicilia. 4. Eam probabile eſt habitaſſe Meſſanæ. ibid.
Sicilia refugium & hoſpitium nauigantium. 4.
Sicilia, quæ 146. Interdum ſola Syracuſa Sicilia dicta. ibid. Sicilia duplicis nomen non ita antiquum. ibid. Siciliæ Epiſcopi, vocati Meſſanenſes Antiſtites. ibid. De illa dictum, Me Inſulæ expectant. 402. Bellis vexata. 145. Multis natura miraculis prædita, cur? 357. Vexata à Spiritibus immundis. 355. Eorum peculiare domicilium. 358. Annonæ perfugium. 373.
Siculi ingenioſi. 358. Olim ſuperſtitione primi. Ibid. A Chriſto concepto ſupputant annos. 287. Eorum in celebrandis feſtis religio. 78.
Sigilla incantata Paracelſi damnantur. 383.
Simeon Metaphraſtes, aſſerens Petrum fuiſſe in Sicilia defenditur. 214.
Solis defectus in Chriſti morte, quid? 21.
Sophoclis de Deo ſententia. 13.
Sordes riuorum, non vitiant fontem. 116.
Spiritus Sanctus copioſius in B. V. quàm in Apoſtolos

Digitized by Google

ſtolos effuſus. 111. Docuit Apoſtolos per Mariam. ibid.
Stellatus Ordo Equeſtris Meſſanæ, Magos adoratores ſignat. 393.
Stemmata ſucceſſerunt Imaginibus. 337.
Stephano Protomartyre lapidato multa Chriſtianorum millia, Iudæa excedunt. 70.
Stephanus Nicanus primus Rhegynorum Epiſc. 39.
Stephano Regi Hungariæ corona cælitus impoſita. 336.
Sternutationis mortiferæ antidotum. 162.
Stilus ſimplex non vitiat veritatem. 286.
Stridonem Patriam Hieronymi Paulus inuiſit. 223. Non eſt iſta in Iſtria. Ibid. Non eſt eadem cum Sidrona. ibid.
Strungilla ignita. 356.
Summus Pontifex definire aliquid poteſt vt magis pium. 256.
Syluèſter Maurolycus quid de V. Epiſtola. 310.
Syrtis vocabulum quid. 313.

T

TAuromenij Pancratium & Maximũ Epiſcopos à Petro accipiunt. 217.
Templa, Petri exemplo ceteri Apoſtoli excitant Mariæ. 9.
Templa præcipua B. V. ſacra, hodie euerſa. 390.
Templum Paulo dicatum circa Elorum. 2. Siculis. 30. Petro, a Marco. 9. Eidem a Sauiniano apud Gallos. ibid. Ioanni viuenti, Epheſi. ibid.
Templum Mariæ viuenti à Petro excitatum. 9. Memphiticum in honorem eiuſdem. 16. A Martha eidem extructum. 10. A Materno apud Tungaros primum inter alpes. 9. Eidem Aſſumptæ quod vulgo S. Maria apud Meſſanenſes, quando, à quibus, ceptum, ornatum, dotatum. 77.
Templum ab eadem B.V. Meſſanæ delectum quo & quali tempore. 380.
Temporum ſucceſſione plura circa B. V. cognita. 64.
Temporum notis literas ſignare an Hebrais conſuetum. 164.
Temporum notas B.V. in Epiſtola appoſuit, curè 163. 164. 165. Earum variatio vnde prouenit. 98.
Temporum notas Iuſtinianus in actis extare voluit. 102.
Tempus memoriam rerum abſumit. 117.
Tereſia B.Virgo apparet. 309.
Terræmotus ingens in Sicilia præſertim Catanæ 357. Nuper in Apulia. Ibid. Antiochiæ diuino oraculo ſedatus quomodo. 162. B. V. tranſitum ſignificans. 56.
Theano Pythagorica ſuadebat immortalitatem animorum. 14.
Thecla vera hiſtoria. 40. Eius conuerſio, Pauli miraculum. ibid. Prima inter fœminas martyr. ibid. Pudicitiæ columna. 41. Paulo Magiſtro ſuo ſimilis. ibid. Magiſtra Martyrij. ibid. Eius plurima laudes. 40. 41. Nomen in Melaniam tranſlatum à Hieronymo. 41.
Theodoretus quidam ex Epiſtola B. V. conuictus. 144.
Theodoricus Rex merſus in Vulcani ollã. 356.
Theophraſti Paracelſi opera inuenta. 273. Eius ſigilla damnata. 383.
Thomas Apoſtolus Imaginem Deiparæ deportat ad Indos. 369.
Thomas Torralba inuentor Chronici Flauij Dextri. 373. 374.
Thomas Caetanus dubitat de Epiſtola Iacobi. 152.
Thomas Tamaius defendit Epiſtolam B. V. 408.
Titum adhibet interpretem Paulus, cur? 211. 212.
Traditioni credendum, ſi non obſtet pietati. 36. 244. Eius triplex genus. 206. 245. An in eam omnes conſentire debeant. 206. Quæ traditiones admittendæ. 44. 204. Quas damnat Chriſtus & Iſaias. ibid. Quanta illis habenda fides. 92. Qui illas impugnant fugiendi. 259. Ab illis non facile recedendum. 38. Illis fidem derogare noxium Eccleſiæ. 248. Quanti fecit Philippus Catholicus. 259. Traditio maiorum pia non facile vertitur. 115. Eius conſtantia maximum veritatis argumentum. 246. Certa & ſolida quænam? 90. Singulare huius Epiſtolæ

argumentum. 303. 304. 245. 258. Debet Epiſtola ſemper conſtans. 92. Traditione multa habentur licet ſerò ſcripta. 137. Traditio huius Epiſtolæ qualis. 245.
Traiani anima precibus Gregorij liberata. 92.
Triphon aliquando diſcipulus Pauli poſtea perſecutor. 45.
Triumphus B.V. Aſſumptæ Meſſanæ quomodo celebretur. 77.
Trophimus Arelatenſium primus Epiſcopus. 10.
Turcarum Claſſis præterit Meſſanam. 342.

V

Valentiniani CHRISTVM qualem putabant. 10.
Valentinus reſtituit Crucem inſignibus. 337.
Veneta Reſpublica præmiat hæredes Antonij Duri. 378.
Verianus Virgilianum carmen de V. explicat. 19.
Veritas non ab humano affectu penſanda. 152.
Veſuuij ignes extinguit S. Ianuarius. 358.
Vidua apud Hebræos interdum à parentibus denominata. 155.
P. Vincentius de Meſſana teſtis multorum miraculorum, virtute Epiſtolæ V. 382.
Vindicta Dei in dehonorantes Imaginem B.V. 382.
Virginem parituram apud Iudæos & Gentiles diuulgatum. 12.
Virginem parituram Ethnicis viſum incredibile. 12.
Virginis titulus apud Iudæos ingratus. 11.
Vita pretioſe prodigenda, non eſt vili pacto redimenda. 115.
Vrbanus VIII. celebritatem Epiſtolæ promouet. 319. Ad Meſſanenſes reſcribit. 352.
Vulcanus ſine patre natus. 23.
Vulcani olla. 356.

X

Xanticus menſis qui. 164.
Xantippa conuerſio. 81.
Xenocratis edulium. 120.

Z

Zaccharias cur filius Barachiæ dictus? 229.
Zacharias à Iudæis interfectus propter B.V. 15.

ERRATA SIC

CORRIGE.

INitio pro XIX. pone XXIX. fol.13. l.antepenult. in hac pro in hæc. fol.14. lin.14. quiſquiam lege quiſpiam fol.19. l.24. Orchæſtra lege Orcheſtra, & in marg. l. Celoam lege Celſam, fol.26. lin.38. ſingulatis lege ſingularis, fol. 27. lin.11. facim lege faciam, & lin.17. expouas pro exponas fol.30. l.10, alpaide, pro à lapide fol.31. lin.36. quæatur lege quæratur fol.31. lin.15. in partet lege in partes, & lin.19. co lege eo, fol.36. l.38. Manaſſi lege Manaſſe fol.43. l.1. mirime lege minime, & Venum lege verum, fol. 41. lin. 43. deſidero lege deſiderio, fol.48. li.25. obfirmarum lege obfirmatum fol.61. lin.31. commoratis lege commoratus; fol. 62. lin. 8. concuhina lege concubina, fol. 68. lin. 26. augumento lege argumento, & ſalutiones lege ſalutationes, fol.71. lin.penult. ſenagaſimum, lege ſexageſimum, fol.74. lin.44. augumentum, lege argumentum fol.78. lin.23. immitantur lege immittantur fol.80. lin.23. paulmu lege paulum, & lin.41. facle lege facile, fol.81. lin.39. ſelinitatis lege felicitatis, & lin.vlt. longiore lege longiorem, fol.81. nendorum lege mendorum, fol.89. lin.31. eſſet pro eſſent fol.91. lin.19. cneptione pro exceptione, & lin. antepenult. Dem pro Deum fol.94. lin.31. debuir lege debuit, fol.91. lin. 27. tidiciule lege ridicule, & lin. 35. ſcrmoecem lege ſermonem, fol.101. lin. 4. petatis lege pietatis, & lin. 29. Apoſtolum pro Apoſtolorum, & lin. vlt. putentibus lege petentibus, fol. 116. lin. 1. enarat m. lege enarratam, & lin.16. in patte lege in parte, fol. 120. li. antepenult. ordine quadam lege quodam, fol.124. lin.3. merata lege mortua, fol.130. Martialis Meſſintus lege Meſtreus fol.130. lin.39. ſuppoſitiam lege ſuppoſititiam fol.134. potui lege potuit, fol. 161. lin.34. Iacobi lege Iacob. fol. 166. lin.29. trecenſimo lege trecenteſimo, fol. 169. inueniens lege inuenies, fol.176. dialectos lege dialecticos, & inuedere lege inuehere fol. 177. lege παρασκευήν, fol.183. lin.vlt. ad duobus lege a duobus fol. 181. lin. 4. ſanictitudines lege ſanctitudines, & lin. 25. antiquor pro antiquior, & lin.ante penult. coniunctioue, lege coniunctione, fol.186. lin.37. aditu lege auditu, & lin.45. acereſcebat lege accreſcebat, fol.189. lin.36. ſubſiſtiſſe lege ſubſtitiſſe. fol.191. l.8. tadunt pro tradunt, 192. lin.10. ſaplentibus pro ſapientibus f.193. lin.36. ludieris lege ludicris, & f. 39. conſcriptam lege conſcriptum f.196. lin.4. Epiſtolia lege Epiſtola, fol.202. l. 23. tempeſtate quo, lege qua fol.203. lin. 10. in iurat pro inurat, fol.213. lin.26. itaue pro itaque fol. 217. lin. 14. deſringendo pro deſtringendo fol.219. lin. 23. conſitiſſe. fol.221. lin. 33. prigiam pro phrigiam, fol.222. lin. 10. longiaſes lege longiores, & lin. 23. damari lege damaſci, & lin. 41. Achenis lege Athenis, fol. 244. lin.14. nehilo pro ne hilo fol. 247. caput quatrageſimum pro quadrageſimum, & denſam pro denſum fol.1.8. lin. 36. Heſtoricos pro Hiſtoricos fol.249. lin.13. vt tu fortaſſe pro tum. fol.253. lin.20. affuliſſe pro affulſiſſe, & lin.34. hoſtumi pro hoſtium fol.218. in iſſa, pro ipſa, fol.264. lin. penult. præter hunc fidem, pro hanc fol.267. lin.24 animis lege armis f.277. nuſperus, pro nuperus, & lin.19. occulatis pro oculatis f.282. lin.18. efforo oculo pro effoſſo, f.299. Baitholomeus pro Bartholomeus fol 303. lin.29. Reggium, pro Regium, 305. lin.31. doctoq; argumento pro, ductoq; argumento 308. lin. 5. ſcliciſſimi, pro celſiſſimi. fol.314. lin. 12. Brorealcs pro Boreales fol.316. habere pro habere. fol.318. lin.8. domus pro domos fol.324. li.40. conſiceſſet pro conticeſſet, fol.328. lin.18. proprius, lege propius. fol.324. lin.44. principiũ pro Principum, fol.332. in marg. χοῖος, & χαρτιες pro χώος, & χόρτης, fol. 334. collecandam pro collocandam fol.338. lin. 36. teddiderat pro reddiderat, fol. 349. lin. 26.

Ma-

Magnum formidinem pro magnam fol. 350. lin. 17. Meſſanenſes lege Mænenſes, & lin. 34. locatam lege Leocatam, & lin. 1. penult. attingerent lege attigerint, fol. 351. lin. 37. vicendum lege vincendum, fol. 312. lin. antepenult. ipſe pro ipſo: fol. 370. l. 6. ſuparandis pro ſuperandis, fol. 374. lin. 9. fur pro iure, & lin. 35. anctore pro auctore: fol. 381. lin. 40. inſolira, lege inſolita, fol. 384. lin. 24. aduiratam lege ad iuratam: fol. 383. imarg. Appenaice pro appendice: fol. 400. lin. 22. miſerioris pro miſericors, & lin. 25. aptemperantibus pro obtemperantibus, fol. 430. meſſe pro meſſi. Caput 46. biſnotatur, cap. 50. omittitur, & itur ad 51.

Plura quæ paſſim in tranſpoſitionibus vel immutationibus literarum, leuioris momenti inciderunt, Lectoris iudicio corrigenda relinquuntur.

REGISTRVM HVIVS OPERIS.

✠ ¶ a b c d. A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz. Aaa Bbb Ccc Ddd Eee abc.

Omnes Duerni, præter Eee Ternus. & ✠ ¶ ſimplices.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

MESSANAE.

Typis Petri Breæ. M. DC. XXIX.

Sumptibus Ioſephi Matarotij.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google